Doppio
si conservano le due copie perchè l'una serve di complemento dell'altra

Francisci Hotomani

[illegible] [illegible] commentariorum in orationes M. T. Ciceronis volumen primum.



Centum millia sestertium 2911 Δ 26 gr.

Decies HS — 29117 Δ 22 gr.

Vicies — 58235 Δ 14 gr.

Vicies quinquies — 72794 Δ 4 gr.

Sexagies — 176470 Δ 20 gr.

Millies — 2941176 Δ 16 gr.

~~IOANNI LVCANIO~~ VIRO CLARISSIMO
[redacted] S.

Lucianum potius vocasset commentatori nomine.

ANnus ferè agitur quartus, ex quo ad Latinæ linguæ docendæ munus prouinciámque delectus, quum alia melior obeundi mèi muneris ratio nulla videretur, quàm si Ciceronis Orationes iis, qui mihi in disciplinā tradebantur, exponerem: earū interpretationem suscepi. quod eo etiam lubentius feci, quia paulo antè (vt scis) codicem earum Orationum nactus eram peruetustum, in quo locis innumeris incredibilem scripturæ dissimilitudinem ac varietatē offenderam, quam cum hac nostra recepta & peruulgata lectione conferre atque comparare cupiebam. Hoc in negotio adhibui etiam aliorum quorundam manu scriptorum codicum quorum mihi amici quidam copiam fecerunt, & eorum prætereà qui ex impressorum officinis exierāt, numerum non paruū. Cognoui autem, quod turpissimum & miserrimum esse iudicaui, in impressis libris tātam repugnantiam ac dissensionem, vt ipse (opinor) Tullius si reuiuisceret, sua hæc scripta vix agniturus esse videatur. Quo mihi sanè mirabilior hominum quorundam ratio visa est: qui dum Commentarios in Ciceronis Orationes conficiunt, præclarè se id quod profitentur præstitisse existimant, si tropos quosdam & figuras Græcè aliquot in locis nominarint: scripturam autem qualencumque offenderint, relinquant, neque de mendo vllo mentionē faciant. Qui mihi nō dissimiliter facere vidētur, ac si quis in Apellis tabula, quæ cœno & maculis contaminata esset, pictoris solertiam atque artificium ostentaret: neque prius labes ac maculas, quæ operis gratiam ac venustatem obscurarent, elueret. Mihi quidem in hoc literarum genere studiorúmque curriculo versanti percommoda fore hæc ratio visa est, vt non antè de scriptoris mente ac sententia verbum facerem, quàm de ipsius verbis ac scripto constituissem. quam tamen ad rem nequaquam eorum quos dixi, librorum copiam ac facultatē satis esse putaui: sed simul veterum scriptorū auctoritatem iudiciúmque coniunxi, qui in suis libris disperse quosdā ex his Orationibus locos protulerūt. Primùm enim Asconium, Rufinianum, Aquilam, Quintilianum, tum prætera Gellium, Nonium, Festū, & hoc amplius Donatum, Seruium, Priscianum, reliquósque generis eiusdē scriptores perlustrādos peruolutandósque putaui. quæ res quantū mihi subsidii atque adiumenti ad hoc negotiū attulerit, malo alios ex re ipsa cognoscere, quàm ipse eorum, quorū me cognitioni existimationíque permisi, iudicio anteuertere. His variis lectionibus vnum in locum collatis interséque comparatis, eam quam optimam & syncerissimam esse iudicaui, mentíque Ciceronis maximè accōmodatam, excerpsi. Sed quoniā nondū eā vel eruditionem vel auctoritatē adeptus erā, vt Ciceronis castigatas Orationes in meo nomine apparere vellē: librū [redacted] typographorum omniū facilè principis quē ipse anno M D XLIII edidit, & omnium optimum atque incorruptissimum esse constabat, delegi: ad cuius scripturam ac lectionē notas illas meas castigationum adhiberem. vt si quid fortè offendissem (quod mihi certè quibusdam in locis, fortasse etiam permultis accidere potuit) modestiam tamen ac pudorem quem mihi natura attribuit, retinerem: neque corū arrogantiam ac temeritatem imitarer, qui simulatque corruptum aliquid esse

ſuſpicantur,continuò delendum,& aliud quiddam in illius locum reponendũ putant. Et quoniam in his XIII primis Orationibus,quas [illegible] caſtigatas eſſe volui,multa eſſe obſcura ac tenebricoſa intelligebam,& quæ ſtudioſos homines ab earum lectione deterrerẽt, operæpretium me facturum putaui, ſi interpretationem difficilium locorum adiungerem: præſertim quum adhuc cõmentarii in eas quidem Orationes nulli,quod ſciã, ſcripti ſint niſi & ab hominib⁹ iuris ciuilis imperitis,& ab iis qui præclarè ſuo ſe munere perfũctos arbitrãtur,ſi aliquot ĩ locis figuras(vt dixi)Græcè nominarint. Quaſi verò magna pars earum Orationum explicari ab ignaro iuris ciuilis poſſit:quum in cauſa quidẽ Q. Roſcii hæc res in diſcrimẽ cõtrouerſiãq; vocetur, An ſeruo cõmuni occiſo, & altero ex ſociis procuratore facto ad percuſſorẽ iudicio perſequendũ, lite iã ab eo cõteſtata,ſi alter ſine procuratione aliquid à percuſſore tranſactionis nomine abſtulerit,id quod abſtulit, vtriuſq; cõmune eſſe debeat:præſertim quũ is qui procurator eſſet,nunquã quicquã à percuſſore potuerit cõſequi. In Oratione verò pro Cæcina quæratur,Deiicíne dicatur qui non poſſideat:itẽ Poſſideátne hæres vſufructuariæ,quos fundos ea colono elocarat. In qua quidẽ Oratione, cui vnquã noſtrorũ interpretũ in mentẽ venit ſuſpicari,quod nos apertè planéque docuimus,Ciceronẽ malã iniquámq; cauſam defẽdere? Mihi ergo hæc cõmentaria cõſcribenti ſemper hæc duo propoſita fuerũt:primùm vt ſcripturam quam veram & incorruptã eſſe arbitrarer, notatis falſis atque adulterinis verbis, oſtenderẽ: tum præterea quæ obſcura viderẽtur, ea breui aliqua & dilucida explicatione illuſtrarẽ. His rebus duabus interpretis officiũ quaſi quibuſdam terminis concluſum ac circunſcriptum eſſe exiſtimaui .in quo ſi me opinio fefellit, aliorum erit humaniter errorem homini non impudenti,ſed verecũdo,& diſcẽdi cupido commonſtrare. Nam quòd aliorum(quemadmodum paulo antè poſui)interpretum ratio adhuc atque conſuetudo hæc fuit,vt Rhetoricæ artificium ac figuras in hiſce Orationibus demonſtrarent : eorum ego exemplum vt imitarer,pluribus de cauſis adduci non potui. primùm quia docere hoc tẽpore Rhetoricam non inſtitui:ſed aut menda(vt dixi)ex his libris tollere,aut locos obſcuros& difficiles aliqua interpretatione explicare. Deinde ſi maximè illud meum conſilium fuiſſet,modũ tamẽ (opinor) aliquem in hoc quoque genere tenere debuiſſem. non enim ita infinitum ſtudium eſt artis Oratoriæ,vt non minus quinquaginta Orationum artificiis notandis atque obſeruãdis,ei⁹ præcepta tradi atque explicari poſſint. Quare quũ in animo haberem in omnes Ciceronis Orationes commentarios conſcribere,ſuſcipiendum ſine cauſa tantum laborem non putaui : ſed hoc totum & Rhetoricæ & Dialecticæ tradendæ ſtudium in aliud tempus reſeruaui. Eò etiam accedebat,quòd quum hoc tẽpore forenſis illius diſciplinæ(quà quidem ad intimũ illud artificiũ,atq;,vt Cicero appellat, μυστήρια Rhetorũ pertinebat,quales ſunt exordiorũ & epilogorum præceptiones)aut nullus,aut certè pertenuis vſus eſſe videatur: nunquam equidem puerorum ingenia tam multis obſoletarum præſertim & inutilium rerum præceptis condiſcendis occupanda eſſe iudicaui . idémque iis ſẽper accidere exiſtimaui, qui in docendis iſtiuſmodi Hermogenis aut Quintiliani præceptis conſeneſcunt, vt ſiqui hodie artem hiſtrionicam domi laborioſiſſimè traderẽt, diſcipuli verò quãuis longo & magno labore inſtituti, nũ-

quam in forum atque in publicum prodirent: sed & illi stultissimè docendo, & hi inutiliter perdiscendo operam suam infeliciter inanissimis in rebus collocarent. Habeo præterea huiusce cõsilii mei auctorem Asconium: cuius neque doctus quisquam eruditionem, neque intelligens auctoritatem & iudicium aspernabitur. In iis quidem quæ ad nos peruenerunt ipsius Commentariis, quàm nullæ sint istius generis obseruationes, cuiuis licet intelligere. Tibi autem clarissime & præstantissime [redacted], inscribere hos meos labores volui: vt qui me ex quo primùm die vidisti, sẽper in filii loco ac numero habueris, intelligeres amorem tuum non infeliciter collocatũ esse: sed in eo homine positum ac constitutum, cui semper ingrati animi vitium fœdissimum ac turpissimum esse visum est. Quum enim referendi beneficii ratio multiplex sit, grati certè & memoris animi significatio pars quædam remunerationis semper à prudẽtissimis hominibus existimata est. Quare vt cùm tibi, tum aliis meæ erga te obseruantiæ ac pietatis testimonium aliquod publicè extaret, paruum hoc tibi munusculum ex ingenio meo deprom ptũ offerre volui: quod si tibi tam ab ipsarum rerum [illegible] ac dignitate probabitur, quàm ab optima animi mei voluntate gratum ac iucundum fore, quũ hæc scriberem, confidebam: tum verò fructum ero mearum vigiliarum ac laborum ex animi mei sententia amplissimuni, vberrimúmque consequutus. Vale. Idib. Maii M D L I I I.

LECTORI.

Quum in hisce scribendis Commentariis librum à [redacted] postremùm editum sequuti essemus, cuius folia paginis complicabātur senis denis, résque nos ad formam libri ampliorem reuocaret, paginas ad illius exemplar in præsentia distinguere ac dirigere coacti sumus: ita tamen, earum vt initium à capite sententiæ, quantum rei facultas ferret, arcesseremus.

Pag. Ver.

13. 5. homines nobiles
17. 32. flagrabat
ead. 55. quæ in præstationibus & societatis
25. 53. est, Eius boon
26. 24. appellabantur
26. 42. accommodaretur: vt in Orat. pro Co moedo. Has
36. 3. Ne vode
50. 49. quæ calumniæ
ead. 51. quoque aliarum
54. 39. putarem, Ita,
56. 2. secat spem
ead. 4. bona auctione
57. 2. contra, omnes
95. 47. autem ita & nota est
67. 8. qui libertum hominem
69. 42. causas agendi, fuit
ead. 43. dicat eam ipsam
ead. 46. Institut. 11.
79. 27. honorem gerit,
81. 6. iure decedere,
91. 32. Huic peteres.
97. 41. Tribunis ademerat
111. vlt. erat XXXVIII:
118. 42. cognoscerent. Designati
123. 18. pub lici, Magistratus appellantur.
124. 37. pecuniis quæreret:
128. 46. quò prius testes
132. 45. & furti nec manifesti tenetur:
135. 6. dicit, quæ
136. 15. contra dicerem:
136. 36. lege Glauciæ vtebantur
139. 49. cuius petendæ annus legitimus
139. 55. qui Consules erant, aut Proconsulares, quas iī qui Consules fuerant, biennium
142. 28. Asconius, indicē. & 29, fuisse indices
143. vlt. Ἀντὶ 144. 12. φιλότητα
144. 51. olim Diiouis
ead. 57. Διὸς ἀγεῖ
147. 23. Hæc animaduerti postea in Asconii libro: quæ εἰρωνικῶς dici testatur. quare tollenda hæc fuerit annotatio.
152. 13. satis constat,
154. 32. cum publicis
ead. 42. cum publicis
155. 52. vnam ex decem
156. 39. multorum amicorum relata est.
157. 4. enim amicorum significat,
157. 12. quæ nominibus fieri
160. 12. Prætores in comitiis fiebant,
166. 19. & actionem hæreditatis intenderet,
167. 9. Siciliensi. Si de hæreditate
187. 44. Valerio Probo
191. 19. te Heraclii voluntate
198. 40. Sedebit igitur
212. 34. statuerunt, abstulisti.
218. 30. dicit, patritium hominem, qui legem
222. 13. sed Peccatu
227. 47. ac Senatus,
230. 45. nota locutio.
232. 15. ex edicto professus
235. 55. fructibus decumam
236. 3. irrisionem Perganus
245. 51. quanti venierant
251. 11. millia, deductis
257. 39. hoc decerneres, an
263. 20. Fabium in annalibus
264. 3. Vide pag. 268.
ead. 30. scribæ tum duo magistri affuerunt.
267. 21. inquit Donatus, probator.
273. 1. tulit. perinde quasi
286. 6. eripere: ipse à
ead. 24. ἀνὴρ ἐς ψυχὴ
289. 6. superius, Indicia
290. 42. Max. in mali ominis
291. 6. me commonuit
303. 48. esset: nimium
313. 12. Leonte Megarensi
350. vlt. prætermissa hæc sunt 305

Marmorea Venus illa ne auferatur. Omnes, quos vidi, codices consentiunt. Video tamen, qui NE particulam tum ex hoc, tū ex proximo loco tollendā putent: sed qua ratione adducti in eam opinionē venerint, nō explicarunt. itaque dū illi causas huius correctionis afferāt, receptā lectionē conseruabimus. Etenim nisi planè nihil videmus, nō alia sententia dixit Plautus, Quem quidē ego vt nō excruciem, alterū tantū auri nō mereā. Non alia hic noster ī lib. de Finib. Quid merearis, vt te dicas in eo magistrato omnia voluptatis causa factur ū esse?

Iacchū aut Parthalū. Iaccbus, Bacchus dicebatur, ἀπὸ τοῦ ἰακχεῖν. & vox initiatorū erat ἴακχ' ὦ ἴακχε. Paralum autē vt aliis in libris, nō Parthalū legendū est. Fuit autē Paralus nauis longæ, vt scribit Plin. in uētor. & Plut. ac Thucyd. sacrā nauī incredibilis celeritatis πάραλον dictā tradunt: qua Athenienses, quū grauior aliquis casus vrgeret, vti solebant.

324. 9. affici, at custodiri
341. 39. meis persolutam.
349. 21. longè ab suis
361. 11. obscuritas. & ius
364. 19. inuaderet. & quia
371. 8. posset, si ei qui
372. 21. statui detrusum
374. 46. tribuamus, qualis
377. 6. Vinces profectò
372. 12. amittet, quam ipsam
ead. 45. auctoritatem nimium
388. 24. tibi de amicorum
394. in fine argumenti, quū Lex Cēturiatis
396. 6. haberētur, augur aliquis de cælo seruasset, magistratus obnūtiare poterat,
407. 10. quantos labores in

ARGVMENTVM IN ORATIONEM Ciceronis pro P.Quintio.

L. Scipione C.Norbano coss. (quo tempore L.Sylla ex Mithridatico bello reuertens, infestis armis Romam cum maximo exercitu cótendebat) Sex.Neuius præco, qui sibi à P. Quintio plebeio homine pecuniá ex societate deberi, & desertum ab eodem vadmoniú diceret, v Cal.intercalares, hoc est, xxii die Febr. à P.Burrieno Prætore ex edicto possessioné bonorú ipsius Quintii postulauit: quam quú impetrasset, fundum in Gallia, qui communis ipsorum erat, possedit. Biénio pòst M.Tullio Cn.Dolabella coss. L. Sylla Dictaturam gerente, quú hic ipse Neuius à Cn. Dolabella Prætore iudicium Pro socio aduersus Quintium peteret, cum eo vt Quintius solus iudicatum soloi satisdaret, iudicium Quintius non recusauit, satisdare recusauit: hanc afferens causam, quòd ii soli satisdarent, quorú bona, quòd vadimoniú deseruissent, possessa essent: possessa autem sua bona núquam fuisse. quum Cn. Dolabella Prætor decernit, cúmque iubet aut satisdare, aut spósionem facere, Si bona sua ex edicto possessa essent. Spósionem Quintius facere maluit, fecit. In eam sponsionem à Prætore iudicem C. Aquilium Iurisconsultum petiit: Neuius non recusauit. Datus itaque C. Aquilius à Prætore iudex est, qui de hac sponsione iudicaret. Is peritos iuris tres, L.Lucullú, P.Quintilium, M.Marcellum in consilium aduocauit. Sedit ipse iuratus: sedere & alii, sed iniurati. neque enim iudicabant, non accepta scilicet à magistratu potestate: sed cósilium cómunicabant. Causa priuata est: id est, actor non totius populi (vt in publicis iudiciis) sed vnius alicuius priuati hominis, qui se læsum queritur, iniuriam persequitur. Acta est post aliquot ampliationes, quum difficile iudicium videretur: aut propter iuris obscurá dubiámque rationem, aut quia ciuis R. existimatio agebatur. quæ duæ ampliandi causæ fuerút, vt suo loco docebimus. Et (vt puto) in Comitio acta est: qui locus erat in foro propter Curiam, in quo priuatarum rerum iudicia fieri solebant: vt constat ex Plauto, Macrobio, & Bruto Ciceronis. Dicta est autem à M.Tullio, annú (vt scribit Gellius) sextum & vigesimum ætatis agente. siquidem à C.Serrano Q. Cæpione coss. quibus se natum ipse in Bruto scribit, ante diem iii Non. Ianu. (vt Gellius auctor est, & ipse testatur in Epistolis ad Atticum) ad Tullium & Dolabellam coss. quo tempore (auctore Gellio) hæc causa dicta est, totidem anni numerantur.

Ni bona sua ex edicto possessa non essent.

M. Tullii Ciceronis pro P. Quintio Oratio I.

CICERO. I.

Qvae res in ciuitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia. quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo. eloquẽtia Q. Hortensii ne me dicẽdo impediat, nonnihil commoueor. gratia Sex. Neuii ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimesco. neque hoc tantopere querendum videretur, hæc summa in illis esse, si in nobis essent saltem mediocria. verũ ita se res habet, vt ego, qui neque vsu satis, & ingenio parũ possum, cum patrono disertissimo comparer: P. Quintius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ sunt, cum aduersario gratiosissimo contendat. Illud quoque nobis accedit incommodum, quòd M. Iunius, qui hãc causam Aquili aliquoties apud te egit, homo & in aliis causis exercitatus, & in hac multum & sæpe versatus, hoc tempore abest, noua legatione impeditus: & ad me ventum est, qui vt summa haberem cætera, temporis quidem certe vix satis habui, vt rem tantam, tot controuersiis implicatam, possem cognoscere. ita, quod mihi consueuit in cæteris causis esse adiumento, id quoque in hac causa deficit. Nam quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligẽtiam comparaui. quæ quanta sit, nisi tempus & spatium datum sit, intelligi non potest.

D. [illegible] COMMENTARII.

In ciuitate. In hac ciuitate. vt infrà, pagina 24, Aut C. Aquilius vir iuratus hoc ius in ciuitate cõstituat. Et pag. 35, Si est homini honesto locus in ciuitate inuito Neuio.

Summa gratia & eloquentia. Gratia, copia est plurimorũ amicorum, vt scribit Asconius: & intelligitur ex his verbis quæ proximè insequuntur: P. Quintius, cui exiguæ amicorũ copiæ sunt, cum aduersario gratiosissimo contendat. Plurimum autem in ciuitate gratia poterat. primùm in iudiciis: etenim moris erat in iudiciis tum priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum auctoritate moueri iudices posse putabantur. iique, vt scribit Asconius, Aduocati dicebantur, qui scilicet præsentiam suam amico commodabãt. Orator enim, Patronus dicebatur. Patronus autem, instituto Romuli, qui ex Patrum numero plebi, quos ei commodum esset, deligendi potestatem fecit, qui ipsius causas susciperent. ex quo illi quidem Patroni, hi verò Clientes, vt alibi docuimus, dicebantur. Eò igitur & Prætores, & Consules, & omnes denique, quicunque poterant, tum magistratus, tum alii ciuitatis principes aduocabantur: in quibus potentia quidem dicebatur: quum in eo cui aduocati aderãt, Gratiæ verbum potius vsurparetur. In hanc sententiã ipse in Oratione pro Cæcina, Denique, inquit, nimia ista quæ dominatur in ciuitate potẽtia, in hoc solo genere quiescit. Has copias amicorũ, qui aduocari ad iudicium solebant, AEschines in Oratione cõtra Ctesiphontẽ τῆς παρασκευῆς, καὶ τῆς παρατάξεως nomine significat: quibus verbis modò quod Manũ, modò quod Aciẽ instructã Latini appellãt, Græci declarãt. τὴν μὲν παρασκευὴν ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τὴν παράταξιν, ὅσοι γεγόνασι. Copias enim aduocatorũ ostẽdit Demosthenis & Ctesiphõtis: quas inuidiose Manũ, atq; aciẽ instructã, quasi ad vim faciendã cõparatas appellat. Poterat præterea Gratia plurimum in honorũ petitionibus, poterat in Senatu, qua de re mentio fit in Miloniana quũ dicit Munatiũ Plancũ suam potẽtiam inuidiose criminari, ac dicere, Senatũ nõ quod sentiret, sed quod Tullius vellet, decernere. Denique omnibus in Reip. partibus amicorũ copiæ plurimũ (vt ipse dicit) poterant. De eloquentia verò, quid attinet dicere? quum in liberis ciuitatibus dominam & reginã eam rerum omniũ fuisse cõstet: vt ipse docet initio libri de Oratore 1.

Quarum alteram. ὕστερον πρότερον, præter consuetudinem loquendi: vt ad Eloquentiam referatur.

Alteram C. Aquili. Hic est, puto, C. Aquilius Gallus, auditor Q. Mutii Pont. Max. vt scribit Põponius in capite de origine iuris, Seruii Sulpitii in iure præceptor, vt Cicero tradit in Bruto: clarus iuris ciuilis scientia, à quo de dolo malo formula prolata est, quam Cicero euerriculum malitiarum omnium appellat, in libro de Nat. Deorum III, & de Offic. III. quem ipse idem & in Topicis & eodem libro de Offi. suum collegam appellat, opinor, quòd Præturam vnà cum ipso gesserit: quum Tullio quidem de pecuniis repetundis, Aquilio verò ambitus quæstio obuenisset: vt in Cluentiana significat, & alibi exponemus.

Ne me dicendo impediat. Ne permultis in rebus timore prolabar, vt ipse inquit pag. 27. & hac verecũdia qua quidẽ, auctore Fabio, nihil est ad cõciliandũ grauius, beneuolẽtiã sibi iudicis adiungit.

Gratia Sex. Neuii. Gratiã sibi nobilitatis paucis hisce diebus conciliarat, quum à partibus Marianis, inclinata tamen & propè iacente iam fortuna, ad Syllanos desciuisset. vt constat pag. 25, & 34. Itaque ei aderãt homines nobilissimi ac potẽtissimi ciuitatis, vt infrà dicitur pag. 26, & pag. 16, Potentes, diserti, nobiles omnes aduocandi sunt.

Neque usu satis. Annum agẽs ætatis sextum & vigesimũ, vt in expositione argumenti diximus.

Cum patrono disertissimo comparer. Comparari, hoc loco committi significat: quomodo duo paria gladiatorũ inter se committi dicuntur. Nam cõparari ad certamen intelligitur. Græci [illegible] dicunt, [illegible], & [illegible].

Tenues opes, nullæ facultates. Nõ diuitias significat, quũ infrà fortunas appellet illius amplissimas: sed quam antea gratiam appellari diximus: aut, quod vernacula nostra lingua dicere solemus, creditum. Ita in Epistol. 1. ad Q. Frat. Nunc quoniam ita accidit, vt neque Prætores suis opibus, neque nos nostro studio quicquam proficere possemus, &c. Similiter pag. 34, Obtestatur, vt plus huius inopia possit ad misericordiam, quàm illius opes ad crudelitatẽ. Et pag. insequẽti, Si apud hoc consilium, ex opibus, non ex veritate causa pendetur. Itaque hoc ipso loco opibus ac facultatibus nullis præditum, cum homine gratiosissimo, quasi contraria contrariis respondẽtia, comparat. Facultates autem maius esse voluit, quàm opes: vt Facultatis verbo [illegible] intelligatur: nam [illegible] à Xenophõte dicuntur in Tyranno, quibus nihil deest ad summam potentiã.

Qui hanc causam aliquoties egit. Apparet aliquoties ampliatam hanc causam fuisse. quod etiã pag. 11; significat. Nec illud, inquit, mihi arrogabo, me posse causam commodius demõstrare, quàm antea demonstrata sit. item, Et ab illo, inquit, qui antè dixit, informata iam causa est. Ac de ampliatione quidem in Verrinis orationibus idoneo loco disputabimus.

Noua legatione impeditus. Quam significet legationem, obscurum est: nisi forte nouam appellat, quasi alteram nũc legationem obeat, quum iam antè legatus Procõsuli, aut Proprætori cuipiã fuisset. De Legatorum quidem generibus in Ver. 111 breuiter explicauimus.

Ad me uentum est. Deferri enim causæ post ampliationem, etiam ad alium poterant patronum: vt in Bruto delata à C. Lælio dicitur ad Sergium Galbam quædam publicanorum causa.

Vt summa haberem cætera. Si maximè & summam haberem eloquentiam, & summam amicorum copiam ac facultatem. Græcè, [illegible]: cuius contrarium est [illegible].

Tot controuersiis implicatum. Iam enim biennium in hoc iudicio versabantur, vt ipse dicit pag. 14.

CICERO. Quæ quo plura sunt C. Aquili, eo te, & hos, qui tibi in consilio adsunt, meliori mente nostra
a » verba audire oportebit: vt multis incõmodis veritas debilitata, tandẽ æquitate taliũ virorũ recreetur. Quòd si tu iudex nullo præsidio fuisse videbere cõtra vim, & gratiã solitudini atq; inopiæ: si apud hoc consiliũ ex opibus, non ex veritate causa pẽdetur: profectò nihil est iam sanctũ atque syncerũ in ciuitate: nihil quod humilitatẽ cuiusquã grauitas & virtus iudicis cõsoletur.
*assunt l. » Certè aut apud te, & eos, qui tibi *adsunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulsa vi, & gratia, locum, vbi cõsistat, reperire non poterit. Non eo dico C. Aquili, quo mihi veniat in dubiũ tua fides & constantia: aut quo non in iis, quos tibi aduocasti, viris lectissimis ciuitatis spẽ summã habere P. Quintius debeat. Quid ergo est? primùm magnitudo periculi summo timore hominẽ afficit, quòd vno iudicio de fortunis omnibus decernit. idq; dum cogitat, non minus sæpe ei venit in mentẽ potestatis, quàm æquitatis tuæ: propterea quòd omnes, quorũ in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitant, quid possit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quàm quid debeat facere. deinde habet aduersariũ P. Quintius verbo Sex. Neuiũ, reuera huiusce ætatis homines disertissimos, fortissimos, ornatissimos nostræ ciuitatis, qui communi studio, summis opibus Sex. Neuiũ defendunt: si id est defendere, cupiditati alterius obtẽperare, quò is facilius, quẽ velit, iniquo iudicio opprimere possit. Nã quid hoc iniquius, aut indignius C. Aquili dici aut cõmemorari potest, quàm me, qui caput alterius, famã, fortunásque defendam, priore loco causam dicere?

[illegible] *Hos qui tibi in consilio adsunt.* Datus Aquilius à Prætore Dolabella iudex huius causæ fuerat, sicuti in expositione argumẽti diximus. Is sibi iuriscõsultos aliquot in consiliũ aduocarat: qui cũ illo tantũ modo cõsiliũ cõmunicarẽt, sententiã ipsi, nõ accepta scilicet eius rei potestate, neq; (vt opinor) iurati non ferrẽt. itaq; Iudicẽ C. Aquiliũ identidẽ appellat: eius aduocatos, quod sciã, nusquã.

In consilio adsunt. Libri manu scripti Assunt. & certè sic se res habet, vt veteres ita locuti fuisse videantur, quum apud Plautum in Pœnulo scriptum ita sit, Heus Milphio vbi es? MIL. Assum apud te: eccum. AG. At ego elixum volo.

Solitudini atque inopiæ. Aduocatos enim habebat Quintius, & paucos, (de quibus pag. 27) & non potentes. Nam profusis sumptibus potentium amicitiæ parabantur: ipse semper incultè atque horridè vixerat, vt pag. 21.

Ex opibus, non ex ueritate. Opibus, gratia. Veritate, bonitate causæ, æquitate. Terentius in Andria, Id ne est verum? immò id genus hominum est pessimum. Vergilius,

Quæcunque eſt fortuna,mea eſt,me verius vnum
Pro vobis fœdus luere & decernere ferro. Sed in re aperta putidum eſt exempla conquirere.

Nihil tã ſanctũ atq; ſyncerũ in ciuitate. Artificioſa laudatio cõſilii,quaſi ſancti⁹ in ciuitate aduocari nõ poſſit,neq; ſyncerius.& loc⁹eſt ex cõpatatione maioris.Si apud quos multo maiore rationevalere debet æquitas,apud eos nõ valeat:ne apud eos quidẽ valebit, apud quos min⁹ videtur valerẽ poſſe.

De fortunis omnibus decernit. Illud enim hoc iudicio quæritur,ſintne ex edicto bona poſſeſſa eius,qui vadimonium deſeruerit.Horum verò bona omnia auctione vendita,ære primũ alieno diſſoluto, ei qui poſſeſſionem poſtularat addicebantur:vt poſtea docebimus.

Omnes quorum in alterius manu. Nam ex officii conſideratione,fiducia: ex poteſtatis, metus naſcitur,& cogitatio periculi: quod ipſum ſi ſolius officii ratio ducatur, reuera nullũ eſt,in iis videlicet qui quũ innocẽtes ſint,tamen in crimẽ vocãtur. Sed cur potius poteſtatis ratio ducitur? propter inſitã cuiquẽ à natura ſui charitatẽ ac diligẽtiã. Notũ eſt illud Alcibiadis, ἐξὸν φυγεῖν, μὴ ζητεῖν δίκην. Et illud de eodem apud Plutarchum, ἐρωτηθεὶς δὲ ὑπό τινος, εἰ πιστεύει Ἀλκιβιάδης τῇ πατρίδι· τὰ μὲν ἄλλ᾽ ἔφη πάντα, περὶ δὲ τῆς ψυχῆς τῆς ἐμῆς, οὐδὲ τῇ μητρί. μήπως ἀγνοήσασα τὴν μέλαιναν ἀντὶ τῆς λευκῆς ἐπιβάλῃ ψῆφον. id eſt, Quum quidã dixiſſet,Quid? Alcibiades,nõ fidis patriæ? Sane,inquit ille,aliis omnib⁹ in rebus: verùm vbi mea vita agitur,ne matri quidem.ne forte imprudens,nigrum pro candido calculũ conſtituat.

Verbo Sex. Neuium,reuera homines diſertiſſimos. Mire Quintii cauſam ſubleuat, dum iſtam illi ſtructam à nobilibus calumniam fuiſſe dicit, propter inſitum inueteratúmque illorum in ipſum odiũ : quod ex eo tẽpore cœptũ dicit, quũ ipſe Marianas partes ſecutus eſt. quaſi hæc vna Quintii calamitatis cauſa ſit. Nõ eſt,inquit,hæc reuera Neuii cõtrouerſia,ſed ab hominibus maleuolis atque inuidis malitioſe conflata,vt hoc nomine quæſito Quintiũ opprimãt. Nã appoſitus eſt modò Neuius,per quem illum homines aliquot nobiles opprimerent.

Homines diſertiſſimos. L.Philippum,Q.Hortenſium:de quibus pag.26.

Qui caput alterius,famam,fortunaſque defendam. Caput,locũ ac numerũ ciuis R.Latinè appellamus.vnde cenſa dicũtur ciuiũ capita,quum à Cẽſoribus in luſtris cõdendis eorũ nomina in tabulas publicas relata ſunt. Quocirca quibus iudiciis de ciuitate quis eximitur,ea iudicia Latini Capitalia appellant.Paulus Iuriſcon.ſub tit. De pub.iud.Iudicia,inquit,capitalia ſunt,ex quibus pœna,mors, aut exilium eſt:hoc eſt,aquæ & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. Sed in hoc verbò lapſa cõſuetudo,ſenſim eò deducta eſt,vt & Caput,exiſtimationẽ hominis nominemus:& omnẽ infamiã, pœnã capitalẽ. Modeſtin⁹ in l.licet,D.de verb.ſig.Licet,inquit,Capitalis Latinè loquẽtibus,omnis cauſa exiſtimationis videatur:tamẽ appellatio Capitalis,mortis vel amiſſionis ciuitatis intelligenda eſt. Et ab eadẽ ratione in Orat. pro Q.Roſcio,priuata iudicia, quæ turpitudinẽ afferũt, Capitalia tamẽ nõ appellat. Si qua,inquit, ſunt priuata iudicia ſummæ exiſtimationis,& propè dicã capitis,tria hæc ſunt,fiduciæ,tutelæ,ſocietatis. Hæc autẽ conſuetudo manauit,opinor,ex eo,quòd qui turpi iudicio dãnati eſſent,à Cẽſoribus tribu mouebantur. Quũ ergo ex ea tribu capita illa eximerentur,in Ceritúmque tabulas relata eſſent,propè de ciuitate ſublata videbãtur:quũ ſcilicet & ius ſuffragii amitterẽt, & ad hoc tantùm ciues eſſent,vt pro capite ſuo tributi nomine æra penderent. Ex his autẽ illud intelligi volumus, quòd capitis iudiciũ hoc Quintianũ tã ſæpe appellatur,nõ tamẽ publicũ fuiſſe, vt quidã imperitè ſcripſerũt: ſed quũ priuatũ ſit,propterea tamen capitis appellari,quia turpẽ exiſtimationẽ afferat. Hoc autẽ iudicio,ideo Quintii caput atq; exiſtimatio ĩ diſcrimẽ vertitur,quòd eo quæritur,vadimoniũ deſeruerit Quintius,nécne. Deſertoribus autẽ vadimonii, pœnã eſſe conſtitutam,infamiã,pro locis intelligetur. quis? non ii quorum commentarii leguntur.

Priore loco cauſam dicere. Neuius iudicio Pro ſocio certare cũ Quintio volebat,ſed cũ eo, vt Quintius(quaſi qui vadimoniũ deſeruiſſet) ſolus iudicatũ ſolui ſatiſdaret. Soli autẽ ſatiſdabãt, quorũ bona,quòd ipſi vadimoniũ deſeruiſſent,ex edicto poſſeſſa eſſent. Negabat ergo poſſeſſa eſſe bona Quintius.cuius rei conſtitutum eſt hoc iudicium. Ergo hoc iudicio vadimoniũ deſeruiſſe arguitur,& tamen priore loco falſum id eſſe docere cogitur. Fecit enim ipſe ſponſionem:qui verò ſpõſionem faciunt,debent ipſi,vt pote actores,cauſam priore loco dicere.vt infrà pag.9.10.

» Quum præſertim Q.Hortẽſius,qui hoc iudicio partes accuſatoris obtinet,contra me ſit dictu- CICERO. 3
» rus,cui ſummã copiam facultatémque dicendi natura largita eſt.ita fit, vt ego,qui tela depellere,
» & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar,cùm etiam telum aduerſarius nullum iecerit:
» illis autem id tempus impugnandi detur,quum & vitandi illorũ impetus poteſtas adempta nobis
» erit: &,ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, ~~falſum crimen, quaſi~~ venenatũ aliquod telum iece-
» rint,medicinæ faciendæ locus non erit. Id accidit Prætoris iniquitate,& iniuria. primùm quòd
» cõtra omnium conſuetudinem, iudicium prius de probro, quàm de re maluit fieri: deinde quòd
» ita conſtituit idipſum iudicium, vt reus, antè quàm verbum accuſatoris audiſſet, cauſam dicere
» cogeretur. quod eorum gratia, & potentia factum eſt, qui,quaſi ſua res, aut honos agatur, ita di-
» ligenter Sex.Neuii ſtudio & cupiditati morem gerunt, & in eiuſmodi rebus opes ſuas experiun-

» tur: in quibus quo plus propter virtutem nobilitatémque possunt, eo minus, quantum possint,
» debent ostédere. Quum tot tantísque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuã C.Aquili fidẽ,
» veritatem, misericordiã P.Quintius cõfugerit: quum adhuc ei propter vim aduersariorum non
» ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus æquus reperiri potuerit: quum ei summam
» per iniuriã omnia inimica, atque infesta fuerint: te C.Aquili, vósque, qui in consilio adestis, orat,
» atque obsecrat, vt multis iniuriis iactatam atque agitatam æquitatem, in hoc tandem loco consi-
» stere, & confirmari patiamini. id quo facilius facere possitis, dabo operã, vt, à principio res quem-
» admodum gesta & contracta sit, cognoscatis.

[redacted] *Partes accusatoris obtinet.* Inuidiosè dictum in Hortensium. nam Accusatores in causis publicis dicuntur. auctor hic ipse in Partitionibus. Sed & se capitis defensorem, & Hortensium graui verbo Accusatorem appellat, quòd hoc iudicio de fama, fortunísque omnibus Quintius decernat, pa.10.

Vitandi illorum impetus. Neq; enim eũ qui posterius dixerat, licebat, nisi ampliata causa, redargui.

Quasi venenatum. Similitudinem non ad illud quod antecedit, Falsum crimen: sed ad illud potius Medicinæ faciundæ, referendam puto. vt sit sensus, Non erit locus medicinæ faciundæ, non magis quàm si tinctum veneno telum iecissent: & verbum IECERINT, quasi bis positum intelligatur. primùm quidẽ post illa verba, Falsum crimẽ iecerint: deinde suo loco, Quasi iecerint, &c.

Prætoris iniquitate. Cn. Dolabellæ. Iniquitatẽ autẽ in ius dicẽte ponimus, quũ variè & nõ æquabiliter omnibus ius dicit: sed aut gratia inflectitur, aut potẽtia infringitur, aut adulteratur pecunia. Iniquitati autẽ æquabilitas opponitur. Cicero in Ep.1 ad Q.Fr. Quare, sit summa in iure dicẽdo seueritas, dũmodo ea ne varietur gratia, sed cõseruetur æquabilis. sed tamẽ parui refert abs te ius dici æquabiliter, & diligẽter, nisi idẽ alii faciant, quibus tu eius muneris aliquã partẽ concesseris.

De probro, quàm de re. Noluit, inquit, agi de re pecuniaria ciuili actione, arbitrio Pro socio: prius quàm hoc iudicio iudicatum esset, an ex edicto bona Quintii, quasi qui vadimoniũ deseruisset, possessa essent pag.9.10.

Antequam verbum accusatoris audisset. Hæc dicuntur oratoriè, quasi iniuriam Quintio Dolabella fecisset: quum re vera constitui aliter iudiciũ non posset. Nam aut satisdare Quintius debebat, quũ eius bona possessa dicerentur, aut non esse possessa docere. hoc verò, nisi sponsione facta, non poterat qui verò sponsione certaret, eum priore loco causam dicere oportebat.

Quo plus propter virtutem nobilitatémque possunt. Ipse in Orat. pro Muræna, Semper in hac ciuitate nimis magnis accusatorum opibus sapientes iudices restiterunt. Nolo accusator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam. & ibi multa in hanc sententiam.

Non ius par, non agendi potestas eadem. Cn. Dolabellam Prætorem dicit, hominem nobilem & Neuii familiarem: qui aut satisdare Quintium iubebat, aut sponsionem facere. Eadem querimonia postea repetitur pag.25, & in peroratione pag.35. Sed omnia hæc ad tẽpus dicuntur, & ad causam subleuandam. nam, vt paulo antè posui, reuera constitui aliter hoc iudicium non potuit.

CICERO. C.Quintius fuit P.Quintii huius frater, sanè cæterarum rerum paterfamiliâs & prudens & at
4 » tentus, vna in re paulo minus consideratus, qui societatem cum Sex.Neuio fecerit, viro bono, ve-
» runtamen non ita instituto, vt iura societatis, & officia certi patrisfamiliâs nosse posset: non quò
» ei deesset ingenium: (nam neque parum facetus scurra Sex.Neuius, neque inhumanus præco est
» vnquam existimatus.) quid ergo est? quum ei natura nihil melius, quàm vocẽ, dedisset: pater nihil
» præter libertatẽ reliquisset, vocẽ in quæstum contulit, libertate vsus est, quò impunius dicax esset.
» Quare, quòd sociũ tibi eum velles adiungere, nihil erat, nisi vt in tua pecunia condisceret, qui pe-
» cuniæ fructus esset: tamen inductus cõsuetudine, ac familiaritate Quintius, fecit vt dixi, societatẽ
» earum rerum quæ in Gallia comparabantur. erat ei pecuaria res ampla, & rustica, sanè bene culta
» & fructuosa. tollitur ab atriis Liciniis atque à præconũ consessu in Galliã Neuius, & trans Alpes
» vsque transfertur. fit magna mutatio loci, non ingenii. nam qui ab adolescentulo quæstũ sibi in-
» stituisset sine impẽdio, posteaquam nescio quid impendit, & in commune cõtulit, mediocri quæ-
» stu contẽtus esse non poterat. nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea quæ voce quæsi-
» uerat, magno sibi quæstui fore putabat. Itaque hercule haud mediocriter de communi, quicquid
» poterat, ad se in priuatam domum seuocabat. Qua in re ita diligens erat, quasi ii, qui magna fide
» societatem gererent, arbitrium Pro socio cõdemnari solerent.

[redacted] *Officia certi patrisfamiliâs.* Id est, probati & cogniti. vt Ver.v, pa.389, certæ res dicũtur, quæ probatæ sunt, & iustæ vereque cognitæ. Hæc omnia, inquit, non rerũ certarum, sed furtorum improbissimorũ sunt vocabula. sic nebulo certus, id est cognitus & spectatus, ad Att. li.x v. Scribit autẽ Statius illum cum patre habitare velle. hoc verò mirũ: & id gaudet. quem tu illo certiorẽ nebulonẽ?

Viro bono, veruntamen. Ironia: vt infra, Vereor, ne se derideri putet, quod iterum iam dico Optimus. Nam hoc eodem modo dicimus, vt illud vulgare apud nos, Vir optimus nisi quòd Deum esse nullum putat: vel nisi quòd fidem non colit. sic, Viro bono, sed qui non didicit magna fide

ſocietatem gerere,id eſt perfidioſo & improbo.

Parum fuetus ſcurra. Scurras à dicacibus ea re Cicero diſtinguit in lib.de Orat.II, quòd dicaces in iocando modum adhibent, ratioñẽ perſonæ, temporis & loci ducunt: ſcurræ quotieſcunque poſſunt,quaſi neceſſe habeant dicere,dicunt. Temporis,inquit,ratio,& ipſius dicacitatis moderatio & temperantia, & raritas dictorum diſtinguet Oratorem à ſcurra:& quod nos cum cauſa dicimus,non vt ridiculi videamur,ſed vt proficiamus aliquid,illi totum diem,& ſine cauſa.

Vocem in quæſtum contulit. E duabus,inquit,tenuiſſimis rebus,quas ſolas habuit, ex quibus pecuniã facere potuit, alteram vendidit, vocem videlicet, quum ex præconio quæſtum faceret: alteram, libertatem ſcilicet,non vendidit. Notum eſt, maioribus annis XXV, licuiſſe libertatem vendere, pretii parte aliqua,ei à quo venderentur,data.

Vocem in quæſtum. Præcones in comitiis legum, ſubiiciente ſcriba, leges pronuntiabant: in comitiis magiſtratuum,tribus citabant, qui deſignati eſſent,renuntiabant: in iudiciis iudices, reos, & teſtes citabant,audientiam faciebãt,Oratores dixiſſe pronuntiabant: in auctionibus,rei pretiũ indicabant,addictam à magiſtro rem venditam pollicebantur.

Quo impuratus dicax eſſet. Nam ſcurræ nulli,niſi liberi.ſeruis enim ridicula iacere non licebat.

In tua pecunia. Suam enim ille nullam habebat.quare in aliena diſcendum erat.

Tollitur ab atriis Liciniis. Dicit,puto,nobile illud L.Licinii Craſſi atriũ,in quo quatuor Hymettii marmoris colũnas, AEdilitatis gratia ad ſcenã ornãdam aductas, ſtatuit,vt ſcribit Plinius: quũ publicẽ nondũ eſſent vllæ marmoreæ. Et fuiſſe atria quædã, in quibus auctiones fierent,argumẽto eſt locus primæ contra Rullũ Orationis,quẽ ſubiiciã.Homines,inquit,nequiſſimi, cõſumptis patrimoniis hoc faciũt,vt in atriis auctionariis potius,quàm in triuiis,aut in cõpitis auctionẽtur.

Trans Alpes. In Sebuſianos,pag.29.

Ab adoleſcentulo quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio. Vtrum turpem quæſtum ſignificat,quem perditi & infames pueri productorum opera faciebant, præſertim quum de ætate tenera loquatur:an potius quæſtum ex voce,atque præconio?Illud,opinor,potius intelligit.

Nec mirum, ſi is qui vocem. Hoc dicit,Si ex voce viliſſima leuiſſimáque re quæſtum fecerat,minimè mirum eſt,ſi ex fructuoſa & quæſtuoſa re,nimirum pecunia,magnũ expectabat emolumentum.

Arbitrium pro ſocio condemnari ſolerent. Condemnari arbitriũ,incognita mihi locutio:Condẽnari arbitrio,facilis & expedita. quomodo ego legendum hoc loco potius exiſtimatẽ. Arbitriũ enim hoc in genere pro Iudicium dicimus:id eſt,in iis cauſis, in quibus EX FIDE BONA eſt additum. veluti tutelæ,mãdati,fiduciæ,pro ſocio,rei vxoriæ,& ſiquæ ſunt generis eiuſdẽ.non quò idẽ ſit Iudiciũ & Arbitriũ.hoc enim inter ſe differunt, quòd iudicibus quidẽ Prætor qui iudiciũ dedit,certam formulam præſcribit, quã ipſi in iudicãdo directò ſequantur: arbitris non præſcribit:ſed eorum arbitrio poteſtatíque permittit,ex bono & æquo vt iudicent.quid ergo eſt?In cõuentionibus, ex quibus alter alteri obligatur,Prætor in iure dicendo præter vſitatam iudiciorũ formulam hoc addit,EX FIDE BONA. quo verbo arbitrium quodámodo videtur potius, quàm iudiciũ conſtituere,propterea quòd datos ab ſe iudices nequaquã ad certã formulam adſtringit:ſed illorum,vt dixi,poteſtati permittit, vt prout æquum bonúmque exiſtimabunt, ita iudicent.Et ſanè ſic ſe res habet,vt hæc modò Iudicia,modò Arbitria promiſcuè nominẽtur. Itaque Cicero quum in Topicis locutus ita eſſet,In omnibus igitur iudiciis,in quibus ex fide bona eſt additũ,primus cauſarũ vſus eſt:in lib.de Offi.III,Quintus,inquit,Scæuola ſummã vim eſſe dicebat in omnibus iis arbitriis,in quibus adderetur Ex fide bona.Eadémq; prorſus ratione dati diſceptatores modò Iudices, modo Arbitri nominãtur. Cicero lib.de Offic.III,Itaq; C.Calphurnius arbitrũ illũ adegit,Quicquid ſibi dare facere oporteret Ex fide bona.M.Cato ſentẽtiã dixit,&c.&paulo pòſt,Is igitur iudex ita pronũtiauit,Quũ in venundãdo rem eã ſciſſet,&c. Eſt igitur Arbitrio pro ſocio condẽnari,cõciſa locutio,quæ plena ſic effertur,Cõdẽnari arbitrio,ſiue iudicio,quod aduerſus ſociũ pro ſocio cõſtitutũ eſt. Hæc autẽ iudicia libera,ſiue arbitria,Iuriſcõſulti poſtea bonæ fidei iudicia nominarũt. de quibus quũ eam diſciplinã coleremus, edito De actionibus libello, copioſe diſputauimus.

„ Verùm his de rebus non neceſſe habeo dicere ea,quæ me P.Quintius cupit commemorare,ta- CICERO.
„ metſi cauſa poſtulat:tamen quia poſtulat,non flagitat, prætereibo. Quum annos iam complures 5
„ ſocietas eſſet, & quum ſæpe ſuſpectus Quintio Neuius fuiſſet,neq; ita commodè poſſet rationem
„ reddere earum rerum,quas libidine,non ratione geſſerat:moritur in Gallia Quintius,quum adeſ-
„ ſet Neuius, & moritur repentinò. hæredem teſtamento reliquit hunc P.Quintium: vt ad quem
„ ſummus mœror morte ſua veniebat, ad eundem ſummus honos quoque perueniret. Quo mor-
„ tuo, nec ita multo pòſt, in Galliam proficiſcitur Quintius. ibi cum iſto ~~Neuio~~ familiariter vi-
„ uit. annũ ferè vnà ſunt, quum & de ſocietate inter ſe multa communicarent, & de tota illa ratio-
„ ne atque re Gallicana: neque interea verbum vllum interpoſuit Neuius,aut ſocietatem ſibi quip-
„ piam debere, aut priuatim Quintium debuiſſe. Quum æris alieni aliquantulum eſſet relictum,

quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret, auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone se facturum esse proscribit earum rerum quæ ipsius erant priuatæ. Ibi tum vir optimus Sext. Neuius hominem multis verbis deterret ne auctionetur: eum non ita commodè posse eo tempore, quæ proscripsisset, vendere: Romæ sibi nummorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret pro fraterna illa necessitudine, & pro ipsius affinitate: nam P. Quintii consobrinam habet in matrimonio Neuius, & ex ea liberos. Quia, quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Neuius: credidit Quintius, eum, qui orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. auctionem velle facere desistit. Romam proficiscitur. decedit ex Gallia Romam simul Neuius.

[redacted] *Tametsi causa postulat.* Non ineptus elicitur sensus: sed concinnior esset oratio, si sic legeremus, Nam etsi causa postulat, tamen quia postulat, &c.

Quia postulat, non flagitat. Ergo plus esse voluit Flagitare, quàm Postulare. vt qui postulat, si refutetur, non instet: qui flagitet, acriter assiduéque vrgeat. Rogare similiter in Epistola ad Varronem, quàm Flagitare minus esse voluit: Ex ea, inquit, media excitatos misi, qui metuo ne te fortè flagitent: ego autem mandaui vt rogarent. Sed postulamus, quod quasi iure nostro contendimus: rogamus, quod in beneficii & gratiæ loco petimus. Flagitatur autem propriè, quod debetur: vnde qui debitam pecuniam poscunt, Flagitatores appellantur. Plautus in Casina,

Ducite ex animo curam, atque alienum æs:
Nequis formidet flagitatorem suum.
Ludi sunt, ludus datus est argentariis.

Moritur repentinò. Suspiciosè dictum. Vult enim & Neuii conscientiam furtorum, & Quintii celerem interitum argumento esse, veneno sublatum à Neuio fuisse Quintium.

Ad eundem summus honos quoque perueniret. Similiter in Oratione pro Cæcina, pag. 590, Vsumfructū omniū bonorum suorum Cæsenniæ legat, vt frueretur vnà cum filio. Magnus honos viri iucundus mulieri fuisset, si diuturnum esse licuisset. Etenim honorificum erat hæredem institui, vt contrà, inhonestū ac turpe præteriri. Quamobrē Ciceroni obiecerat Antonius, hæreditates ei nullas ab amicis obuenisse. quod contrà Cicero defendit, amplius se HS ducenties acceptum hæreditatibus retulisse, id est scutatorū, vt nunc loquimur, amplius quingenta millia. Et Suetonius Augustū scribit grauissimè ferre solitum, si à quoquam suorū amicorum præteritus in testamento fuisset.

Aliquantulum esset reliQtum. A C. Quintio.

Pecuniam Romæ curari oporteret. Curare pecuniam, curare vt pecunia detur & soluatur. Græci πορίζειν ἀργύριον, & ἐκπορίζειν dicunt. Terentius Phorm. Datúmne argentum est? D E. Curaui illico. Cicero ad Q. Fratrem, Redemptori tuo dimidium pecuniæ curaui. Nomen autem dicitur, quicquid in accepti vel expensi tabulas refertur.

Et ex ea liberos. Quo sanctior est affinitas: nam vinis liberis nunquam dissoluitur. Infrà, pag. 8.

CICERO. Quum pecuniam C. Quintius P. Scapulæ debuisset: per te C. Aquili decidit P. Quintius, quod

6 liberis eius dissolueret. hoc eo per te agebatur, quòd propter ærariam rationem non satis erat in tabulis inspexisse quantum deberetur, nisi à Quæstoribus quæsisset quantum solueretur. decîdis, statuísque tu propter necessitudinē quæ tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium solueretur. hæc omnia Quintius agebat auctore, & consuasore Neuio: nec mirum, si eius vtebatur consilio, cuius auxilium sibi paratum putabat. non modò enim pollicitus erat in Gallia, sed Romæ quotidie, simul atque sibi hic annuisset, numeraturum se dicebat. Quintius porrò istum posse facere videbat: debere, intelligebat: mentiri, quia causa cur mentiretur, non erat, non putabat. quasi domi nummos haberet, ita cōstituit Scapulis se daturum. Neuium certiorem facit: rogat, vt curet, quod dixisset. tum iste vir optimus (vereor ne se derideri putet, quòd iterum iam dico optimus) qui hunc in summas angustias adductum putaret: vt eum suis conditionibus in ipso articulo temporis astringeret, assem sese negat daturum, nisi prius de rebus rationibúsque societatis omnibus decidisset, & scisset sibi cum Quintio controuersiæ nihil futurum. posterius, inquit, ista videbimus, Quintius: nunc hoc velim cures (si tibi videtur) quod dixisti. Negat se alia ratione facturū: quod promisisset, non plus sua referre, quàm si, quum auctionem venderet, domini iussu quippiam promisisset. Destitutione illa perculsus Quintius, à Scapulis paucos dies aufert: in Galliam mittit, vt ea, quæ proscripserat, venirent: deteriore tempore absens auctionatur: Scapulis difficiliore conditione dissoluit

[redacted] *Hoc eo per te agebatur.* Quum, quid soluendum esset, non satis inter illos conueniret, sumptus C. Aquilius est arbiter. Ergo, ne iudicio & vi coactus fuisse Quintius existimetur, dicit cur opus disceptatore Aquilio fuerit.

Nisi à Quæstoribus. Manu scripti libri, partim ad Castoris, partim ad Castoris templum: quorum prius, meo iudicio, corruptum est ex nota librarii, qui sic scripserat, A Quæstor. cui postea sub-

ſcriptũ gloſſema, ſenſim cũ veris germaniſque verbis contextũ eſt. Nobis hæc verior videtur:etſi ſubobſcura ſit.ſed ſperamus nos ſenſum tamẽ verũ & germanũ eruiſſe, quem modò exponemus.

Niſi à Quæſtoribus quæſiſſet quantum ſolueretur. Corrige ſic, A Quæſtoribus quæſiſſet: & facilior erit aditus ad obſcuriſſimi loci ſententiam. In Gallia pecuniæ diſſimilis fuit ratio ac Romæ, vt apparet ex Oratione pro Fonteio,& aliis locis. Quũ igitur quod C.Quintio P.Scapula expẽſum in Gallia pecunia Gallica tulerat,id Romæ pecunia Romana curare Quintiũ oporteret:propter diſſimilẽ pecuniæ rationem,non ſatis cõmodè poterat inter P.Quintiũ & Scapulæ liberos conueniře quantũ ſolueretur. Sumptus igitur ea de re eſt arbiter. Is à Quæſtoribus vrbanis,qui pecuniam quæ ex vectigalibus debebatur,in ærarium pecunia Romana referebant,quæſiuit ad denarium,id eſt Romanæ pecuniæ rationem, quantum ſolueretur. Hoc eſt quod modò dixit, Per te C.Aquili decîdit.Nam decidere dicimur in re dubia & impedita,quum minus quàm petitum eſt,ſoluitur.

Propter neceſſitudinem quæ tibi cum Scapulis eſt. Plinius lib.v i i,capite De mortibus repentinis, ſcribit P.Quintium Scapulam,quum apud Aquilium Gallum cœnaret,mortuum eſſe repentinò.

Quid iis ad denarium ſolueretur. Denarius, numus erat Romanus.Cicero ad Atticum ſcribens, lib. Epi.i i.Scripſi,inquit,ad Quæſtores vrb.de Q.fratris negotio.vide quid narrẽt,& quæ ſpes ſit denarii,an ciſtophoro Põpeiano iaceamus.Quinto Ciceronis fratri,Aſiæ Proprætori populus pecuniã debebat. eam Cicero cupiebat denario, id eſt, pecunia Romana ſolui: non ciſtophoro,qui numus erat Aſiaticus:ſicuti victoriatus,Gallicus.Et denarii dicti, vt ait Varro,quòd denos æris valebant.

Conſtituit Scapulis ſe daturum. Hinc conſtituta pecunia dicitur à Iuriſcõſultis,cuius etiam actionem Prætor dabat.Nam ciuili iure,ſine ſtipulatione actio non naſcebatur ex conſtituto.

Suis conditionibus. Conditionibus,quæ ſuis eſſent rationibus & commodis opportunæ atque appoſitæ.ſic in Verrinis,Suum tempus,& Suum iudicium hoc modo Aſconius interpretatur.

Poſterius, inquit, iſta videbimus Quintius. Vſitata implicatio, qua veteres frequenter vtebantur. vt hic ipſe in libro de Oratore i i.Licet, inquit, rogare,Philippus? Et paulo pòſt, Cœnabo, inquit, apud te, huic luſco familiari meo C.Sextio. Et alibi, Audiamus, inquit, pulchellum puerum, Craſſus. Sed exemplorum,Cæſaris & Liuii libri referti ſunt.

Quum auctionem venderet. Suſpectus mihi locus.vereor vt ſit potius legẽdum,Quum auctione vẽderet:in ſexto caſu.vt ſit,Conſtituta auctione, vel dum auctio fit.

Tunc appellat vltro Neuium,vt quoniam ſuſpicaretur aliqua de re fore controuerſiam,vide CICERO.
ret, vt quamprimum, & quamminima cum moleſtia tota res tranſigeretur. dat iſte amicũ M. 7
Trebellium: nos communem neceſſarium, qui iſtius domi erat educatus, & quo vtebatur iſte plurimùm, propinquum noſtrum Sex.Alphenum. res conuenire nullo modo poterat: propterea quòd hic mediocrem iacturam facere cupiebat, iſte mediocri præda contẽtus non erat. Itaq; ex eo tempore res eſſe in vadimonium cœpit. quũ vadimonia ſæpe dilata eſſent, & quum aliquantum temporis in ea re eſſet conſumptum, neque quicquam perfectum eſſet:venit ad vadimonium Neuius. Obſecro C.Aquili, vóſque qui adeſtis in conſilio, vt diligenter attendatis, vt ſingulare genus fraudis, & nouam rationem inſidiarum cognoſcere poſſitis.ait ſe auctionatum eſſe in Gallia:quod ſibi videretur,ſe vendidiſſe:curaſſe,ne quid ſibi ſocietas deberet: ſe iam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere: ſi quid agere ſecum velit Quintius,nõ recuſare. Hic, cum rem Gallicanam cuperet reuiſere, hominem in præſentia non vadatur. ita ſine vadimonio diſceditur. Deinde Romæ dies x x x ferè Quintius commoratur:cum cæteris quæ habebat, vadimonia differt,vt expeditus in Galliam proficiſci poſſet.proficiſcitur.Roma
egreditur ante diem i i i i Calend. Februarii Scipione & Norbano c o s s. quæſo vt eum diem 12.
memoriæ mandetis. L.Albius Sex.filius Quirina,vir bonus & cum primis honeſtus,vnà profectus eſt.quum veniſſent ad Vada Volaterrana quæ nominãtur,vident perfamiliarem Neuii, qui ex Gallia pueros venales iſti adducebat,L.Publicium.

Dat iſte amicum M.Trebellium. Subauditur, Arbitrum. Et conſulto amicum dixit, quaſi apud quem [redacted] gratioſus ſit futurus. De hac conſuetudine cognoſce ex pagina 12.

Res eſſe in vadimonium cœpit. Vetus locutio,de qua in Diuinatione diximus. Sic in Pompeiana dixit, In poteſtatem eſſe. Pro Cæcina, In poſſeſſionem veſtigium facere. De Finibus,In hiſtoriam veſtigium ponere.In Verr.v i i, In poteſtatem eſſe.

In vadimonium. Qui litem alicui intendere volebant,à Prætore poſtulabãt,vt eum vadari liceret. Plautus in Aulularia,

Pulmentum pridem ei eripuit miluius:
Homo ad Prætorem plorabundus deuenit:
Inſit ibi poſtulare,plorans,eiulans,
Vt liceret miluium vadarier. De Euclione loquitur. Eſt autem Vadari, vades poſtulare,id eſt locupletes fideiuſſores,qui aliquem certæ pecuniæ ſponſione vadimonium obiturum præſta-

bant. Hinc apud Liuium, Tot vadibus accusator vadatus est reum. Horatius,

Ille datis vadibus qui rure extractus in vrbem est,
Solos felices viuentes clamat in vrbe.

Vadimonia autem certis formulis concipiebantur. Cicero ad Q. Fratrem, Trebatium quòd ad se miserim, persalsè & humaniter etiam gratias mihi agit. Negat enim in tanta multitudine eorum qui vnà essent, quenquam fuisse qui vadimonium concipere posset. Quòd si quis vades dare nollet, & vadimonium promittere, qui vadabatur, aliquem eorum qui aderant, accepta eius auricula, interrogabat, Licétne antestari? Si ille respōderet, Licet: iniecta manu aduersarium ad Prætorem trahebant. Nam vt scribit auctor Rhetor. ad Herennium, Lege ius est id quod populi iussu sanctum est. quod genus, vt in ius eas quum voceris. Plautus in Persa,

SAT. Age, ambula in ius, leno. DORP. Quid me in ius vocas?
SAT. Illic dicam apud Prætorem: sed ego in ius voco.
DORP. Nonne antestaris? SAT. Tuáne ego caussa carnufex
Quoiquam mortali libero aureis atteram?

Horatius, —& quò tu turpissime? magna
Exclamat voce, Et licet antestari? Ego verò
Oppono auriculam, rapit in ius.

Qui verò vadimonium deserebant, in eos pœna erat infamiæ constituta, neque iniuria: quum eos qui fidem suam pro iis interposuissent, perfidiosissimè, turpissiméque læderent. Neque etiam sine permissu Prætoris vadimonia semel constituta differri poterant, vt ex Iuuenali intelligitur. In ius autem vocare, à Vadari hoc differebat, quòd illud instantis, hoc futuri temporis denuntiationē significat. quod cùm ex illis Plauti verbis, tum verò ex hac ipsa Oratione facile intellectu est, pa. 20. Vadari vis: promittit. in ius vocas: sequitur. In certū autem diem, locúmque vadimonia promittebantur, & in iure ad Prætorem obibantur. A. Gellius lib. VII, P. Scipio quum oppidum quoddam in Hispania obsideret, & ius in castris sedens diceret, quispiam interrogauit ex more, in quem diem locumq; vadimonium promitti iuberet. Et Scipio manum ad ipsam oppidi arcem protendens, Perendie, inquit, sese sistant illo in loco. Valerius lib. III, oppidum Badiam nominat, sed & in posterū diem vadimonium factum dicit, & in ædem oppidi promissum. In quo mēdum esse suspicor, pro Arcem. Idem autem de L. Sylla scribit Florus in epitome libri LXXXVI. Liuius lib. XXXIII, Prætores quorum iurisdictio erat tribunalia ad Piscinam publicam posuerunt. eò vadimonia fieri iusserunt: ibique eo anno ius dictum est.

Vadimonia sæpe dilata essent. Quòd malè Neuius agere cœpisset. pag. 13.

Ante diem IIII Cal. Februarii. Idem valet ac si dixisset, Quarto Calendas. Nam hæc implicata locutio est, quæ fusa sic effertur, Quarto die ante diem Calēdas. qua locutione ipse etiam Calendarū dies includitur. sicuti Tertio Calend. dicitur, qui tamen secundum ante Cal. locum obtinet. Et quum aut Quarto aut Tertio Calend. nominamus, hoc ipsum præcise dicimus, quod modò planius explicabimus, Die quarto, vel tertio ante Calend. sic in Epist. ad Tironem, cuius initium, Nos apud Alyziam, Nonas Nouemb. quæ præcise sic vulgò dicerentur, Octauo Idus, ita expressit vt diceret, Ante diem octauum Idus. sed in hoc non laboramus. Nodus difficilior est in illo, quòd hic locus pugnet manifestissimè cum eo qui infrà legitur pag. 20, Inuenitur dies profectionis, pridie Cal. Febr. Ego pro IIII Cal. scribendum ita putarem, II Cal. Nam secundo Calend. in eodem die dicimus, quo pridie Calend. Cicero in Epist. ad Ligarium, cuius initium, Me scito, lib. VI, Ego, inquit, quum ad II Calend. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem. Quin etiam similem animaduerti postea errorem in earundem Epist. lib. XIIII, epist. IIII. quam quum pridie Calend. Brundusio datam esse scriptum in extremo sit, tamen aliquantò post ipsius initium ita legimus, Brundusio profecti sumus ad V Cal. vbi coniuncta duorum II extrema, & ex iis V effectum facile est existimare.

Vt eum diem memoriæ mandet. Quorsum? quia factū Neuius vadimoniū dicebat Nonis Februarii.

L. Albius Sex. filius Quirina. Quirina, nomen est tribus, ablatiui casus: vt sit, ex Quirina. Moris fuit quum aliquis ciuis Romanus ostendendus esset, vt interdū significaretur à tribu. vt in Verrinis, C. Verrem Romilia, L. Claudiū Palatina. Hæc fere Asconius. Et de tribu Quirina, idem Asconius in Corneliana, Duæ, inquit, solæ tribus eum Sergia, & Quirina damnauerunt.

Vada Volaterrana. Volaterranus ager in Hetruria est, qui mari minimè profundo alluitur: vnde vada Volaterrana. Plinius, Ptol. Strabo.

CICERO. Qui vt Romā venit, narrat Neuio, quo in loco viderit Quintium. quod nisi ex Publicio nar-
8 " ratum Neuio esset, non tam cito res in contentionem venisset. Tum Neuius ipse pueros circum
" amicos dimittit, ipse suos necessarios ab atriis Liciniis, & à faucibus macelli corrogat, vt ad tabu
"testificantur isti" lam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie. veniunt frequentes. *testificantur isti P. Quintiū
"stetisse" " non *stetisse, & se *stetisse. tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignantur. disceditur.
" Postulat à Burrieno Prætore Neuius, vt ex edicto bona possidere liceat. iussit bona proscribi

» eius, quicum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas liberis istius viuis diuelli nullo modo po-
» terat. qua ex re intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum atque solẽnè, quod non
» auaritia comminuere, atque violare soleat. etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate pro-
» pinquitas colitur: necesse est, iste qui amicum, socium, affinem, fama ac fortunis spoliare cona-
» tus est, vanum se, & perfidiosum, & impium esse fateatur. libellos Sex. Alphenus procurator P.
» Quintii, familiaris & propinquus Sex. Neuii, deiicit: seruulum vnum quem iste prehenderat, ab-
» ducit: denũtiat, sese procuratorem esse, istum æquum esse famæ fortunisque P. Quintii consule-
» re, & aduentum eius expectare. quod si facere nolit, atque inhibuerit eiusmodi rationibus illum
» ad suas conditiones perducere: sese nihil precari, & siquid agere velit, iudicio defendere. Hæc dũ
» Romæ geruntur, Quintius interea contra ius & consuetudinem edicto Prætoris de saltu agró-
» que communi à seruis communibus vi detruditur.

Ab atriis Liciniis & faucibus macelli. Atria Licinia, de quibus suprà diximus, in Palatio erant. vbi L. Crassi domus, quam emit postea M. Tullius. Macellum autẽ propè ab Esquiliis. vt fauces macelli eas putem angustias quæ inter Viminalẽ & Esquilias instar fauciũ habebant, ex quibus in macellum, inde in forũ iter est. Ergo ex atriis Liciniis auctionariis præcones, ex faucibus macelli nobiles homines, otio affluẽtes, qui cupediis inhiabãt, aut otio ibi suo fruebãtur. Cicero Ver v pag. 371. Albam AEmilium sedentẽ in faucibus Macelli loqui palàm, vicisse Verrẽ, emptos habere iudices.

Ad tabulam Sextiam sibi adsint. Romæ circum forum, tabernas argentariorũ fuisse satis constat. in iis tabulas quoq; fuisse intelligitur, in quibus multa quæ in foro agerentur scribi, consignarique solebant: veluti si quæ auctione venderẽtur. vnde Auctionariæ tabulæ appellatæ, de quibus vide quæ dixi in Oratione pro Cæcina, ad illa verba, Ebutio negotium datur: adest ad tabulam. licetur Ebutius. Præterea, si quæ testata esse oporteret, vt quum deserta essent vadimonia: vt patet ex hoc loco: in quo tabulam Sextiam, argentarii Sextii tabulam interpretor. aut quum absentem defendi procurator testaretur, vt pag. 24. Edebantur autem argẽtariorum tabulæ in iudiciis, iísque fides atque auctoritas adiungebatur, vt ex Iurisconsultorum responsis patet.

Testificantur isti. Vetus, Testificatur iste: & sic, opinor, melius legeretur.

Non stetisse, & se stetisse Lego, Stitisse, vtrobique. Non enim à Stando, sed à Sistẽdo declinatum est, quod ad vadimonium adesse significat. Planesium virgo Palinurum amicum sic apud Plautum alloquitur, Vbi tu es, qui me conuadatus Veneriis vadimoniis? vbi tu es, qui me libello Venerio citasti? ecce me sisto, ades cõtrà. Sisto ego tibi me, & mihi contra itidem vt sistas, suadeo. Hoc idem Gellius etiam confirmat lib. Noct. Att. II. cap. XIIII.

Consignantur. Desertum à P. Quintio vadimonium fuisse.

Vt ex edicto bona possidere liceat. Nam qui vadimonium deseruissent, in eorum se bona Prætor missurum creditores edixerat: vt si dies XXX possiderentur, auctione vendita, ipsis creditoribus, quasi qui causam obtinuissent, addicerentur. Suet. in Caligula, Cõprehendit, inquit, meritoria vehicula: adeò vt plerique litigatorum, quòd occurrere absentes ad vadimonium nõ possent, causa caderẽt. Vlpianus in edicto perpetuo scriptum ita fuisse tradit, In bona eius qui iudicio sistendi causa fideiussorem dedit, si neque potestatem sui faciet, neque defendetur, iri iubebo. Cicero in Catil. Illum, inquit, exercitum magnopere contemno, collectum ex rusticis mendiculis, ex decoctoribus, ex iis qui vadimonia deserere, quàm illum exercitum maluerunt: quibus ego non modò si aciem exercitus nostri, verum etiam si edictum Prætoris ostendero, concident.

Iussit bona proscribi. Oratoriè quæ suæ causæ aduersaria sunt, in narratione reticens, possessionis mentionem subterfugit: quum infrà etiam bona possessa neget.

Affinitas liberis istius viuis diuelli nullo modo poterat. Insignis locus, & diligẽti animaduersione dignus. Ex quo alter in Oratione pro Sestio intelligi poterit, in quo ita scriptũ est, Ademit Albino soceri nomẽ mors filiæ. quũ tamẽ ex ipsius filiæ matrimonio duo liberi existerent. Quare hoc ita accipiendum est, vt mortua persona per quam affinitas contracta est, affinitatis quidem nomẽ intereat, sed quandiu liberi ex eo matrimonio manebunt, tandiu vis affinitatis permaneat. exẽpli causa, Lege Iulia sancitum est, ne cui inuito genero denuntiare liceat vt testimoniũ dicat in socerũ. Vxore Sestii mortua, ex qua duo liberi extabunt, non licebit Sestio testimoniũ inuito denũtiare in Albinũ: quãuis soceri nomen amiserit. mortuis liberis, licebit. Atque hæc quidẽ ita se habẽt. Quod autẽ de Quintii affinitate Cicero dicit, de mutuo amore ac beneuolẽtia, oratoriè accipiendũ est: quũ illius affinitatis, ne manẽte quidẽ matrimonio, legibus vlla vis cõstituta sit.

Qua ex re intelligi. Hoc eò interiecit, vt iudicis acerbitatẽ & odium in aduersariũ excitaret. Nam ex hoc ipso facto illud intelligi voluit, nũquam illum neque socii, neque affinis animũ induisse, quum tamen & socius & affinis esset. Est enim argumentum ex repugnantibus, Si fide societas colitur, non est is socius, qui fidem violat, sed perfidiosus.

Libellos deiicit. Fixos in triuiis & compitis, vt cuique futurã certo die Quintii bonorum auctio-

nem denuntiarent. Et hoc est quod modò dixit, Iussit bona proscribi. Proscribi enim bona dicuntur, quum fixis publicè libellis, venditio eorum bonorum in diem certam edicitur, ac significatur. vnde Proscripti ciuili bello dicti sunt, quorum nomina in tabula pro Rostris sub fixa perscripta erant, illorum & bonorum venditionem, & interfectoribus præmium, receptatoribus autem similes pœnas denuntiante.

Abduat. Qui poterat, quum id magistratus imperio atque auctoritate fieret? Fretus auxilio populi & Tribunorum, quos contra Prætoris iniuriam modò appellat. Appellatione autem aut paris, aut superioris potestatis, alterius imperium conquiescit.

Denuntiat se sese procuratorem esse. Quis est procurator? Cicero in Oratione pro Cæcina declarat his verbis, Procurator dicitur, omnium rerum eius qui in Italia non sit, absitve Reipubl. causa quasi quidam pene dominus, hoc est alieni iuris vicarius. Ergo procurator absentis dicitur, vt Cognitor præsentis. & ita scripsisse arbitror Asconium, vt quodam loco demonstraui.

Tribuerit. Corruptum puto ex verbo Instituerit: quod si reponamus, sensus erit apertissimus.

Contra ius & consuetudinem. Quum neque desertum vadimonium esset, neque reus latitasset: quippe qui procuratorem Neuium reliquisset.

Edicta Prætoris. Principiò locus mihi obscurus videbatur, & omnino verbum Edicto positū pro Decreto existimare cogebar: quod tamē insolens & inusitatum esse intelligebam. Præterea, hoc ipsum Ciceronis causæ aduersari, cúmque, si ita scripsisset, locutum pugnantia perspiciebam. Nam si ex edicto Prætoris hoc factum est, ineptè & sine causa tam grauiter queritur, non rectè atque ordine id esse factū. Sed postea consultis antiquis exemplaribus hanc lectionem in omnibus sine vlla varietate reperi, quæ mihi multò verior & sincerior videtur, Contra ius, consuetudinem, edicta Prætorum. Nam quod dicit Edicta Prætorum, sic accipiēdum est, quia Prætores non dant possessionem, nisi absens iudicio non defendatur: defensum autem fuisse Quintium confirmat. Et huic sentētiæ mirificè cōcordat, quod scribit pag. 15. Hunc per insidias vi de agro communi deiecerit. vt hanc scripturam sine controuersia veram & incorruptam esse appareat.

CICERO. Existima C. Aquili, modo, & ratione omnia Romæ Neuium fecisse, si hoc quod per literas

9 „ istius in Gallia gestum est, rectè, atque ordine factum videtur. expulsus atque eiectus e prædio „ Quintius, accepta insigni iniuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in pro„ uincia: quem, vt ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino: is eam rem quàm vehementer „ vindicandam putarit, ex decretis eius poteritis cognoscere. Alphenus interea Romæ cum isto „ gladiatore vetulo quotidie pugnabat: vtebatur populo sanè suo, propterea quod iste caput pete„ re non desinebat. iste postulat, vt procurator iudicatum solui satisdaret. negat Alphenus æquū „ esse, procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset. appellantur Tribu„ ni: à quibus quum esset certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, vt Idibus Sept. P. Quin„ tium sisti Sex. Alphenus promitteret. venit Romam Quintius: vadimonium sistit. iste, homo a„ cerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum & sex menses nihil petit: quiescit: con„ ditionibus hūc, quoad potest, producit. à Cn. Dolabella denique Prætore postulat, vt sibi Quin„ tius iudicatum solui satisdet, ex formula, Quod ab eo petat: cuius ex edicto Prætoris Romani „ bona dies XXX possessa sint. non recusabat Quintius, quin ita satisdare iuberet, si bona possessa „ essent ex edicto. decernit: quàm æquum, nihil dico: vnum hoc dico, nouū: & hoc ipsum tacuisse „ mallem, quoniam vtrunque quiuis intelligere potuisset. Iubet P. Quintium *sponsionem cum „ Sex. Neuio facere, si bona sua ex edicto P. Burrieni Prætoris dies XXX possessa essent. recusa„ bant qui aderant tum Quintio:

*aut satisdare, aut sponsionem.

Existima C. Aquili modo & ratione. Alii innumeri, Id modo & ratione: quod & sensus repudiat, & optimi mei codicis auctoritas.

Ad C. Flaccum imperatorem. Quem dicat C. Flaccū, quídque is in Gallia gesserit, mihi obscurum est. Quum tamen eum imperatorē nominet, victoriam ab illo aliquam reportatam significat. Hoc enim nomine decorabantur aut militum acclamatione (vt Cicero Proconsul in Cilicia) aut Senatusconsulto, belli duces, qui prælio aliquo hostes populi Romani deuicerant.

Cum isto gladiatore. Veteres in maximis familiis, siqui ingenio excellerent, eos nobilioris alicuius artis præceptoribus in disciplinam tradebant, & arte aliqua erudiendos instituēdósque curabant, veluti medicina, pictura, musica. Qui verò nequam, sed valenti tamen & firmo corporis habitu viderentur, eos ad Lanistas, id est ludi gladiatorii magistros mittebant, vt postea doctos & institutos, spectandos populo ludorum diebus exhiberent. Ex iis translatum postea nomen est ad homines nequam & improbos, quasi seruos vilissimos, sed firmis corporis viribus præditos. Cicero II Philip. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauseras. Sic Verrina III Apronium Verris accensum, quem grandi & obæsa corporis habitudine fuisse constat, gladiatorem sæpe appellat. Hoc

CONCIVIS

ita est. sed multis locis gladiatores non hac significatione, sed pro sicariis, & percussoribus appellantur: vt dicemus in Orat. pro Sext. Roscio. quomodo gladiatorem hoc loco Neuium, vt arbitror, appellat: & fortasse propter recentes cædes Syllanæ proscriptionis. Lanistæ præterea ipsi suos habebant domi gladiatores, quos eis qui vti vellent, locabant. Liuius lib. XXVIII, Gladiatorum spectaculum fuit, non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, seruorum delectu ac libertorum, qui venalem sanguinem habent.

Gladiatore uetulo. Grandem natu fuisse Neuium apparet ex eo quod dicit pag. 20, illius ætati difficile esse discere & dediscere. Quare Vetulum, sic interpretor, vt ad ætatem referatur, potius quàm ad vsum & peritiam. quomodo in Orat. pro Sext. Rosc. pag. 43, Capitonem veterem ac nobilem gladiatorem appellat.

Populo sanè suo. Eo magis, quòd contra Neuium pugnaret, populi partium bello ciuili desertorem, & amicum nobilitatis.

Caput petere non desinebat. Ludit ex ambiguo. Nam Petitiones dicuntur gladiatorũ. & caput hòc loco ciuis Romani existimationem significat, quam vitæ & capiti semper sapientes homines anteposuerunt. Hoc ergo tantum periculum à Quintio propulsare populus cupiebat: quum tantam conciui inferri iniuriam, præsertim ab homine cõtrariarum partium, molestè ferret.

Iudicatum solui satisdaret. Satisdamus alteri, cauemus nobis. Cauet enim qui satisaccipit. Cicero in Bruto, At verò tibi ego Brute non soluam, nisi prius à te cauero, amplius eo nomine neminẽ petiturum. sed exemplorum copiam Oratio pro Q. Roscio facile suppeditat. Peruulgatus tamen est hic error, quo etiam doctissimi homines ducũtur, vt Cauere dicant aliquem alicui, pro Satisdare. Nam Satisdare, sponsores dare significat, ei qui sibi à debitore cauet. vnde Satisdato debere dicitur, qui creditori fideiussores, siue sponsores dedit. Cicero lib. XVI, Ep. ad Atticum, Possumus enim, vt sponsores appellẽtur, procuratorem introducere: neque enim illi litem contestabuntur: quo facto, non sum nescius sponsores liberari. sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores eius non dissoluere: & nostræ grauitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. Ergo Iudicatum solui satisdaret, hoc significat, daret sponsores locupletes, qui præstarent quantum iudicio facto solui oporteret, si Quintius damnaretur, tantum suo periculo solutum iri.

Negat Alphenus æquum esse. Hoc quî probet, mihi non satis constat. Neque adduci possum vt existimem non receptum fuisse temporibus illis, iurisconsultis excellentissimis, præceptũ iuris æquissimum & vsitatissimum, Neminem in aliena re sine satisdatione idoneum defensorem intelligi. præsertim locũ illum ex Verrina quarta considerans, in quo de Epicrate Bidino, qui metu Verris ex Sicilia profugerat, sic loquitur, Insimulant hominem fraudandi causa discessisse: postulant, vt bona possidere liceat. amici, siquis quid peteret, iudicio secum agi passuros, iudicatum solui satisdaturos esse dicebant. nisi fortè hoc significat, postulasse Neuium vt Alphenus Quintii nomine satisdaret, non suo. Recusabat enim Alphenus: nisi si Neuius quoque vicissim satisdaret: solum autem satisdare Quintium æquum esse negabat, quòd ii soli satisdant, quorũ bona, quòd vadimonium deseruerant, ex edicto possessa sunt. Valerius autem Maximus auctor est, eos qui pecuniæ iudicatæ satisdare non poterant, in vincula publica duci ius fuisse.

Appellantur Tribuni. Quum Prætor, vt Alphenus satisdaret, decerneret. pag. 22. Nam appellantur, vt Prætoris decreto intercederent. Tribunis potestas erat, magistratuum omnium decretis intercedere. Cice. De legib. III, Plebes quos pro se contra vim, auxilii ergo decem creassit, Tribuni eius sunto: quódque ii prohibessint, quódque plebem rogassint, ratum esto. Qui verò Tribunos appellabant, ii iurare consueuerant, se ideo appellare, quòd æquo iure vti non possent: sicut Asconius significat. Tribuni verò, vt ex Liuio patet, hanc vocem Veto pronuntiabant.

Idib. Septemb. Scipione & Norbano COSS.

Annum & sex menses nihil petit. Postea dicit Biennium, oratoriè. Apparet autem quod suprà dixi, quum post hoc tempus iudicium acceptum sit, M. Tullio, & Cn. Dolabella COSS. actam hanc causam fuisse. Nam annũ & sex menses ducimus ab Idib. Septemb. Scipione & Norbano COSS.

Conditionibus producit. Quas ipse, per simulationem transactionis, Quintio deferebat.

A Cn. Dolabella denique Prætore postulat. Hic est ille Cn. Dolabella, qui ex Prætura Ciliciam prouinciam sortitus, quum eam auaro & iniquo imperio administrasset, à M. Scauro accusatus & dãnatus est: quemadmodum ex Verrina tertia intelligitur. Sed alius fuit hoc eodem tempore, simili, vt scribit Asconius, prænomine, nomine, & cognomine Cn. Cornelius Dolabella: quem suprà diximus Consulem hoc anno cum M. Tullio fuisse. Hunc autem, de quo modò loquitur, Prætorẽ illum fuisse Dolabellam, qui à Scauro damnatus est, coniecturam capimus ex eo, quòd Suetonius & Plutarchus scribunt, Consularem à Iulio Cæsare accusatum esse, nec damnatum: vnus autem Dolabella Consul his temporibus reperiatur.

Ex formula. Ex qua se in edicto satisdare iussurum denuntiarat. Similiter in Ver. v, pag. 374. A L. Metello, vt ex edicto suo iudicium daret in Aproniū, Quod per vim, aut metū abstulisset: (quam formulam Octauianam & Romæ Metellus habuerat, & habebat in prouincia) non impetrat.

Ex formula, Quod ab eo petat, cuius. Alii nonnulli pro Cuius, Quoniam eius. inepte. Nam proxime ostendit, eos solos satisdare iuberi solitos, quorum bona, quòd vadimonium deseruissent, possessa essent. Hanc igitur fuisse formulā apparet, Cuius ex edicto Prætoris Romani bona, dies x x x possessa fuerint, eum iudicatum solui satisdare iubebo.

Prætoris Romani. Sic infrà pag. 23, Procuratorem decreto Prætoris Romani oportuisse parere. Nam idem vălet, vt si diceret, Vrbani.

Ita satisdare iuberet. Solum Quintium. Sed si aliquo in libro probo & antiquo Iuberetur scriptum offenderem, lubenter eam lectionem cum hac recepta commutarem.

Sponsionem cum Sex. Neuio facere. In priuatis controuersiis, ne qui calumniarentur, impune discederent, moris erat, vt qui litem intenderet, aduersarium sponsione certæ pecuniæ lacesseret, ni veram causam haberet. Cicero Verrina v, pag. 366, P. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessiuit, ni Apronius dictitaret te sibi in decumis esse socium. Et paulo pòst, Cum eodem Apronio postea P. Scandilius Eques Romanus eandem sponsionem de societate fecit. institit, oppressit, non remisit. facta est sponsio H-S v milliū & pro Comœdo, pag. 56, Petita est pecūnia certa. cum tertia parte sponsio facta est. Contraque is qui spōsione prouocabatur, aut fateri cogebatur, aut si inficiaretur, restipulari. Valerius lib. 11, Pertinacius, inquit, progressa contentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, non se petiturum triumphum, ni suo ductu Punica classis esset oppressa. nec dubitauit restipulari Luctatius. Ergo stipulatione vltro citróque interposita concipiebatur hæc sponsio. Quod si ita est, exoritur illa dubitatio, Cur sponsio appellata sit, ac non stipulatio: vt actus ille iudicialis vsitatus, qui hoc nomine appellatus est? Sed respondemus, ex vsitatis locutionibus, quum dicitur Lacessere sponsione, Certare, Prouocare, Contēdere, coniecturam capi posse, eum qui lacesseret, prius spondere, quàm stipulari debuisse: cum spopondisset, tum stipulari solitum. aduersarium verò etiam ab illo restipulari, vt ille iterum sponderet: & eius sponsio rite facta conceptáque videretur. eámque coniecturam adiuuare videtur, quod Verrina septima legimus pag. 547, Verrem plagis voluisse C. Seruilium quendam cogere, quū ageret nemo, nemo postularet, nemo esset aduersarius, spōdere tamen cum lictore suo, ni furtis quæstū faceret. vt appareat, quū ex potiore ac maiore parte res nominentur, rectè & hanc Sponsionem, & cōtrà illam Stipulationem appellari solitam. Sed quæritur ab hominibus non imperitis, inter Sponsionem & illud quod veteres Sacramentum appellabant, ecquidnam intersit. Hoc perspicue intelligitur ex Varronis verbis, qui Sacramentum sic definit, Sacramētum à sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus, vtrique quingentos æris ad Pontificem deponebāt, de aliis rebus item, certum alium legitimum numerum assium. Qui iudicio vicerat, suū sacramentum à sacro auferebat: victi, ad ærarium redibat. Sic enim locum illum & legēdum, & distinguendū putamus: vt sit sensus, In aliis causis, quingentos æris deponebant (quod etiam S. Pompeius tradit) in aliis, alium certū ac legitimum numerū. & Redibat, non Redibant, vt vulgò legitur: quum apertissimè ad vocem Sacramētum referatur. Sex. Pompeius, Sacramenti, inquit, nomine, id æs dici cœptū est, quod pœnæ nomine penditur: & id quidem propter ærarū inopiā, & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in rebus diuinis. Quod autē in Varronis libris AD PONTEM legitur, non vt scripsimus ad Pontificē, id ex inscitia librariorum manasse opinor, qui hanc notam PONT. pontem interpretati sunt. nam ad Pontificem deponi hanc pecuniam solitam fuisse, ex Sex. Pompeii verbis cōiicimus. Neq; sum nescius, esse qui Pontes quibusdam locis mensulas interpretentur, altis pedibus impositas: quæ instar pontiū habent. de quo postea in Oratione pro Sex. Roscio idoneo loco disputabimus. Nūc redeamus ad differentiam. In Sacramentis ergo, deponebātur in sacro pecuniæ: & qui causa cadebat, eius pecuniæ referebantur in ærarium. At in sponsionibus, opinor, non deponebātur: sed tantùm interposita stipulatione promittebantur. vnde ex sponso agi eo ipso iudicio dicebatur: vt hac eadem Oratione, pag. 10, Sponsionem facere maluit. fecit. te iudicem C. Aquili sumpsit. ex sponso egit. Nam postea qui iudicium dederat Prætor, victum pro imperio pecuniam soluere cogebat. Hanc igitur vnam opinor fuisse differētiam, quum aliis in rebus omnibus simillima esset vtriusque ratio. quemadmodum ex iis locis cognoscimus, in quibus sacramentum & in possessionis, & in proprietatis controuersiis interpositum dicitur: vt in libro de Oratore 1, & in Oratione pro Milone, & apud Asconium Ver. 111, vbi de Ampliatione loquitur.

Si bona sua ex edicto possessa essent. Id est, spondere certam pecuniam, ni possessa non essent. Quod enim cum negatione quibusdam in libris legitur, Possessa non essent, mendum manifestum est, vt perspicuè intelligitur.

At Budæus in pandectas legit, ni bona sua ex edicto possessa non essent. idq; verius videtur. nam si sponsio concipiatur hoc modo, si b. mea ex ed. p. s. videtur debere Nevius probare possessa esse bona. at cū ita concipitur, spondeo, ni bona mea possessa non sint, onus probandi bona possessa non esse, ad ipsū Quintiū pertinet: idq; priore ... causam dicere debet. & vide p. 33.

CICERO. 10

Demonstrabant, de re iudicium fieri oportere, vt aut vterque inter se, aut neuter satisdaret: nō necesse esse famam alterius in iudicium venire. clamabat porrò ipse Quintius, sese iccirco nolle satisdare, ne videretur iudicasse, bona sua ex edicto possessa esse: sponsionem porrò si istiusmodi faceret, se (id quod nunc euenit) de capite suo priore loco causam esse dicturum. Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles: seu rectè seu perperam facere cœperunt, ita in vtroque excellunt, vt nemo nostro loco natus assequi posset) iniuriam facere fortissimè perseuerat: aut satisdare, aut sponsionem iubet facere: & interea recusantes nostros aduocatos acertime submoueri. Cōturbatus sanè discedit Quintius: neque mirum, cui hæc optio tā misera támque iniqua daretur, vt aut ipse se capitis damnaret, si satisdedisset: aut causam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret. Quum in altera re causæ nihil esset quin secus iudicaret ipse de se, quod iudiciū grauissimum est: in altera spes esset ad talem tamen virum iudicem veniēdi, vnde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiæ: sponsionem facere maluit: fecit. te iudicem C. Aquili sumpsit. ex spōso egit. in hoc summa iudicii, causáque tota consistit. iudicium esse C. Aquili non de re pecuniaria, sed de fama fortunísque P. Quintii vides. Quum maiores ita constituerint, vt, qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accusatorum, priore loco causam dicere intelligis: eos porrò, qui defendere consuerunt, vides accusare: & ea ingenia conuerti ad perniciem, quæ antea versabantur in salute atque auxilio ferendo.

De re iudicium fieri. De pecunia, siqua ex societate Neuio deberetur.

vt aut vterque inter se. Nam vt ex Iurisconsultorum nostrorum libris intelligitur, in actionibus in personam, qualis est actio Pro socio, neuter litigatorum cogitur satisdare: duntaxat qui suo nomine iudicium accipiunt.

vt aut vterque inter se, aut neuter satisdaret. Quorsumnam pertinere dicetur hæc recusatio, qua tam vehementer & tam acriter tum Quintius, tum ipsius aduocati depugnant? Nam in Prætoris quidem decreto de satisdatione verbum nullum. Hoc consideret lector, & diligenter cum animo suo reputet, primùm ecquanam ratione tam præcisa satisdationis recusatio fiat, deinde cur bipartita defensione Quintius vtatur: si de satisdando nihil Prætor decresset, ac simplex fuisset de spōsione iussio: non autem disiunctiua, vt aut satisdaret Quintius, aut sponsionem faceret. Non enim dubito, siquis diligenter omnia consideret, quin facile in eandem opinionem adducatur, quam ego iampridem sum amplexus, neque omnino possum dimittere: vt locus ille superior ita legi ac restitui debeat, Iubet P. Quintium satisdare, aut spōsionem cum Sex. Neuio facere. quod cùm multa ex iis quæ sequuntur, comprobant, tum illud manifestò ostendit, quòd insequenti pagina hunc eundem iussum Cicero commemorans, sic scribit, Dolabella iniuriam facere fortissimè perseuerat: aut satisdare, aut sponsionem iubet facere.

Famam alterius in iudicium venire. Veniet autem, si cogatur solus satisdare. Nam ii soli satisdant, quorum bona, quòd vadimonium deseruerint, decreto Prætoris possessa sunt: quasi soluēdo nō sint, quum contrà qui possident, vel ex iis quæ possident, locupletes sint.

Ne videretur iudicasse. Re ipsa confessus esse, & concessisse.

Sponsionem porrò. Coniecturam quam exposui hæc ipsa particula PORRO confirmat: quæ significat, atque adeo aperte ostendit, duas recusationis partes ad bipartitū Prætoris iussum relatas esse.

De capite suo. De fortunis omnibus, & existimatione.

Priore loco. Nam qui sponsione prouocat, is actoris partes obtinet. qua de causa in Verr. VII, Seruilium quendam legimus tanta contentione recusasse, ne sponsionem faceret, ni Verres furtis quæstum faceret. hoc enim ille probare debuisset.

Nemo nostro loco natus. Nemo nouorum hominum. nobilibus enim noui homines opponuntur: vt alibi docuimus. Tullius autem ortus ex equestri ordine, nullis ipsius maioribus honores in Repub. consecutis. Ortum se tamen antiquissima stirpe gloriatur in II de legib. ex regio scilicet Volscorum genere, apud quos rex Tullus regnauit, vt scribit Silius Italicus,

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto.

Acerrime submoueri. Per lictores. Prætoribus enim & Consulibus sui lictores erant, quibus populū submouere pro imperio poterant. At Tribuni pl. viatoribus in submouendo vtebantur. Consules quidem & Prætores ita submouebant, vt qui non pareret, prehendi iuberent. sed Tribuni non pro imperio, sed comiter verbis submouebant, Si vobis videtur, discedite Quirites. Et huius summouēdi moris exemplum est apud Liuium lib. III, vbi de Appii Claudii Decemuiri decreto in Virginiam puellam loquitur. Aduersus iniuriam decreti, inquit, quum multi magis fremerent, quàm quisquam vnus recusare auderet: P. Numitorius puellæ auunculus, & sponsus Icilius interueniunt: datáque inter turbam via, lictor decresse ait: vociferantémque Icilium summouet.

In altera re. Si satisdedisset.

Causæ nihil esset quin. Vetus locutio, quæ hoc significat, Recusare, vel inficiari non posse quin. Similiter pag. 20, Pridie Cal. si Romæ fuit, causæ nihil dicimus quin tibi vadimonium deseruerit. Et pag. 31, Numquid est causæ C. Aquili, quin si longè aliter possedit, &c. Et apud Terentium, Non causam dico quin quod meritus est ferat.

Quum secus iudicaret ipse de se. Secus, minus rectè, minus verè, aliter quàm sese res habeat. Sallust. in Iugurtha, Prius tamē omnia pati decreuit, quàm bellū sumere, quia tētatum antea secus cesserat. Apud hunc nostrum, Epist. ad Appium, lib. III, De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris nonnihil loci dedisse.

Quod iudicium grauissimum est. Similiter Ver. VII, pag. 494. Meo, inquit, iure cōtendam, eū qui suo iudicio condemnatus sit, iuratorum iudicum sententiis damnari oportere. Et in Cluentiana de reo Fabritio, qui patroni infantia desperatus, à subselliis discesserat, Iam tum, inquit, Fabritius primùm suo iudicio, quod est grauissimum, deinde legis vi condemnatus est.

In altera spes esset. Si sponsionem faceret.

Te iudicem C. Aquili sumpsit. In iudiciis tum priuatis, tum publicis, dabantur ii à Prætore iudices, qui reis placuissent. Sumebat igitur actor priore loco iudicem, cui, si reus eum non reiiceret, Prætor iudicandi potestatem dabat: ex quo ipso, vt Varro scribit, Iudex dicebatur, quòd iudicaret accepta potestate, & causam quibusdam verbis dicendo finiret: id est quibus verbis à Prætore iudicium erat constitutum.

Qui pro capite diceret. Modò dixit, Fama fortunísque.

Posteriore loco diceret. In prima quidem actione. Nam ampliata causa, aut comperendinata priore loco causam reus dicebat, actor postremo, vt ex Verr. III notum est, & ex Asconio.

Inaudita criminatione. Nondum audita.

Priore loco causam dicere intelligit. Oratoriè de hoc, quasi iniuriose decreto, conqueritur: quum tamen reuera si bona possessa essent, aut solum satisdare, aut sponsionem facere Quintium oporteret: &, si sponsionem faceret, priore loco dicere.

CICERO. Illud etiā restiterat, quod hesterno die fecerunt, vt te in ius adducerent, vt nobis tempus, quàm
II » diu diceremus, præstitueres: quam rem facile à Prætore impetrassent, nisi tu, quod esset tuum ius,
» & officium, partésque, docuisses. neque nobis adhuc præter te quisquā fuit, vbi nostrum ius con-
» tra illos obtineremus: neque illis vnquam satis fuit illud obtinere, quod probari omnibus pos-
» set: ita sine iniuria potentiam leuem, atque inopem esse arbitrantur. verùm, quoniam tibi instat
» Hortensius vt eas in consilium: à me postulat, ne dicendo tempus absumam: queritur, priore pa
» trono causam defendente, nunquam perorari potuisse: non patiar istam manere suspicionē, nos
» rem iudicari nolle. nec illud mihi arrogabo, me posse causam commodius demonstrare, quàm
» antea demonstrata sit: neque tamen tam multa verba faciam: propterea quòd & ab illo, qui antè
» dixit, informata iam causa est: & à me, qui neque excogitare, neque pronuntiare multa possum,
» breuitas postulatur, quæ mihimet ipsi amicissima est. Faciam quod te sæpe animaduerti facere
» Hortensi: totam causæ meæ dictionem certas in partes diuidam. tu id semper facis, quia semper
» potes: ego in hac causa faciam, propterea quòd in hac videor posse facere. quod tibi natura dat vt
°commodius. » semper possis, id mihi causa °dat vt hodie possim. certos mihi finēs, terminósque constituam, ex-
» tra quos egredi non possim, si maxime velim: vt & mihi sit propositum de quo dicam: & Horten-
» sius habeat exposita, ad quæ respondeat: & tu C. Aquili iam ante animo prospicere possis quibus
» de rebus auditurus sis. Negamus, te bona P. Quintii Sexte Neui possedisse ex edicto Prætoris. in
» eo sponsio facta est. ostendam, primùm causam non fuisse cur à Prætore postulares vt bona P.
» Quintii possideres: deinde, ex edicto te possidere non potuisse: postremo, non possedisse.

[redacted] *Illud etiam restiterat.* Superfuerat ad nostras iniurias cumulandas. Et accipe dictum per ironiam: vt si diceret, Non satis malorum habebamus, nisi insuper hic quasi cumulus accessisset.

In ius adducerent. Ad Prætorē. Nā Ius, Prætoris dicitur: Iudiciū verò, datorū à Prætore iudicum.

Ita sine iniuria potentiam leuem. Vsqueadeò se sua potentia non vsuros putant, nisi iniuriam imponant. Nam hic, opinor, ordo & cōtextus est, Ita leuem potentiam, pro vsqueeò leuem & inanem. Et apparet quod suprà dixi, Potentiam eorum fuisse, apud quos Gratiosi esse aliqui dicebantur: Gratiam autem eorum, qui potentium hominum amicitia florebant.

Vt eas in consilium. In publicis iudiciis postquam propositis omnibus argumentis Orator dixerat DIXI, & præco vtrùque Oratorem dixisse pronūtiarat, dimittebat Orator Iudices ad dicendam sententiam. Et hoc est (vt scribit Asconius) quod dicitur Mittere in consilium. quod (vt dixi) ipsorum est Oratorū. Sed in causis priuatis, in quibus præcones fuisse nō reperio, posteaquam prior patronus dixerat, si Recuperatores, inter se: si Iudices, cum aduocatis suis capita conferebāt, tum alter patronus dicebat. vbi dixisset, testes dabantur, tabulæ poscebātur, literæ inspiciebantur, postremò in consilium ibatur. quæ tum ex Verrina V, tum ex Asconio & Macrobio didicimus.

Priore patrono causam defendente. Id est, Patrono causam dicente priore loco.

Nos rem iudicari nolle. Qui enim rem iudicari nolunt, ostendunt suæ se causæ diffidere.

Ab illo qui antè dixit. M. Iunio, quem hanc causam aliquoties egisse suprà dixit.

Informata iam causa est. Informare, est formam aliquam alicui rei inducere: sic, vt quæ res ea futura sit, iam tũ ex ea rudi & inchoata forma existimari possit. Pictores Adumbrare verbũ in ea re vsurpant. Quũ igitur hominis speciem vmbris tantùm & rudibus lineamentis inchoatam ostendunt, informata hominis effigies dicitur: quòd in illo opere, quanuis rudi & impolito, formam tamen esse hominis, non beluæ, perspicitur. Ergo Informata causa hoc significat, non penitus explicata, planéque demonstrata, vt planissimè cognosci, intelligique possit: sed aliqua ex parte exposita, vt ignorari nequeat. Exemplis autem in re plana atque aperta supersedeo.

Neque excogitare, neque pronuntiare multa possim. Alterum ad modestiam dictum est, oratoriè: alterum ad veritatem. vt ex his ipsius verbis in Bruto cognosces, Erat eo tempore in nobis summa gracilitas & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus, & quæ figura non procul abesse putatur à vitæ periculo, si accedit labor, & laterum magna contentio.

Quod tibi natura dat ut semper possis, id mihi causa dat ut hodie possim. Ergo non vera laudatio, sed ironia potius illa est. neque enim qui perpetuò partitione tam accurata vtitur, sed qui in loco, & qui causa postulante id facit, laudem meretur. Coniecturam adiuuat quod scribit Asconius in illum Diuinationis locum, Quid, quũ accusationis tuæ membra diuidere cœperis? Hic, inquit, irridet Hortensii cõsuetudinem: vt sæpe aliàs. Et Quintilianus libro IIII, Nec immeritò, inquit, multum ex diligentia partiendi tulit laudis Q. Hortensius: cuius tamen diuisionem in digitos diductam, nonnunquam Cicero leuiter eludit. Nam est certus eius modus: & euitãda maximè concisa nimium & velut articulosa partitio. Nam & auctoritati plurimum detrahunt multa illa non membra, sed frusta: & huius gloriæ cupidi, quo subtilius & copiosius diuisisse videãtur, & superuacua assumũt, & quæ natura singularia sunt, secant.

Id mihi causa dat. Omnes ad vnũ veteres & manu scripti & impressi libri, quoscũque videre potui, non DAT, sed CONCEDIT scriptũ habent. quorũ sine causa auctoritatẽ nunquã repudiabimus.

Quæso C. Aquili, vósque qui estis in consilio, vt, quid pollicitus sim, diligenter memoriæ mãdetis: etenim rem facilius totam accipietis, si hæc memineritis: & me facilè vestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circundedi. nego fuisse causam cur postularet: nego ex edicto possidere potuisse: nego possedisse. hæc tria quum docuero, perorabo. Non fuit causa cur postulares. quî hoc intelligi potest? quia Sex. Neuio neque ex societatis ratione, neque priuatim quicquam debuit Quintius. qui huic rei testis est? idem qui acerrimus aduersarius. In hac re te, te inquã testem Neui citabo. annum, & eo diutius post mortem C. Quintii fuit in Gallia tecum simul Quintius. doce, te petiisse ab eo istam nescio quam innumerabilẽ pecuniam. doce aliquando mentionem fuisse, dixisse deberi: debuisse concedã. moritur C. Quintius, qui tibi, vt ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit: hæres eius P. Quintius in Galliã ad te ipsum venit, in agrum communem: eò denique, vbi non modò res erat, sed ratio quoque omnis, & omnes literæ. quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tam negligens, quis tam tui Sexte dissimilis, qui, quũ res ab eo, qui contraxisset, recessisset, & ad hæredem peruenisset, nõ hæredem, quũ primum vidisset, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? siquid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur? itáne est? quod viri optimi faciunt, si qui suos propinquos ac necessarios caros & honestos esse atque haberi volunt, id Sex. Neuius non faceret?

CICERO. 12

quis L.

fecisse L.

quocum L.

iure optimo f. ho qui

claros

faceret.

Vestra existimatione reuocabitis. Dum verebor ne si aliter atque ostendi faciam, secus de me existimetis. ne tacita existimatione vestra reprehendar.

Qui huic rei. Omnes, puto, alii, Quis huic rei. quorum sine causa nunquã defugiam auctoritatẽ.

Mentionem fuisse. Iidem, opinor, omnes, Fecisse. quod sine dubio rectum est.

Ab eo qui contraxisset. Quicum contraxisset, legẽdum equidem iampridem existimarã: sed postea hanc meam opinionem veterum auctoritas omnium librorum penitus confirmauit.

Aut intra parietes, aut summo iure experiretur? Consuetudo veterum. Priusquam iudicio contẽderent, honoraria amici opera plurimum vtebantur, qui intra domesticos parietes de illorum controuersia disceptaret. exemplum suprà pag. 7, & apud Liuium libro IIII, quo loco de Ardeæ ciuitatis legatis commemorat. Quũ res, inquit, peragi intra parietes nequisset, ventum in ius est. Hoc est quod Cicero dicit in Oratione pro Cæcina, ea iudicia quæ distrahendarum controuersiarum causa reperta sunt, persæpe disceptatore domestico disceptari.

Aut summo iure experiretur? Experiri nonnunquam præcisè dicitur: nonnunquam etiam plenè & coniunctè Experiri ius. id quod pro Lege agere vsurpatur: propterea, opinor, quòd qui rem aliquã iudicio petunt, ii quod iuris se habere ad eam rem petẽdam arbitrantur, id ad iudices Tentandi &

experiendi causa exponunt. Id adeò ex his Titi Liuii verbis intelligi potest, qui libro 1, Prætor, inquit, L. Petitio dixit, sese eos libros in ignem coniecturum esse prius quàm id faceret, se ei permittere, vti, siquod seu ius, seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eum facturũ. Loquitur de Numæ libris. Sed agere, vel experiri summo iure tũ dicimur, quum quammaxime possumus duriter & præfractè cum aduersario cõtendimus, cúmque quam asperrimo & vehementissimo iudicio possumus, persequimur. infrà pag. 17 summo iure agere sic extulit, Ad extrema & inimicissima iura cupide decurrere. Et 24, Inimicissimè & infestissimè contendere Et in epist. ad Att. lib. XVI, Agere vehementer & seuere.

Quod viri optimi faciunt. Hoc quemadmodum quadret cum eo quod proxime dicebat, coniectura assequi non possum. Nam argumentum esse videtur ex comparatione minoris. Si dissoluti homines debitores suos appellant ac flagitant, id nõ faceret Neuius, homo omnium auarissimus: Ergo quũ hoc sumpsisset, Nemo est tam dissolutus, qui non appellet: ita efferre videlicet argumẽtationem debebat, Si viri dissoluti appellant, non est probabile Neuium auarissimum appellaturum non fuisse: quum contrà de viris bonis loquatur, de quibus tamen antea suspicio nulla est. Etiam illud absurdum, quũ dicit SSQVI. quasi vlli viri boni sint, qui propinquos suos claros atque honestos haberi nolint. Quod quũ ita sit, haud scio an nõ paulo cõmodius ita legeremus, ne dicam verius, Quod iure optimo faciunt hi qui suos propinquos &c. vt comparatione vti duplici videatur, hominum dissolutorum cum auarissimo, & eorum quibus suorum amicorũ existimatio chara est, cum eo qui eam pro nihilo putat. vt sit sensus, Si iure optimo, & saluo amicitiæ officio id facere possunt hi qui de amicorum existimatione sunt soliciti, si inquam appellare debitores suos possunt, neque tamen vllam in ea re faciunt suis amicis iniuriam: cui probari potest, id facturum non fuisse Neuium, qui neque de amicitia, neque de propinquitate vlla laborat: cum eo videlicet, vt pro illa interrogationis nota, quæ ad verbum FACERET adiuncta est, nota membri scribatur. Mihi quidem hæc lectio atque sententia placeret. Quòd si nihil mutãdum existimamus, tum viros dici optimos interpretabimur, vel ex eo ipso quòd propinquorum existimationem charã habeant. Sed assumptio durior, neque satis cohærere videbitur.

Necessarios caros & honestos esse atque haberi nolunt. Nihil muto. sed Caritatis mentio quorsum hoc loco pertineat, aut quàm apposite cum Honestate coniungatur, non dispicio. Fortasse rectius legeremus, Claros & honestos. Nam Claros dici video etiam pro Integris, & castis, & nulla malæ existimationis labe contaminatis. Ipse in orat. pro Q. Rosc. Quẽ tu, si ex cẽsu spectas, eques Romanus est: si ex vita, homo clarissimus est. Nam eundem paulo post hominem honestum appellat, Nega, nega nunc equiti Romano homini honesto credi oportere. Vetera igitur exemplaria consulantur, siquæ sunt, (vt confido esse nonnulla) quæ meam coniecturam auctoritate sua comprobent.

CICERO. Qui vsque eò feruet, fertúrque auaritia, vt de suis commodis nolit aliquam partem amittere,
13 ne quam partem huic propinquo suo vllius ornamenti relinquat. & is pecuniam, siqua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modò, verum etiam hominis propinqui sanguinem, vitámque eripere conatur: huic tu molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare libere non finis. quem nunc interficere nefarie cupis, eum tum prudenter appellare nolebas. ita credo, hominem propinquum, tui obseruãtem, virum bonum, pudentem, maiorem natu, nolebas, aut non audebas appellare. sæpe, vt fit, quum ipse te confirmasses, quum statuisses de pecunia mentionem facere, quũ paratus meditatúsque venisses, homo timidus, virginali verecundia, subito ipse te retinebas, excidebat repente oratio: quũ cuperes appellare, non audebas, ne inuitus audiret, id erat profecto. Credamus hoc, Sex. Neuium, cuius caput oppugnet, eius auribus pepercisse. si debuisset Sexte, petisses statim: si non statim, paulo quidem post: si non paulo, at aliquando: sex quidem illis mensibus profecto, anno vertente sine controuersia. anno & sex mensibus verò, quum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonẽdi, verbum nullum facis: biennio iam confecto ferè, appellas. quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa iam, sed abundanti pecunia sic dissolutus fuisset, vt fuit Sex. Neuius: quũ hominem nomino, satis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quintius: nunquam petisti. mortuus est ille, res ad hæredem venit: quum eum quotidie videres, post biẽnium denique appellas. dubitabitur, vtrum sit probabilius, Sex. Neuiũ statim, siquid deberetur, petiturũ fuisse, an ne appellaturũ quidẽ biennio?

Sanguinem vitámque eripere conatur. Id est, opes ac fortunas, quibus vita sanguísque retinetur.

Respirare libere non finis. Non finis viuere, non finis spiritum ducere. item vt modò dixit, Quem nunc vita priuare vis.

Prudenter appellare Alii omnes Pudenter: melius omnino meo iudicio. Etenim cõtrarium contrario posuit, quũ dixit Nefarie interficere, & Pudenter appellare. Nefarius enim, qui religionem omnem respuit, atque aspernatur. Verecũdia autem vna ex omnibus maxime religiosorum hominum propria: quippe custos virtutum omnium, vt idem ait in Partitionibus.

Anno vertente sine controuersia. Annus vertens quid sit, Vitruuius his verbis ostendit, lib. Archit. I X, Sol, inquit, signi spatiũ, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit. ita X I I mensibus X I I signorum interualla peragrando, quum redit ad id signum vnde cœperit, perficit spatium vertentis anni. Eadem figura Plautus mensem vertentem dixit in Persa, Tu hanc si emeris, Nunquam hercle hunc mensem vertentem, credo, seruibit tibi.

Tam profusus ac perditus nepos. Nepotes dicuntur qui inconsultè largiendo patrimonia effundũt.

CICERO.
» Appellandi tempus non erat? at tecum*anno plus vixit. In Gallia agi non potuit? at & in pro-
» uincia ius dicebatur, & Romæ iudicia fiebant. restat, vt aut summa negligentia tibi obstiterit, aut 14
» vnica liberalitas. si negligẽtiam dices, mirabimur: si bonitatem, ridebimus: neque, præterea quid
» possis dicere, inuenio. Satis est argumenti, nihil esse debitum Neuio, quòd tam diu nihil petiuit.
» quid, si hoc ipsum, quod nunc facit, ostendo testimonio esse, nihil deberi? quid enim nũc agit Sex.
» Neuius? qua de re controuersia est? quod est hoc iudicium in quo iam biennium versamur? quid
» negotii geritur, in quo ille tot & tales viros defatigat? Pecuniam petit: nunc denique? Veruntamẽ
» petit: audiamus. De rationibus & controuersiis societatis vult diiudicari. serò. verùm aliquando
» tamen: concedamus. Non, inquit, id ago C. Aquili: neque in eo nunc laboro: pecunia mea tot an-
» nos vtitur P. Quintius. vtatur sanè, non peto. quid igitur pugnas? an, quod sæpe multis in locis di-
» xisti, ne in ciuitate sit? ne locum suum, quem adhuc honestissimè defendit, obtineat? ne numere-
» tur inter viuos? decernat de vita, & ornamentis suis omnibus? apud iudicem causam priore loco
» dicat? &, eam quũ *orarit, tum denique vocem accusatoris audiat? quid? hoc quò pertinet? vt ocius *perorarit
» ad tuum peruenias? at, si id velles, iam pridem actum esse poterat. vt honestiore iudicio conflicte-
» re? at sine summo scelere P. Quintium propinquum tuum iugulare non potes. vt facilius iudi-
» cium sit? at neque C. Aquilius de capite alterius libenter iudicat, & Q. Hortensius contra caput
» non didicit dicere.

*annum

Tecum anno plus. Omnes prope libri veteres, Annum plus: vtrunque rectè. Aliquid tamen apud [illegible] nos tot veterum librorum valeat auctoritas.

In Gallia agi non potuit? Intermissis belli tempore iudiciis, quũ Prætor forum agere, & conuentum habere non posset. Ei bello præerat C. Flaccus, quem Imperatorem antea nominauit.

In prouincia ius dicebatur. Hoc dicit, Si Prætor intra fines prouinciæ, bello districtus ius non dicebat, Legatum habebat in prouincia, qui quasi Prætorii imperii vicarius, iudicium ea de re constituere poterat, & iudices de conuentu dare.

Et Romæ iudicia fiebant. Hoc propterea dicit, quia propter ciuile bellũ quod hisce temporibus flagrabat, iudicia in vrbe aliquandiu intermissa fuerant.

Tot & tales viros defatigat. Vtrum Neuii aduocatos, homines nobiles, an potius Iudicem, & eos qui illi in consilio aderant? Sic opinor, vt suo more iudicibus laudem aliquam aspergat.

Ostendo testimonio esse nihil deberi. Quid ita? Quum, inquit, Quintii exitium & calamitatem, & omnium eius fortunarum interitum petat, hoc significat, atque adeò apertè ostendit, se non ob pecuniam iudicio contendere, sed odium in illum conceptũ effundere. Et opinor, ex eo ratio ducitur, quòd quibus pecuniæ debentur, ii dum ad suum peruenire possint, satis habent: neque quicquam amplius à debitore postulant: at qui ira acerbiore & intimo odio quempiam persequuntur, non facilè exsaturantur, nisi summum illi exitium & perniciem attulerint.

Ne in ciuitate sit. Non, ne in vrbe sit (neque enim qui vadimonii deserti damnati erant, exilio multabantur) sed ne numeretur inter ciues. Hoc dicit propter ignominiam qua afficiebantur qui turpi iudicio damnati essent. Nanque hi pòst à Censoribus, si plebeii essent, in Ceritum tabulas referebantur, & ærarii fiebant, vt ad hoc essent ciues tantùm, vt pro capite suo tributi nomine æra penderent. Asconius.

Decernat de vita. Elatè hæc dicuntur, & per amplificationem.

Eam quum orarit. Perorarit, meo iudicio rectius & apertius legeretur.

Honestiore iudicio conflictere? Honestius enim hoc iudicium est Neuio, quàm illud Pro socio. Nam iudicio vexare socium, inuidiosum est, neque tam speciosam causam habet. At qui vadimonium sibi desertum queritur, eius probabilior causa est, & honestiore, magisque probabili nomine vtitur: aduersarii contrà, odiosa & suspecta causa est.

Iugulare non potes. Spoliare iis rebus quibus anima & spiritus conseruatur.

Vt facilius iudicium sit? Nam de facto tantùm quæritur hoc iudicio, & cõiectura, Sintne possessa ex edicto bona: quum in iudicium Pro socio de iure pleræque disceptationes incidant, & longior ac difficilior sit compensationum, quæ in societatis nominibus plurimùm fiunt, consideratio. Ergo Facilius, & dilucidius significat, & breuius: quòd quo quidque dilucidius est, eo minore negotio ac tempore explicatur.

Contra caput non didicit dicere. Didicit, consueuit. Eadem figura vsus est Plautus in Amphitryone. ALC. Cur negas? AMPH. Quia vel è didici dicere. ALC. Haud æquũ facit, Qui quod didicit, id dediscit. Et in Curc. TERAPONT. miles, Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia, Sed ea ipsa illa qua excidionem facere condidici oppidis. Vatinius in epist. Si vales, bene est, lib. v, Ego autem quem potius adoptẽ, aut inuocem, quàm illũ, quo defendente vincere didici? Hic noster in Orat. pro Deiotaro, Et venit vel euocatus, vt is, qui Senatui parêre didicisset.

CICERO. Quid à nobis autem C. Aquili refertur? pecuniam petit: negamus deberi. iudicium fiat statim:
» non recusamus. nunquid præterea? si veretur vt res iudicio facto parata sit, iudicatum solui satis
» accipiat. quibus à me verbis satis accipiet, iisdem ipse, quod peto, satisdet. Actum iam potest esse
» C. Aquili: iam tu potes discedere liberatus molestia propè dicam non minore, quàm Quintius.
» quid agimus Hortensi? quid de hac conditione dicimus? possumus aliquando depositis armis, sine
» periculo fortunarum, de re pecuniaria disceptare? possumus ita rem nostrã persequi, vt hominis
» propinqui caput incolume esse patiamur? possumus petitoris personam capere, accusatoris de-
» ponere? immò, inquit, abs te satis accipiam, ego autem tibi non satisdabo. quis tandem nobis ista
» iura tam æqua describit? quis hoc statuit, quod æquum sit in Quintium, id iniquum esse in Neuiũ?
» Quintii bona, inquit, ex edicto Prætoris possessa sunt. Ergo, id vt confitear, postulas: vt, quod nũ-
» quam factum esse iudicio defendimus, id, perinde quasi factum sit, nostro iudicio confirmemus.
» Inueniri ratio C. Aquili non potest, vt ad suum quisque quamprimum sine cuiusquam dedeco-
» re, infamia, pernicieque perueniat? profectò, si quid deberetur, peteret: nõ omnia iudicia fieri mal-
» let, quàm vnum illud, vnde hæc omnia nascuntur. Qui inter tot annos, ne appellarit quidẽ Quin
» tium, quũ potestas esset agendi quotidie, qui, quo tempore primùm male agere cœpit, in vadimo-
» niis differendis tempus omne consumpserit: qui postea quoque vadimoniũ missum fecerit, hunc
» per insidias vi de agro communi deiecerit.

[redacted] *Quid à nobis autem C. Aquili refertur?* Referre, respondere, contradicere. Iurisconsulti Replicare postea dixerunt. Græci ἀνθυποφέρειν: idest, aduersus defensionẽ alterius opponere. In Orat. pro Cæcina, Hic est mucro defensionis tuæ: in eum ipsum causa tua incurrat necesse est: ego enim tibi refero, &c. Et paucis pòst versibus, Idque me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensione retulisse. Item in Partit.

Si veretur ut res iudicio facto parata sit. Ergo, quòd in actionibus in personam, necessariam esse satisdationem Iurisconsulti negant, modò is quicum agitur, iudicium suo nomine susceperit: ita intelligendum est, nisi si periculum sit ne soluendo reus non sit. qua in causa etiam actor satisdare vicissim cogitur. Et hoc ipsum posterius iterat his verbis, Quo in loco conditionem tuli, si vellet pecuniam petere, P. Quintiũ iudicatũ solui satisdaturum, dum ipse si quid peteret, pari cõditione vteretur. Sed moris tamen fuisse appâret, vt qui vadimonium deseruisset, & cuius ex edicto bona possessa esse dicerentur, solus satisdare cogeretur.

Iisdem ipse, quod peto, satisdet. Quod peto, id significat, Quod iam antea petii, quod sæpe postulatũ est. hoc enim aduocati Quintii postularãt, vt de re pecuniaria iudicium fieret, & vterque inter se aut neuter satisdaret. pag. 9.

Vnum illud unde hæc omnia nascuntur. Dicit iudicium Pro socio, vnde omnes quæ annis ab hinc duobus controuersiæ fuerunt, quasi ex fonte fluxerunt. Itaque pag. 32, scribit in hanc sententiam his verbis, Deinde quòd omnia iudicia difficillima cum summa sua inuidia fieri mallet, quàm illud vnum pecuniarium iudicium, ex quo vno hæc omnia nata & profecta esse concedit.

Inter tot annos. Elatè: quum duo tantum anni sint, ac ne ii quidem integri. De hac autem loquutione dicendum necessario fuerit Verrina II, pag. 149. & putidum est eadem sæpius iterare.

Male agere cœpit. Hæc dicuntur ad tempus. Nam si hoc verum esset, quum antea (pag. 7.) mentionem dilati vadimonii interposuit, non est dubium quin de hoc quoque aliquid dixisset. Est autem sensus, Vbi ex amicis intellexit malè se hoc modo acturũ esse, vadimoniũ distulit: ne si hac actione ad Prætorẽ vteretur, causa caderet. Ergo qui vadabãtur, actionis suæ formulã aduersario edebãt: quod ipsum significare videtur Vlpianus, libro Pandectarũ II, sub tit. De edendo, Qua quisque, inquit, actione agere volet, prius eam edere debet. nam æquissimum videtur, eum qui acturus est, edere actionem: vt proinde sciat reus vtrum cedere, an contendere vltrà debeat: & si contendendum putet, veniat instructus ad agẽdum, cognita actione qua conueniatur. Sed quid sit malè agere, ostendit Cicero in Partit. hic verbis, Plus petisti, serò petisti, non fuit tua petitio, non à me, non hac lege, non his verbis, non hoc iudicio. Et Quintilianus libro III, In omnibus, inquit, ferè causis, in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sunt quæstiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore liceat agere, & si qua sunt talia.

Qui quum de re agendi nullo recusante potestas fuisset, sponsionem de probro facere maluerit, qui, quû reuocetur ad id iudicium, vnde hæc nata sunt omnia, conditionem æquissimam repudiet: fateatur, se non pecuniam, sed vitam & sanguinem petere: is non hoc palàm dicit: mihi si quid deberetur, peterem, atque adcò iam pridem abstulissem: nihil hoc tanto negotio, nihil tam inuidioso iudicio, nihil tam copiosa aduocatione vterer, si petendum esset: extorquendum est inuito atque ingratis: quod non debet, eripiendum, atque exprimendum est: de fortunis omnibus P. Quintius deturbandus est: potentes, diserti, nobiles omnes aduocãdi sunt: adhibenda vis est veritati: minæ iactentur: pericula intendantur: formidines opponantur, vt his rebus aliquando victus, & perterritus ipse cedat. quæ mehercule omnia, quû, qui contrà pugnent, video, & quùm illum consessum considero, adesse atque impendere videntur, neque vitari vllo modo posse. quum auté ad te C. Aquili oculos animúmque retuli, quo maiore conatu studióque aguntur, eo leuiora infirmioráq; existimo. nihil igitur debuit, vt tu ipse prædicas. Quid, si debuisset: continuóne causa fuisset cur à Prætore postulares, vt bona possideres? non opinor id quidem neque ius esse, neque cuiquam expedire. Quid igitur demõstrat? vadimonium sibi ait esse desertum. Antequam doceo id factum non esse, libet mihi C. Aquili ex officii ratione, atque ex omnium consuetudine rem ipsam, & factum simul Sex. Neuii considerare. Ad vadimonium non venerat, vt ais, is quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ, & necessitudines veteres intercedebant: ilicóne ad Prætorem ire conueniti? continuóne verum fuit postulare vt ex edicto bona possidere liceret? CICERO. 16

Sponsionem de probro facere maluer. Ni bona Quintii ex edicto possessa essent. pag. 9. qua spõsione ciuis Romani existimatio in discrimen vocatur. nam qui vadimonii deserti dãnati erant, ignominia notabantur. [redacted]

Conditionem æquissimam repudiet. Vt quibus verbis à Quintio satisaccipiat, iisdem ipse verbis Quintio satisdet, pag. 15. 32.

Fateatur, se non pecuniam, sed uitam, & sanguinem petere. Ipse postea sic interpretatur, Si nõ verbo, re quidem ipsa fatetur.

Tanto negotio. Tam laborioso, & tum Quintio, tum ipsi etiam Iudici graui & molesto. pag. 15.

Tam copiosa aduocatione. Pag. 26.

Inuito atque ingratis. Ingratis, grauatè, illibenter. Terent. Heaut. Ea coacta ingratis, Post illa cœpit victum vulgò quærere. Hic ipse Verrina v 1, pag. 420, Producam cæteros: reticebunt quæ poterunt, libenter: dicent quæ necesse erit, ingratis.

Adhibenda uis ueritati. Aequitati: quod iam sæpe diximus.

Illum consessum. Neuii aduocatorum: hominum nobilium & potentium. Græci dicerent τὸν συνέδριον, vt in Orat. κατὰ Κτησιφ.

Eo leuiora infirmioráque esse existimo. Minus apud te ponderis habitura. Tãtum enim illorum & tam vehemens euertendi Quintii studium documento tibi esse debebit, eos non æquitate, sed cupiditate & libidine certare.

Vt tu ipse prædicas. Si minus verbo, re quidem ipsa.

Quid igitur demonstrat. Quam affert huiusce consilii sui rationem? Galli dicunt, Remonstrer.

Omnes denique causæ & necessitudines. Genus loquendi animaduersione dignum. Ita enim veteres loquebantur, vt CAVSA præcisè dicerét, pro causa coniunctionis, amicitiæ, beneuolentiæ. Idem in Epist. ad Ser. Sulpitium, Cum Lysone est mihi quidem hospitium vetus, quam ego necessitudinem sanctè colendam puto: sed ea causa etiam cum aliis compluribus, familiaritas tanta nullo cum hospite.

Ad Prætorem ire conuenit. Conuênit, æquum fuit. Præteritum enim tempus demonstrat: vt quod proximè sequitur.

Ad hæc extrema & inimicissima iura tam cupide decurrebas, vt tibi nihil in posterum, quod grauius atque crudèlius facere posses, reseruares? nam quid homini potest turpius, quid ~~verò~~ *viro* miserius, aut acerbius vsu venire? quod tantum euenire dedecus? quæ tanta calamitas inueniri potest? Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicuius eripuit iniuria, tamen, dum existimatio est integra, facilè consolatur honestas egestatem. *at non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus, *bonis quidem suis vtitur: alterius opes, id quod miserrimum est, non expectat: hoc tamen in miseriis adiumento & solatio subleuatur. cuius verò bona vænierunt, cuius nõ modò amplissimæ fortunæ, sed etiam victus, vestitúsque necessarius sub præcone cum dedecore subiectus est: is non modò ex numero viuorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. *etenim mors honesta sæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem *honestæ locum relinquit. Ergo hercule cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama* & existimatio cum bonis simul possidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem *certè tacite obscuréque conceditur. cui magistri fiunt, & domini constituũtur, * CICERO. 17

et *qui diu bonis suis utitur, alterius opes,* *ita* *obscura*

Locus hic, qui tam multis tam obscurus videtur, ita intelligendus, vt opinor, est: vt illud, saepe referatur ad vtranque partem comprehensionis: sit'q; sensus. saepe contingit, vt turpem vitam exornet honesta mors. ~~saepe etiam contingit, vitam ita esse turpem, vt~~ nullo honestae morti locũ relinquat.

» qui, qua lege & qua conditione pereat, pronuntient, de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit: huic acerbissimũ viuo videntique funus ducitur: si funus id habendum sit, quò nõ amici conueniunt ad exequias cohonestandas, sed bonorum emptores, vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas & distrahendas.

INEPTVS, quid significet,

Pecuniam si cuipiam fortuna ademit. Dicamus ὡς ἐν τύπῳ quid hoc toto loco significet, & velificemur ei καθ᾽ ὁδὸν quam obtinere volumus. Hoc enim ad huiusce loci sensum eruendum non mediocriter pertinebit. Quibus, inquit, aduersa fortuna est, ii aut pecuniã, salua existimatione, aut existimationem, salua pecunia, aut vtrunque simul amittunt. Horum omnium postremi sunt miserrimi. Qui verò sub præcone subiiciuntur, vtrunque illud amittunt. Omniũ igitur hi sunt miserrimi. quid amplius? Etiam mortuis miseriores habendi sunt. quum enim vel moriendo memoriam sui penitus extinguere cupiant, id tamen non possunt: mori enim iis obscurè non licet. Hæc de loci sententia summatim: nunc singula videamus.

At non nemo. Scribamus Et nõ nemo, vel Ac nõ nemo: sic enim sentẽtia postulat, quã ostẽdemus.

Aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus. Alterum ad animaduersionẽ ac notã Censoriam: alterum ad res iudicatas refertur, de quibus in Oratione pro Cluent. Quòd si illud iudiciũ putaretur, inquit, vt cæteri turpi iudicio damnati, in perpetuum omni honore ac dignitate priuantur, sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset.

Bonis quidem suis vtitur: alterius opes, id quod miserrimum est, non expectat. Huius loci castigationem sensus ipse ostendit, & vetusti codicis auctoritas, in quo, pro Alterius, scriptum est, Altiores. Sic igitur legamus, Qui dum bonis suis vtatur, altiores opes, id quod miserrimum est, non expectat. Sensus autem apertus est. Non est, inquit, difficile reperire, qui, quum existimationem amiserit, bona tamen retineat, vt qui Senatores iudicio turpi conuicti sunt, & Senatu moti, aut Equites equo publico mulctati. Hos igitur miseros quidem iudicabimus, quòd existimationem amiserint, sed non vsqueò tamen, vt qui bonis etiam, & fortunis omnibus euersi sunt.

Hoc adiumento & solatio. Quòd bonis tamen, & fortunis suis fruuntur.

Sub præcone subiectus est. Similis loquutio in Orat. pro domo sua, Cyprius Rex cũ omnibus bonis sub præcone subiiceretur. Et translatio sumpta est ex consuetudine præconum, qui de superiore loco auctione vendebant. Stãtes enim super lapidẽ, quẽ Græci πρατῆρα appellant, res venales pronuntiabant, vt ex illo Plauti intelligitur, in Bacchidibus: O stulte, stulte, nescis nunc vænire tes Atque in eo ipso astas lapide, vbi præco prædicat. Vnde in Pisoniana, Sex. Attilinm & Q. Numerium Trib. pl. quos P. Clodius corruperat, Cicero de lapide emptos dicit, quòd ei suum silẽtium pretio ac mercede vendiderant, & (vt sæpe hac in re loquitur) addixerant: perinde quasi silentium illorum similiter vænale fuisset, ac res quæ in auctionibus de lapide vænales proclamantur. Erasmus autem vilissimos & vehementer obscuros homines ea locutione significari putauit, opinor eodem iudicio, quo prope omnia Ciceronis scitè & prouerbialiter dicta interpretatus est.

Vera Erasmi laus Prouerbialiter.

Infra etiam mortuos amandatur. Id est, deteriore cõditione est, quàm mortui. Nonnulli codices Mã, datur, quod absurdũ est. In Orat. ad Quir. post reditũ, eandem loquutionẽ vsurpat, Quum is inimicus spiritu duntaxat viueret: re quidem infra omnes mortuos amandatus esset.

Vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit. Hoc loco mihi aqua hæret, vt aiunt Nam si vitã turpẽ, interdum mors honesta consequitur, quomodo non morti honestæ interdũ vita turpis antecedet: Nodus mihi quidẽ perdifficilis videtur: neque sanè quẽadmodum expediri possit, satis intelligo. Quòd si tamẽ cõiecturæ locus est, fortasse sic potius ab Oratore scriptu fuit, Vita hæc turpis, ne morti quidem obscuræ locum relinquit. primùm quia generatim illud falsum est, nisi pronomen HAEC interiiciamus, vt modò quũ dicit, Vita hæc turpis: apertè intelligitur vita torum qui sub præcone subiiciuntur. Deinde quum miseram illorum cõditionem esse affirmet, valde alienum est quod dicit, eos esse miseros ob eam causam, quòd honestè mori non possint. Nam ne iis quidem qui honestissimè viuunt, semper id contingit, vt honestam mortem obeant. Et profectò ita est, vt quum quis & se tanta ignominia affectum videt, & suam turpitudinem sermone omniũ diuulgari, & verò etiam sua bona omnia distrahi ac dilacerari, non de honesta morte tum cogitet, sed de obscura potius: nimirum quomodo sui memoria funditus extingui, ac deleri possit. quod tamen ipsum assequi non potest, vt proximè ostendit, quũ ait, De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè tacitè obscuréque conceditur. Et illud, Huic viuo videntique funus ducitur. Nam quibus funus ducitur, eorũ non est obscura & occulta mors. Eò accedit, quòd illæ particulæ NE QVIDEM verbum illud, quò referendæ omnino sunt, TANTVM ABEST, si vulgatam lectionem retineamus, non habent: nisi fortè hoc modo aliquis subaudiendum putet, Vita turpis tantum abest vt vitæ honestæ locum relinquat, vt ne morti quidem honestæ. quo quid obtusius dici potest? Nam si vita turpis est, quomodo honestæ vitæ locũ relinquet? At hoc sensu quẽ exponimus, relatio aperta est, vt sit, Tantum abest vt honestæ, vt

ne obscuræ quidẽ morti locũ relinquat. Sed consideretur locus qui proximè sequitur, qui quũ aliud nihil præter horum verborum interpretationem contineat, tum verò nihil planè aliud declarat, quàm quod modò diximus, iis qui sub præcone subiiciuntur, ne obscurè quidem mori, & memoriam sui extinguere licere.

Ergo hercule. Ergo sic accipio quasi diceret, Et sanè: vt sit confirmandi nota, non concludendi, vt infrà 22, Qui locus igitur absentis defendendi procuratori primus datus est? quũ proscribebas. Ergo affuit. Apud Plautum in Epidico,

MIL. Quæ te intemperiæ tenent? Quas tu mihi tenebras cudis? quin fidicinã Produci iubes

PERIP. Hæc ergo est fidicina: hic alia nulla est. Idem in Bacchid.

LYD. Non hic placet mihi ornatus.

PIST. Nemo ergo tibi hoc apparauit, mihi paratum est, cui placet.

Certè tacite. Vox Certè ab omnibus abest antiquis exemplaribus, & certè non admodum opportuna videtur hoc loco. Mihi tamen sine magna causa religio est quicquam immutare.

Cui magistri fiunt & domini constituuntur. Theophilus homo Græcus, qui Iustiniani Institutiones in Græcum sermonem conuertit, Magistrum in auctionibus appellatum scribit, vnum aliquem lectum de creditoribus, qui debitoris bonis auctione diuendendis præesset. Quod Cicero etiam significat in epistola ad Atticum prima: Vnà, inquit, agebant cæteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant magistrum fore, si bona væniret, L. Pontius. Et sanè vel hic locus argumento est, Magistrum in auctione dici solitum, qui bonis alicuius vendendis ita præesset, vt ei qui plurimo liceretur, rem addiceret. Notus est Ciceronis in Pletorium Fonteii accusatorem iocus, de quo meminit Quintilianus lib. VI: Eius, inquit, matrem dixit, dum vixisset, ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse. Dicebantur autem, dum vixit, infames fœminæ ad eam conuenire solitæ: post mortem, eius bona vænibãt: quanquam hîc Ludus per trãslationem dictus est: Magistri, per ambiguitatem. Hæc Fabius.

Qua conditione pereat. Quo pretio suæ res væneant, atque addicantur.

Viuo videntique funus ducitur. Prouerbium vsitatum, quum quis valẽs & incolumis sibi suas fortunas eripi & videt, & patitur. Terentius Eunucho, Viuus vidénsque pereo, nec quid agã scio. Cicero pro Sestio, Ille Cyprius miser viuus, vt aiunt, & videns cum victu suo ac vestitu publicatus. & DVCITVR eleganter, vt ex sententia perspicitur, quũ impressi nonnulli Indicitur, scriptum habeant. Indicebantur quidem funera per præcones, ea scilicet quæ simpludearia non erant: sed quibus funus ducebatur, iis, opinor, ipsis funera non indicebantur.

Ad exequias cohonestandas. Supremi diei celebritatem. Et notanda verborum vicinitas Exequias, & Reliquias, quam figuram Rhetores agnominationem appellant.

» Itaque maiores nostri rarò id accidere voluerunt: Prætores, vt considerate fieret, comparaue- CICERO. 18
» runt. viri boni quũ palàm fraudantur, quũ experiundi potestas non est, timidè tamen & pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inuiti, multis vadimoniis desertis, sæpe illusi ac destituti: considerant enim, quid & quantum sit, alterius bona proscribere. iugulare ciuem ne iure quidem quisquam bonus vult: mauult enim commemorare, se, quum posset perdere, pepercisse, quàm, quũ parcere potuerit, perdidisse. Hæc in homines alienissimos, denique inimicissimos, viri boni faciunt, & hominum existimationis, & communis humanitatis causa: vt, quum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis iure incommodi cadere possit. Ad vadimonium non venit: quis? propinquus. Si res ista grauissima sua sponte videretur, tamen eius atrocitas necessitudinis nomine leuaretur. Ad vadimonium non venit: quis? socius. Etiam grauius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregasset, aut fortuna coniunxisset. Ad vadimonium non venit: quis is, qui tibi præsto semper fuit. Ergo in eum qui semel hoc commisit, vt tibi præsto non esset, omnia tela coniecisti, quæ parata sunt in eos, qui permulta malè agendi causa fraudandique fecerũt? si de prædiis tuis ageretur Sex. Neui, si in paruula re captionis aliquid vererere: non statim ad C. Aquilium, aut ad eorum aliquem qui consuluntur, concurrisses? quũ ius amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur, quũ officii rationem atque existimationis duci conueniret, eo tempore tu non modò ad C. Aquilium, aut L. Lucullum, sed ne ipse quidem te consuluisti, sed ne ipse quidem ad te retulisti, ne hæc quidem tecum loquutus es, Horæ duæ fuerunt: Quintius ad vadimonium non venit, quid ago?

Iugulare ciuem. Spoliare iis rebus, quibus anima & spiritus retinetur.

In homines alienissimos. Nulla cognatione aut affinitate coniunctos. Nam Alieni verbum in eo homine ponitur. Cicero pro Cæcina, Ne forte quæratis, num propinquus? nihil alienius.

Et communis humanitatis causa. Quo quasi vinculo omnes inter se homines natura colligauit. Cicero de Officiis III, Natura, inquit, præscribit, vt homo homini, quicunque sit, ob eam causam

Tu te collegisses. Hoc quid sit declarat Cicero Tusculana quarta extrema, Quid est, inquit, se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursum in suum locum cogere?

Consilium cepisse, hominis propinqui fortunas euertere. Consilium capere cum infinitiuo, rara locutio & obseruanda, qua vsum eundem alibi reperio, in Ver. IIII. Capit consilium de amicorum sententio, non adesse ad iudiciũ. Et ad Att. epist. lib. XIV, Nec alia causa profectionis mihi vlla fuit tum, quum consilium cœpi legari ab Cæsare.

C. Aquili, L. Luculle, P. Quinctili, M. Marcelle. C. Aquilius iuratus iudex in hac causa sumptus, de quo initio diximus. Ei aderát in consilio alii tres Iurisperiti. in his L. Lucullus, quem Cicero in Bruto acutum, & iuris tum publici tum priuati peritum appellat. De cæteris nihil reperio.

Quàm ad hanc rationem extremam necessariam deuenire. Nihil muto, sed si necessaria hæc ratio est, non video cur non statim amplectenda sit. Fortasse, Nec necessariã, rectius legeretur: vt sit sensus, Ad hanc extremam & inimicissimam rationem decurrere, præsertim quæ non sit necessaria. Neque est vllũ mendũ in antiquis libris frequẽtius, quàm vt ẽ duabus geminis vocib', altera omittatur.

56. Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? viderint ista officia viri boni. CICERO. de me autem ita considerent: non quid habeam, sed quibus rebus inuenerim, quærant: & quemadmodum natus, & quo pacto educatus sim, memini: vetus est, de scurra, multo facilius diuitem, quàm patrem familiâs fieri posse. Hæc ille si verbis non audet, re quidem vera palàm loquitur. etenim si vult virorum bonorum instituto viuere, multa oportet discat atque dediscat: quorum illi ætati vtrũque difficile est. Non dubitaui, inquit, quum vadimoniũ desertum esset, bona proscribere. Improbè: verùm quoniam tu id tibi arrogas, & concedi postulas, concedamus. Quid, si nũquam deseruit? si ista causa abs te tota per summam fraudem & malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullũ fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at etiam si desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. num malitiosum? negas. fraudulentum? iam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt, res autẽ noua & inaudita. *atque L.*

57. Quid ergo est? Vereor mehercule, ne aut grauioribus vtar verbis, quàm natura fert: aut leuioribus quàm causa postulat. Ais esse vadimonium desertum. quæsiuit à te statim, vt Romam rediit, Quintius, quo die vadimonium istuc factum esse diceres. Respondisti statim, Nonis Febr. Discedens in memoriam redit Quintius quo die Roma in Galliam profectus sit: ad ephemeridem reuertitur: inuenitur dies profectionis, pridie Calen. Febr. Nonis Febr. si Romæ fuit, causæ nihil di-

58. cimus quin tibi vadimoniũ promiserit. Quid? hoc inueniri quî potest? Profectus vnà L. Albius homo in primis honestus. dicet testimonium. *est unà L.* *cum L.*

Viderint ista officia. Omnes ad vnum libri veteres, quibuscum etiam posteriores nonnulli consentiunt, Viderint, inquit, ista officia.

Non quid habeam, sed quibus rebus inuenerim, quærant. Ne me ex meis opibus virum bonũ, bonũmque patremfa. iudicẽt. Ex hoc loco intelligi potest, viros bonos dici solitos patresfa. locupletes. quod etiam confirmat Asconius, qui diuites à veteribus appellatos scribit, bonos & honestos.

Et quemadmodum natus, & quo pacto educatus sim, memini. Verba hæc sunt omnia non Ciceronis, sed Neuii. Et, Quemadmodum natus, dixit, pro Quibus parẽtibus generatus. Itaque idem in Partitionibus sic inquit, Quamobrem omnis vis laudandi vituperandique ex his sumetur virtutum vitiorũmque partibus: sed in toto quasi contextu orationis hæc erunt illustranda maxime, quemadmodũ quisque generatus, quemadmodũ educatus, quemadmodũ institutus. Quintilianus autẽ lib. v, in eandẽ sententiã, Argumenta, inquit, ducuntur ex genere. Nam similes parentibus ac maioribus suis filii plerũque creduntur; & nonnunquã ad honestè turpitérque viuendũ inde causæ fluũt. item ex educatione & disciplina. quoniã refert à quibus, & quo quisque modo sit institutus.

Multo facilius diuitem quàm patremfa. fieri posse. Patremfa. eodem modo dictum apparet, quo matremfa. Hanc autem Iurisconsulti ex bonis moribus appellatã scribũt. Ergo hoc differt paterfa. à scurra diuite, quòd ille familiam bonis & honestis rationibus tuetur: hic locupletũ domos sectatur, & mittendis iaciendisque ridiculis quæstũ facit. Talis nuper fuit in Gallia Franciscus Rablæsius, nebulo impurus & indoctus, cuius libris hodie soli impuri & indocti homines delectantur.

Quorum illi ætati vtrunque difficile est. Minuitur enim memoria senibus, vt ipse in Catone scribit. Denique verissima illa sunt Diphili apud Stobæum ἅπαντα δ' ἐργαζόμενος ἀδυνατεῖ
Πολλὰς τέχνας, ἕως ὁ χρόνος αὔξεται.
Χαῖρε μεταπαίδευσιν ... τὰ χείρονα. De iuuẽtute contrà Plato in Theæteto sic scribit, τῷ γὰρ οὐ καὶ νεότης, εἰς τοῦ ὁδεύειν ἔχει.

Res autem noua & inaudita. Omnes libri veteres, quibuscum etiam posteriores nonnulli consentiunt, Atque inaudita.

Ad ephemeridem reuertitur. Quũ per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia Græco vocabulo

ἐφημερὶς dicitur: cui Latinum verbũ respondet, quod apud Gellium Sempronius Asellio diarium appellat. Sed aliæ sunt quotidianæ tabulæ, in quibus accepta & expensa perscribuntur, quæ Cicero Aduersaria nominat: de quibus in Oratione pro Q. Roscio explicabimus.

Causæ nihil dicimus. Non recusamus, non inficiamur. nota locutio, de qua pag. 10.

Profectus unà L. Albius, homo in primis honestus. Omnes tum manu scripti, tum impressi veteres, Profectus est vnà L. Albius, homo cum primis honestus. Et paulo pòst, Profecuti sunt familiares & Albium & Quintium. In hac varietate alii quod sequantur arbitrio suo deligere poterunt. Mihi si tam multorum librorum, præsertim qui inter se concordissime sentiunt, tantam coniunctionem & quasi conspirationem negligerem, temeritati, opinor, ac stultitiæ verteretur.

CICERO.

'Profecti sunt familiares &'Albii & Quintii: dicet hi quoque testimonium. Literæ P. Quintii, testes tot. quibus omnibus causa iustissima est cur scire potuerint, nulla cur mentiantur: cum adstipulatore tuo comparabuntur. Et in hac eiusmodi causa P. Quintius laborabit? & diutius in tanto metu miser, periculóque versabitur? & vehementius cum gratia aduersarii perterrebit, quàm fides iudicis consolabitur? vixit enim semper inculte atque horride: natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conuiuiis versatus est: id egit, vt amicos obseruantia, rem parsimonia retineret: antiquam officii rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit. At si in causa pari discedere inferior videretur, tamen esset non mediocriter conquerendum. Nunc in causa superiore, ne vt par quidem sit, postulat: inferiorem esse patitur, duntaxat vsque eò, ne cum bonis, fama, fortunísque omnibus Sex. Neuii cupiditati crudelitatíque dedatur. Docui, quod primùm pollicitus sum, C. Aquili, causam omnino, cur postularet, non fuisse: quòd neque pecunia debebatur, & si maxime deberetur, commissum nihil'esse quare ad istam rationẽ perueniretur. Attende nunc, ex edicto Prætoris bona P. Quintii 'possidere nullo modo potuisse. Recita edictum. QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT. Non est is Quintius: 'nisi latitant, qui ad negotium suum relicto procuratore proficiscuntur. CVI HAERES NON EXTABIT: ne is quidem. QVI EXILII CAVSA SOLVM VERTERIT.

'Profecti L. Albium & Quintium: L. — 'esset — 'possideri L. — 'nisi si L. — 'Idcirco non potest. QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. ne id quidem. — HOTOM.

Cum adstipulatore tuo comparabuntur. Hoc eodem verbo vsus est in Oratione in Pisonẽ, Quasi verò non modo ego, qui multis sæpe auxilio fuissem, sed quisquã tam inops fuerit vnquã, qui isto non modò propugnatore tutiorem se, sed aduocato aut adstipulatore paratiorem fore putaret. Ex hoc autem loco apertissime intelligitur, eum Adstipulatorem à Cicerone appellari, qui vadimonii facti testis sit. Sed origo huius vocabuli subobscura est: nisi forte quũ Adstipulari pro assentiri vulgò dicatur, argumentemur, Adstipulari proprie idem valere quod Spondere vel promittere. vt Adstipulatores ii sint, qui alteri antestanti & interroganti Testésne futuri sint, vadimoniũ ab aliquo promissum, respõdeãt (vt in lite cõtestãda) Testes. Sed in epistola ad Octauium, Adstipulator alia in re ponitur: in Vitellio Suetonii, Stipulator. de quo quidẽ aliàs quũ erit otiũ, explicabimus.

Vixit autem semper inculte atque horride. Suspiciose in Neuii aduocatos. Nam hoc totum eò spectat, vt aduersarii gratiam imminuat. Vult enim non honestis rationibus partam illorum amicitiam videri, sed luxu & profusis sumptibus. Quare hic sensus est, Non, si non adeò gratiosa & potenti amicitia Quintius instructus est, debet hoc tamen illius causam lædere. malis enim illa rationibus parta atque conciliata est.

Non ad solarium, non in campo, non in conuiuiis uersatus est. Solarium, inquit Varro, dicũt id, in quo horæ in sole inspiciebantur. Eundẽ Plinius scripsisse auctor est, solarium statutũ in publico, secundum Rostra, in columna. Ad solarium igitur celebris aliquis locus fuisse debuit, in quo nobiles & otiosi homines animi gratia otiabantur: itẽ vt in faucibus macelli: sicuti paulo antè dictum est. Coniecturam adiuuat quod scribit Macrobius, capite de iocis Augusti, Quid ergo? inquit. vt me populus R. dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum? Non ignoramus alias esse solarii significationes: sed hanc huic loco conuenire solam arbitramur.

Non in campo. Martio: in quo ludi & exercitationes omnium generum præbebantur. Cicero de off. 1. Suppeditat, inquit, campus noster studia venandi, & honesta exempla ludendi. Genera ludorum Horatius his versibus designat,

Cur neque militaris
Inter æquales equitet? Gallica nec lupatis
Temperet ora frænis?
Cur timet flauum Tyberim tangere? cur oliuum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque iam liuida gestat armis
Brachia, sæpe disco,
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito?

Strabo verò libro Geogr. v de campo Martio scribit in hanc sententiam, quam de Græco sermone sic expressimus: Magnam ornamentorum partem campus Martius continet: qui præter ea quibus sua sponte ac natura abundat, aliis etiam ex arte & industria ornamẽtis atque insignibus instructus est. Etenim admirabilis campi magnitudo, quũ equiria & alias equestres pugnas suppeditet, locum tamen tam multis pila, circo, palæstra sese exercentibus, vacuum relinquit. Opera autem quibus cinctus est, solum herbis consertum omni tempore anni, colliũ denique vertices theatri speciem & ornatum ad alueum vsque fluminis præ se ferentes, spectaculum præbent ita amœnum, vt ægrè & inuitus ab eo abscedas.

Commissum nihil esse. Nihil esset, sententia postulat: & quũ veritate adductus sic emendassem, postea opinionem meam Aldinus codex comprobauit.

Possidere nullo modo. Nonnulli Possideri, rectius omnino meo iudicio.

Qui fraudationis causa latitarit. Vt in illo Epicrate Bidino, de quo Verrina quarta dicitur, quòd ex Sicilia metu Verris profugerat. Insimulant, inquit, hominem fraudandi causa discessisse. postulant vt bona possidere liceat. Vlpianus libro Pand. XLII, verba hæc ex edicto perpetuo interpretans, Non sufficit, inquit, latitare: sed & necesse est fraudationis causa id fieri. Quid autẽ sit Latitare videamus. Latitare est non (vt Cicero definit) turpis occultatio sui. potest enim quis latitare non turpi de causa: veluti qui tyranni crudelitatem timet, aut vim hostium, aut domesticas seditiones. sed & is qui fraudationis causa latitat, non tamen propter creditores, etsi hæc latitatio creditores fraudet, in ea tamen erit causa, ne hinc possideri bona eius possint: quia non hoc animo latitat, vt fraudet creditores. animus enim latitantis quæritur, quo animo latitet, vt fraudet, an alia ex causa. hæc ille. Quòd autem ita Latitare verbum à Cicerone definitum scribit, vt omnino ac simpliciter diceret esse turpem occultationem sui, ob eámque causam eum reprehendit, primùm hoc vbi à Cicerone dictum sit, non video: deinde vt dictũ sit, non est tamen cur reprehẽdi debeat, quum turpem illam occultationem creditores fraudandi causa suscipi intelligat, & paulo antè his verbis vsus sit, Deinde si latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire, &c.

Nisi latitaret. Omnes libri veteres, Nisi si latitant.

Qui exilii causa solũ verterit. Id est, sedẽ ac locũ mutarit: vt ipse interpretatur in Oratione pro Cæcina, & pro Domo sua. Qui erant, inquit, rerum capitalium damnati, non prius ciuitatẽ amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant. Ergo addidit EXILII CAVSA: quòd etiam sua sponte solum vertere, & in aliã ciuitatem migrare cuiuis licebat. De exilio verò dicemus in Oratione pro Cæcina.

Quo tempore existimas oportuisse Neui absentem Quintium defendi? aut quomodo? tum, cũ postulabas, vt bona possideres? nemo affuit: neque enim quisquam diuinare poterat te postulaturum: neque quenquam attinebat id recusare, quod ˀPrætor, sed ex edicto suo iubebat. Qui locus igitur absentis defendendi procuratori primus datus est? quum proscribebas. Ergo affuit, non passus est, libellos deiecit Sex. Alphenus: qui primus erat officii grad', seruatus est à procuratore summa cum diligentia. Videamus, quæ deinde sint consecuta. Hominem P. Quintii deprehendis in publico, conaris abducere: non patitur Alphenus, vi tibi ademit: curat vt domum reducatur ad Quintium. Hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium. debere tibi dicis Quintium, procurator negat: vadari vis, promittit: in ius vocas, sequitur: iudicium postulas, non recusat. Quid aliud sit absentem defendi, ego nõ intelligo. At quis erat procurator? credo aliquẽ eiectum hominem, egentem, litigiosum, improbum, qui posset scurræ diuitis quotidianum conuitium sustinere. Nihil minus. eques R. locuples, sui negotii bene gerens: denique is, quem, quoties Neuius in Galliam profectus est, procuratorem Romæ reliquit. Et audes Sex. Neui negare absentem defensum esse Quintium, quum eum defenderit idẽ qui te solebat? & quum is iudiciũ acciperet pro Quintio, cui tu & rem & famam tuam commendare proficiscens & concredere solebas: conaris hoc dicere, neminem extitisse, qui Quintium iudicio defenderet? Postulabã, inquit, vt satisdaret. iniuria postulabas, ita ˀvidebare, recusabat Alphenus. ita: verum Prætor decernebat. Tribuni igitur appellabantur. CICERO. 22

ˀPrætor fieri, sed non ex edicto suo fieri iubebat.

ˀiubebare,

Quo tempore existimas. Ante hæc verba desiderantur hæc omnia, quæ tibi lector ex libro manu scripto pervetusto restituimus, Dici id non potest. QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. ne id quidem. Ad hæc autem omnia etiam illud subaudiendum est, Cuius bona possideri vendique iubebo. Hoc enim in edicto Prætoris perpetuo legimus apud Vlpianum, eo quem suprà dixi libro. Edicti autem hæc verba sunt, In bona eius, qui iudicio sistẽdi causa fideiussorem dedit, si neque potestatem sui faciet, neque defendetur: iri iubebo. Et alibi, Qui fraudationis causa latitarit, si boni viri arbitratu non defendetur, eius bona possideri vendique iubebo.

Quisquam diuinare poterat, te postulaturum. Quippe quum causa cur postulares, non esset.

Neque quenquam attinebat id recusare, quod Prætor non fieri, sed ex edicto suo fieri iubebat. In omnibus quos quidē viderim,& scriptis & impressis ita legitur,Quod Prætor nō fieri,sed ex edicto suo fieri iubebat.In quo tamen quis sit sensus,non facilè dixerim.Nam quòd ita nonnulli emendarūt,vt scriberent,Quod Prætor non modò fieri:sententiam corrumpit.neque enim verum est, Prætorem ex edicto suo iussisse Neuium bona Quintii possidere. siquidem earum caussarum quæ in edicto cōprehensæ sunt,nulla erat cur id iuberet. Quamobrem ita legendum potius arbitrarer, Quod Prætor fieri,sed non ex edicto suo fieri iubebat.Nam quod ait,Neque quenquam attinebat:sic interpretor,Nullius intererat.Quum enim contra edictum hoc fieret, paratum erat Tribunorum auxilium,aut collegæ.vt Ver.I I,pag.206.Itaque,inquit, L.Piso, multos codices impleuit earū rerum,in quibus ita intercessit,quòd iste aliter atque vt edixerat,decreuisset.

Quum proscribebas. Tum enim id scire procurator potuit.

Et quum is iudicium acciperet pro Quintio. Quid est iudiciū accipere? Pati à Prætore dari in eam rem Iudices,de qua mouetur controuersia.

Postulabam,inquit,ut satisdaret. Iudicatum solui.pag.9.

Ita videbare. Manifestum mendum.Corrigendum putarem,Iubebare,vt etiam adiuuetur coniectura de qua diximus pag.9, Neuium postulasse, vt Alphenus procurator satisdaret,non suo, sed Quintii nomine:& ob eam causam sic loquutus sit,vt diceret,iussum Quintiū satisdare:non autem in tertia persona,Alphenum.

Verùm Prætor decernebat. Ex hoc loco apparet, inter Iussum & Decretum Prætoris quid intersit. & hoc ipsum etiam ostenditur pag.9,& 10.Recusatio enim contra iussum interponitur. Decreto verò aut parere necesse est, aut ab eo appellare. Celsus sub titulo De re iudic. Quod iussit vetuítue Prætor, contrario imperio tollere & remittere potest:sed de sententiis contrà. Qui locus nostris interpretibus mirificas tragœdias excitauit.

Tribuni igitur appellantur. Tribunis pl. reliquorum omnium Magistratuum decretis intercedendi potestas erat. appellantur ergo vt intercederent. nisi intercedant,decreto parere necesse est.

CICERO. Hìc te,inquit,teneo:non est istud iudicium pati,neque iudicio defendere, quū auxilium à Tribunis petas.Hoc ego,quum attēdo qua prudentia sit Hortensius,dicturum esse eum non arbitror: quū autem antea dixisse audio, & causam ipsam considero,quid aliud dicere possit,non reperio. fatetur enim libellos Alphenum deiecisse, vadimonium promisisse: iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quæ Neuius edebat,non recusasse,ita tamen, more & instituto per eum magistratum,qui auxilii causa constitutus est. Aut hæc facta non sint,necesse est:aut C. Aquilius talis vir iuratus hoc ius in ciuitate constituat, cuius procurator non omnia iudicia acceperit quæ quisque in verba postularit: cuius procurator à Prætore ad Tribunos appellare ausus sit, eum non defendi,eius bona rectè possideri posse:ei misero,absenti,ignaro fortunarum suarum,omnia vitæ ornamenta per summum dedecus & ignominiam diripi conuenire.Quod si probari nemini potest, illud certe probari omnibus necesse est, defensum esse iudicio absentē Quintium. Quod quum ita est,ex edicto bona possessa non sunt.At enim Tribuni pl.ne audierunt quidem.fateor, si ita est, procuratorem decreto Prætoris Ro.oportuisse parêre.Quid,si M.Brutus intercessurum se dixit palàm, nisi quid inter ipsum Alphenum & Neuium conueniret? videtúrne intercessisse appellatio Tribunorum non more,sed auxilii causa?

In ea ipsa verba, quæ Neuius edebat. Erāt enim formulæ omnibus de rebus constitutæ, ad quas priuata quæque lis accōmodaretur.vt in Orar.pro Comœdo,Has autem formulas quibus litigatores suas actiones concipiebant,quum in ius ventum esset,ipsi edebāt.Tum enim aut in ea verba cōceptū Prætor iudiciū cōstituebat, si reus nō recusaret:aut si recusaret, quòd nō his verbis agi oportere diceret,& rectè recusaret, petitor causa cadebat.Cicero De inuent.I I,Et ita,inquit, ius ciuile habemus cōstitutum, vt causa cadat is,qui non quemadmodum oportet,egerit.Idem Ver.V,pag. 334, Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Quærebār quæ in verba Recuperatores daret.respondebat,SI PATERET aduersus edictū fecisse,quæ in iudicio dictturū esse dicebat.

Per eum magistratum, qui auxilij causa constitutus est. Tribunum plebis.de quo in XII scriptum sic erat, Plebes,quos pro se contra vim,auxilii ergò decem creassit,Tribuni eius sunto. Auxilium autem aduersus patrum iniurias intelligitur quemadmodum alibi docuimus.

Talis vir iuratus hoc ius in ciuitate constituat. Partem enim Iuris quandam Rhetores Iudicatum numerār. Alioqui priuati homines ius non constituunt. Et, Talis vir:dicit suo more, laudationē iudici breuiter aspergens.

Cuius procurator non omnia iudicia acceperit. Contrà apertè dixit,& modò paulo antè,& verò etiā pagina proxima. Quare sine negatione legendum putarē,Cuius procurator omnia iudicia acceperit. Et vt nullam occasionē prætermittamus Ciceronis libros adiuuandi, hodierno die simillimum mendum ex Partitionibus oratoriis,in prælectiōe nostra sustulimus:quo loco de genere iudiciali

Cicero diſputat. Quũ enim adhuc in vulgatis libris ſic legatur, Atque etiam ante iudiciũ de conſtituendo ipſo iudicio ſolet eſſe contentio, quũ aut ſitne actio illi qui agit, aut iámne ſit, aut num iam eſſe deſierit, aut illáne lege, hiſce verbis ſit actio, quæritur: quæ etiam ſi antequã res in iudicium venit, aut concertata, aut diiudicata, aut confecta non ſunt, tamen in ipſis iudiciis permagnum ſæpe habent pondus. Nam Cõfecta ſunt, ſine negatione legendũ eſſe, & ſententia demonſtrat, & locus paulo pòſt huius ſimillimus: vt quanquam in ipſum iudicium ſæpe dilabantur, tamen ante iudicium tractanda videantur.

A Prætore ad Tribunos appellare. In omnibus antiquis libris, à Prætore Tribunos appellare: quod valde probo. nec (opinor) vſquam aliter loquutus eſt.

Ei miſero, abſenti. Miſerum pro innocente dici nõnunquam, ſcribit Aſconius. Ego hoc loco ita accipi opinor oportere.

Ei miſero, abſenti, ignaro fortunarum ſuarum. Vox OMNIA inter ignaro, & fortunarum interiecta eſt in libro vetuſtiſſimo. quam lectionem, vt veram & germanam recipio, vt ſit, Ei miſero, abſenti, ignaro, omnia fortunatum ſuarum, &c.

Ex edicto bona poſſeſſa non ſunt. Enumeratis partibus, totum cõcluſit, Quoniam earum cauſarum, quibus de cauſis daturum ſe Prætor bonorum poſſeſſionem edixerat, nulla omnino eſt, non dedit igitur: aut ſi dedit, non ex edicto.

Decreto Prætoris R. oportuiſſe parere. Addidit Romani, non quò prouincialium nõ eadem ratio eſſet, (nã iis ne Tribuni quidem erant qui intercederẽt, vt ex Verrina IIII, & Aſconio intelligimus) ſed augendi cauſa, vt ſuprà pag, 9, Cuius ex edicto Prætoris Romani bona poſſeſſa ſunt.

Quid ſi M. Brutus. Tribunus plebis. Et (opinor) is ipſe eſt quẽ Cn. Pompeius Ciſalpinam Galliam tenentem, bello perſequutus, interfecit.

Non more, ſed auxilij cauſa. Quod à magiſtratu iniquè fit, hoc fieri dicitur, Nõ more, vel nullo more, ſiue nullo exemplo. Innumera exempla, Verrina accuſatio ſuppeditat. Poſtulabat autem Alphenus, vt Tribuni intercederent, ne qui (vt Neuius quidem cõtendebat) vadimonium deſeruerat, eius bona poſſideri iuberentur. Ergo ſi Prætori hoc decernẽti Tribunus intercedebat, nõ more intercedebat, ſed cõtra Tribunorũ omniũ inſtituta, & omnino improba atque iniqua ratione. Hoc quũ apertũ planúmque ſit, tamen nõnulli non MORE, ſed MORAE cum diphthõgo legendum putarunt, itáque impreſſerũt. Cicero pro Cæcina, Et C. Piſone domo tectíſque ſuis prohibito, Prætor quemadmodũ more & exemplo opitulari poſſit, non habebit.

Quid deinde fit? Alphenus, vt omnes intelligere poſſent iudicio defendi Quintium, nequa ſubeſſe poſſet aliena aut ipſius officio, aut huius exiſtimatione ſuſpicio, viros bonos complures aduocat: teſtatur iſto audiente, ſe pro cõmuni neceſſitudine id primùm petere, nequid atrocius in P. Quintium abſentem ſine cauſa facere conetur: ſin autẽ inimiciſſimè atque infeſtiſſimè contendere perſeueret, ſe paratũ eſſe omni recta atque honeſta ratione defendere: quod petat, nõ deberi: ſe iudicio id, quod edat, accipere. Eius rei, conditioníſque tabellas obſignauerunt viri boni cõplures. res in dubium venire non poteſt. Fit rebus omnibus integris, neque proſcriptis, neque poſſeſſis bonis, vt Alphenus promittat Neuio ſiſti Quintium. Venit ad vadimoniũ Quintius: iacet res in controuerſiis iſto calumniante, biennium, vſque dum inueniretur, qua ratione res ab vſitata conſuetudine recederet, & in hoc ſingulare iudicium cauſa omnis cõcluderetur. Quod officium Aquili cõmemorari procuratoris poteſt, quod ab Alpheno præteritum eſſe videatur? quid affertur quare P. Quintius abſens negatur eſſe defenſus? an verò id, quod Hortenſium, quia nuper iniecit, & quia Neuius ſemper id clamitat, dicturum arbitror, non fuiſſe Neuio parem certationem cum Alpheno, illo tempore, illis dominantibus? quod ſi velint cõfiteri, illud opinor concedent non procuratorem P. Quintii neminem fuiſſe, ſed gratioſum fuiſſe. Mihi autem ad vincẽdum ſatis eſt, fuiſſe procuratorẽ quicum experiri poſſet. Qualis is fuerit, ſi modò abſentẽ defendebat per ius & Magiſtratum, nihil ad rem arbitror pertinere. Erat, inquit, illarum partium. Quid ni? qui apud te eſſet educatus, quem tu à puero ſic inſtituiſſes, vt nobili ne gladiatori quidẽ hæreret. Sicut tu ſemper ſumme concupiſti, idem volebat Alphenus: ea re tibi cum eo par cõtentio erat.

Se iudicio id quod edat accipere. Corrige IVDICIVM, vt & ſententia poſtulat, & omniũ librorum cõ[illegible] veterum auctoritas.

Tabulas obſignauerunt. Tabulas argentarii cuiuſdã (vt mea fert opinio, & vt antea ſignificauimus) in quibus ſiquæ teſtato ſcribenda eſſent, quæ ad iudicia pertinerent, ſcribi ſolebant.

Iſto calumniante biennium. Suprà dixit vadimonia differente, quòd malè agere cœpiſſet. Et Biennium, oratoriè: quum antea, annum & ſex menſes dixiſſet, pag. 9.

Ab vſitata conſuetudine. Ab eo iudicio quod vſurpari ſolet in eius generis controuerſiis, nimirum de re pecuniaria.

Singulare iudicium. Vnum iudicium.

Quare P. Quintius absens negatur esse defensus. Negetur, fortasse concinnius legeretur, &, vt opinor, rectius.

Parem orationem. Iniquiores fuisse Tribunos Sex. Neuio, populares videlicet homines, apud quos gratiosus fuerat Alphenus, gratiosus Quintius, vterque Marianarũ partium, & popularis. Qui Tribunos appellabant, iurabant se ideo iudicium recusare, quòd æquo iure vti non possent: vt antè docuimus.

Illo tempore. L. Scipione, C. Norbano COS. qui vrbem in dominatu suo tenebant, & bellum acerrimum cum L. Sylla gerebant.

Per ius & magistratum. Non per Prætorẽ tantùm, sed per ius: id est, modò nihil iniuria decerneret.

Erat illarum partium. Omnes quos vidi veteres, & scripti, & impressi, Erat enim, inquit, &c. quod valde placet. Nam hæc particula ENIM, vsitata est in obiectionibus. sic 165, 423, 593. sed in re perspicua putidum est exempla cumulare.

Illarum partium. Populi partium aduersus Syllam. hoc enim tempore, ciuilis dissensionis flamma ciuitas ardebat.

Ne gladiatori quidem hæreret. Deprauatus apertè locus. Mihi valde placeret vt sic legeretur, Ne gladiatori quidem cederet. Omnes tamen, quos vidi, libri dissentiũt. Burrienũ autem Prætorem significat, nobilem, quem gladiatorem suo more appellat, hominem videlicet habitu corporis prægrãdi, & robustũ. Sed quid omnibus de libris affirmamus, quum in Lugdunensibus impressis anno M.D.XV. non Hæreret, sed Cederet planissimè scriptum inueniamus?

„ Bruti, inquit, erat familiaris, itaque is intercedebat. Tu cõtrà Burrieni, qui iniuriam decernebat, omnium denique illorum, qui tum & poterant per vim & scelus plurimum, & quod poterant, id audebant. An omnes tu istos vincere volebas, qui nunc, tu vt vincas, tantopere laborãt? aude id dicere, non palàm, sed his ipsis quos aduocasti: tametsi nolo eã rem cõmemorando renouare, cuius omnino rei memoriã omnem tolli funditus, ac deleri arbitror oportere. Vnũ illud dico, si propter partium studium potẽs erat Alphenus, potentissimus Neuius: si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alphenus, multo iniquiora Neuius impetrabat: neque enim inter studium vestrum quicquam, vt opinor, interfuit: ingenio, vetustate, artificio tu facilè vicisti. vt alia omittam, hoc satis est: Alphenus cum iis, & propter eos periit, quos diligebat: tu, postquã qui tibi erant amici, non poterãt vincere: vt amici tibi essent, qui vincebãt, effecisti: quòd si tum par tibi ius cum Alpheno fuisse non putas, quia tamen aliquẽ contra te aduocare poterat, quia magistratus aliquis reperiebatur, apud quẽ Alpheni causa cõsisteret: quid hoc tẽpore Quintio statuẽdum est? cui neque magistratus adhuc æquus inuentus est: neque iudicium redditum est vsitatum, non conditio, nõ sponsio, non denique vlla vnquam intercessit postulatio, mitto æqua, verùm ante hoc tempus ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio contendere: nõ licet. At ea controuersia est: nihil ad me attinet: causam capitis dicas oportet. Accusa, vbi ita necesse est. nõ, inquit, nisi tu antè nouo modo, priore loco dixeris: dicendum necessario est: præstituẽdæ horæ ad arbitrium nostrum: iudex ipse arcessetur.

Qui tum & poterant per vim & scelus plurimum, & quod poterant, id audebant. Nam etsi Cõsules diuersarum partium essent, tamen quũ iam tum in Italia esset Sylla (vt ex historia intelligimus) & vrbi propinquaret, verisimile est, nobiles, qui in vrbe reliqui erant, animos erexisse. quanquam non est dubium, quin oratoriè potentiam illorũ, verbis maiorem faciat. Omnis autem hæc nobilitas, quæ in vrbe manserat, anno insequenti à L. Damasippo Prætore vrbis in curia interfecta est. Florus, Appianus, Plutarchus.

An omnes tu istos vincere volebas? Quum cõtrarias partes sequereris, & in vrbe esses cum aduersariæ partis hominibus: & summè cuperes vt Consules vincerẽt. Sed quid illud erit, quod infert, Aude id dicere, nõ palàm, sed his ipsis, &c. NOLEBAS igitur legamus, si modò sensum aliquẽ elicere volumus. Nam mihi quidem de hoc toto loco attentius cogitanti sic videtur, figurã esse quam Græci ἀνάκλασιν vocant, quũ (vt ait Rutilius) id quod ab altero dictũ est, non in eã mentem qua intelligitur, sed in aliam, aut contrariã excipitur. Quũ enim disparẽ sibi Neuius fuisse cũ Alpheno contentionẽ diceret, sic Cicero detortè & oratoriè hoc interpretatus est, Fuit (inquit) satè dispar atq; dissimilis. Sed quæ fuit ista disparitas: vna illa scilicet, quòd Alphen' quarũ partiũ bello ciuili fuit, eas partes omni studio sequutus est, cõtrarias apertè oppugnãs: tu cõtrà (inquit) perfidiose cũ istis tuis defensorib' colludebas, eósque tu cũ cæteris Syllanis oppugnare ac vincere nolebas.

Aude id dicere. Dic audacter & liberè hoc interfuisse. Re vera enim hoc interfuit: quòd ille omnes Syllanos oppugnabat, tu cum istis colludebas: & quũ in vrbe & exercitu hostili versareris, hosce tamen tuos fautores ex hostium numero excipiebas.

Non palàm. Ne perfidiæ & sceleris arguare.

His ipsis quos aduocasti. Qui tuæ perfidiæ sunt conscii.

Tametsi nolo eam rem commemorando renouare. Consideretur locus, & iudicetur, satísne sententiæ cohæreant: an potius ante Tametsi, sex versus à capite Neque enim, reponendi sint. Nam mihi quidem accuratè locum hunc totum perpendenti sic videtur. Primùm quòd hæc ἀνθυποφορὰ familiaris Ciceroni, quū de Syllanorum temporū calamitate loquutus est, ineptè hoc loco ante malorum & calamitatis mētionem ponitur. Quum autem & de iis qui periere loquutus est, & de iis item qui vicerunt, quoniam recentem adhuc Reip. cicatricem refricare videbatur, commodissimè subiungi post illos versus quos modò notauimus, potuit.

Neque enim inter studium uestrum, quicquam, ut opinor, interfuit. Aliud interfuit, legendum esse quis non videt? quum & interfuisse aliquid, & quid illud sit quod interfuit, manifestò demonstret.

Alphenus cum iis, & propter eos periit. Alphenus enim proscriptus fuerat, eiúsque bona publicè à Sylla vendita: vt patet paulò post pag. 27.

Vt amici tibi essent, qui uincebant, effecisti. Hoc est quod infrà significat, pag 34, Ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam deuolare.

Ingenio, uetustate. Vetustate dictum pro calliditate: quomodo etiam Veterator dicitur: sicuti callidus, cuius (vt scribit Cicero) tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit.

Quòd si non par. Hoc quàm aptè cum illo superiore loco consentiat, quàm malè cum proximo cohæreat, nemò, opinor, qui attentè considerabit, non apertissime perspiciet.

Neque iudicium redditum est usitatum. Quum enim de re pecuniaria iudicādum esset, de probro tamē iudicari Prætor iussit.

Non conditio, non sponsio. Nam quæ conditio mihi à Prætore delata est, vt aut satisdarem, aut sponsione certarem, ea fuit iniquissima. Iniquissima præterea sponsio, quæ priore loco cogat me causam dicere.

Intercessit postulatio. Quum Neuius postularet, vt solus satisdarem.

Iudex ipse arcesseretur. Ad Prætorem, vt nobis tempus, quandiu diceremus, præstituat.

„ Quid tum? tu aliquem patronum inuenies hominem antiqui officii, qui splendorem nostrū CICERO. 26
„ & gratiam negligat? pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia, grauitate, honore florentissimus
„ ciuitatis: dicet Hortensius, excellens ingenio, nobilitate, existimatione: aderunt autem homines
„ nobilissimi ac potentissimi, quorum frequentiam & consessum non modò P. Quintius, qui de
„ capite decernit, sed quiuis, qui extra periculum sit, perhorrescat. Hæc est iniqua certatio, nō illa,
„ qua tu contra Alphenum velitabaris. Huic, ne vbi consisteret quidem contra te, locum reliqui-
„ sti. Quare aut doceas oportet, Alphenum negasse se procuratorem esse, non deiecisse libellos, iudi
„ cium accipere noluisse: aut quum hæc facta sint, ex edicto te bona P. Quintii non possedisse cōce-
„ das. Etenim, si ex edicto possedisti, quæro, cur bona non venierint? cur cæteri sponsores & credi-
„ tores non cōuenerint? nemóne fuit cui deberet Quintius? fuerunt, & cōplures fuerunt: propterea
„ quòd Caius frater aliquantum æris alieni reliquerat. Quid ergo est? homines erant ab hoc omnes
„ alienissimi, & iis debebatur: neque tamen quisquam inuentus est tam insignitè improbus, qui vio
„ lare P. Quintii existimationem absentis auderet. Vnus fuit, affinis, socius, necessarius Sex. Ne-
„ uius, qui, quum ipse vltrò deberet, quasi eximio præmio sceleris exposito, cupidissime contende *defendere debe-*
„ ret, vt per se afflictum atque euersum propinquum suum non modo honestè partis bonis, verū *ret*
„ etiam communi luce priuaret. Vbi erant cæteri creditores? denique hoc tempore vbi sunt? quis
„ est, qui fraudationis causa latuisse dicat? quis, qui absentem defensum neget esse Quintium? ne-
„ mo inuenitur.

Hominem antiqui officii. Antiquitas proximè accedit ad Deos, vt idem scribit lib. de legib. 1. itaque de antiquis fere ita loquitur, quasi omnes æquabiliter essent viri boni. vnde in Orat. 11 Verr. tres homines veteres pro grauibus & seueris interpretatur Asconius. Similiter hoc loco Antiquum officium, pro syncero & minimè fallaci: vt in Orat. pro Sexto Rosc. In qua muliere vestigia antiqui officii remanent. item eadem oratione, Homines antiqui, qui ex sua natura cæteros fingerēt. Terentius in Adelphis,

Næ illiusmodi iam nobis magna ciuium
Penuria est: homo antiqua fide ac virtute.

Pro me pugnabit L. Philippus. De L. Philippo Cicero in Bruto his verbis, Duobus igitur summis Crasso & Antonio L. Philippus proximus accedebat: sed longo interuallo tamen proximus. Et paulo pòst, Sed tamen erant ea in Philippo, quæ qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret, summa libertas in oratione, multæ facetiæ, satis creber in reperiēdis, solutus in explicandis sententiis. Erat etiam in primis, vt temporibus illis, Græcis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo, aculeo & maledicto facetus. Hic est de quo scribit Horatius in epistolis, Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis Clarus. Epistola est v 11. lib. 1, lectu dignissima.

Quorum frequentiam. Veteres nonnulli, Vt eorum. sed nihi lmuto.

Qui tu contra Alphenum velitabare. Celeriter, quomodo velites digladiari solent, altercabaris. Velites autem expediti pedites, quasi volitantes. Ex quo factum, vt Velitari pro leuiter altercari vsurpetur. Plautus Menæch. Nescio quid velitati estis inter vos duos. Sex. Pompeius, Aduelitatio, inquit, iactatio quædam verborum figurata, ab hastis velitaribus. Velites dicuntur expediti milites, quasi volites, id est volitantes.

Quum hæc facta sint. Omnes libri veteres, Quum hæc ita facta sint: quos sequor.

Cur cæteri sponsores. Fideiussores, quibus spondentibus pecuniæ cuipiam creditur. Apparet has pecunias Quintium satisdato debuisse.

Tam insignite improbus. Non. Marcellus, Insigniuè, inquit, cum indicio notæ. Cicero lib. de Orat. II, Nec improbum notari ac vituperari insignitè posse. Hæc Nonius. Sic etiam Plautus locutus est in Pœnulo, Act. III, scen. VI.

Qui quum ipse vltrò deberet. Deest, opinor, verbum defendere: vt sit, Vltro defendere deberet.

Communi luce priuaret. Elatè. nam hoc ipsum est quod suprà dixit, Non modò amplissimis fortunis, sed etiam victu vestitúque necessario priuare.

CICERO. At contrà, omnes quibuscum ratio huic aut est, aut fuit, adsunt, defendunt: fides huius multis
27 locis cognita, ne perfidia Sex. Neuii derogetur, laborāt. in huiusmodi sponsionem testes dare oportebat, ex eo numero qui hæc dicerent, Vadimonium mihi deseruit: me fraudauit: à me nominis eius quod inficiatus esset, diem petiuit: ego experiri non potui, latitauit, procuratorem nullū reliquit. horum nihil dicitur. Parantur testes qui hæc dicant. Verum opinor viderimus, quū dixerint. Vnum tamen hoc cogitent, ita se graues esse, vt, si veritatem volent retinere, grauitatem possint obtinere: si eam negligent, ita leues sint, vt omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adiuuare. Ego hæc duo quæro: primùm, qua ratione Neuius susceptum negotium non transegerit: hoc est cur bona, quæ ex edicto possidebat, non vendiderit: deinde, cur ex tot creditoribus aliis ad istam rationem nemo accesserit: vt necessariò confiteare, neque eorum tam temerarium quenquam fuisse, neque te ipsum id, quod turpissimè suscepisses, perseuerare & transigere potuisse. Quid, si tu ipse Sex. Neui statuisti bona P. Quintii ex edicto possessa non esse? opinor, tuum testimonium, quod in aliena re leue esset, in tua, quoniam contra te est, grauissimum debet esse. Emisti bona Sex. Alpheni, L. Sylla Dictatore vendente: socium tibi in his bonis edidisti Quintium. plura non dico. Cum eo tu voluntariam societatē coibas, qui te in hæreditaria societate fraudarat: & cum iudicio tuo comprobabas, quem spoliatum fama fortunisque omnibus arbitrabare.

A me nominis eius, quod inficiatus esset, diem petiuit. Opinor hic sensus est: Quū debitum, quod inficiatus erat, probassem, & se cōdemnatum iri videret, petiit à me vt petitionem differrem, & diem ei longiorem, qua dissolueret, constituerem.

Ita se graues esse. Quanuis sint graues, nisi tamen verum dixerint, leuem eorum auctoritatem fore. Significare videtur auctoritate præditos homines testimonium dicturos.

In tua, quoniam contra te est. Omnes alii, Id in tua.

L. Sylla Dictatore vendente. L. Sylla rerum potitus, eorum qui à contrariis partibus steterant nomina publicè in tabula scribi iussit, vt ad cædem quærerētur, præmio etiam percussoribus proposito: & bona in foro publicè vendidit. Dictaturam autem Sylla anno superiore extremo ceperat, & totū hunc annum gessit quo hæc oratio habita est: id est Tullio & Dolabella COSS. Nā Consules hi ad speciem & dicis tantummodo causa creati sunt, vt Appianus auctor est. Deposuit autē anno, cui proximus antecedit, Seruilio Isaurico, Claudio Pulchro COSS. Ergo recenti re hæc dixit de bonis Alpheni venditis: & apparet Neuii & Quintii charitas & gratia in Alphenum, cuius opera quū semper antea vsi fuissent, nunc eius interempti bona per summam iniuriam à tyranno crudelissimo mercantur.

CICERO. Diffidebam mehercule C. Aquili, satis animo certo & confirmato me posse in hac causa consi-
28 stere: sic cogitabam, quū contrà dicturus esset Hortensius, & quum esset attentè auditurus Philippus, fore vti permultis in rebus timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cum P. Quintio, quū à me peteret, & summè contenderet vt propinquum suum defenderē, mihi perdifficile esse contra tales oratores non modò tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. Quum cupidius instaret, homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri ore durissimo esse qui præsente eo gestum agere conaretur: qui verò cum ipso contenderent, eos, etiam siquid antea recti aut venusti habere visi sunt, id amittere: nequid mihi eiusmodi accideret, quū contra talem artificem dicturus essem, me vereri. Tum mihi Roscius & alia multa confirmandi mei causa dixit: & mehercule si nihil diceret, tacito ipso officio & studio, quod adhibebat erga propinquum suum, quemuis commoueret. Etenim quū artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur esse qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur qui eò non accedat.

Veruntamen, quid si, inquit, habes eiusmodi causam, vt hoc tibi planum sit faciendum, neminẽ esse qui possit biduo, ad summum triduo septingenta millia passuum ambulare? taménne vereris vt possis hæc contra Hortensium contendere? minimè, inquam. Sed quid id ad rem? nimium, inquit: in eo causa cõsistit. Quo modo? docet me eiusmodi rem, & factum simul Sex. Neuii: quod si solum proferretur, satis esse deberet. Quod abs te C. Aquili, & à vobis qui adestis in consilio, quæso vt diligenter attendatis: profectò intelligetis, illinc ab initio cupiditatem pugnasse & audaciam: hinc veritatem & pudorem, quoad potuerit, restitisse.

Et quum esset attentè auditurus. Nonnulli, Et eum: quam lectionem sententia manifestò repudiat.

Gestum agere timeretur. Similiter in Cæsaris persona lib. de Orat. II, Soleo, inquit, sæpe mirari eorum impudentiam qui agunt in scena gestũ spectante Roscio. Sed de Roscio plena sunt omnia. verùm illud insigne, quòd quum esset oculis peruersissimis, ita tamen à Q. Catulo, quem principẽ ciuitatis fuisse cõstat, mirabiliter diligebatur, vt illud extet de eo carmẽ in lib. de Nat. deor. II,

Constiteram, exorientem auroram forte salutans,
  Quum subitò à læua Roscius exoritur.
Pace mihi liceat cælestes dicere vestra,
  Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Quod adhibebat ergo propinquum suum. Sic valde placet. Omnes tamen alii codices, Habebat.

Solus dignus videatur esse qui eò non accedat. Histrionum ars apud Romanos turpis habebatur. Prætoris in edicto hæc verba sunt libro Pand. III, Infamia notatur, qui artis ludicræ, pronuntiandíue causa in scenam prodierit. Itaque, vt ex Liuio & Valerio Max. didicimus, & tribu mouebantur, & à militaribus stipendiis repellebantur. Suetonius autem in vita Tyberii, Et ex iuuentute vtriusque ordinis profligatissimus quisque, quominus in opera scenæ arenæque edẽda Senatusconsulto tenerentur, famosi iudicii notam sponte subibant. Liuius tamen & Valerius tradunt, Attellanorum genus vacuum nota fuisse.

Nimium, inquit: in eo causa consistit. Nonnulli sic impresserunt, Nimirum, inquit, in eo causa consistit. Sed libri veteres cum hac nostra consentiunt: neque video cur mutari debeat, quũ & sententia bona sit, & bonis clata verbis. Nam Nimium pro Valde, & pro vehementer plerunque vsurpatur. Terentius in Eunucho, Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium velim.

Bona postulas vt ex edicto possidere liceat. quo die? te ipsum Neui volo audire: volo inauditũ facinus, ipsius qui id commisit, voce cõuinci. dic Neui diem. Ante V Cal. intercalares. Bene agis. quàm longe est hinc in saltum vestrum Gallicanum? Neui te rogo. DCC millia passuum. Optimè. De saltu deiicitur Quintius, quo die? possumus hoc quoque ex te audire? quid taces? dic inquam diem. Pudet dicere, intelligo: verùm & serò, & nequicquam pudet. deiicitur de saltu C. Aquili pridie Cal. intercalares. Biduo pòst, aut, vt statim de iure aliquis cucurrerit, non toto triduo DCC millia passuum conficiuntur. O rem incredibilem: ô cupiditatem inconsideratam: ô nuntium volucrem. administri & satellites Sex. Neuii Roma trans Alpeis in Sebusianos biduo veniunt. O hominem fortunatum, qui eiusmodi nũtios, seu potius pegasos habeat! Hîc ego, si Crassi omnes cum Antoniis existant, si tu L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc causam voles cũ Hortensio dicere, tamen superior sim necesse est: non enim, quemadmodum putatis, omnia sunt in eloquentia: est quædam tamen ita perspicua veritas, vt eam infirmare nulla res possit. An, antequam postulasti vt bona possideres, misisti, qui curarent vt dominus de suo fundo à sua familia vi deiiceretur? vtrumlibet elige. alterum incredibile est, alterum nefarium: & ante hoc tẽpus vtrũque inauditum. DCC millia passuum vis esse decursa biduo? dic. negas? antè igitur misisti. malo: si enim illud diceres, improbe mentiri viderere: quum hoc confiteris, id te admisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis. CICERO. 29

Inauditum facinus. Non, vt suprà pag. 10, inaudita criminatione, id est nondum audita: sed Inauditum, id est singulare, & ante hoc tempus non auditum.

Ante V Calend. intercalares. Quoniam in anno à Numa instituto dierum trecentorum quinquaginta quatuor, XI dies, & præterea sex horæ supererant, mensis intercalaris constitutus est, qui alternis annis modò vicenûm binûm, modò vicenûm ternûm dierum esset. Is in Februariũ inserebatur, qui tum postremus erat (& propter rationem cauorum & plenorum mẽsium viginti nouem dies longus erat) post diem videlicet vicesimum quintum: hoc est, inter VI & V Cal. Mart. Quod igitur scribit Ante V Cal. intercalares, sic intellige, vicésimo secundo die Februarii. nam illa locutione Ante V Cal. eundem ipsum diem Calendarum includi suprà docuimus.

Pridie Cal. intercal. Id est VI Cal. Mart. ducta ratione XXIX dierum, qui tum in Februarium mẽsem numerabantur.

Vt statim de iure aliquis cucurrerit. Ius etiam locus dicitur, in quo Prætor ius dicit, vt scribit Paulus Iuriscõ. in l. vlt. D. de iust. & iur. Vnde in ius vocare dicimus, & Ex iure manum cõsertum voca-

re. Ergo Currere de iure, currere de loco in quo ius dicitur. vt Verrina III, Currere de concione: & apud Plautum, Currere de vestibulo. Puerilis annotatio, fateor: sed quanto puerilior est illorum qui sic interpretati sunt, Aliquis de iure, id est, mediocris aliquis Iurisconsultus: vel hoc modo, Hoc videtur prouerbialiter dici, pro eo quod est, ad summum exegerit.

In Sebusianos biduo venit. Sebusianos, probo: vt eos significet de quibus Cæsar libro I sic scribit, Inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum ducit. Hi sunt extra prouinciam trãs Rhodanum primi. Quibus ex verbis apparet eos significari quos hodie Bressæos appellant. Sed apud auctores admodum incerta & varia est scriptio huius vocabuli. Plinius enim Secusianos appellat, In Lugdunensi, inquit, Gallia sunt Secusiani, liberi: in quorum agro, colonia Lugdunũ. Strabo verò σεγοσιαυούς. συνκαὶ δ' ἔστι δέ, inquit, τὸ ἔθνος τῶν σεγοσιαυῶν ὁ τόπος οὗτος (de Lugduno loquitur) κείμενον μεταξὺ τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος. Sed ecce rursus alii Segusiani Aruerniæ proximi, de quibus sic scribit Ptolemæus, ὑφ' οὓς κατανέμονται τοῖς Ἀρβέρνοις, οἱ σεγουσιανοὶ καὶ πόλις αὐτῶν Φόρος σεγουσιανῶν. quod tamen rectum opinor, quum Cæsar de bello Gall. lib. VII, sic eos appellet. His, inquit, constitutis rebus, Heduis, Segusianisque qui sunt finitimi ei prouinciæ, decem millia peditum imperat.

Si Crassi omnes cum Antonius existunt. Qui sex ab hinc annos Octauio & Cinna COSS. interfecto Octauio COS. & vrbe à Mario oppressa, occisi sunt: Crassus quidẽ quum ipse sua manu filium occidisset: Antonius, quum eos milites qui ad eum interficiendum missi erant, longa & luculenta oratione ita produxisset, vt penè quid sibi imperatum esset, obliti essent.

Est quedam tamen ita perspicua veritas. Similis sentẽtia in Oratione pro Cælio, quam nõ alienum est huic loco subscribere. O magna vis, inquit, veritatis, quæ cõtra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contráque fictas hominum insidias facile se per se ipsa defendat.

An antequam postulasti. Hucusque à capite Biduo pòst, priorem hanc partem intellige, Verum DCC millia passuum biduo decursa sunt: vt hanc cõiungas, An antequam: & quod sequitur, Vtrumlibet elige, de vtraque hac parte intelligamus.

CICERO. Hoc consilium Aquilio & talibus viris tam cupidum, tam audax, tam temerarium probabi-
30 " tur? quid hæc amentia, quid hæc festinatio, quid hæc immaturitas tanta significat? non vim, non
" scelus, non latrocinium, non denique omnia potius, quàm ius, quàm officium, quàm pudorem?
" Mittis iniussu Prætoris: quo consilio? iussurum sciebas? quid? quũ iussisset, tum mittere nõne po-
" teras? postulaturus eras: quando? post dies XXX: nempe si te nihil impediret, si voluntas eadẽ ma-
" neret, si valeres, denique si viueres. Prætor iussisset: opinor si vellet, si valeret, si ius diceret, si nemo
" recusaret, qui ex ipsius decreto & satisdaret, & iudicium accipere vellet. Nam per deos immorta-
" les si Alphenus procurator P. Quintii tibi tum satisdaret, & iudicium accipere vellet, denique o-
" mnia quæ postulares, facere voluisset, quid ageres? reuocares eum quem in Galliam miseras? At
" hic quidem iam de fundo expulsus, iam à suis diis penatibus præceps eiectus: iam, quod indignis-
" simum est, suorum seruorum manibus, nuntio atque imperio tuo violatus esset. Corrigeres hæc
" scilicet tu postea de cuiusquam vita dicere audes, qui hoc concedas necesse est, ita te cæcum cupi-
" ditate & auaritia fuisse, vt, quum postea quid futurum esset, ignorares (accidere autem multa pos-
" sent) spem maleficii præsentis in incerto reliqui temporis euentu collocares? atque hæc perinde
" loquor, quasi ipso illo tempore, quum te Prætor iussisset ex edicto possidere, si in possessionẽ mi-
" sisses, debueris aut potueris P. Quintium de possessione deturbare. Omnia sunt C. Aquili eiusmo-
" di, quiuis vt perspicere possit, in hac causa improbitatẽ & gratiã cũ inopia & veritate cõtendere.

Quando? post dies XXX. Subaudi, Quàm emissarius Neuii profectus esset. Et accipe dictum ὑπερβολικῶς, pro diebus compluribus. vt infrà dicit, quum hæc eadẽ aliis verbis iterat, Sex. Neuium diebus compluribus ante in possessionem misisse. Nam idem est vt quum dicimus, Post tres mẽses, vel post quindecim annos. Nam elatè, vt dixi, huc pronuntiandum est, & per irrisionem.

Tibi tum satisdaret, & iudicium accipere vellet. Vsitata immutatio temporis, pro Satisdedisset & Voluisset. Pleni sunt exemplorum libri: sed vnum in præsentia proferre satis erit. In Orat. pro Cluẽtio, Itaque, inquit, nunc quemadmodum audiar, sentio. at tum si diceret, non audiret: non quòd alia res esset, immò eadem, sed tempus aliud. id adeò sic cognoscite. Quis tum auderet dicere, nocentẽ condemnatum esse Oppianicum? & quæ sequuntur.

A suis diis penatibus præceps eiectus. Sui cuique ciui ac patrifamiliàs dii in aliqua parte domus erãt, quos ipse, familiáque eius priuatim coleret. Plautus, Dii penates meûm parẽtum, familiæ lar pater. Ii modò Penates, modò domestici, modò lares familiares dicebãtur. Demipho apud Terẽtiũ, At ego deos penates hinc salutatum domum deuortar. Et in Adelph. Abi domum, ac deos comprecare. Penates autem, vt Cicero scribit, libro de Nat. deor. II, à penu dicti sunt. (est enim omne quo vescuntur homines, penu) aut ab eo quòd penitus insident, ex quo etiam Penetrales à Poetis vocantur. Hæc ille. His ara & focus consecratus erat. ex quo illud, Pro aris & focis pugnare. Virgil. lib. AEneid. II.

AEdibus in mediis, nudóque sub ætheris axe
Ingens ara fuit, atque vmbra amplexa penates.

Cicero Pro domo sua, Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quàm domus vniuscuiusque ciuium? hîc aræ sunt, hîc foci, hîc dii penates, hîc sacræ religiones ceremoniæ continentur, hoc perfugium est ita sanctum omnibus, vt inde arripi neminem fas sit. Fiebant autem priuata his diis sacra, quæ in familia perpetuò manebant, & priuatis feriis agebantur. Erant autem priuatæ feriæ, vt Sex. Pompeius scribit, sacrorum propriorum, vt dies natales. Sedes vbi lares erant positi, larariū appellabantur. fuerunt & penates laréſque publici. de quibus Dionysius Hal. lib. 1.

» Prætor te quemadmodum possidere iussit? opinor, ex edicto. Sponsio quæ in verba facta est? ni ex edicto Prætoris bona P. Quintii possessa non sint. Redeamus ad edictum. id quidē quemadmodum iubet possidere? num quid est causæ C. Aquili, quin, si lōgè aliter possedit, quàm Prætor edixit, iste ex edicto non possederit, ego sponsione vicerim? nihil, opinor. Cognoscamus edictum. QVI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERIT. de te loquitur Neui, quemadmodū tu putas: ais enim te ex edicto venisse: tibi, quid facias, definit, te instituit, tibi præcepta dat. EOS ITA VIDETVR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. quomodo? QVOD IBIDEM RECTE CVSTODIRE POTERVNT, ID IBIDEM CVSTODIANT: QVOD NON POTERVNT, ID AVFERRE ET ABDVCERE LICEBIT. quid tū? DOMINVM (inquit) INVITVM DETRVDERE NON PLACET. eū ipsum, qui fraudādi causa latitet: eum ipsum quem iudicio nemo defendat: eum ipsum qui cum omnibus creditoribus suis malè agat, inuitum de prædio detrudi vetat. Proficiscenti tibi in possessionem Prætor ipse Sex. Neui palàm dicit, Ita possideto, vt tecum simul possideat Quintius: ita possideto, vt Quintio ius nō auferatur. quid? tu id quēadmodum obseruas? mitto illud dicere, eum qui non latitarit, cui Romæ domus, vxor, liberi, procurator esset: eum qui tibi vadimonium non deseruisset: hæc omnia mitto: illud dico, dominum expulsum esse de prædio, domino à familia sua manus allatas esse ante suos lares familiares. hoc dico, CICERO. 31

Opinor, ex edicto. Ex edicto, secundum edictum, sicuti se iussurum edixerat.

Ni ex edicto. Omnes alii, Si ex edicto. quorum auctoritate moueri me fateor, præsertim quum tanta sine vlla varietate sit consensio. Sponsionem igitur, non Quintii, sed ipsius Neuii exaudiemus. scilicet si vulgatam lectionem retineamus, qua sanè (vt verum dicam) nostra hæc mihi quidem multo probabilior videtur.

Numquid est causæ C. Aquili, quin. Id est, Potéstne negare, ac defendere se non possedisse? De hac locutione pag. 10.

Qui ex edicto meo in possessionem venerit. Venerint, corrigendum putarem. itáque omnino postulat, quæ sequitur, oratio.

Vt Quintio ius non auferatur. Vis non afferatur, vetus codex. quam lectionem tāquam perspicuè meliorem & veriorem amplector.

Hoc dico. Multa desunt. Itaque vidi librum manu scriptum, non peruetustum, in quo ad marginem sic scriptum esset, Hic in vetusto exemplari duo folia erant abscissa. Desiderantur autem omnia, quæ ad caput partitionis tertium pertinebant: in quo non possedisse Neuium docebat.

» Neuium ne appellauisse quidem Quintium, quū simulesset, experiri posset quotidie: deinde quòd omnia iudicia difficillima cum summa sua inuidia, maximóque periculo P. Quintii fieri mallet, quàm illud pecuniariū iudiciū, quod vno die transigi posset: ex quo vno hæc omnia nata, & profecta esse concedit. quo in loco cōditionem tuli, si vellet pecuniam petere, P. Quintium iudicatum solui satisdaturum, dum ipse, si quid peteret, pari conditione vteretur. Ostendi, quàm multa antè fieri conuenerit, quàm hominis propinqui bona possideri postularentur: præsertim quū Romæ domus eius, vxor, liberi essent, & procurator æquè vtriusque necessarius. docui, quū desertum esse dicat vadimoniū, omnino vadimoniū nullum fuisse: quo die hunc sibi promisisse dicat, eo die ne Romæ quidem eum fuisse, id testibus me pollicitus sum planum facturum, qui & scire deberent, & causam, cur mentirentur, non haberent. ex edicto autē non potuisse bona possideri, demonstraui: quòd neque fraudandi causa latitasset, neque exilii causa solum vertisse diceretur. Reliquum est, vt eum nemo iudicio defenderit: quod contra copiosissimè defensum esse contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore atque improbo, sed ab Equite Rom. propinquo & necessario suo, quem ipse Sex. Neuius procuratorem relinquere antea consuesset: neque eum, si Tribunos appellarit, idcirco minus iudicio pati paratū fuisse: neque potentia procuratoris Neuio ius ereptum: contrà istum potentia sua tum tantummodo superiorem fuisse: nunc nobis vix respirandi potestatem dare. CICERO. 32

Ne appellauisse quidem. Omnes alii, Appellasse.

Omnia iudicia difficillima. Difficillima iudicia dicūtur, quæ difficiliter & grauatè à Iudicibus fiunt:

c.1.

tametsi nõ magnam causa difficultatem habeat: vt quũ ciuis R. caput agitur. Itaque his iudiciis, si videretur reus absoluẽdus, statim, id est prima actione, absoluebatur. si condemnandus, nõ statim, sed ampliata semel ac sæpius causa, iudicium fiebat: quum Iudices admodum ægrè de capite ciuis R. iudicarent. Ipse in Orat. pro Cæcina, & Asconius in Ver.

Dũ ipse pari conditione uteretur. Alioqui enim vt nõ cogebatur actor satisdare, sic neque reus cogi poterat. hoc ex iure cõsuetudineq; veterũ, quẽadmodũ scribit Iustinianus tit. de Satisd. lib. Inst. 1 v.

Iudicio pati paratum. Corrige sic, Iudicium pati: item vt cæteris in libris omnibus.

CICERO. Quæsiui quæ causa fuisset cur bona nõ venissent, quũ ex edicto possiderentur. Deinde illud
33 quoque requisiui, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc cõtrà dicat: omnésque pro P. Quintio pugnẽt, præsertim quũ in tali iudicio testimonia creditorũ existimentur ad rem maxime pertinere. Postea sum vsus aduersarii testimonio: qui sibi eum nuper edidit socium, quẽ, quomodo nunc intendit, ne in viuorum quidem numero tum demõstrat fuisse. Tum illam incredibilem celeritatem, seu potius audaciam protuli: confirmaui necesse esse aut biduo DCC millia passuũ esse decursa, aut Sex. Neuiũ diebus cõpluribus antè in possessionem misisse, quàm postularet vt ei liceret bona possidere. Postea recitaui edictũ, quod apertè dominum de prædio detrudi vetaret: in quo constitit Neuium ex edicto non possedisse, quũ cõfiteretur ex prædio vi detrusum esse Quintiũ. omnino autem bona possessa nõ esse cõstitui, quòd bonorũ possessio spectetur nõ in aliqua parte, sed in vniuersis, quæ teneri ac possideri possint. Dixi Romæ domũ fuisse, quò iste ne aspirarit quidẽ: seruos cõplures, ex quibus iste possederit neminem, ne attigerit quidẽ: vnum fuisse quem attingere conarus sit, prohibitum fuisse, quieuisse. In ipsa Gallia cognostis in prædia priuata Quintii Sex. Neuiũ non venisse: denique ex hoc ipso saltu, quẽ per vim expulso socio possedit, seruos priuatos Quintii nõ omnes eiectos esse. ex quo, & ex cæteris dictis, factis, cogitatisq; Sex. Neuii, quiuis potest intelligere, istũ nihil aliud egisse, neq; nũc agere, nisi vti per vi, per iniuriã, per iniquitatẽ iudicii totũ agrũ, qui cõmunis est, suũ facere possit.

Omnino autem bona possessa non esse constitui. Omnino, id est denique. Et sic probo, cõtra aliorũ librorũ varietatẽ, in quibus Omnia pro Omnino vitiosè, meo iudicio, legitur. Percurrit enim ea breuiter, quæ partitionis capite III docuit, non esse possessa bona, quòd cuncta possessa non essent.

Quòd bonorum possessio spectetur non aliqua ex parte, sed in uniuersis quæ teneri ac possideri possint. Id est possideri bona ex edicto nõ dicuntur, nisi vniuersa omnino possideãtur. Nam, vt suprà diximus, hæc erat improbè latitantium pœna, atque ignominia, vt vniuersa eorum bona dies XXX possessa & proscripta (id est palàm propositis libellis, quibus omnes creditores admonerentur vt certo die adessent ad auctionẽ) publicè diuenderentur ac distraherentur. Et hoc illud est quod suprà dixit, Cuius verò victus, vestitúsque necessarius sub præcone subiicitur. Etenim aliud est, in quorundam bonorũ possessionẽ mittere, aliud bonorũ possessionem dare. Hanc enim bonorũ venditio sequitur: illam, non item: quemadmodũ ex multis Iurisconsultorum responsis intelligimus, sub titulo, Quibus ex causis in possess. eatur. præsertim ex illo Celsi responso, de quo mẽtio est in l. Fulcinius, ferè in extremo, quum ait, Siquis absens nõ defendatur, commodius se existimare, in fundi, quẽ petere volebã, possessionẽ mittendum, quàm bona eius possideri. Sed iam illa quæstio exoritur, Dimissis creditorib9, & ære alieno dissoluto, quũ quid superaret, quid eo fieret? Nusquã equidem quicquam disertè super ea re scriptum, aut responsum inuenio: sed quum tam crebrò in hac Oratione Neuium apertè criminetur, ad hãc rationẽ cupiditate & auaritia adductũ esse, & in hoc vno laborasse, vt homini propinquo vitã ac sanguinẽ, id est fortunas omnes eriperet, facile adducor in hanc opinionem, vt ei qui bonorum possessionem postulasset, quæcunque reliqua essent, addicerentur: ita tamen vt siqui postea creditores alii reperirentur, confugere nominum suorum causa ad ipsum possent.

In uniuersis quæ teneri ac possideri possint. Aliud enim tenere est, aliud possidere. Tenere dicitur, quæ quis naturaliter accepit. Possidere, quæ ciuiliter, animo & corpore. ex quo etiam quædam tenere dicimur, quæ non possidemus: quædam etiam possidere, quæ non tenemus. Itaque rem aut nobis cõmodatam, aut apud nos depositam tenere dicimur, nõ possidere. At thesaurũ, qui nobis ignorãtibus in agro nostro est, possidemus potius quã tenemus, l. possideri, D. de acq. poss. vsũ autẽ & vsũ fructũ, & cæteras seruitutes magis, inquit Vlpianus, tenem9, q̃ possidemus l. 1, D. Quod legat.

Quò iste ne aspirarit quidem. Non modò non accessit, sed ne aspirauit quidem. Vtrunque sic interpretatur Asconius. Accedere, inquit, est proximum fieri: aspirare, in eam partem qua quid quæsitum est, vultum & oculos ac spiritum oris aduertere.

CICERO. Nunc, causa perorata, res ipsa & periculi magnitudo C. Aquili cogere videtur, vt te, atque eos,
34 qui tibi in consilio sunt, obsecret, obtestetúrque P. Quintius per senectutẽ, ac solitudinem suam, nihil aliud, nisi vt vestræ naturæ bonitatique obsequamini: vt quũ veritas cũ hoc faciat, plus huius inopia possit ad misericordiã, quàm illius opes ad crudelitatẽ. Quo die ad te iudicẽ venimus,

eodē die illorum minas,quas ante horrebamus,negligere cœpimus.Si causa cum causa cōtenderet,nos nostrā perfacile cuiuis probaturos statuebamus.Quòd vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret,iccircò nobis etiā magis te iudice opus esse arbitrati sumus:ea res enim nunc in discrimen versatur, vtrūne possit se cōtra luxuriam, ac licentiam rusticana illa atque inculta parsimonia defendere:an deformata atque ornamētis omnibus spoliata,nuda cupiditati,petulantiæque addicatur.Non cōparat se tecum gratia P.Quintius Sex. Neui, nō opibus,non facultate cōtendit: omneis tuas artes,quibus tu magnus es,tibi concedit.Fatetur se non bellè dicere,nō ad voluntatem loqui posse,nō ab afflicta amicitia transfugere,atque ad florentem aliam deuolare,non profusis sumptibus viuere,non ornare magnificè splendidèque conuiuium,non habere domū clausam pudori & sanctimoniæ, patentem atque adeo expositam cupiditati & voluptatibus: contrà, sibi officium,fidem,diligentiam, vitam omnino semper horridam atque aridam cordi fuisse. Ista superiora esse,ac plurimum posse his moribus sentit.

Vestræ naturæ bonitatique obsequamini. Natura enim alterius ad lenitatem,alterius ad crudelitatem atque asperitatē sua spōte ducitur. Laudabilis autē illa,& cum humanitate cōsentiēs:hæc magis vituperatur, vt ad ferarum & beluarum naturam propius accedens. Est igitur honesta laudatio Iudicis & assessorum,sine suspicione assentationis:& tacita cohortatio ad misericordiam.

Si causa cum causa contenderet. Neque enim nunc æquitate causæ,sed gratia & potentia certatur.

Quòd vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret. Quia Neuii vita omni voluptatū genere diffluens, profusis sumptibus amicorum copiam ei cōciliauit: Quintii verò rusticana atque inculta vita,nobilium & principū virorū amicitias ab illo alienauit: & nunc amicorum potentia & gratia certatur,vt quodam modo vitæ ratio cum ratione vitæ decernere,atque contendere videatur.

Ab afflicta amicitia. Marianorum. vide suprà pag.25.

Cupiditati petulantiæque addicatur. Addicere quēpiam alterius cupiditati, genus est dicendi, quod crebris sermonibus vsurpat,nos semel explicabimus. Translatio ex eo more qui tum erat,ducta videtur vt qui pecuniæ dānati iudicatū facere non possent, nexi creditoribus in seruitutē addicerentur:vnde etiā Addicti dicebantur. Vt igitur cui quis addictus est, is pro suo iure, arbitratu suo,addicto itē vt seruo vti,atque abuti licet:eodē modo qui per alterius gratiā atque potētiā iniquo iudicio dānatur atque opprimitur, translato vocabulo, addici alterius cupiditati libidiniq; dicitur. *Afflicta amicitia.* Hoc dictum est pag.25.

Quid ergo est?non vsque eò tamen,vt in capite fortunísque hominū honestissimorum dominentur ii qui relicta bonorum virorū disciplina,& quæstum & sumptum Gallonii sequi maluerunt, atque etiám, quod in illo non fuit,cum audacia perfidiáque vixerunt. Si licet viuere eum, quem Sex.Neuius non vult: si est homini honesto locus in ciuitate inuito Neuio: si fas est respirare P. Quintium contra nutum ditionémque Neuii:si, quæ pudore ornamenta sibi peperit,ea potest contra petulantiam te defendente obtinere: spes est & hunc miserum,atque infelicē aliquando tamen posse consistere.Sin & poterit Neuius id quod libet, & ei libebit quòd non licet: quid agendū est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui denique questus,qui mœror dignus inueniri calamitate tanta potest?miserū est,exturbari fortunis omnibus: miserius est,iniuria. Acerbū est,ab aliquo circumueniri:acerbius,à propinquo.Calamitosum est, bonis euerti: calamitosius,cum dedecore. Funestū est, à forti atque honesto viro iugulari: funestius,ab eo cuius vox præconio quæstu prostitit. Indignū est,à pari vinci, aut superiore:indignius,ab inferiore,atque humiliore.Luctuosum est,tradi alteri cum bonis:luctuosius,inimico. Horribile est,causam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere.omnia circunspexit Quintius, omnia periclitatus est C. Aquili: nō Prætorem modò, à quo ius impetraret,inuenire non potuit, atque adeo ne vnde arbitratu quidem suo postularet; sed ne amicos quidem Sex. Neuii,quorum sæpe & diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales,vt aut secum iure cōtenderet, aut iniuriam sine ignominia sibi imponerent. CICERO. 35

Et quæstum & sumptum Gallonii sequi maluerunt. Quæstum Gallonii:quia præco Gallonius,item vt Sex.Neuius.de quo Horatius lib.Serm.11,

Galloni præconis erat acipensere mensa Infamis. Sumptum autem,quia ventris & gutturis vitio mirabiliter addictus in cupedias & suauissimos quosque cibos profusos sumptus faciebat.de quo Lælius apud Lucilium,

O Publi,ô gurges Galloni,es homo miser,inquit: Cœnasti in vita nunquam bene,quū omnia in isto Consumis squilla,atque acipensere cum decumano.

Hos versus retulit Cicero in lib.11 De finib.vbi sic scribit, Rectè ergo is negat vnquam bene cœnasse Gallonium,rectè miserum: quū præsertim in eo omne studium consumeret,quem libenter cœnasse nemo negat.Cur igitur nō bene?quia quod bene,id rectè,frugaliter,honestè.ille porrò malè.prauè,nequiter,turpiter cœnabat, Non igitur nec lapathi suauitatem acipenseri Gallonii Lælius anteponebat,sed suauitatem ipsam negligebat.

Aliquando tamen posse consistere. Omnes alii, Aliquando tandem .Quam lectionem recipio:quan-

qnam TAMEN pro TANDEM plerunque ab hoc eodem vſurpari, alio loco docuimus. ſed hoc loco durior videtur illa ſignificatio.

Me nulle arbitratu quidem ſuo poſtularet. Poſtulare à Prætore ius dicitur, qni qnid ad iuriſdictionem eius pertinens ſiue in agendo, ſiue in defendendo poſtulat. hoc autem dicit, qnia quũ de re pecuniaria contendere cuperet, non licuit.

CICERO. 36 Denique ipſius inimici vultum ſuperbiſſimum ſubiit: ipſius Sex. Neuii lachrymãs manum apprehendit, in propinquorũ bonis proſcribẽdis exercitatam: obſecrauit per fratris ſui mortui cinerem, per nomẽ propinquitatis, per ipſius coniugẽ & liberos, quibus propior P. Quintio nemo eſt, vt aliquando miſericordiam caperet aliquam, ſi non propinquitatis, at ætatis ſuæ, ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet: vt ſecum aliquid integra ſua fama, qualibet, dũmodò tolerabili, conditione tranſigeret. ab ipſo repudiatus, ab amicis eius nõ ſubleuatus, ab omni magiſtratu agitatus atque perterritus, quem præter te appellet, habet neminem. tibi ſe, tibi ſuas omnes opes, fortunáſque cõmendat: tibi cõmittit exiſtimationẽ ac ſpem reliquæ vitæ: multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis, nõ turpis ad te, ſed miſer cõfugit, è fundo ornatiſſimo deiectus, ignominiis omnibus appetitus, quũ illũ in ſuis paternis bonis dominari videret, ipſe filiæ nubili dotem cõficere non poſſet, nihil alienum tamen vita ſuperiore cõmiſit. Itaque te hoc obſecrat C. Aquili, vt quam exiſtimationẽ, quam honeſtatem in iudicium tuum propè acta iam ætate decurſáque attulit, eam liceat ei ſecum ex hoc loco efferre: ne is, de cuius officio nemo vnquã dubitauit, ſexageſimo denique anno dedecore, macula, turpiſſimáque ignominia notetur: ne ornamẽtis eius omnibus Sex. Neuius pro ſpoliis abutatur: ne per te ferat, quominus quæ exiſtimatio P. Quintium vſque ad ſenectutem perduxit, eadem vſque ad rogum proſequatur.

Ipſius Sex. Neuii lachrymans manum apprehendit. Mos antiquorũ, quũ vehementius quempiã rogarent, vt eius manum prehẽderẽt. Plautus in Amphit. IVP. Per dextrã tuam te Alcmena oro, obſecro, Da mihi hanc veniã, ignoſce, irata ne ſies. Et in Captiuis. Hæc per dexterã tuam, te dextera retinens manu Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego ſũ tibi. Sic in epiſtola Platonis VII, quũ Theodotẽ referret à Dionyſio ſuppliciter deprecantẽ nequid in Heraclidẽ grauius conſuleret, [Greek text illegible]. id eſt, Prolapſus ad pedes Dionyſii Theodotes, manu prehenſa lachrymabatur, & obſecrabat nequid tale admitteret.

Per fratris ſui mortui cinerem. Veteribus mos erat propinquorũ ſuorum cineres in vrnis aſſeruare. His Tullius oratoriè plerunque ſenſum tribuit. vt Ver. VII, Non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam, domum, ſed ex tua calamitate cineri, atque oſſibus filii ſui ſolatium vult reportare.

Per ipſius coniugem & liberos. Nam P. Quintii conſobrinam habet in matrimonio Neuius, & ex ea liberos. pag. 5.

Ne per te ferat. Neuius. Id eſt, Ne hoc abs te auferat: ne abs te diſcedat beneficio illo affectus.

[redacted] IN ORATIONEM M. T. Ciceronis pro Sex. Roſcio Amerino, commentarii.

ARGVMENTVM.

L. Sylla II, Q. Metello COSS. C. Erutius Sex. Roſcium municipem Amerinũ, Equitem R. parricidii reum apud M. Fãnium Quæſitorem inter ſicarios fecit. eúmque ita accuſauit vt diceret, cauſam ei maleficii ſuſcipiẽdi fuiſſe, primùm odium patris, qui & ab ſeſe illum amandarat, & in prædia ruſtica relegarat, neque vnquã domi ſuæ habuerat: & hoc amplius, exhæredare illum in animo habebat. M. Tullius annum tum agens ætatis ſeptimũ & viceſimũ, Roſcium in hac Oratione defendit. in qua hæc ferè capita cõplexus eſt. Primùm abhorrere à tanti ſceleris atrocitate vitã Sex. Roſcii honeſtiſſimè atque integerrimè trãſactam: patri autem cauſam nullam fuiſſe cur eum odio haberet, atque exhæredare vellet. Quòd verò rei eum ruſticæ præpoſuerat, id nõ modò non odii ac maleuolentiæ, ſed etiam amoris & beneuolentiæ paternæ ſingulare teſtimonium extitiſſe. incredibile eſſe, hoc crimen in quenquam humana ſpecie ac figura præditum cadere potuiſſe, niſi tanquam ea quæ oculis cernuntur, expreſſa ſceleris veſtigia extarent: facultatẽ denique perficiendi maleficii nullam Roſcio fuiſſe, qui neque Romæ tum fuiſſet quũ cædis facta diceretur, neque vllum liberum hominem noſſet, per quem negotium tranſigeret. ſeruos verò ipſum etiam in quæſtionẽ poſtulare, quum, ii ne dentur, aduerſarii magnopere recuſent. Secundo loco ita reum purgat, vt etiam in T. Roſcium quendam, cognomẽto Magnũ, crimen conferat, quòd & veteres & capitales inimicitias cum Sexti patre exercuerit, & Romæ tum fuerit quum ille occiſus dicatur: vetus præterea ſicarius & gladiator ſit, ac ſæpe in cæde verſatus. Deinde L. Chryſogonũ L. Syllæ libertũ, & apud eundẽ gratioſiſſimũ interfecti bona quaſi proſcripti coemiſſe, poſſidere, partẽ cum T. Roſcio communicaſſe: & quia nunc Sexti huiuſce vitã vterque ſibi ad ea bona fruẽda obſtare atque officere intelligit, Erutiũ, accuſatorẽ veterẽ & exercitatũ appoſuiſſe, qui crimẽ callidè cõfingeret, accuſationémq; ſuſciperet. Reũ autẽ Roſciũ non modò nullũ emolumentũ ex nece patris, ſed etiã ſũmã egeſtatẽ atq; inopiã reportaſſe: iniquu eſ-

se, vt cuius iniuria patriis fortunis omnib' sit euersus, atque ad summá inopiá redactus, eius nunc potétia per summũ dedecus sũmámque iniuriá vita priuetur. Causa publica est: hoc est accusator nó priuatá alicuius, sed læsæ totius Reip. iniuriá persequitur. Acta est in foro, vt moris erat publicè, & in cóspectu populi, circũ subsellia Iudicũ, coroná faciẽtis hæc capitis iudicia fieri ad M. Fánii Prætoris tribunal, qui fuit iudex huius quæstionis, quum ei in cósilio Iudices ex ordine Senatorio, qui tũ solus lege Cornelia iudicabat, assidetẽt. Et acta est, vt Gellius testatur, L. Sylla iterũ, & Q. Metello COS. anno post causá P. Quintii. ex quo, quod initio de ætate Ciceronis diximus, licet intelligi. Nam à Q. Cæpione & Q. Serrano, quibus COS. Cicero natus est, ad illos COS. totidẽ anni numerãtur. Quo magis & Fenestellá errasse miror, qué Asconius (auctore Gellio) meritò reprehendit, & Fabiũ Quintilianum: qui lib. XII, putauit Ciceroné sex & viginti natũ annos, hanc causá dixisse: sed hoc eos, opinor, in erroré induxit, quòd annũ Cæpionis & Serrani non numerabãt: vt plerunque vsuvenit, quũ satis cóstet III Nonas Ianuarii natũ Ciceroné fuisse: vt in superioris Orationis initio demóstrauimus. Prima auté hæc causa est, quá publicá egit, vt ex Oratione intelligitur, & in Bruto docet his verbis, Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta, tantùm cómendationis habuit, vt nó vlla esset quæ nó nostro digna patrocinio videretur. De hac Oratione in libro de Off. II, sic scribit, Maximè auté & gloria paritur, & gratia defensionibus: eóque maior, siquádo accidit vt ei subueniatur qui potẽtis alicuius opibus circumueniri, vrgerique videatur: vt nos & sæpe aliàs, & adolescentes, cótra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus: quæ (vt scis) extat Oratio.

Pro Sex. Roscio Amerino oratio II.

1. CREDO ego vos Iud. mirari, quid sit, quòd, quũ tot summi Oratores, hominésque nobilissimi sedeát, ego potissimũ surrexerim, *is, qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cũ his, qui sedeant, comparandus. omnes enim hi, quos videtis adesse in hac causa, iniuriá nouo scelere conflatá putát oportere defendi: defẽdere ipsi propter iniquitaté temporum nó audẽt. ita fit vt adsint, propterea quòd officium sequuntur: taceát auté idcircò, quia periculum metuunt. Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minimè. At tanto officiosior, quàm cæteri? ne istius quidé laudis ita sum cupidus, vt aliis eam præreptá velim. Quæ me igitur res præ- CICERO. *abest 37

2. ter cæteros impulit, vt causam Sex. Roscii reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atque amplitudo, si verbum de Rep. fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est, multo plura dixisse, quàm dixisset, putare-

3. tur. ego etiam si omnia, quæ dicenda sunt, liberè dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire atque in vulgus emanare poterit. Deinde, quòd cæterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem, neque temerè dicto concedi propter ætaté & prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse proptérea, quòd nondum ad Remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit.

[redacted] COMMENTARII.

Credo ego uos Iudices. Iudices, Senatores. vt paulo pòst, Ex ciuitate in Senatũ, ex Senatu in hoc cósiliũ delecti estis. Antea iudicia penes Equites R. erant: nunc Sylla victor duos ab hinc annos in ordinem ea Senatorium transtulerat. Et IVDICES, priuati homines ex Iudicum decuriis dati ab accusatore & reo, qui M. Fannio Prætori, & iudici quæstionis pro tribunali sedẽti, in subselliis iurati assidebant, sententiam ad Prætoris vrnam perorata causa laturi. [redacted]

Hominésque nobilissimi. De hoc more initio superioris Orationis diximus: vnde quæ ad hũc locũ pertinebunt, sumere licebit. Homines auté nobilissimos dicit Scipiones, Seruilios, Metellos. pag. 63.

Is qui. Pronomen IS abest ab omnibus aliis quos vidi & antiquis & impressis libris: & abest tantùm meo iudicio, non deest.

Neque ætate. Annorum, vt ante dixi, XXVII.

Neque auctoritate. Ná auctoritas bene geréda Rep. cóciliatur. ipse auté nódũ ad Remp. accesserat.

omnes enim hi. Rationis subiectio nouo modo, & omnino præter cósuetudinem posita. Ná particula ENIM causam cur mirarentur, afferri oportebat: nunc cur alii sedeant, ostendit.

Iniuriam defendi. Propulsari: & sic loquutus est lib. de Offic. III, Etenim si is qui defendit iniuriam, neque propulsat à suis, quum potest, iniustè facit, &c.

Nouo scelere. Accusatorũ. Et NOVVM sic accipio, inauditum, singulare, nefarium. Terentius,
Neque huius sis veritus fœminæ primariæ, Nouo modo ei quin faceres contumelias.

Propter iniquitatem temporum. Propter Syllæ potentiam,cuius offenſionem metuunt.

Verbum de Rep.feciſſet. Id eſt de rebus à Sylla in Rep.geſtis: de proſcriptis,eorúmque bonis venditis.pag.80,& 81.

Multo plura dixiſſe. Nam qui hoc Syllæ renuntiarent,rem verbis maiorem facerent.

Nequaquam tamen ſimiliter exire. Hoc dicit,Non tanti fiet vt ad Syllam perferatur:quippe habita ab homine adoleſcēte,nulla auctoritate prædito. Verùm hæc eum ſpes fefellit.coactus eſt enim Syllæ offenſionem veritus,in Græciam proficiſci.Et quoniam ea de re,Plutarchi verba magnopere ad hunc locum pertinent, melius erit ea ſubiicere, ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ, χρυσόγονος ἀπελεύθερος σύλλα, προσαγγείλας τινὸς οὐσίαν ὡς ἐκ προγραφῆς ἀναιρεθέντος, αὐτὸς ἐωνήσατο δισχιλίων δραχμῶν. ἐπεὶ δὲ ῥώσκιος ὁ υἱὸς καὶ κληρονόμος τοῦ τεθνηκότος ἠγανάκτει, καὶ τὴν οὐσίαν ἀπεδείκνυε πεντήκοντα καὶ διακοσίων ταλάντων οὖσαν ἀξίαν, ὅτε σύλλας ἐλεγχόμενος, ἐχαλέπαινε, καὶ δίκην πατροκτονίας ἐπῆγε τῷ ῥωσκίῳ, τοῦ χρυσογόνου κατασκευάσαντος. ἐβοήθει δ' οὐδεὶς, ἀλλ' ἀπετρέποντο τοῦ σύλλα τὴν χαλεπότητα δεδοικότες, οὕτω δὴ δι' ἐρημίαν τοῦ μειρακίου τῷ κικέρωνι προσφυγόντος, οἱ φίλοι συμπαρώρμων, ὡς οὐκ ἂν αὖθις λαμπροτέραν ἀρχὴν πρὸς δόξαν ἑτέραν οὐδὲ καλλίω λαβόντα. ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν καὶ κατορθώσας, ἐθαυμάσθη. δεδιὼς δὲ τὸν σύλλαν, ἀπεδήμησεν εἰς τὴν ἑλλάδα. hoc eſt, Per id tempus Chryſogonus libertus, Sylla publicante bona cuiuſdā quaſi ex proſcriptione interfecti,emit ea bona duobus millib⁹ drachmarū.quod quū Roſcius,filius & hæres defuncti,ægrè ferret,demonſtrarētque ea bona eſſe ducentorū quinquaginta talentorū, Sylla redargui ſe grauiter & acerbè tulit, Roſciique nomē de parricidio deferendum curauit: cuius rei tranſactore & adminiſtro Chryſogono vſus eſt. Roſcio verò nemo ſubueniebat:quin potius omnes abhorrebant, Syllæ offenſionem pertimeſcentes.Itaque adoleſcens ab omnibus deſertus,ad Ciceronem confugit. Suadebant id amici,dicebant non alium ad gloriam neque illuſtriorem, neque ſplendidiorē aditum poſtea oblatum iri. Itaque eius patrocinium ſuſcepit: & quū præclarè eam cauſam egiſſet, magnam apud omnes admirationem ſui concitauit. Veritus autem Syllam,in Græciā profectus eſt.Hæc Plutarchus.In quibus quod *μειράκιον* Roſcium appellat,intelligendum eſt eum aut falli,quum illum maiorē annis quadraginta Cicero poſtea fuiſſe dicat:aut Ciceronem oratoriè loquutum eſſe.

CICERO. 38 Tametſi non modò ignoſcendi ratio, verumetiam cognoſcendi conſuetudo iam de ciuitate ſublata eſt.Accedit illa quoque cauſa,quòd à cæteris forſitan ita petitum ſit,vt dicerent,vt vtrūvis ſaluo officio ſe facere poſſe arbitrarentur. 4. à me autem ii contenderunt, qui apud me & amicitia,& beneficiis,& dignitate plurimum poſſunt:quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aſpernari, nec voluntatem negligere debeam. His de cauſis ego huic 5. cauſæ patronus exti:non electus vnus,qui maximo ingenio,ſed relictus ex omnibus,qui minimo periculo poſſem dicere: neque vti ſatis firmo præſidio defenſus Sex.Roſcius, verùm vti ne omnino deſertus eſſet.Forſitan quæratis,qui iſte terror ſit,& quæ tanta formido,quæ tot ac tales viros impediat,quo minus pro capite & fortunis alterius,quemadmodum cōſueuerunt,cauſam velint dicere.quod adhuc vos ignorare non mirū eſt, propterea quòd cōſultò ab accuſatoribus, eius rei,quæ conflauit hoc iudicium,mentio facta nō eſt. Quæ res ea eſt:bona patris huiuſce Sex. 6. Roſcii,quæ ſunt ſexagies,quæ de viro fortiſſimo & clariſſimo L.Sylla, quem honoris cauſa nomino,duobus millibus nummûm ſeſe dicit emiſſe adoleſcens vel potentiſſimus hoc tempore noſtræ ciuitatis L.Cornelius Chryſogonus.Is à vobis Iudices hoc poſtulat,vt,quoniā in alienā pecuniā tam plenā atque præclarā nullo iure inuaſerit, quoniámque ei pecuniæ vita Sex. Roſcii obſtare,atq; officere videatur,deleatis ex animo ſuo ſuſpicionē omnē,metúmq;tollatis.ſeſe hoc incolumi nō arbitratur huius innocētis patrimoniū tā amplū,& copioſū poſſe obtinere:dānato & eiecto,ſperat ſe poſſe,quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere atque conſumere.

[illegible] XI. *Non modò ignoſcendi,uerùm etiam cognoſcendi.* Hoc ſignificat,Siquid ad Syllā quaſi de ipſo liberius dictum perfertur,non modò ei qui dixerit non ignoſcitur,ſed etiam incognita cauſa damnatur.

Pro capite ac fortunis. Hoc loco planè ac Latinè loquitur.nā hîc Caput nō exiſtimationē ſignificat, vt in Ora.pro Quintio:ſed more Romano, PRO CAPITE,id eſt pro vita:in cuius diſcrimē Sex. Roſcius adductus eſt.Nam in parricidas extremum & ſummum ſupplicium conſtitutum eſt.

Quæ ſunt ſexages. Hac defectione vſus eſt etiā Plautus. Subauditur autem Seſtertiûm. Et pag. 44,plenè loquutus eſt, Hæc bona,inquit,H-S ſexagies, emūtur duobus millibus nūmûm.Etiam alia defectio, quū dicimus H-S ſexagies,hoc ſubintelligimus,Centena millia.vt ſit,Sexagies cētena millia ſeſtertiûm.De qua quidē locutione diximus in Orat.Verrina III,pag.167.Sunt autem noſtratis pecuniæ,vt Budæus probauit,aureorum centum quinquaginta millia.& eidē ſummæ reſpondet quod ſcribit Plutarchus de ducentis quinquaginta talentis.

Duobus millibus nummûm. Id eſt ſeſtertiorum.nam & Numus dicitur præciſè, & Seſtertius,& Numus ſeſtertius.Reſpondet autem hæc ſumma noſtratis pecuniæ aureis ſcutatis quinquaginta.

L.Cornelius Chryſogonus. Syllæ libertus.Et Chyſogonus,ſerui nomē,quaſi dicas,Aureus fœtus,vel Semen aureum:L.Cornelius,patroni.Nam qui libertate donabantur, in eius nomē tranſibāt à quo libertate donati eſſent.L.Sylla victor proſcriptorū ſeruis,qui firmis corporis virib⁹,& ætate integra eſſent,amplius decē millibus libertatē dedit:eóſque ciues Romanos eſſe,& Corneliorum

nomine appellari voluit.vide Ver.v,pag.334.De boc ipſo Chryſogono operæpretium eſt Plinii verba ſubſcribere ex lib.x x x v,cap.x v i i,Eſt, inquit,& viliſſima creta,qua circũ præducere ad victoriæ notã,pedéſquevenaliũ trans mare aduectorũ denotare inſtituerunt maiores: talémque in cataſta videre maioresnoſtri Chryſogonũ Syllæ,&c. alióſque deinceps,quos enumerare iam non eſt,è ſanguine Quiritum,& proſcriptionum licentia ditatos.

„ Hunc ſibi ex animo ſcrupulum,qui ſe dies noctéſque ſtimulat ac pũgit, vt euellatis poſtulat: CICERO.
„ vt ad hanc ſuã prædã tam nefariam adiutores vos profiteamini. Si vobis æqua & honeſta poſtu- 39
„ latio videtur Iudices:ego cõtrà breuẽ poſtulationẽ affero, &(quomodo mihi perſuadeo)aliquan-
„ to æquiorẽ. Primùm à Chryſogono peto, vt pecunia fortunìſque noſtris contentus ſit, ſangui-
„ nem & vitã ne petat.deinde à vobis Iudices,vt audacium ſceleri reſiſtatis,innocentium calamita-
„ tem leuetis,& in cauſa Sex.Roſcii periculũ, quod in omnes intenditur, propulſetis. Quòd ſi aut
„ cauſa criminis,aut facti ſuſpicio,aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrẽ vi-
„ deantur illi nonnihil tamẽ in deferendo nomine ſecuti:poſtremò ſi præter eam prædã,quam di-
„ xi,quicquã aliud cauſæ inueneritis: nõ recuſamus, quin illorũ libidini Sex.Roſcii vita dedatur.
„ Sin aliud agitur nihil, niſi vt his nequid deſit, quibus ſatis nihil eſt:ſi hoc ſolum hoc tẽpore pu-
„ gnatur,vt ad illã opimã præclarámque prædam damnatio Sex.Roſcii,velut cumulus, accedat:
„ nõne cum multa indigna,tũ vel hoc indigniſſimũ eſt,vos idoneos habitos, per quorũ ſententias,
„ iúſqueiurãdum id aſſequãtur, quod antea ipſi ſcelere & ferro aſſequi cõſueruntiqui ex ciuitate in
„ Senatũ propter dignitatẽ,ex Senatu in hoc cõſiliũ delecti eſtis propter ſeueritatẽ:ab his hoc po-
„ ſtulare homines ſicarios atq; gladiatores, nõ modò vt ſupplicia vitẽt, quæ à vobis pro maleficiis
„ ſuis metuere atq; horrere debẽt, verũ etiã vt ſpoliis Se.Roſcii hoc iudicio ornati auctiq; diſcedãt?

Hunc ſibi ex animo ſcrupulum. Scrupulus eſt lapillus in calceo latens,& preſſus pedẽ offendens.hinc ægritudinem cum cogitatione,ſcrupulũ appellamus. Terentius in Phormione,Monſtri,ita me di ament, ſimile.P.Inieci ſcrupulum. Noſter in Orat.pro Cluent. Hìc tum iniectus eſt hominibus ſcrupulus,& quædam dubitatio, quidnam eſſet actum.

vt ad hanc ſuam. Magis placeret, Et ad hanc.

Periculum,quod in omnes intenditur. Hoc declarat infrà his verbis, An verò,Iudices,vos non intelligitis,nihil aliud agi, niſi vt proſcriptorum liberi quavis ratione tollantur,& eius rei initium in veſtro iureiurando,atque in Sex.Roſcii periculo quæri?

In deferendo nomine ſecuti. Deferri nomẽ dicitur,quũ is qui accuſare vult quempiam apud Prætorem,interrogat, Aio te patrẽ interfeciſſe.vt ſi neget,eius nomẽ in reos referatur,& inſtituatur accuſatio.aliud ergo Deferre nomen eſt,aliud Accuſare.quod ego non dicerem,niſi homines non imperitos aliter ſcripſiſſe cognoſcerem.

Qui ex ciuitate in Senatum propter dignitatem. Cẽſores enim,vt ſcribit Feſtus,ex Equeſtri ordine optimũ quenque curiatim in Senatũ legebant.vnde etiã Allecti dicti ſunt: nimirũ quòd propter Senatorum penuriã ex Equeſtri ordine in Senatorũ numerũ aſſumebantur.Et alibi,Cõſcripti dicebantur,qui ex Equeſtri ordine Patribus adſcribebantur,vt numerus Senatorum expleretur.

Ex Senatu in hoc conſilium. Nam,vt paulò ante poſui,Senatus hoc tẽpore iudicabat.Ex Senatu autẽ Iudices ex cenſu legebantur,anno ætatis x x x v,tréſque illorũ decuriæ fiebant.Singulis autẽ decuriis per vices annua vacatio erat.Plutarchus,Plinius,Suetonius.Quũ igitur Senatorũ decuria hoc anno iudicaret,iudicio à M.Fannio Prætore conſtituto,accuſator primùm ex ea decuria Iudices dedit,dedit & reus:datorũ nomina in vrnam miſſa ſunt,vt de pluribus neceſſarius numerus cõfici poſſet.nõ enim omnes iudicabãt,ſed ad eum numerũ qui lege,verbi gratia,repetundarum, ambitus,de ſicariis,maieſtatis,definitus erat. Poſt ſortitionẽ accuſator & reus,quos viſum fuit,reiecerunt: poſt reiectionẽ Prætor Fannius ex aliis ſubſortitus eſt, quibus Iudicum legitimus numerus compleretur: ex quibus omnibus Conſilium conſtabat. Atque ita intelligendũ eſt quod dicit,Ex Senatu in hoc cõſilium delecti eſtis.vnde illa peruulgata,Cum conſilio cognoſcere,De conſilii ſententia pronuntiare,Aduocare conſiliũ,Dimittere cõſilium,Mittere in conſiliũ:& vt ipſe in hac Oratione extrema demonſtrat,more maiorũ hoc Publicum conſilium appellabatur.

Homines ſicarios atque gladiatores. Per abuſionem,inquit Fabius Quintilianus, Sicarios etiam omnes vocamus,qui cædem telo quocunque commiſerint.

„ His de rebus tantis,támque atrocibus neque ſatis me cõmodè dicere,neque ſatis grauiter con- CICERO.
„ queri,neque ſatis liberè vociferari poſſe intelligo:nam cõmoditati ingeniũ,grauitati ætas,liber- 40
„ tati tempora ſunt impedimẽto. Huc accedit ſummus timor: quem mihi natura pudórque meus
„ attribuit,& veſtra dignitas,& vis aduerſariorum,& Sex.Roſcii pericula.Quapropter vos oro at-
„ que obſecro Iudices, vt attentè, bonáque cum venia verba mea audiatis: fide,ſapientiáque veſtra
„ fretus,plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo.Hoc onus, ſi vos aliqua ex parte alleua-
„ bitis,feram vt potero,ſtudio & induſtria Iudices.ſin à vobis(id quod non ſpero) deſerar, tamen
„ animo non deficiam,& id,quod ſuſcepi,quoad potero,perferam.quod ſi perferre non potero,op

" primi me onere officii malo,quàm id,quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt,aut propter per-
" fidiã abiicere, aut propter infirmitatẽ animi deponere. Te quoque magnopere M.Fanni quæſo,
" vt qualem te iam antea populo R.præbuiſti,quũ huic idem quæſtioni iudex præeſſes,talem te &
" nobis,& populo R.hoc tẽpore impertias. Quanta multitudo hominũ cõuenerit ad hoc iudiciũ, 11.
" vides:quæ ſit omnium mortalium expectatio,quæ cupiditas,vt acria ac ſeuera iudicia fiãt,intel-
" ligis.longo interuallo iudicium inter ſicarios hoc primum committitur,quũ interea cædes in-
" dignißimæ maximæque factæ ſint.omnes hanc quæſtionem te Prætore de manifeſtis maleficiis
" quotidianóque ſanguine,haud remiſſius ſperant futuram. qua vociferatione in cæteris iudiciis 12.
" accuſatores vti conſueuerunt,ea nos hoc tempore vtimur,qui cauſam dicimus.

Summus timor,quem mihi natura pudórque meus attribuit. Vide locũ Diuinationis illum, Quũ illius diei mihi venit in mentem,&c.pag.125.& quæ in eum locum annotauimus.

Quum huic idem. Vetus codex,Quum huic eidem.& ſic emenda.Significat autem iam antea Præturam Fannium geſſiſſe,& hanc ipſam quæſtionem inter ſicarios exercuiſſe.Ergo ante annos decem.non enim eundem magiſtratum capere,niſi poſt decennium,licebat.

Iudex præeſſes. Prætor iudicium exerceres.nam Prætores,Iudices quæſtionis principes dicebãtur,vt Verrina III,& in Cluentiana,& hac ipſa Orat.pag.66.

Iudicium inter ſicarios. Vetus locutio,Inter ſicarios,pro De ſicariis:& ſic locutus eſt lib. De finib. II,in Cluentiana,& Philipp.II.

Committitur. Exercetur,fit.

Quum interea cædes indignißimæ. Syllanis proſcriptionibus.

Hanc quæſtionem. Publica iudicia quæſtiones dicuntur, quòd in iis reus in iudiciũ vocatus, nocens ſit an innocens, conſtituto iudicio quæritur.Sed hoc loco nõ hoc iudicium de Sex.Roſcio ſignificat, ſed hanc prouinciam, ac muneris publici procurationẽ, quæ Prætori ſorte obuenit. Prætores creati in comitiis,ſortiebantur prouincias:alii iuriſdicundi prouincia obueniebat,alii quæſtio inter ſicarios,repetundarum, maieſtatis,& ſimiles.Nam has etiam procurationes Cicero Verrina VII,prouincias appellat.

Haud remiſſius ſperant futuram. Obſcurus locus, & mea quidẽ opinione, vna litera corruptus. Corrigendũ putare FVTVRVM,ea loquendi forma ac figura quã A.Gellius in hoc ipſo auctore,& aliis pleriſque Latinis ſcriptoribus annotauit libro I.cap.VII,vt Remiſſius,ſit aduerbium: Futurum autẽ,verbũ ſit indefinitũ &(vt Græci dicũt) ἀπαρέμφατον,neque virilis,neque neutrius generis, ſed ab omni neceſſitate generum abſolutum. quale illud eſt Verrina VII, Sed quocunque venerint, hanc ſibi rẽ præſidio ſperant eſſe futurũ.Et in Orat.C.Gracchi, Credo ego inimicos meos hoc dicturũ. In tertio annali Quadrigarii, Dũ ii conciderentur, hoſtiũ copias ibi occupatas futurum. Apud Valerium Antiatem,Omnia ex ſententia proceſſurum. Apud Plautum,Etiámne habet Caſina gladium?habet,ſed duos:Quibus altero te occiſurum ait,altero villicũ. Apud Laberium,Non putaui hoc eam facturum.Ergo hic ſenſus eſt,Haud remiſſius futurum, id eſt acriter & ſeuerè exercitum iri,fore vt non diſſolutè,ſed grauiter & vehementer exerceatur.

CICERO. " Petimus abs te M.Fanni,à vobiſque Iud. vt quam acerrimè maleficia vindicetis, vt quamfor-
41 " tiſſimè hominib' audaciſſimis reſiſtatis: vt hoc cogitetis,niſi in hac cauſa, qui veſter animus ſit,
" oſtendetis,eò prorumpere hominum cupiditatem,& ſcelus,& audaciam,vt non modò clàm,ve-
" rumetiam hic in foro,ante tribunal tuum M.Fanni,ante pedes veſtros Iudices,inter ipſa ſubſel-
" lia cædes futuræ ſint.etenim quid aliud hoc iudicio tentatur,niſi vt id fieri liceat?Accuſant ii,qui 13.
" in fortunas huius inuaſerunt:cauſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerũt. accuſant
" ii,quibus occidi patrem Sex.Roſcii bono fuit:cauſam dicit is,cui non modò luctum mors patris
" attulit,verumetiam egeſtatem. accuſant ii, qui hunc ipſum iugulare ſummè cupierunt: cauſam
" dicit is,qui etiam ad hoc ipſum iudicium cum præſidio venit,ne hic ibidem ante oculos veſtros
" trucidetur.denique accuſant ii,quos populus poſcit:cauſam dicit is,qui vnus relictus ex illorum
" nefaria cæde reſtat.Atque vt facilius intelligere poſſitis Iudices,ea quæ facta ſũt,indigniora eſſe, 14.
" quam hæc ſunt quæ dicimus:ab initio res quemadmodum geſta ſit, vobis exponemus,quo faci-
" lius & huius hominis innocentiſſimi miſerias,& illorum audaciam cognoſcere poſſitis,& Reip.
" calamitatem. Sex.Roſcius pater huiuſce,municeps Amerinus,fuit cum genere, & nobilitate, & 15.
" pecunia nõ modò ſui municipii, verùm etiam eius vicinitatis facile primus,tũ gratia atque ho-
" ſpitiis florens hominum nobiliſſimorum:nam cum Metellis, Seruiliis, Scipionibus erat ei non
" modò hoſpitium,verùmetiam domeſticus vſus & conſuetudo:quas(vt æquum eſt)familias ho-
" neſtatis amplitudiniſque gratia nomino.

Ad hoc ipſum iudicium cum præſidio venit. Præſidium,opinor,aduocatorũ conſeſſum ſignificat, quos antea ſummos Oratores, hominéſque nobiliſſimos appellauit: præterea pagina in ſequenti ſic ſcribit,Fama & vita innocentis ab hoſpitibus, amicíſque paternis defenditur.

Municeps Amerinus. Ameria ciuitas eſt in Vmbria. Municipia autẽ dicebantur ciuitates ſuo iure

ac legibus vtentes, neque vlla populi R. lege adstrictæ: quarum ciuibus munera, id est honores Romæ capere licebat. Festus scribit, municipia tandem omnia ciuitate donata esse. ItaqueRoma (vt scribit Modestinus Iurisconsultus) communis patria erat omnium.

Hospitiis florens hominum nobilissimorum. In Italia, & prouinciis, exterísque nationibus, ciues R. necessitudinem hospitii contrahere cum aliquo peregrino solebant, aut priuatim, quæ *ἰδιοξενία* à Græcis dicitur, aut publicè, quam iidem *προξενίαν* vocant.

» Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit: nam patrimonium domestici CICERO.
» prædones vi ereptum possident: fama & vita innocentis ab hospitibus, amicísque paternis defen 42
» ditur. hic cũ omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, quũ omnium
» nobilium dignitas & salus in discrimen veniret, præter cæteros in ea vicinitate eam partem, cau
» sámque opera, studio, auctoritate defendit. etenim rectũ putabat, pro eorũ honestate se pugnare,
» propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. Posteaquam victoria constituta est, ab
» armísque recessimus: quũ proscriberentur homines, atque ex omni regione caperẽtur ii, qui ad-
» uersarii fuisse putabantur, erat ille Romæ frequens, atque in foro, & in ore omniũ quotidie ver-
» sabatur, magis vt exultare victoria nobilitatis videretur, quàm timere nequid ex ea calamitatis
» sibi accideret. Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere
» in accusatorũ subselliis video, alterũ tria huiusce prædia possidere audio. quas inimicitias si tam
» cauere potuisset, quàm metuere solebat, viueret: neque enim Iud. iniuria metuebat: nam duo isti
» sunt T. Roscii, quorum alteri Capitoni cognomen est: iste, qui adest, Magnus vocatur: homines
» eiusmodi, alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper se
» ad eum lanistam contulit, qui, quum ante hanc pugnam tyro esset scientia, facilè ipsum magi-
» strum scelere, audaciáque superauit. nam quũ hic filius Sex. Roscius esset Ameriæ, T. autem iste
» Roscius Romæ: quũ hic filius assiduus in prædiis esset, quúmque se volũtate patris rei familiari,
» vitæque rusticæ dedisset, iste autem frequens Romæ esset: occiditur ad balneas Palatinas rediens
» à cœna Sex. Roscius.

Hoc tumultu proximo, quum omnium nobilium dignitas & salus in discrimen ueniret. Quo tempore Cinna & Marius in vrbem recepti, omnes aduersæ partis nobiles trucidarunt. tum enim in Italiæ municipia plerique confugerunt. Appianus, Florus. Et PROXIMO septem ab hinc annis, Octauio & Merula COSS.

Quum proscriberentur homines. L. Sylla victor tabulam in foro fixit, in qua scripta erãt eorum nomina quos ad cædẽ quæri volebat, præmio etiam percussori proposito. Hi proscripti dicebantur, quasi palàm scripti. Multi quum sua nomina in tabula legissent, sibi manus attulerunt. Appianus scribit L. Syllam harum proscriptionum principem atque auctorem fuisse. Μάριος μὲν γὰρ ἐζήτει καὶ ἐκόλαζεν ὃς εὕροι· Σύλλας δὲ ἐπὶ μισθοῖς τε μεγάλοις, καὶ κολάσει τῶν ἐπικρυψάντων ὁμοίαις, τοὺς ὑπογράπτους κτείνειν προέγραψε. Marius enim, inquit, conquirebat, & quos inuenerat, supplicio afficiebat: Sylla autem magnis præmiis percussoribus propositis, pœnis verò iis qui quempiam occultassent, iisdem ac proscriptis, constitutis, quo quisque loco repertus esset, iussit interfici.

Alterum sedere. T. Roscium Magnum.

Iste qui adest. Quem infrà, pag. 66, Sex. Roscii nõ modò municipem, sed etiã cognatũ appellat.

Plurimarum palmarum uetus ac nobilis gladiator. Gladiatoribus post victoriam coronæ ex palma dabantur. Gellius ex Plutarcho lib. Noct. III, Propterea, inquit, in certmini bus palmã signũ esse placuit victoriæ, quoniã ingeniũ eiusmodi ligni est, vt vrgentibus opprimentibúsque nõ cedat.

Vetus ac nobilis gladiator. Vetus, peritus, exercitatus. vt infrà, pag. 46, Vt ad eã rem aliquẽ accusatorẽ veterẽ cõpararent. Et pag. 49, Vetus videlicet sicarius, homo audax, & sæpe in cæde versatus. Vnde vetustas in Orat. pro Quintio, pro calliditate & versutia. Gladiator autem per translationem, pro sicario, & qui multos interfecit. Ergo gladiator plurimarũ palmarum, id est qui artem gladiatoriam sic exercuit, vt multos interfecerit, & victor palmam sæpenumero reportauit.

Ad eum lanistam contulit. Lanista, ludi gladiatorii magister. Locus hic hoc ostendit, & alter in quo infrà sic loquitur, Num aut ille lanista omnino iam à gladiis recessisse videtur: aut is discipulus magistro tantulum de arte concedere?

Ante hanc pugnam. Hanc cædem Sex. Roscii.

Scelere audaciáque superauit. Hoc significat, Quũ de Sex. Roscii cæde conspirassent, ipse has partes suscepit, & Roscium interfecit. Nam Romæ T. Magnum, quum cædes facta est, Capitonem autem Ameriæ fuisse declarat, pag. 43.

Occiditur ad balneas Palatinas. De balneis Palatinis alibi legisse non memini. Eas in colle Palatino fuisse constat. quo in loco, res est minimi momenti.

» Spero ex hoc ipso non esse obscurũ, ad quem suspicio maleficii pertineat. verùm id, quod ad- CICERO.
» huc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hũc affinem culpæ iudicatote. Occiso Sex. 43

etiam paterno funeri iusta soluisset, nudū eiicit domo: atque focis patriis, diisque penatibus praecipitem, Iudices, exturbat: ipse amplissimae pecuniae fit dominus: qui in sua re fuisset egentissimus, erat (vt fit) insolens in aliena: multa palàm domum suam auferebat, plura clàm de medio remouebat: non pauca suis adiutoribus largè effuséque donabat, reliqua constituta auctione vendebat. Quod Amerinis vsque eò visum est indignum, vt vrbe tota fletus gemitúsque fieret: etenim multa simul ante oculos versabantur: mors hominis florētissimi Sex. Roscii crudelissima: filii autem eius egestas indignissima: cui de tanto patrimonio prædo iste nefarius ne iter quidem ad sepulchrum patrium reliquisset: bonorū emptio, flagitiosa possessio, furta, rapinæ, donationes.

Imprudente L. Sylla. Opportunè dictū. Nam etiam post Syllæ mortem omnes ipsius res gestas populus R. ratas & fixas esse iussit. HOTOM. 41

Quū eodem tempore, & ea quæ præterita sunt, & ea quæ uidentur instare, præparet. Sic omnes libri veteres. Mendum tamen subesse aliquod apparet. Deesse autē verbum REPVTET videtur. vt sic legamus, Quum eodem tempore & ea quæ præterita sunt, reputet, &c.

Quamuis ille fœlix sit. De hoc cognomine Plutarchus in eius vita, & Appianus lib. [illegible] Plinius quidem lib. VII, sic scribit, Vnus hominum ad hoc æui, Fœlicis sibi cognomen asseruit L. Sylla, ciuili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatus. Et quibus fœlicitatis inductus argumentis? quòd proscribere tot millia ciuium, ac trucidare potuisset. O praua interpretatio, & futuro tempore infœlix!

Focis patriis diisque penatibus. Vide quæ diximus in Orat. pro Quintio, pag. 30: nam eadem inculcare non est nostri consilii.

Ne iter quidem ad sepulchrum patrium reliquisset. Nam in agris veteres sepeliebātur, (vt lex vetus testatur, In vrbe ne sepelito) & spatium certos pedes latū cōsecrabatur, vt Philippica IX extrema, Vtique locum sepulchro in campo Esquilino C. Pansa Consul, seu quo in loco videtur, pedes triginta quoquoversus assignet, quò Seruius Sulpitius inferatur. Quod etiam Liuius lib. VI, significat, Vt singuli, inquit, propè trecentorum ciuium possiderent agros, plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ, suus pateret ager. Condito porrò cadauere, gleba in os iniecta, iustisque factis, locus is vbi quis humatus erat, religiosus fiebat. Quum autem agrum illum in quo humatus erat Roscius, T. Magnus possideret, huic Sex. Roscio non licebat religionis obeundæ causa ad sepulchrum patrium per fundum alienum transire. Sed fortasse hoc oratoriè dicitur, & agrorū publicatorum, eadē quæ & priuatim vēditorum ratio fuit. De his autem Pomponius sic scribit, sub tit. De sepulchro violato, Vtimur eo iure, vt dominis fundorum, in quibus sepulchra fecerint, etiam post venditos fundos adeundorū sepulchrorum sit ius. Legibus namque prædiorū vendendorum cauetur, vt ad sepulchra, quæ in fundis sunt, iter ei, aditus, ambitúsque funeris faciundi causa sit. Hinc seruitutes itineris ad sepulchrum, apud Iurisconsultos.

Nemo erat, qui nō ardere omnia mallet, quàm videre in Sex. Roscii viri optimi, atque honestissimi bonis iactātem se ac dominātem T. Roscium. Itaque Decurionum decretum statim fit, vt Decemprimi proficiscātur ad L. Syllam: doceántque eum qui vir Sex. Roscius fuerit: cōquerantur de istorum scelere & iniuriis: orēt, vt & illius mortui famā, & filii innocentis fortunas cōseruatas velit. atque ipsum decretum quæso cognoscite. DECRETVM DECVRIONVM. Legati in castra veniunt. intelligitur Iud. id quod iam antè dixi, imprudēte L. Sylla scelera hæc & flagitia fieri: nam statim Chrysogonus & ipse ad eos accedit, & homines nobiles allegat iis, qui peterent ne ad Syllam adirent, & omnia Chrysogonum, quæ vellent, esse facturum pollicerentur. vsque adeò autem ille pertimuerat, vt mori mallet, quàm de his rebus Syllam doceri. Homines antiqui, qui ex sua natura cæteros fingerent, quū ille confirmaret sese nomen Sex. Roscii de tabulis exempturum, prædia vacua filio traditurū: quúmque id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X legatis erat, ad promitteret, crediderūt: Ameriam re inorata reuerterunt. ac primo rem differre quotidie ac procrastinare isti cœperunt: deinde aliquanto lentius, nihil agere atque deludere: postremò (id quod facile intellectum est) insidias vitæ huiusce Sex. Roscii parare, neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniā domino incolumi obtinere. Quod is simulatque sensit, de amicorum cognatorúmque sententia Romam cōfugit, & sese ad Cæciliā Nepotis filiam, quam honoris causa nomino, cōtulit, qua pater vsus erat plurimum. in qua muliere Iud. etiam nunc, id quod omnes semper existimauerūt, quasi exēpli causa vestigia antiqui officii remanēt. CICERO. 45

Decurionum decretum statim fit, ut Decemprimi proficiscantur ad L. Syllam. Decuriones, nō Magistratus, vt homines pereruditi existimāt, sed Senatores coloniarū, aut municipiorum fuerunt. vnde Decuriare verbum pro In decuriam ascribere. Iurisconsulti in municipiis vulgò duos hosce ordines quasi cōtrarios numerant, Plebeios & Decuriones. Ex Decurionum autē ordine, item vt Romæ ex Senatorum, Magistratus creabātur. Paulus, Is qui nō sit Decurio, Duumuiratu, vel aliis honoribus fungi nō potest: quia Decurionū honoribus plebeii fungi prohibentur. Erátque Duumui-

ratus ferè in municipiis summus magistratus, vt constat ex l. 1. D. De albo scribendo. Cicero in Pisonem, Gabinium denique si vidissens Duumuirū (de Campanis loquitur, & Gabinio Cōsule, Consulatū cum Duumuiratu comparās) vestri illi vnguētarii citius agnouissent. In lege vltima, Dig. Siqui iusdic. non obt. mendum esse arbitror. Omnibus Magistratibus, nō tamen Duumuiris, secundum ius potestatis suæ cōcessum est, iurisdictionem suam defendere pœnali iudicio. TANTVM enim, non TAMEN scriptum fuisse puto. Sed vt eo vnde digressa est, reuocetur oratio, Decretū Decurionum in municipiis sic accipio, vt Romæ Senatusconsultum. Decemprimi autem Magistratus nō erant, quemadmodum plerique existimarunt. Vlpianus enim Decaprotos minores annis XXV fieri tradit: quū ad Rempublicā administrandam ante eam ætatem admitti neminem testetur. Eorum autē administratio nequaquā in Reipub. gubernatione, ciuitatéque regenda ac defendenda versabatur, sed potius in sumptibus Reipub. causa faciendis. Illa autem munera, Iurisconsulti Personarum, hæc verò Patrimonii appellant. Tributorū autem exactioni ferè præerant, in quo siquæ detrimenta fiscus defunctorū culpa contraxisset, resarcire ea Decemprimi, & Vigintiprimi solebant.

Homines nobiles allegat ijs. Allegare in priuato negotio dicimus, quod in publico Legare. Terentius in Andria, Hoc modò te obsecro, vt ne credas à me allegatum hunc senem. Summittere etiam Cicero in eadem re vsurpat, vt Verrina III, Sūmittebat iste Timarchidē, qui moneret, &c.

Homines antiqui, qui ex sua natura cæteros fingerent. Antiquitas, vt idem libro de Legibus I scribit, proximè accedit ad deos. itaque veteres antiquos omnes æquabiliter viros bonos existimabant. Ex quo plerunque Antiqui, qui integri & boni viri sunt, appellātur. Terentius in Adelph. Dii boni, Næ illiusmodi iam nobis magna ciuiū Penuria est, homo antiqua virtute ac fide. Hoc in genere annumerare possumus nostris temporibus Maturinum Corderiū, senem eruditum & sanctum: cuius, dum hæc pangerem, mihi propter summam ipsius cum illis antiqua virtute & fide hominibus similitudinem, in mentem veniebat.

Qui ex sua natura cæteros fingerent. In hanc sententiā sic scribit in Epist. ad Q. Fratrem, Vt quisque est vir optimus, ita difficillimè esse alios improbos suspicatur.

Nomen Sex. Roscij de tabulis exemptum. De tabulis, in quibus erant proscriptorū & occisorum nomina perscripta. Valerius Max. lib. IX, Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas retulit. (de Sylla loquitur) videlicet ne memoria tam præclaræ rei dilueretur.

Ad Cæciliam Nepotis filiam. Corrige sic, Cæciliā Balearici filiam, Nepotis sororē. vt infrà pag. 88. Nam Q. Cæcilius Metellus, qui à Balearibus deuictis Balearicus dictus est, filiam habuit, quæ ex familiæ nomine Cæcilia dicta est: & filiū Q. Cæciliū Metellum, qui quòd Metelli Macedonici nepos esset, vt à patre suo discerneretur, Nepos appellatus est. Et hæc ipsa est Cæcilia, cuius fides & religio tantùm in ciuitate valuit, vt ex eius somnio, Marsico bello templum Senatus sentētia, Iunoni Sospitæ restitutum fuerit: vt apud Ciceronem lib. de Diuinat. I, duobus locis. Sed quod eodem in libro de Cæcilia Metelli loquitur, cuius omine sororis suæ filia ipsius marito nupsit, ad hanc Cæciliam non pertinet. Nam vetus illa loquutio est, Cæcilia Metelli, quæ præcisè hoc significat, quod plenè sic effertur, Cæcilia vxor Metelli. vt alibi, Posthumia Sulpitii, Cornelia Cæsaris, Terentia Ciceronis. Cæciliā autem de qua ibi Cicero loquitur, Metelli vxorem fuisse, patet ex Valerio Max. qui lib. I hanc eandem historiam commemorat.

Quasi exempli causa, vestigia antiqui officij remanent. Quasi exēpli causa, id est vt quasi testimonio sit, olim fuisse homines tāto officio & probitate præditos. Asconius hoc modo, Fuit, inquit, Pupius Piso eisdem temporibus quibus Cicero, sed tanto ætate maior, vt adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quòd in eo & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erāt literæ. Antiquum autē pro bono & integro, modò dici docuimus. & Cicero sic loquutus est in Orat. pro Quintio, Quid tum? tu aliquem patronum inuenies hominem antiqui officii.

CICERO. » Ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo, atque expulsum ex suis bonis, fugiētem latronum
46 » tela & minas, recepit domum, hospitique oppresso iam, desperatóque ab omnibus, opitulata est.
» Eius virtute, fide, diligentia factum est vt hic potius viuus in reos, quàm occisus in proscriptos
» referretur. Nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri, ne-
» que sibi vllam cædis faciundæ potestatem dari: consilium ceperunt plenum sceleris, & audaciæ,
» vt nomen huius de parricidio deferrent: vt ad eam rem aliquem accusatorem veterem compa-
» rarent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio: denique, vt, quoniam cri
» mine non poterant, tempore ipso pugnarent: ita loqui homines, quòd iudicia tam diu facta non
» essent: condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset: huic autem patronos
» propter Chrysogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, & de ista societate verbum esse
» facturum neminem: ipso nomine parricidii, & atrocitate criminis, fore vt hic nullo negotio

» tolleretur, quum ab nullo defensus esset. Hoc consilio, atque adeò hac amentia impulsi, quem i-
» psi, quum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulãdum vobis tradiderunt. Quid primùm
» querar? aut vnde potissimum exordiar, Iudices? aut quod, aut à quibus auxilium petam? deorúm-
» ne immortalium, populine Romani, vestrámne, qui summam potestatem habetis, hoc tempo-
» re fidem implorem? pater occisus nefariè, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, di-
» repta: filii vita infesta, sæpe ferro atque insidiis appetita.

Hospitique oppressoiam. Suprà dixit Sexto Roscio patri hospitii necessitudinem fuisse cum Me-tellis, ex quorum familia Cæcilia.

Quum occisus in proscriptos. Vt Sextus pater, qui posteaquam occisus est, in proscriptorum numerum est relatus, pag. 47.

Aliquem accusatorem veterem. Peritũ, exercitatũ (vt suprà pag. 42) multis in accusationibus versatũ. Et hoc cõtumeliosè dicitur. Nã accusatoris nomen erat inuidiosum, vt diximus in Diuinat.

Tempore ipso pugnarent. Nihil muto. sed si liber aliquis antiquus ita haberet, Tempore ipsum oppugnarent: non valde repugnarem.

Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? tamen hæc aliis nefariis cumulant atque ad- CICERO. 47
» augent: crimen incredibile confingunt: testes in hunc & accusatores huiusce pecunia cõparant,
» hanc conditionem misero ferunt, vt optet vtrum malit ceruices Roscio dare, an insutus in cu-
» leum 'supplicium parricidarum, per summum dedecus vitam amittere. Patronos huic defutu- 'Supplicium parricidarũ, notat.
» ros putauerunt: desunt. Qui liberè dicat, qui cũ fide defendat, id quod in hac causa est satis, quo-
» niam quidem suscepi, non deest profectò Iudices. Et forsitan in suscipienda causa temerè impul-
» sus adolescẽtia fecerim: quoniam quidẽ semel suscepi, licet hercules vndique omnes terrores, mi-
» næ, periculáque impendeant omnia, succurram, atque subibo. Certum est, deliberatúmque, quæ
» ad causam pertinere arbitror, omnia nõ modò dicere, verumetiam libenter, audacter, liberéque
» dicere. Nulla res tanta existat Iudices, vt possit vim mihi maiorem adhibere metus, quàm fides.
» etenim quis tã dissoluto animo est, qui, hæc quũ videat, tacere ac negligere possit? patrẽ meum,
» quum proscriptus non esset, iugulastis: occisum in proscriptorũ numerum retulistis: me domo
» mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis. Quid vultis amplius? etiámne ad sub-
» sellia cum ferro atque telis venistis, vt hìc aut iuguletis, aut condemnetis Sex. Roscium? Homi-
» nem longè audacissimum nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriam, &, quod inter omnes con-
» stat, nisi inter eos qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. is quum curasset in funere C. Marii,
» vt Q. Scæuola vulneraretur, vir sanctissimus atque ornatissimus nostræ ciuitatis (de cuius lau-
» de neque hic locus est vt multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quàm populus R. me-
» moria retinet) diem Scæuolæ dixit, posteaquam comperit eum posse viuere.

Ceruices Roscio dare. T. Roscio Magno, quem suprà gladiatorem nominauit, & insidias vitæ huiusce Sex. Roscii parasse dixit.

Insutus in culeum, supplicium parricidarum. Hæc verba SVPPLICIVM PARRICIDARVM, ad marginem à studioso quopiam posita, librarii errore ducti in contextum Ciceronis verborum induxerunt. De supplicio parricidarum, cognosce pag. 61.

C. Fimbriam. Qui legatus L. Flacci Consulis missi in Asiam, vt Syllæ succederet, ipsum interfecit, & imperium in se trãslatum sic administrauit, vt Mithridatem ferè ceperit. ab exercitu postea desertus, se ipse percussit. Velleius, Appianus, Florus.

In funere C. Marij. Qui primo septimi Consulatus sui mense decessit.

Q. Scæuola vulneraretur. Adhuc enim tum erat Romæ Fimbria: sed paulo pòst missus est, vt modò dixi, L. Flacco (qui Consul in locum Marii creatus est) legatus. Tum autẽ Scæuola tantummodò vulneratus est, vt hic loc' apertè ostẽdit: sed triennio pòst Carbone & Mario, C. Fimbria COSS. nex ei iussu L. Damasippi Prætoris in vestibulo ædis Vestæ allata est. vt apud Ciceronẽ de Nat. deorum III, & Appianum ἐμφυλίων α, & Velleiũ Paterculum. Damasippus autem postea victoria constituta, L. Syllæ iussu interfectus est. Auctor Sallustius.

Diem Scæuolæ dixit. Idem scribit Val. Max. lib. IX, capite De dictis improbis, factisq; sceleratis.

» Quum ab eo quæreretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare CICERO. 48
» quidem quisquam satis commodè posset: aiunt hominem (vt erat furiosus) respõdisse, quòd non
» totum telũ corpore recepisset. quo populus R. nihil vidit indignius, nisi eiusdem viri mortem:
» quæ tantùm potuit vt omnes ciues suos perdiderit & afflixerit: quos quia seruare per cõpositio-
» nem volebat, ipse ab iis interẽptus est. Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriæ nõ simillimũ? Ac-
» cusatis Sex. Rosciũ, quid ita? quia de manibus vestris effugit, quia se occidi passus nõ est. Illud, quia
» in Scæuola factum est, magis indignum videtur: hoc quia fit à Chrysogono, 'non est ferendum. 'non est ferendum. puto legendum, est ferendum.
» Nam per deos immortales, quid est in hac causa quod defensionis indigeat? qui locus ingenium
» patroni requirit, aut oratoris eloquẽtiam magnopere desiderat? Totam causam Iud. explicemus,

atque ante oculos expositam consideremus:

ita facillimè, quæ res totum iodicium contineat, & quibus de rebus nos dicere oporteat, & quid
vos sequi conueniat, intelligetis. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quæ obstent 35.
hoc tempore Sex. Roscio, crimen aduersariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictio-
nem accusator Erucius suscepit. Audaciæ partes Roscii sibi poposcerunt. Chrysogonus autem,
is qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo.
Quid igitur est? non eodem modo de omnibus: ideo quòd prima illa res ad meũ officium perti-
net, duas autem reliquas vobis populus R. imposuit.

Quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commodè posset. Eundem in libro de Nat. deorum III, temperantiæ, prudentiæque specimen appellat. In Lælio scribit, mortuo augure Scæuola ad quem à patre sumpta virili toga deductus erat, se ad hunc Pontificem contulisse: quẽ vnum (inquit) nostræ ciuitatis & ingenio, & iustitia præstantissimum audeo dicere.

Omnes ciues suos. Obscura loquutio, Mors omnes ciues suos perdidit: nisi fortè SVOS pro ILLIVS positũ est: vt alibi apud hunc ipsum non vno loco. tametsi ne sic quidem obscuritas tolletur: non enim omnes Scæuolæ ciues ob eam mortẽ afflicti sunt, sed eius tantùm mortis auctores. Præterea quorsum Scæuolæ ciues, illos appellat? Locus est (vt dixi) obscurus, & fortasse etiã corruptus. nam fieri potest, vt pro SIVS CONSCIOS librarius CIVES SVOS posuerit.

Non est ferendum. Mendum apertissimum. Vacat enim negatio, & sententiam depraoat. Itaque in NVM nonnulli eam commutant, vt cum interrogandi nota legatur: quibus assentior.

Crimen aduersariorum. Id est Criminatio. vt alibi frequentissimé.

Quid igitur est? Obscurus mihi locus. neque equidem quemadmodum explicari possit, satis intelligo. nisi fortè sic legamus, Nõ tamen eodem modo de omnibus. Et illa verba, Quid igitur est? aut post verbum PVGNAT reponamus, aut post Populus R. imposuit.

CICERO. Ego crimen oportet diluam. vos & audaciæ resistere, & hominum eiusmodi perniciosam at-
49 que intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis. Oc- 37.
cidisse patrem Sex Roscius arguitur. scelestum dii immortales ac nefarium facinus, atque eius-
modi, quo vno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. Etenim si id quod præclaré à
sapientibus dicitur, vultu sæpe læditur pietas: quod supplicium satis acre reperietur in eum qui
mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina atque humana co-
gebant? in hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita rarò extitit, vt siquando audi-
tum sit, portenti ac prodigii simile numeretur, quibus tandem tu C. Eruci argumentis accusato- 38.
rem censes vti oportere? nónne & audaciã eius qui in crimen vocetur, singularẽ ostendere, & mo
res feros, immanémque naturã, & vitam vitiis flagitiisque omnibus deditã, & denique omnia ad
perniciẽ profligata atque perdita? quorũ tu nihil in Sex. Rosciũ, ne obiiciendi quidem causa con
tulisti. Patrem occidit Sex. Roscius: qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus ne- 39.
quam inductus? Annos natus magis quadraginta. vetus videlicet sicarius, homo audax, & sæpe in
cæde versatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominẽ nimirum,
& æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxu-
ria purgauit Erucius, quum dixit, hunc ne in conuiuio quidem vllo ferè interfuisse. nihil au-
tem vnquam debuit.

Scelera omnia complexa esse videantur. Complexa præter consuetudinem, in patiendi significatione. vt Fateatur in Orat. contra Rullum, Hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur. Experta, pro Balbo, Cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret, huius præsens experta, atque perspecta obtrectatorum voce lædetur?

Vultu sæpe læditur pietas. Vultu importuno, qualis esse solet indignantium. nam vultus sermo quidam tacitus mentis est: vt scripsit idem aliis locis quammultis.

Vetus videlicet sicarius. Vetus, peritus, exercitatus. pag. 42.

Ne in conuiuio quidem ullo interfuisse. Romanorum in conuiuiis intemperãtiam, cum ex aliis rebus permultis, tum vel maximè ex eo more intelligimus, quem Athenæus lib. δειπνοσ. δ. ex Nicolai Damasceni historiis commemorat. Ῥωμαίους (inquit) παρὰ δεῖπνον συμβάλλειν μονομαχίας, γράφων οὕτως, τὰς δὲ μονομάχων θέας οὐ μόνον ἐν πανηγύρεσι καὶ θεάτροις ἐποιοῦντο Ῥωμαῖοι, παρὰ Τυρρηνῶν παραλαβόντες τὸ ἔθος, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἑστιάσεσιν. ἐκάλουν γοῦν τινες πολλάκις ἐπὶ δεῖπνον τοὺς φίλους ἐπί τε ἄλλοις, καὶ ὅπως ἂν δύο ἢ τρία ζεύγη ἴδοιεν μονομάχων, ὅτε καὶ κορεσθέντες δείπνου καὶ μέθης, ἐκάλουν τοὺς μονομάχους. καὶ ὁ μὲν ἅμα ἐσφάττετο, αὐτοὶ δ' ἐκρότουν ἐπὶ τούτῳ ἡδόμενοι. ἤδη δέ τις καὶ ἐν ταῖς διαθήκαις γέγραφε γυναῖκας εὐπρεπεστάτας μονομαχῆσαι, ἃς ἐκέκτητο. ἕτερος δὲ παῖδας ἀνήβους ἐρωμένους ἑαυτοῦ. ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἠνέσχετο ὁ δῆμος τὴν παρανομίαν ταύτην, ἀλλ' ἄκυρον τὴν διαθήκαν ἐποίησεν. id est, Scribit Romanos inter cœnam gladiatorum pugnas edidisse, his verbis, Gladiatorum spectacula nõ tantùm ludis, & in theatris Romani præbebãt, cõsuetudine ex Tyrrhenis accepta: sed etiam in conuiuiis. Amicos igitur quidam sæpe ad cœnam inuitabant, cum aliis de causis, tum vt duo triáve paria gladiatorum spectarent. nam quando cibo & potu satiati erant, gladiatores euocabant. Ac vnus

aliquis interficiebatur, illi autem plausu & voce voluptatem demonstrabant. Quidam etiam testamento mulieres facie eximia, quarum dominus erat, pugnare iussit: alius etiam pueros impuberes, quos in deliciis atque amoribus habuerat. Sed populus hāc improbitatem non tulit, testamentáque rescidit, atque irrita esse iussit.

Cupiditates porrò quæ possunt esse in eo, qui (vt ipse accusator obiecit) ruri semper habitarit, CICERO.
& in agro colēdo vixerit? quæ vita maximè disiuncta à cupiditate, & cum officio cōiuncta. Quæ 50
res igitur tantum istum furorē Sex. Roscio obiecit? Patri, inquit, nō placebat. patri nō placebat? *cupiditate est, L.*
quam ob causam? necesse est enim eam quoque iustā, & magnā, & perspicuā fuisse. nam vt illud incredibile est, mortē oblatā esse patri à filio sine plurimis & maximis causis: sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti filiū sine causis multis, & magnis, & necessariis. Rursus igitur eodem reuertamur, & quæramus, quæ tāta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri displiceret. at perspicuū est, nullū fuisse. pater igitur amēs, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At is quidem fuit omniū constātissimus. ergo illud iam perspicuū profectò est, si neque amēs pater, neque perditus filius fuerit, neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse. nescio, inquit, quæ causa odii fuerit: fuisse odiū intelligo: quia antea, quū duos filios haberet, illum alterū, qui mortuus est, secū omni tempore volebat esse, hunc in prædia rustica relegarat. quod Erucio accidebat in mala nugatoriáque accusatione, idem mihi vsuvenit in causa optima. Ille quomodo crimen commentitium confirmaret, non inueniebat: ego, res tam leues qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. Quid ais Eruci? tot prædia, tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo relegationis ac supplicii gratia colēda ac tuenda tradiderat? quid hoc? patresfamiliás, qui liberos habēt, præsertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, nónne optatissimū sibi putant esse, filios suos rei familiari maximè seruire, & in prædiis colēdis operæ plurimū studiíque cōsumere?

Quæ vita maximè disiuncta à cupiditate. Huc illud Menādri pertinet, *ἄγροικος εἶναι προσποιῇ πονηρὸς ὤν.* Quū sis improbus, rusticum te simulas.

Disiuncta à cupiditate. Omnes veteres, Disiuncta à cupiditate est. quod probo.

In vnico filio. Hoc pro causa dicitur. nā alter postea mortuus est, quàm hic in prædia relegatus.

Omnium constantissimus. Constantem hominem amenti opponit. nā vt ipse scribit Tusc. III, qui moderatus est, & temperans, eum necesse est esse constantem. qui autem constans, quietum: qui quietus, perturbatione omni vacuū: ergo etiam amentia. In Orat. pro Q. Roscio, mobili opponit constantissimum. Quem hominem? leuem? imò grauissimum. mobilem? imò cōstantissimum.

At amandarat hunc sic, vt esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam, vt commodis o- CICERO.
mnibus careret. quid, si constat, hunc non modò colendis prædiis præfuisse, sed certis fundis pa- *&* 51
tre viuo frui solitū esse? tamenne hæc attenta vita & rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur? Vides Eruci, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque à veritate. quod consuetudine patres faciunt, id quasi nouum reprehendis: quod beneuolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris causa pater filio suo concessit, id eū supplicii causa fecisse dicis. neque hæc tu non intelligis, sed vsque eò, quid arguas, non habes, vt non modò tibi cōtra nos dicendum putes, verumetiam contra rerum naturam, contráque consuetudinem hominum, contráque opiniones omnium. At enim quū duos filios haberet, alterum à se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. quæso Eruci vt hoc in bonam partem accipias: non enim exprobrandi causa, sed commonendi gratia dicam. si tibi fortuna non dedit vt patre certo nascerere, ex quo intelligere posses qui animus patrius in liberos esset: at natura certè dedit, vt humanitatis non parum haberes. eò accessit studium doctrinæ, vt ne à literis quidem alienus esses. Ecquid tandem tibi videtur (vt ad fabulas veniamus) senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium rusticum, quàm illum alterum Cherestratum? (nam, vt opinor, hoc nomine est) alterum in vrbe secum honoris causa habere, alterum rus supplicii causa relegasse?

Tantummodo aleretur ad villam. Ad villam, in villa, vt veteres Grammatici interpretantur. Villa autem ex eo, vt scribit Varro, appellatur, quòd ab agro in eam cōuehuntur fructus, & euehuntur, quū veneunt. Sic in Pisonem, Deprehensus cum ferro ad Senatū, pro in Senatu. Et Ver. III, Duo signa quæ ad impluuium stant, quæ multos annos ad valuas Iunonis Samiæ steterunt.

Vt commodis omnibus careret. Et commodis, nō dubito quin sit reponendum. Respondet enim hoc habuisse Roscium commodi, quòd certis fundis patre viuo frueretur: præterea non ad priorem, sed ad proximam partem hoc referri intelligitur.

Patre certo nascerere. Infamiam matris Erucii significat. vt quū hic ipse Metello Nepoti quæreti ex se quis ei pater esset, ita respondit, Tibi, inquit, hoc responsum mater tua difficilius effecit. hoc ex Apoph. 4. Plut.

Senex ille Cæcilianus. Inductus à Cæcilio, poeta comico.

Quid ad istas ineptias abis, inquies? quasi verò mihi difficile sit quamuis multos nominatim CICERO.

proferre(ne lõgius abeam)vel tribules, vel vícinos meos,qui ſuos liberos,quos plurimi faciunt, agricolas aſſiduos eſſe cupiunt. verùm homines notos ſumere odioſum eſt : quum & illud incertum ſit,velíntne hi ſeſe nominari:& nemo vobis magis notus futurus ſit, quàm eſt hic Eutychus: & certè ad rem nihil interſit, vtrum hunc ego comicum adoleſcentem, an aliquem ex agro Veiente nominem.etenim hæc conficta arbitror à poetis eſſe, vt effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus. Age nunc, refer animum ſis ad veritatem,& conſidera non modò in Vmbria atque in ea vicinitate,ſed in his veteribus municipiis quæ ſtudia à patribusfamiliâs maximè laudentur: iam profectò te intelliges inopia criminum ſummã laudem Sex.Roſcio vitio & culpæ dediſſe. At nõ modò hoc patrum voluntate liberi faciunt,ſed permultos & ego noui,&(niſi me fallit animus)vnuſquiſque veſtrũ qui & ipſi incenſi ſunt ſtudio,quod ad agrum colendum attinet,vitámque hanc ruſticam,quam tu probro & crimini putas eſſe oportere, & honeſtiſſimam & ſuauiſſimam eſſe arbitrãtur. Quid cenſes hunc ipſum Sex. Roſcium,quo ſtudio, & qua intelligentia eſſe in ruſticis rebus? vt ex his propinquis eius hominibus honeſtiſſimis audio,non tu in iſto artificio accuſatorio callidior es, quàm hic in ſuo. Verùm,vt opinor,quoniã ita Chryſogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit,& artificiũ obliuiſcatur,& ſtudium deponat,licebit. quod tametſi miſerũ, & indignum eſt,feret tamen æquo animo Iudices,ſi per vos vitam & famam poteſt obtinere.

Expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ. Noſtræ vitæ quotidianæ,plerique libri veteres.&ita ſine dubio corrigendum.

Quid cenſes hunc ipſum. Mirè inuerſa oratio,& planè,vt mihi quidem videtur, præter conſuetudinem Ciceronis.Fortaſſe ita ſcripſit,vt verbum CENSES poſt vocem REBVS,id eſt,poſtremo loco collocarit.niſi fortè hoc potius modo,Quid?quo cenſes Sex Roſcium ſtudio,&c.quod mihi veriſimilius videtur.

In iſto artificio callidior es, quàm hic in ſuo. Callidos ipſe libro III de Nat.deorum , ſic interpretatur, quorum tanquam manus opere,ſic animus vſu cõcalluit.Callidior igitur,peritior,exercitatior. etenim non quaſi in vitio poſitum accipiendum eſt.

CICERO. 53 Hoc verò eſt quod ferri nõ poteſt, ſi & in hanc calamitatem venit propter prædiorum bonitatem & multitudinẽ,& quòd ea ſtudioſè coluit,id erit ei maximè fraudi: vt parum miſeriæ ſit, quòd aliis coluit, nõ ſibi:niſi etiam quòd omnino coluit, crimini fuerit. næ tu Eruci accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus natus eſſes, quum ab aratro arceſſebantur qui Cõſules fierent. etenim qui præeſſe agro colendo flagitiũ putes,profectò illum Atilium,quem ſua manu ſpargentem ſemen,qui miſſi erant,conuenerunt:hominem turpiſſimum, atque inhoneſtiſſimũ iudicares.at hercule maiores noſtri longè aliter & de illo, & de cæteris talibus viris exiſtimabant. Itaque ex minima tenuiſſimáque Repub.maximam & florentiſſimam nobis reliquerunt: ſuos enim agros ſtudioſè colebant,non alienos cupidè appetebant. quibus rebus,& agris, & vrbibus, & nationibus,Rempub.atque hoc imperium,& populi R.nomen auxerunt. Neque ego hæc eo profero,quo cõferenda ſint cum hiſce,de quibus nũc quærimus:ſed vt illud intelligatur, quum apud maiores noſtros ſummi viri, clariſſimíque homines, qui omni tempore ad gubernacula Reipub.ſedere debebant,tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ, temporíſque conſumpſerint: ignoſci oportere ei homini, qui ſe fateatur eſſe ruſticum, quũ ruri aſſiduus ſemper vixerit:quũ præſertim nihil eſſet,quod aut patri gratius,aut ſibi iucundius,aut re vera honeſtius facere poſſet. Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc opinor, oſtenditur Eruci,quòd hunc ruri eſſe patiebatur.nunquid eſt aliud?Immò verò,inquit, eſt:nam iſtum exhæredare in animo habebat.Audio.nunc dicis aliquid quod ad rem pertineat.

Quum ab aratro arceſſebantur qui Conſules fierent. Verba ipſius ſubiiciã in Catone maiore,quæ hũc locum illuſtrant,In agris erant tum Senatores,id eſt,ſenes.ſiquidem L.Quintio Cincinnato in agro aranti nuntiatum eſt,eum Dictatorẽ eſſe factum.Et paulo pòſt,A villa in Senatum arceſſebantur,& Curius,& cæteri ſenes.ex quo qui eos arceſſebant, Viatores nominati ſunt. Ac de hoc Attilio,& aliis præterea nõnullis apud Val.Max.libro IIII,capite De paupertate:Columellam initio libri I de re Ruſtica. De Lucio quidẽ Quintio multa & lectu perquam iucunda apud Dionyſium Hal.libro X,& Liuium libro III.

CICERO. 54 Nam illa opinor tu quoque concedis leuia eſſe atque inepta,conuiuia cum patre non inibat: quippe qui ne in oppidum quidem niſi perrarò veniret. domum ſuam iſtum nõ ferè quiſquam vocabat : nec mirum, quem neque in vrbe videret, neque rure vocaturus eſſet. verùm hæc quoque intelligis eſſe nugatoria. Illud quod cœpimus , videamus,quo certius argumentum odii reperiri nullo modo poteſt.exhæredare pater filiũ cogitabat.mitto quærere, qua de cauſa: quæro,qui ſcias.tametſi te dicere atque enumerare cauſas omneis oportebat: & id erat certi accuſato-

» ris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipsam vinceret, vt amorem illum penitus insitum eiiceret ex animo, vt denique patrem esse sese obliuisceretur. quæ sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse non arbitror. Verùm concedo tibi vt ea prætereas, quæ quum taces, nulla esse concedis. illum quidem voluisse exhæredare, certè tu planū facere debes. quid ergo affers quare id factum putemus? verè nihil potes dicere. finge aliquid saltem commodè, vt ne planè videaris id facere, quod apertè facis, huius miseri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. exhæredare filium voluit: quam ob causam? nescio. exhæredauitne? nō. quis prohibuit? cogitabat? cui dixit? nemini. quid est aliud, iudicio, ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quæstum, atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id obiicere, quod planum facere nō modò nō possis, verùm ne coneris quidem? nemo nostrum est Eruci, quin sciat tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse: vident omnes qua de causa huic inimicus venias: sciunt huiusce pecunia te adductum esse.

Quem neque in urbe uideret. Hoc valde probo, quanuis omnes libri dissentiant. nam si illorum lectionem comprobemus, Qui neque in vrbe viueret, VOCATVRVS verbum quò referatur, nō habebit. pro quo tamen ipso valde placeret vt legeremus SVOCATVRVS.

Et id erat artis accusatoris officiū. Certi, id est docti, & exercitati, & suū mun' bene & ratione fungētis.

Vt amorem illum penitus insitum eiiceret. Etenim, vt Paulus Iurisconsultus sapienter scribit, in l. vltima, D. de bon. damn. ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem adiicit, velut ad debitam successionem eos vocando: propter quod & in iure ciuili suorū hæredum nomen eis inditum est, ac ne iudicio quidem parētis, nisi meritis de causis, submoueri ab ea successione possunt. Idem ferè Plato lib. de Legibus XI.

Cogitabat. cui dixit? Hoc amplius omnes tum veteres, tum impressi libri, Cogitabat. Cogitabat? cui dixit? quod sine causa reiicere non est nostri pudoris.

» Quid ergo est? ita tamen quæstus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere. accusatores multos esse in ciuitate vtile est, vt metu contineatur audacia. veruntamen hoc ita est vtile, vt ne planè illudamur ab accusatoribus. innocens est quispiam: veruntamen, quāquam abest à culpa, suspicione tamen nō caret. tametsi miserum est, tamen ei qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere. quum enim aliquid habeat quod possit criminosè ac suspiciosè dicere, apertè ludificari, & calumniari sciens non videatur. Quare facile omnes patimur esse quamplurimos accusatores, quòd innocens, si accusatus sit, absolui potest: nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. vtilius est autem absolui innocentem, quàm nocentē, causam nō dicere. Anseribus cibaria publicè locātur, & canes aluntur in Capitolio, vt significent si fures venerint. at fures internoscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint: & quia id est suspiciosum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. quòd si luce quoque canes latrent, quum deos salutatum aliqui venerint: opinor, iis crura suffringātur, quòd acres sint etiam tum, quum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. alii vestrum anseres sunt, qui tantummodò clamant, nocere non possunt: alii canes, qui & latrare, & mordere possunt. cibaria vobis præberi videmus: vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo gratissimum est. deinde si voletis, etiam tum, quū verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratote. id quoque concedi potest.

Huiusce pecunia. T. Roscii Magni.

Legem Memmiam putares aliquid ualere. Legem Memmiam Valerius etiā nominat lib. III, eáque vetitum scribit, ne qui Reipub. causa abessent, eorum nomina in reos referrētur. De calumniatoribus etiam latam esse, hic locus demonstrat. vt apud Martianum in l. I. ad Senat. Turp. & Papinianum in l. Quæsitum, D. de testibus, non Rhemniā, sed Memmiam potius legendum esse videatur. nam de Rhemniorum familia adhuc nos quidem nihil legisse meminimus.

Anseribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio. De anseribus, qui canibus dormientibus, Gallorum in Capitolium ascensum persenserunt, & clangore vigiles excitarūt, nota est historia ex Liuio, & Plutarcho De fortuna populi R. & in vita Camilli. Ob eā causam anseribus cibaria Censores magistratū ineuntes locare solitos tradit idem Plutarchus in problematis. Sed de canibus non idem puto. eos enim tum dormisse, quū anseres vigilātes custodes excitarunt, Plutarchus & Plinius testantur. Itaque in libro De fortuna P.R. canis in crucem sublati signum in Capitolio positum tradit: anseris autem in strato pretioso & ferculo residentis. Verba Plutarchi hæc sunt, [Greek text, illegible] Plinius autē libro X, Est, inquit, & anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus. Quamobrem cibaria anserum Censores

d.d.

in primis locant. Idem libro XXIX, Eadem de causa supplicia annua canes pendũt, inter ædem Iuuentutis & Summani, viui in furcas sambucea arbore fixi. Lucretius,

Romulidarum arcis seruator candidus anser.

CICERO. » Sinautem sic agetis, vt arguatis aliquẽ patrem occidisse, neque dicere possitis aut quare, aut
56 » quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet: sed, si
» ego hos bene noui, literam illam, cui vos vsque eò inimici estis, vt etiam eas omneis oderitis, ita
» vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis.
» Quid mihi ad defendẽdum dedisti bone accusator? quid hisce autem ad suspicandũ? Ne exhære-
» daretur, veritus est. audio. sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo.
» planum fac. nihil est: non, quicum deliberarit, quem certiorẽ fecerit, vnde istud vobis suspicari
» in mentem venerit. quũ hoc modo accusas Eruci, nónne hoc palàm dicis, Ego, quid acceperim,
» scio: quid dicam, nescio. vnum illud spectaui, quod Chrysogonus aiebat, neminẽ isti patronum
» futurum: de bonorum emptione, déque ea societate neminem esse qui verbũ facere hoc tempore
» auderet. Hæc te opinio falsa in istã fraudem impulit. non mehercule verbũ fecisses, si tibi quen-
» quam responsurum putasses. Operæpretium erat, si animaduertistis Iudices, negligentiã eius in
» accusando considerare. credo, quũ vidisset qui homines in hisce subselliis sederent, quæsisse num
» ille, aut ille defensurus esset: de me ne suspicatum quidem, quòd antea causam publicã nullam
» dixerim. posteaquam inuenit neminem eorum qui possunt, & solent: ita negligens esse cœpit, vt
» quũ in mentẽ veniret ei, resideret, deinde spatiaretur, nonnunquã etiam puerum vocaret, credo
» cui cœnã imperaret: prorsus vt vestro cõsessu, & hoc cõuentu pro summa solitudine abuteretur.

Literam illam, cui vos vsque eò inimici estis. Obscurus locus. sed (vt opinor) sic elicietur sensus. Moris erat præter eas literas quæ ad rei absolutionẽ vel cõdemnationem, aut ad iudicii ampliationem, pertinebant (quæ literæ notæ sunt omnibus, mediocriter quidem eruditis) etiam alias Iudicibus dare, quæ ad accusatorem vel calumniæ vel præuaricationis damnandum pertinerent. De præuaricatione argumentum est apertissimũ in Partit. vbi præuaricationẽ defensor docet esse tantummodo accusatoris corruptelam ab reo, argumento ex consequentibus: quòd ea litera de accusatore, soleat dari Iudici. Ex quibus verbis dari solere Iudicibus literam quæ accusatorem notaret, & item alteram quæ præuaricationem factam significaret, facile intellectu est. De calumnia verò testimonio est hic locus. Literam verò A, quæ accusatorem: P, quæ præuaricatum: C verò quæ calumniatum significaret, dari solitam, ex illo Partitionum loco cõiecturam facimus. Nam sublata etiam consuetudine sententiam per tabellam ferendi, hunc tamen morem fuisse vt Iudex voce pronuntiaret CALVMNIATVS ES, Martianus testatur in l. 1, D. ad S.C. Turpil. Alii hanc literam ita interpretati sunt, vt θ Græcum significari putarent, quæ prima est litera verbi θάνατος. quasi verò aut Græca litera Romani in iudiciis vterentur, aut qui calumniæ damnabantur, mortis pœnam subirent. Hæc tamen Erasmus se ex Asconio in suum magnum volumen coniecisse affirmat: quem alii sine vlla dubitatione auctorem sequuti sunt. Sed de Erasmo dicetur suo loco. Nostram quidem coniecturam locus in Epistola M. Cælii ad M. Tullium confirmat, Scito, inquit, C. Sempronium Rufum, rufum mel ac delicias tuas, calumniã maximo plausu tulisse. & quæ postea subscribit. Siquis autem eas tãtùm notas de quibus scribit Asconius dari Iudicibus solitas èxistimet, is intelligat, iudiciis noua lege cõstitutis, tabellas quoque eas dari consueuisse quæ ad eam legẽ & quæstionem accõmodatæ essent. cuius rei cum alia multa testimonio esse possunt, tũ illud in primis quod ex Cæsaris libro de Bello ciuili III, huc adscribemus, L. Domitius in cõcilio dixit, placere sibi bello cõfecto ternas tabellas dari ad iudicandum de iis qui ordinis essent Senatorii, bellóque vnà cum ipsis nõ interfuissent: sentẽtiásque de singulis ferrent qui Romæ remansissent, quíque intra præsidia Pompeii fuissent, neque operam in re militari præstitissent. Vnam fore tabellam, qui liberandos omni periculo censerent: alteram, qui capitis damnarent: tertiam, qui pecunia multarent.

Vt etiam eas omnes. Omnes ad vnũ libri veteres, Vt etiam calumniã. Ego, Vt etiam alias omnes. Quum enim literæ illi quæ calumnia nota atque significatio est, ob eam causam inimicos esse dicat istos accusatores improbos, quòd vehemẽter, ne ab Iudicibus in vrnam constituatur, metuant, eandem quoque aliorum odii causam esse intelligendũ est: vt sensus hic sit. Vsque eò metuunt ne literam illam constituant, vt quoties literas ferri atque constitui vident, conscientia calumniæ cohorreant, ac reformident.

Ad caput affigent. Simili translatione dicitur, vt illud, Notam vel ignominiam inurere. Vtrunque autem à Barbarorum consuetudine transfertur, qui notas, quas Græci στίγματα appellant, certorum hominum frontibus inurebant.

In hisce subselliis sederent. In subselliis defensoris, quæ à læua Prætoris constituebantur.

Negligentiam eius in accusando considerare. Hinc illud Ciceronis in M. Callidium: qui quũ pestem

capitis sui, quū indicia mortis se comperisse manifestò, & manu tenere diceret, solutè tamen egerat, ac leniter & oscitanter, Tu istuc M. Callidi nisi fingeres, sic ageres: & multa in hanc sententiam, quæ ex Bruto cognosces.

Causam publicam nullam dixeram. Idem scribit in lib. De clar. Orat. Causarum autem aliæ publicæ dicūtur, aliæ priuatæ, quomodo etiā publica & priuata iudicia: de quibus hoc loco breuiter explicandum est. nam causæ quidē quæ sint publicæ, alii multis locis indicarūt: sed vim causámque huius appellationis nemo adhuc, quod sciā, commodè demōstrauit. Quùm autem docendi melior, meo iudicio, ratio nulla sit, quam ex contrariorum contentione atque cōparatione: constet autem causas priuatas à Cicerone innumeris locis causas rei priuatæ nominari (vt Verrin. pag. 33, & libro de Nat. deorum 3, & in Bruto) erit opinor, nemini dubium quin causæ publicæ etiam eæ dicātur quæ sunt Reipub. Hoc autem ita interpretor, vt causæ Reipub. dicantur quum Respublica læsa est: priuatæ, quū priuatim aliquis ex ciuibus, siue ille priuatus sit, siue magistratus. Sed quæritur quibus delictis, & quādo lædi Respub. dicatur. an simulatque lex aliqua violata est: vt si quis furtum commiserit, aut pupillum, sociúmve fraudarit: nequaquam. alioqui enim publicæ omnes causæ dicerentur: quum scilicet lædi nemo, iniuriáque affici, nisi contra leges possit. Sed quum Respub. res populi dicatur, in populi autem arbitrio ac voluntate situm sit, quo in quodque peccatum modo animatus esse velit, causæ (iudicio meo) populi dictæ sunt eorum criminum, quæ ipse grauiora iudicauit, quibúsque lædi se existimari voluit: veluti veneni, sicæ, incestus, adulterii. offendi enim his peccatis non eum duntaxat qui hac iniuria affectus est, sed etiam se vniuersum, lege lata demonstrauit. Quorum igitur maleficiorum populus causam suscepit, eorum causæ vel Reipublicæ, vel publicæ causæ appellatæ sunt. Quas autem suscipiat, in eius, vt dixi, arbitrio ac potestate situm est. Itaque non modò peculatus, aut repetundarum, & similia crimina, si populus volet, publica nominabuntur, eorúmque quæstiones causæ publicæ, verumetiam furti, rapinæ, damni iniuria dati, iniuriæ: & omnia denique quæ non sua sponte, sed prudentium interpretatione maleficia nominantur. quod ex lege Lectoria planè intelligitur, quæ aduersus eos lata est qui minorem circumuenissent. siquidem lege lata, ea causa quæ priuata antea semper fuerat, publica facta est. Cicero de Nat. deorum III, Inde, inquit, iudicium publicum rei priuatæ, lege Lectoria. Rei priuatæ, id est quæ antea semper priuata fuerat. Atque hæc quidem de causis priuatis & publicis dicta sint. Sequitur vt de iudiciis exponamus, in quibus etiam præceptum de contrariorum contentione adhiberi volumus. Priuata autem iudicia ex eo dicta esse, arbitror, quòd ferè priuatim & inter priuatos parietes disceptarentur. vt patet ex Orat. pro Cæcina, vbi sic scribit, Persæpe disceptatore domestico diiudicantur. Constat etiam ex iis quæ in Oratione pro Quintio diximus. Res autem ex eo quod plerunque fit nominari, nemini ignotum est. Publica ergo iudicia dicentur quæ in publico exercentur. sicuti constat iudicia publica Romæ plurimum in foro, & sub dio exerceri solita. quod ita scilicet accipi volumus, quum Iudicii nomine cognitionem ipsam & quæstionem Iudicum intelligimus. nam si Iudicium Causam interpretemur eandem esse quam de Causa dicimus, notionem ac sentētiam intelligi volumus. Vtcunque autem sese res habeat, falsam certè esse apparet Iustiniani sententiam, qui iudicia publica ex eo dicta putauit quòd cuiuis de populo agere liceret. Non enim publica sunt, aut dicuntur, quòd cuiuis de populo liceat agere: sed contrà, quia causæ publicæ sunt, id est quia quiuis de populo læsus est, quia cuilibet de populo iniuria facta est, quia denique cuncta Respublica læsa est: propterea licet cuiuis de populo, quasi pro sua virili parte, suam Reique publicæ iniuriam persequi. Etenim ob eam causam vnicuique accusandi potestas permissa est, quòd ad vniuscuiusque singulatim, & publicè ad vniuersum populum ea pertinet iniuria. Præterea si ob eam causam Publica iudicia dicerētur, quòd cuiuis liceret agere, Populares quoque actiones Publica iudicia vocari possent. quo nihil dici potest absurdius. Porrò autem iudicia publica non ideo dici quòd illorum criminū quæstio quodāmodo ad populum pertineat, & Magistratus quasi populi vicarius de iis cognoscat, duabus de causis intelligitur: primùm, ex contrarii contentione. alioqui enim priuata dicerentur, quòd ea priuati exercerent: quod absurdum est. quasi verò non etiā Prætores ipsi, & Triumuiri capitales, & AEdiles, & Quæstores de quibusdam causis cognoscerent: aut dubium sit quin causæ priuatæ, quia rei priuatæ ac pecuniariæ sunt, ita etiam appellētur. Deinde quis ignorat populū omniū legum custodē ac vindicē esse, Prætorémque cum etiā qui iure dicundo præest, à Populo R. quasi vicarium in imperio & potestate collocatum esse, & ipsius nomine atq; imperio ius in priuatis causis dicere? Sed quorū iudiciorū quæstio propriè ad populū pertinere dicatur, explicabimus in Orat. Verrina III, pag. 201. Nunc Platonis locū subiiciemus ex libro de Legib. VI, qui nostrā sententiā de Priuatis Publicisq; iudiciis apertè cōfirmat, [illegible] Id est, Cæterarum rerū duo iudicia sunto. Alterum, quū quis priuatus à priuato quopiā iniuria se

d.ii.

affectum queritur, eúmque in ius ducens, de ea re disceptari postulat. alterum, quum Rempublicam à quopiam ciuium læsam esse aliquis existimat, & vult Reipub. persequi iniuriam.

Resideret, deinde spatiaretur. Etenim æquo in loco causas Oratores dicebant, & interdum inambulabant, in spatio scilicet quod inter aduocatorum subsellia relinquebatur. quod cum ex hoc loco, tum ex illis Quintiliani verbis intelligitur, quæ subiiciam, Conueniens etiã ambulatio quibusdam propter immodicas laudationum motas: quanquam Cicero rarum incessum, neque ita longum probat. Et paulo pòst, Ambulantem loqui ita demum oportet in causis publicis, in quibus multi sunt Iudices, si quod dicimus, quasi singulis inculcare peculiariter velimus. Hoc tamẽ postea sublatum, queritur Cornelius Tacitus in dialogo de Oratore, his verbis, Quãtum virium detraxisse orationi auditoria & tabularia credimus, in quibus iam ferè plurimæ causæ explicantur? nam quo modo nobiles equos cursus & spatia probant, sic latus Oratorũ campus, per quem nisi liberi & soluti ferantur, debilitatur & frangitur eloquentia.

Nonnunquam etiam patronis nostris. Quintilianus eodem capite, Vnde moueor vt ne id quidẽ transeam ineptissimè fieri, quũ inter moras laudationum, aut in aurem alicuius loquuntur, aut cum sodalibus iocantur, aut nonnunquã ad librarios suos ita respiciũt, vt sportulã dictare videãtur.

CICERO. 57
» Perorauit aliquãdo, assedit. surrexi ego. respirare visus est, quòd nõ alius potius diceret. cœpi
» dicere. vsque eò animaduerti Iudices eum iocari, atque alias res agere, antequam Chrysogonum
» nominaui. quẽ simulatque attigi, statim homo se erexit, mirari visus est. intellexi quid eum pupugisset. iterum, ac tertiò nominaui. postea homines cursare vltro & citro nõ destiterunt, credo,
» qui Chrysogono nuntiarent, esse aliquem in ciuitate, qui contra voluntatem eius dicere auderet: aliter causam agi atque ille existimaret, aperiri bonorum emptionem, vexari pessimè societatem, gratiam, potentiámque eius negligi, Iudices diligentèr attendere, populo rem indignam
» videri. Quæ quoniam te fefellerunt Eruci, quoniámque vides versa esse omnia: causam pro Sex.
» Roscio si nõ commodè, at liberè dici: quem dedi putabas, defendi intelligis: quos tradituros sperabas, vides iudicare: restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem, atque pruden-
» tiam: confitere huc eã spe venisse, quòd putares hîc latrocinium, non iudicium futurum. de parricidio causa dicitur: ratio ab accusatore reddita non est quam ob causam patrem filius occiderit. quod in minimis noxis, & in his leuioribus peccatis, quæ magis crebra, & iam propè quotidiana sunt; maximè & primùm quæritur, quæ causa maleficii fuerit: id Erucius in parricidio
» quæri non putat oportere. in quo scelere Iudices, etiam quum multæ causæ conuenisse vnum in
» locum, atque inter se congruere videntur: tamen non temerè creditur, neque leui coniectura res
» penditur; neque testis incertus auditur, neque accusatoris ingenio res iudicatur.

(margin: aut confitere te huc)

Restitue nobis veterem t. i. c. a. prudentiam: confitere huc ea spe venisse. Obscurus mihi locus, nisi AVT disiunctiua particula interponatur: vt sit, Aut cõfitere. Sensus erit sic apertius, Viere nũc vetere illa tua calliditate oratoria: refer pristinam illam tuam prudentiam, qua in quanuis mala causa, tamen aliquid commode fingebas. aut si id non potes, confitere. & quæ sequuntur. Legendum tamen putarem Confitere te, &c.

Tamen non temerè creditur. Suetonius in Augusto scribit, nonnisi confessos parricidarum supplicio affici moris fuisse. Dixit, Inquit, ius non diligentia modò summa, sed & lenitate. siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quòd nonnisi confessi afficiebantur hac pœna, ita fertur interrogasse, Certè patrem tuum non occidisti.

CICERO. 58
» Quum multa antea commissa maleficia, cum vita hominis perditissima, tum singularis au-
» dacia ostendatur necesse est: neque audacia solùm, sed summus furor, atque amentia. hæc quum
» sint omnia, tamen extent oportet expressa sceleris vestigia, vbi, qua ratione, per quos, quo tempo-
» re maleficium sit admissum. quæ nisi multa, & manifesta sunt, profectò res tã scelesta, tam atrox,
» tam nefaria credi non potest. magna est enim vis humanitatis: multum valet cõmunio sangui-
» nis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum
» est, esse aliquem humana specie, & figura, qui tãtùm immanitate bestias vicerit, vt, propter quos
» hanc suauissimam lucem aspexerit, eos indignissimè luce priuarit: quum etiam feras inter sese
» partus, atque educatio, & natura ipsa conciliet. Non ita multis antè annis aiunt T. Clœliũ quen-
» dam Terracinensem, hominem non obscurum, quum cœnatus cubitum in idem cõclaue cum
» duobus adolescẽtibus filiis isset, inuẽtum esse mane iugulatum. Quũ neque seruus quisquã repe-
» riretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret: id ætatis autẽ duo filii propter cubãtes ne sen-
» sisse quidẽ se dicerent: nomina filiorũ de parricidio delata sunt. Quid postea? erat sanè suspicio-
» sum. neutrum sensisse: ausum autem esse quenquã se in id conclaue cõmittere, eo potissimũ tem-
» pore, quum ibidem essent duo adolescẽtes filii, qui & sentire, & defendere facilè possent. erat porrò nemo in quem ea suspicio conueniret. tamen quum planum Iudicibus esset factum, aperto
» ostio dormientes eos repertos esse: iudicio absoluti adolescẽtes, & suspicione omni liberati sunt.

(margin: Terracinensem,)

T. Cælium quendam Terracinensem. T.Cœlium reperio scriptum apud Valerium Max.& Cœlios fratres,vbi hanc ipsam historiam exponit.Hoc amplius, Tarracinensem.quo modo sine dubio corrigendum hoc loco est.Est enim Tarracina,vt Plinius scribit, oppidũ Volscorum,quorum lingua Anxur nominatur.

Nemo enim putabat quenquam esse,qui,quũ omnia diuina atque humana iura scelere nefa- CICERO.
rio polluisset, somnum statim capere 'potuisse: propterea quòd qui tantum facinus commise- 59
runt,nõ modò sine cura quiescere,sed ne spirare quidem sine metu possunt. Videtísne,quos no- 'potuisset.
bis Poetæ tradiderunt patris vlciscendi causa supplicium de matre sumpsisse; quum præsertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicãtur:tamen vt eos agitent furiæ, neque consistere vsquam patiantur:quòd ne pii quidem sine scelere esse potuerunt.Sic se res habet Iudices:magnam vim,magnam necessitatem,magnam possidet religionem paternus, maternúsque sanguis:ex quo siqua macula concepta est,non modò elui non potest,verùm vsque eò permanat ad animum,vt summus furor,atque amentia cõsequatur. Nolite enim putare,quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis,eos,qui aliquid impiè sceleratéque commiserint, agitari, & perterreri furiarum tedis ardentibus.Sua quenque fraus,& suus terror maximè vexat: suum quenque scelus agitat, amentiáque afficit:suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ,quæ dies noctésque parentum pœnas à conscelerati ssimis filiis repetant.hæc magnitudo maleficii facit,vt, nisi penè manifestum parricidium profe- [redacted]
ratur,credibile non sit,nisi turpis adolescẽtia,nisi omnibus flagitiis vita inquinata,nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore,nisi prorupta audacia,nisi tanta temeritas, vt non procul abhorreat ab insania.Accedat huc oportet odium parentis,animaduersionis paternæ metus,amici improbi,serui conscii,tempus idoneũ,locus opportunè captus ad eam rem:penè dicam, respersas manus sanguine paterno Iudices videant oportet,si tantum facinus,tam immane,tam acerbum credituri sunt.

somnum statim capere potuisse. Potuisset,alii plerique.quod probo. [redacted]

Ne pii quidem. Parentum mortem vlcisci.

In fabulis. In Tragœdiis.Fabularũ enim nomine Latini & Tragœdias, & Comœdias appellãt.

Nolite enim putare iudices. Sumptum videtur ex AEschinis oratione contra Timarchum, cuius hæc sunt verba, Μὴ γὰρ οἴεσθε, ὦ Ἀθηναῖοι, τὰς τῶν ἀδικημάτων ἀρχὰς ἀπὸ θεῶν, ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων ἀσελγείας γίνεσθαι, μηδὲ τοὺς ἠσεβηκότας καθάπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις ποινὰς ἐλαύνειν, καὶ κολάζειν δᾳσὶν ἡμμέναις· ἀλλ' αἱ προπετεῖς τοῦ σώματος ἡδοναὶ καὶ τὸ μηδὲν ἱκανὸν ἡγεῖσθαι, ταῦτα πληροῖ τὰ λῃστήρια, Id est,Nolite enim putare, Athenienses, scelerum principia ex diis,non ex hominũ intemperantia proficisci.neque eos, qui aliquid impiè sceleratéque commiserint,(quemadmodum in fabulis) à furiis agitari, cruciarique tedis ardentibus: sed corporis effrenatæ libidines, inexplebilésque cupiditates, eæ latrocinia direptionésque perficiunt. In eandem rationem noster lib. I. de Legibus sic scribit,At verò scelerum in homines, atque impietatum nulla expiatio est.Itaque pœnas luunt non tam iudiciis,vt eos agitant insectantúrque furiæ, non ardentibus tedis, sicut in fabulis,sed angore cõscientiæ,fraudísque cruciatu. Similis etiam sententia extat in Orat. in Pisonem.

Quos nobis Poetæ tradiderunt. Orestem & Alcmæonem.notæ sunt fabulæ.

Nisi penè manifestum parricidium proferatur. Dixi modò ex Augusto Suetonii, nonnisi cõfessos hac pœna affici moris fuisse.

Quare hoc quo minus est credibile,nisi ostẽditur:eo magis est,si cõuincitur,vindicandũ. Itá- CICERO.
que cum multis ex rebus intelligi potest,maiores nostros non modò armis plus,quàm cæteras na- 60
tiones,verumetiã consilio sapientiáque potuisse:tum ex hac re vel maximè, quòd in impios singulare suppliciũ inuenerunt. Qua in re quantum prudẽtia præstiterint iis, qui apud cæteros sapientissimi fuisse dicuntur,considerate.prudẽtissima ciuitas Atheniensiũ,dum ea rerũ potita est, fuisse traditur.eius porrò ciuitatis sapientissimũ Solonẽ dicunt fuisse,eum,qui leges, quibus hodie quoque vtuntur,scripserit is quũ interrogaretur cur nullũ suppliciũ cõstituisset in eũ qui parentem necasset:respondit,se id neminẽ facturũ putasse.sapiẽter fecisse dicitur,quũ de eo nihil sanxerit quod antea cõmissum non erat: ne nõ tam prohibere,quàm admonere videretur. Quanto maiores nostri sapiẽtius,qui,quũ intelligerent nihil esse tam sanctũ, quod nõ aliquãdo violaret audacia,suppliciũ in parricidas singulare excogitauerunt: vt,quos natura ipsa retinere in officio non potuisset,ii magnitudine pœnæ maleficio summouerẽtur: insui voluerunt in culeũ viuos, atque ita in flumen deiici.O singularẽ sapientiã Iudices.nónne vidẽtur hunc hominẽ ex rerum natura sustulisse & eripuisse,cui repentè cælum,solem,aquam,terrámque ademerũt: vt,qui eum necasset,vnde ipse natus esset: careret iis rebus omnibus ex quibus omnia nata esse dicuntur.

Dum ea rerum potita est. De Atheniensium imperio cognosce ex commentariis in Orat. pro L. [redacted] Manilia.

CICERO. 61 » Noluerũt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque, quæ tantùm scelus attigissent, immanioribus vteremur: nõ sic nudos in flumen deiicere, ne quũ delati essent in mare, ipsum pollueret, quo cætera quæ violata sunt, expiari putãtur. denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem vllam reliquerint. etenim quid tam est commune, quàm spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis: ita viuunt dum possunt, vt ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, vt eorum ossa °terra non tangat: ita iactantur fluctibus, vt nunquam 'abluantur: ita postremò eiiciuntur, vt ne ad saxa quidem mortui conquiescant. tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te Eruci censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris? si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares, eíque iudicio Chrysogonus præesset, tamen diligentius paratiúsque venisses. vtrum, quid agatur non vides: an apud quos agatur? agitur de parricidio: quod sine multis causis suscipi non potest. apud homines autem prudentissimos agitur: qui intelligunt neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere. Esto: causam proferre non potes. tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. Non quæro abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit: quæro, quomodo occiderit, ita quæro abs te C. Eruci quomodo, & sic tecum agam, vt in eo loco vel respõdendi, vel interpellandi tibi potestatem faciam: vel etiam, siquid voles, interrogandi. Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? si ipsum arguis, Romæ non fuit.

°terram non tangant: l.
'alluantur: l.

Ipsum pollueret, quo cætera quæ violata sunt, expiari putantur. Eustathius lib. Iliad. α, in illũ Homeri versum, οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον, sic scribit: διὰ τί δὲ εἰς τὴν ἅλα, ἢ πάντως διὰ τὸ φύσει ῥυπτικὸν εἶναι τὸ θαλάσσης ὕδωρ: εἰς τὴν αὐτὴν ... ἔβαλλον, διὸ καὶ παροιμία φησί, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. ὁ παρ' Εὐριπίδῃ κεῖται, hoc est, Quid ita autem in mare? an omnino, quòd aqua maris natura abstergendi vim habet? Prouerbium autem est in Iphigenia Taurica: ortúmque ex eo euentu putatur, quem Diogenes Laertius commemorat, Platonem, quũ in AEgyptum proficisceretur, comitem sibi Euripidẽ adiunxisse. quem quũ morbo affectum sacerdotes AEgyptii in mare mersissent, atque ita sanassent, hunc versum confecisse, quem postea Iphigeniæ attribuit, θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά, Mare proluit omnia mortalium mala.

Etenim quid est tam commune. Hunc locum summis à populo R. clamoribus ac laudationibus exceptum scribit ipse in Oratore ad Brutum, vbi etiam hoc adscribit, aliquanto pòst sentire se cœpisse, quàm hæc scripsisset, nequaquam hæc satis deferbuisse. Sunt enim omnia, inquit, sicut adolescentis, non tam re & maturitate, quàm specie & expectatione laudati. Morem fuisse populi, dùm causæ ab Oratoribus dicerentur, siquid insigniter dictum videretur, & strepitu & clamore testimonium dare, sibi ea quæ dicerẽtur vehementer probari, cum ex ipsius Ciceronis Orationibus plurimis intelligitur, tum ex eo Quintiliani loco quem antè protuli ex lib. Institutionũ xi.

Vt eorum ossa terra non tangat. In Oratore, Terrã non tangãt: quæ mihi probabilior lectio videtur.

Nunquam abluantur. Alluantur, in eodem libro: & sic emenda.

Esto. Particula, qua frequentissimè vtitur in hac sententia, Vt hoc tibi concedam & largiar. In eadem re vocem ἔστω Demosthenes & AEschines crebro vsurpant, vt alibi ostendimus.

Ita quæro abs te C. Eruci quomodo. Locum sic interpungendum putarem, Ita quæro abs te C. Eruci quomodo: quod sententiam planissimè declarat.

CICERO. 62 » Si per alios fecisse dicis: quæro, seruósne, an liberos: quos homines: indidémne Ameria, an hosce ex Vrbe sicarios? si Ameria, qui sunt hi? cur nõ nominãtur? si Roma, vnde eos nouerat Rosci⁹, qui Romã multis annis non venit, neque vnquam plus triduo fuit? Vbi eos cõuenit? quicum loquutus est? quomodo persuasit? pretiũ dedit? cui dedit? per quem dedit? vnde, aut quantum dedit? nónne his vestigiis ad caput maleficii perueniri solet? & simul tibi in mentẽ veniat facito, quẽadmodum vitã huiusce depinxeris: hunc hominẽ ferum, atque agrestẽ fuisse: nunquam cum homine quoquam colloquutum esse, nunquã in oppido constitisse. Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumẽto ad huius innocentiã poterat esse: in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultáque vita, istiusmodi maleficia gigni non solere. vt non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur. in vrbe luxuries creatur: ex luxuria existat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignũtur. Vita autem hæc rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniæ, diligentiæ, iustitiæ magistra est. Verùm hæc missa facio: illud quæro, Is homo, qui, vt tute dicis, nunquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultũ, absens præsertim, conficere potuerit. multa sunt falsa Iudices, quæ tamen argui suspiciosè possunt. in his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romæ Sext. Roscius occiditur, quum in agro Amerino esset filius. literas, credo, misit alicui sicario, qui Romæ nouerat neminem. Arcessiuit aliquem: at quando? nuntium misit: quem? aut ad quem?

Pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem. nihil horum ne confingi quidem potest: & tamen causa de parricidio dicitur. Reliquum est vt per seruos id admiserit. O dii immortales, rem miseram & calamitosam, quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, vt seruos in quæstionẽ polliceatur, id Sex. Roscio facere non licet: vos qui hunc accusatis, omnes eius seruos habetis: vnus puer victus quotidiani administer ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc appello P. Scipio, te Metelle: vobis aduocatis, vobis agentibus, aliquoties duos seruos paternos in quæstionem ab aduersariis Sex. Roscius postulauit. Meministisne T. Roscium recusare? quid? ii serui vbi sunt? Chrysogonum Iudices sectantur, apud eum sunt in honore, & in pretio, etiã nunc, vt ex his quæratur, ego postulo, hic orat, atque obsecrat. Quid facitis? cur recusatis? dubitate etiã nunc Iudices, si potestis, à quo sit Sex. Roscius occisus: ab eone qui propter illius mortem in egestate & insidiis versatur, cui ne quærendi quidem de morte patris potestas permittitur: an ab iis qui quæstionẽ fugitant, bona possident, in cæde atque ex cæde viuunt? Omnia Iudices in hac causa sunt misera, atque indigna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri potest. Mortis paternæ de seruis paternis quæstionem habere filio nõ licet: ne tandiu quidem dominus erit in suos, dum ex iis de patris morte quæratur. Veniam, neque ita multo pòst, ad hũc locum: nam hoc totum ad Roscios pertinet: de quorũ audacia tum me dicturum pollicitus sum, quum Eruci crimina diluissem. Nunc Erucii ad te venio, cõueniat mihi tecũ necesse est, si ad hũc maleficiũ istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas: aut per aliquos liberos, aut seruos. CICERO. 63

Vt seruos in quæstionem polliceatur. Moris fuit vt qui reus alicuius criminis argueretur, seruos suos in quæstionem daret: in caput autem ipsius nunquam nisi eo petente ac postulante quæreretur. Eóque illud respicit quod ipse scribit in Partitionibus, Multi etiam suam vitam neglexerunt, vt eos qui his chariores quàm ipsi sibi essent, liberarẽt. Et eodem rursus libro, De nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis, qui de seruis in dominos quæri noluerunt. [redacted]

Liberósne: quos neque vt cõuenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque vbi, neque per quos, neque qua spe, aut quo pretio, potes ostẽdere. Ego contrà ostẽdo, non modò nihil eorũ fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere, quòd neque Romæ multis annis fuerit, neque de prædiis vnquam temerè discesserit. Restare tibi videbatur seruorũ nomẽ, quò, quasi in portum, reiectus à cæteris suspicionibus, cõfugere posses: vbi scopulũ offendis eiusmodi, vt non modò ab hoc crimen resilire videas, verùm omnẽ suspicionẽ in vosmetipsos recidere intelligas. Quid est ergo, quò tandem accusator inopia argumentorum confugerit? eiusmodi tempus erat, inquit, vt homines vulgò impunè occiderentur: quare tu hoc, propter multitudinẽ sicariorum, nullo negotio facere potuisti. Interim mihi videris Eruci, vna mercede duas res assequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos à quibus mercedem accepisti. Quid ais? vulgò occidebãtur? per quos? & à quib⁹? nónne cogitas te à sectoribus huc adductũ esse? quid postea? nescimus, per ista tempora eosdem ferè sectores fuisse collorum, & bonorũ? ii denique qui tum armati dies noctésque concursabãt, qui Romæ erant assidui, qui omni tempore in præda & sanguine versabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbitatẽ iniquitatémque obiicient? & illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modò Romæ non fuit, sed omnino, quid Romæ ageretur, nesciret, propterea quòd ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. CICERO. 64 [redacted]

Eiusmodi tempus erat, inquit, ut homines impunè occiderentur. Significat tempus Syllanarũ proscriptionum: quibus, vt dixi, præmium erat percussoribus publicè propositum. [redacted]

Vna mercede duas res assequi uelle. Trãslatè dictum, pro vna eadémque opera, quam quasi mercedis loco persoluis: acsi diceret, vnius accusationis labore. Neque enim adduci possum vt putem eam mercedem significari, quam illi à Chrysogono persolutã esse scribit: quũ & sensus foret ineptissimus, & laudi potius quàm vitio duci oporteret, si pro vna mercede quam acciperet, duplicem laborem sumeret.

Nos iudicio perfundere. Perfundi propriè dicimur liquoribus, vt ille Philodamus, qui à Rubrio aqua calida perfusus dicitur, Ver. III. Eleganter autem ad animũ transfertur: vt quum dicimus Perfundi voluptate, suauitate, mœstitia. Cicero ad Atticũ, Dii immortales, quis me horror perfudit? Qua figura dictũ puto Iudicio perfundere, pro Metu & formidine perfundere, qua, qui in iudicium vocati sunt, afficiuntur. Sensus est enim, Quum interfectum dicas Roscium à sicariis, reuera Titos Roscios accusas, sicarios, & gladiatores certissimos, quum tamen in iudicium nos vocaris, & nomen nostrũ detuleris. Ita vna opera vnius accusationis, duas res assequeris nam & metu iudicii nos afficis, & illos tamen accusas. [redacted]

Te à sectoribus huc adductũ. Qui sint Sectores declarat Asconius his verbis, Sectorẽ autẽ dicit æstimatorẽ redẽptorẽmque bonorũ dãnati atq; proscripti, qui spẽ lucri sui sequutus, bona condẽnatorũ semel auctionatur. Ex quib⁹ verbis Sectores ab antiquo verbo Secare, quod sequi significat,

dictos esse apparet. quo verbo vsus est, teste Seruio, Vergilius, lib. AEneidos x, Quæcúque est fortuna hodie, quam quisque ferat spẽ. Ex quo verbo sine dubio declinata hæc quoque sunt, Secta, & Sector, & Sectio: vt Sectores nomen ex eo reperisse videantur, quòd iudicia & reos sectarentur, quorum damnatorum bona actione coemerent. Nam quod proximè dicit, eosdem fuisse sectores collorum & bonorũ: ludit ancipiti significatione vocabuli: vt in similibus locis innumeris.

Quid postea? Postea pro Præterea. vt in Ora. pro Cæcina, pag. 623, Postea cur Ebuti de isto potius fundo, quàm de alio Cæcinæ denuntiabas? Plautus in Mercatore,

Nescio quid animo meo ægrè est pater:
Postea nocte hac quieui non satis ex sententia.

CICERO. 65 » Vereor ne aut molestus sim vobis Iudices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam per-
» spicuis rebus diutius differam. Erucii criminatio tota, vt arbitror, dissoluta est: nisi forte expecta-
» tis vt illa diluã quæ de peculatu, ac de eiusmodi rebus cõmentitiis, inaudita nobis ante hoc tem-
» pus ac noua, obiecit. Quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reũ cõ-
» mentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum qui causam dicit, pertinebant. de qui-
» bus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. Siquid est quod ad testes reseruet: ibi nos quo-
» que, vt in ipsa causa, paratiores reperiet, quàm putabat. Venio nunc eò, quò me non cupiditas du
» cit, sed fides: nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius ex quibus possem crescere: quod
» certum est non facere, dum vtrumvis licebit. is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute
[redacted] in altiorem locum peruenit, non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem. Desi-
» namus aliquando ea scrutari quæ sunt inania: quæramus vbi maleficium & est, & inueniri po-
» test. Iam intelliges Eruci, certum crimen quàm multis suspicionibus coarguatur. Tametsi ne-
» que omnia dicam, & leuiter vnumquodque tangam: neque enim id facerem, nisi necesse esset: &
» id erit signi me inuitum facere, quòd non prosequar longius, quàm salus huius, & mea fides po-
» stulabit. causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio: at ego in T. Roscio reperio. tecum enim
» mihi res est T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palàm aduersarium esse profiteris. de Capitone
» pòst viderimus, si quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit. tum alias quoque suas
» palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur.

[redacted]. *Neque ad eum qui causam dicit.* Hoc dicitur ad tempus. Nam (vt Asconius scribit) pleraque crimina ex anteacta vita sæpe firmantur. omnis enim cõfirmatio ab attributis personæ & negotio sumi solet. Ergo attributa personæ maximè in anteacta vita quæri solẽt: negotio, in ipso crimine.

Accusarem alios potius, ex quibus possem crescere. Nam qui nobili aliqua accusatione quempiam damnabant, laudem eloquentiæ, ingenii, industriæ, probitatis apud populum consequebantur: quæ via erat ad honores & Remp. certissima: vt libro de Off. 11, & in Diuinatione.

Alias quoque suas palmas cognoscet. Suprà pag. 42.

CICERO. 66 » L. Cassius ille quem populus R. verissimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem
» in causis quærere solebat, cui bono fuisset. sic vita hominum est, vt ad maleficium nemo conetur
» sine spe, atque emolumento accedere. Hunc quæsitorem, ac iudicem fugiebant, atque horrebant
» ii quibus periculum creabatur: ideo quòd, tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam
» propensus ad misericordiam, quàm implicatus ad seueritatem videbatur. ego, quanquam præest
» huic quæstioni & contra audaciam fortissimus, & ab innocentia clementissimus, tamen facile
[redacted] me paterer, vel illo ipso acerrimo iudice quærente, vel apud Cassianos iudices, quorum etiam
» nunc ii quibus causa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere. in hac enim
» causa quum viderẽt illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse, il-
» lud quidem non quærerẽt, cui bono fuisset, sed eo perspicuum crimen, & suspicionem potius ad
» prædam adiungerent, quàm ad egestatem. quid, si accedit eodem, vt tenuis antea fueris? quid, si,
» vt auarus? quid, si, vt audax? quid, si, vt illius qui occisus est, inimicissimus? num quærenda causa
» quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari potest? Tenuitas hominis eiusmo-
» di est, vt dissimulari non queat: atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. auaritiam præfers,
» qui societatem coieris de municipis, cognatique fortunis cum alienissimo. Quàm sis audax (vt
» alia obliuiscar) hinc omnes intelligere potuerunt, quòd ex tota societate, hoc est ex tot sicariis so
» lus tu inuẽtus es qui cum accusatoribus sederes, atque os tuũ nõ modò ostẽderes, sed etiã offerres.
» Inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio, & magnas rei familiaris cõtrouersias cõcedas necesse est.

[redacted]. *L. Cassius ille.* De hoc ipso Cassio vide Asconiũ in Milonianã. Valerius Maximus lib. III, eius tribunal propter nimiam seueritatem, Scopulum reorum appellari solitum, memoriæ tradidit.

Hunc quæsitorem ac iudicem fugiebant. Quæsitor in publicis causis, Prætor is dicitur qui iudicio præest, deriuata ex eo appellatione, quòd qui accusatur, nocens sit, an innocens, cum cõsilio quærit, id est cognoscit.

Quàm implicatus ad seueritatem. Implicatum dixit, quasi seueritate præpeditum quo minus liberè

ac facilè misericordia vteretur.

Huic quæstioni & contra. Huic quæstioni vir & contra,& omnes alii libri:& sic emenda. Significat autem M.Fannium Prætorem huius quæstionis.

Ab innocentia clementissimus. Id est in causa innocentium vel ex ea parte qua innocentiam perspicit. Similis locutio lib. de Orat. 1, Sed vide ne hoc Scæuola totum sit à me. Et Tuscul. 1 1, Quid enim dicât,& quid sentiât hi qui sunt ab ea disciplina,nemo ignorat. Sic in Bruto,Stare à Senatu,& à bonorum causa,quod Græci dicerent [illegible].

Sed eò perspicuum crimen. Hoc quid sit,non intelligo. Mihi corrigẽdum videtur, Sed & perspicuũ. Et sensus est planissimus. Potius crimen adiungeret ad prædam,quàm ad egestatem.

Restat Iudices vt hoc dubitemus, vter potius Sex. Roscium occiderit: is ad quem morte eius CICERO. 67 diuitiæ venerint: an is ad quem mendicitas. is qui antea tenuis fuerit: an is qui postea factus sit egentissimus. is qui ardens auaritia feratur infestus in suos: an is qui semper ita vixerit, vt quæstum nosset nullum, fructum autem eum solum quem labore peperisset. is qui omnium sectorum audacissimus sit:an is qui propter fori iudiciorúmque insolentiam,non modò subsellia, verùm etiam vrbem ipsam reformidat. postremò Iudices, id quod ad rem mea sententia maximè pertinet, vtrum inimicus potius,an filius. Hæc tu Eruci tot & tanta si nactus esses in reo,quandiu diceres? quo te modo iactares? tempus hercule te citius, quàm oratio deficeret: etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, vt dies singulos possis consumere: neque ego non possum: non enim mihi tantum derogo, tametsi nil arrogo, vt te copiosius, quàm me, putem posse dicere. Verùm ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer: te pugna Cannensis accusatorem sat bonum facit. multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Seruilium vidimus. quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? nõ necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos,quos iam ætas à prælìis auocabat: postremò Priamũ ipsum, senem Antistium,quem non modò ætas,sed etiam leges pugnare prohibebant. iam quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt qui inter sicarios & de veneficiis accusabant. qui omnes (quod ad me attinet) vellem viuerent: nihil enim mali est, canes ibi quamplurimos esse, vbi permulti obseruandi, multáque seruanda sunt.

Vt hoc dubitemus. Dubitemus, cogitemus, cõsideremus. Virgil. 1 x. AEneid. percipe porrò Quid dubitem,& quæ nunc animo sententia surgat. Id est, cogitem, inquit Seruius. omnis enim cogitatio in dubitatione est ante sententiam.

Quæstum nosset nullum. fructum autem eum solum quem labore peperisset. Quæstum & Fructum ita distinguere videtur, vt quæstus pecuniæ sit,& mercium: fructus verò agrorum.

Te pugna Cannensis accusatorem sat bonum. AEmylius Paulus, Terentius Varro coss. victi sunt ab Annibale memorabili prælio ad Cannas commisso. Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti Equites,& tanta propè ciuiũ sociorúmque pars cæsi dicuntur. in his Consul AEmylius, Quæstores duo, x x 1 Tribuni mil. Consulares quidã, Prætoriíque & AEdilitii. Hæc ex Polybii lib. 1 1 1,& Liuii x x 1 1. Ergo hæc [illegible] à Tullio dicuntur, & significant maximam eorum cædem esse factam qui accusare consueuerant. Nam vt postea demonstrat, proscriptione Syllana, qui ciuium bona diripiebant, accusatores etiam sustulerant, ne ab iis postea in iudicium vocarentur. Et magnum interfectorum numerum fuisse ostendit, quum eam cædem cum clade Cannensi comparat. Sensus est igitur, Ego quia multi patroni appellãtur, fortasse in eorum grege annumerabor: tibi quia accusatores præter te nulli sunt, fortasse hoc nomẽ imponetur,& sat bonus accusator esse videbere.

Thrasimenum lacum. Anno ante illos, quos modò nominauimus, Cõsules, C. Flaminius cos. insidiis ab Annibale circumuẽtus ad Thrasimenũ lacũ, qui est in agro Perusino, cũ exercitu cæsus est. Desiderata sunt in eo prælio quindecim millia Romanorum, qui magna ex parte immota acie, ad extremum, vt Romani moris erat, perstiterunt. Polyb. lib. 1 1 1, Liuius lib. x x 1 1.

Sed ad Seruilium. Lacum modò Lacunam dicit, vbi aqua continebatur. Nam Varro docet, semper lacum portis additum (inquit Donatus) scilicet ob vsum iumentorũ exeuntium & introeuntium: præterea vt aduersus hostilem ignem portis de proximo subueniretur. Ergo lacus Seruilius Romæ fuit (vt apud Festum Pompeium: quo tamen loco libri corrupti sunt) à conditore Seruilio nominatus, in quo hydræ effigies fuit, posita à M. Agrippa. Hunc Agrippam lacus Romæ septingentos fecisse Plinius lib. x x x v 1, scriptum reliquit.

Ferro Phrygio. Sic accipio, Gladiis seruorum Phrygum. nam ex Phrygia venales nouitii plurimum adducebantur. vnde illud apud Athenæũ, [illegible]. Herodianus etiam libro primo, seruorum Phrygum mẽtionem facit, qui Romæ frequenter sub præcone subiecti, auctione vendebantur.

Curtios, Marios, denique Mamercos. Notos accusatores illius ætatis, qui omnes ferro Phrygio interfecti sunt.

Huius loci de Seruilio lacu intelligentiam pete à Seneca in libro de diuina prouidentia. pag. 27

Ætas à præliis auocabat. A præliis, forensibus scilicet: ab accusandi labore & negotio. Et alludit ad ætatem cui vacatio à re militari concedebatur.

Postremò Priamum ipsum senem Antistium. Dicit, opinor, P. Antistium, quem in Bruto rabulam primùm, deinde probabilem Oratoré fuisse scribit. Hunc Appianus à L. Bruto Prætore ex voluntate C. Marii Consulis, quum Senatum coegisset, vnà cum omni quæ in vrbe erat, nobilitate interfectum tradit. Priamũ autem appellat, quòd quasi inter accusatores principem & regé, Phryges illi tanquam in Troianorum regem, ita in illum impetum fecerunt.

Non modò ætas, sed etiam leges. Fortasse aut ignominia affectũ, aut turpi iudicio damnatum. Nam vt scribit Vlpianus, remouentur à postulando personæ turpitudine notabiles: veluti qui calumniæ causa publico iudicio damnatus est.

Qui inter sicarios. Pag. 40.

CICERO. 68 „ Verùm (vt fit) multa sæpe imprudentibus Imperatoribus vis belli, ac turba molitur. dum is in 91.
„ aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat: erant interea qui suis vulneribus
„ mederentur, qui tanqoam si offusa Reipub. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque
„ miscebant. à quibus miror, nequod iudiciorũ esset vestigiũ, non subsellia quoque esse com-
„ busta: nam & accusatores, & iodices sustulerunt. hoc cómodi est, quòd ita vixerunt, vt testes om-
„ nes, si cuperent, interficere non possent. nam dum hominum genus erit, qui accuset eos non de-
„ erit: dum cioitas erit, iudicia fient. verùm, vt cœpi dicere, & Erucius hæc si haberet in causa, qoæ
„ cõmemoraui, posset ea quáuis diu dicere, & ego Iudices possom: sed in animo est (quemadmodũ
„ antè dixi) leuiter transire, ac tantũmodo perstringere vnamquanque rem: vt omnes intelligant,
„ me nõ studio accusare, sed officio defendere. Video igitur caosas esse permoltas quæ istum impel 92.
„ lerent. videamus nũc ecquæ facultas suscipiẽdi maleficii fuerit. Vbi occisus est Sex. Roscius? Ro
„ mæ. Quid tu Rosci, vbi tũc eras? Romæ. verùm quid ad rẽ? & alii multi. quasi nũc id agatur, quis
„ ex tanta multitudine oeciderit, ac nõ hoc quæratur, eũ qui Romæ sit occisus, vtrum verisimilius
„ sit ab eo esse occisum qui assiduus eõ tempore Romæ fuerit: an ab eo qui multis annis Romã om
„ nino non accesserit. Age nunc, cæteras facultates quoque cõsideremus. Erat tum multitudo sica- 93.
„ riorum, id quod commemorauit Erucius: & homines impunè occidebantur.

Imprudentibus Imperatoribus. L. Syllam significat. neque enim vult videri hoc apertè dicere, voluntate Syllæ illos esse interfectos. Illos autem quum dico, superiores intelligo: nõ hunc P. Antistium, qui ante Syllæ victoriam constitutam interfectus est.

Qui suis vulneribus mederentur. Qui prouiderent ne postea accusari possent. & his verbis Chrysogonum, & Titos Roscios vult intelligi.

CICERO. 69 „ Quid? ea multitudo quæ erat? opinor aut eorum qui in bonis erãt occupati, aut eorum qui ab
„ iis conducebantur vt aliquem occiderent. Si eos putas qui alienũ appetebant, tu es in eo numero,
„ qui nostra pecunia diues es: sin eos quoi, qui leuiore nomine appellant, percussotes vocant, qoære
„ in cuius fide sint, & clientela: mihi crede, aliquem de societate tua reperies: & quicquid tu con-
„ tradixeris, id cum defensione nostra contendito. ita facillimè causa Sex. Roscii cum tua confe-
„ retur. Dices, Quid postea, si Romæ assiduus fui? respõdebo, At ego omnino non fui. Fateor me se- 94.
„ ctorem esse, verùm & alii multi: at ego (vt tute arguis) agricola & rusticus. Non continuò si me in
„ gregem sicariorum cõtuli, sum sicarius. at ego profectò, qui ne noui quidé quenquam sicarium,
„ longè absum ab eiusmodi crimine. Permulta sunt quæ dici possunt quare intelligatur sommã
„ tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi: quæ nõ modò idcircò prætereo, quòd teipsum non
„ libenter accuso, verùm eo magis etiam, quòd, si de illis cædibus velim commemorare quæ tum
„ factæ sunt ista eadem ratione qua Sex Roscius occisus est, vereor ne ad plures oratio mea perti-
„ nere videatur. Videamus nũc strictim, sicut cætera, quæ post mortem Sex. Roscii abs te T. Rosci 95.
„ facta sunt: quæ ita aperta & manifesta sunt, vt mediusfidius Iudices, inuitus ea dicã: vereor enim
„ cuicuimodi es Rosci, ne ita hunc videar voluisse seruare, vt tibi omnino nõ pepercerim. Quum
„ hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte (quod salua fide possim) parcere, rursus immuto volun-
„ tatem meam: venit enim mihi in mentem oris tui.

In cuius fide sint & clientela. Chrysogonum significat, de quo pag. 37, sic scribit Nam, quum multos veteres à maioribus Roscii patronos, hospitésque haberét, omnes eos colere atque obseruare destiterunt, ac se in Chrysogoni fidem & clientelam contulerunt.

Cum defensione nostra contendito. Conferto, comparato.

Vereor enim cuicuimodi es Rosci Hunc locum ita citat Priscianus lib. XII. scribitque dictum Cuicuimodi, pro cuiuscuiusmodi, id est cuiuscunque modi. vt apud Terentiũ in Andria, Tam nolli consilii, pro Nullius cõsilii. Et in Heaut. Loquitur alteræ, pro alteri. Ego in libro de Legibus II, in emendatis exemplaribus scriptũ similiter inuenio hoc modo, Nam neque in populo lex dici verè potest, cuicuimodi fuerint illa, etiamsi perniciosum aliquid populus acceperit.

Téne,quũ cæteri socii tui fugerent ac se occultarent,vt hoc indicium non de illorum præda, CICERO.
sed de huius maleficio fieri videretur,potissimum tibi partes istas depoposcisse,vt in iudicio ver- 70
sarere,& sederes cum accusatore? qua in re nihil aliud assequeris, nisi vt ab omnibus mortalibus
audacia tua cognoscatur,& impudentia. Occiso Sex.Roscio,qui primus Ameriã nuntiat?*Mal- *Manlius
lius Glaucia,quem iam antea nominaui,tuus cliens & familiaris.Quid attinuit eum potissimum
nuntiare,quod,si nullum iam antè consilium de morte,ac de bonis eius inieras,nullámque socie-
taté neque sceleris,neque præmii cum homine vllo coieras,ad te minimè omniũ pertinebat?sua
sponte*Mallius nuntiat?quid,quæso,eius intererat?an,quum Ameriam nõ huiusce rei causa ve- *Manlius
nisset,casu accidit,vt id quod Romæ audierat,primus nuntiaret?cuius rei causa venerat Ameriã?
non possum,inquit,diuinare. eò rem iam adducã, vt nil diuinatione opus sit. Qua ratione Ro-
scio Capitoni primùm nuntiauit?Quũ Ameriæ Sex.Roscii domus,vxor, liberíque essent,quum
tot propinqui cognatíque optimè cõuenientes,qua ratione factum est vt iste tuus cliens, sceleris
tui nuntius T.Roscio Capitoni potissimum nuntiaret?Occisus est à cœna rediens.nondum lu-
cebat, quũ Ameriæ scitum est. Quid hic incredibilis cursus:quid hæc tanta celeritas, festinatió-
que significat?non quæro quis percusserit.nihil est Glaucia,quod metuas: non excutio te, siquid
forte ferri habuisti,non scrutor:nihil ad me arbitror pertinere. quoniam,cuius consilio occisus
sit,inuenio:cuius manu sit percussus,non laboro.

Mallius Glaucia. Corrige Manlius,vt pag.43.& sic paulo infrà,Sua sponte Manlius nuntiat.

Tuus cliens & familiaris. De clientibus cognosce pag.45.

Vnum hoc sumo quod mihi apertum tuum scelus, résque manifesta dat. vbi, aut vnde audi- CICERO.
uit Glaucia?qui tam citò sciuit?fac audisse statim.quæ res eum nocte vna tãtum itineris cõtende- 71
re coegit? quæ necessitas eum tanta premebat, vt si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis
Roma proficisceretur? nullam partem noctis requiesceret? Etiámne in tam perspicuis rebus ar-
gumentatio quærenda,aut coniectura capienda sit?nónne vobis hæc quæ audistis,cernere oculis
videmini Iudices?non illum miserum,ignarum casus sui,redeuntem à cœna videtis?non positas
insidias?non impetum repentinum?non versatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? non adest
iste T.Roscius?non suis manibus in curru collocat Autumedontẽ illum,sui sceleris acerbissimi,
nefariæque victoriæ nuntium?non orat,vt eam noctem peruigilet?vt honoris sui causa laboret?
vt Capitoni quamprimum nũtiet? Quid erat quod Capitonem primùm scire voluerit? nescio:
nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium: de tribus & decem fundis,tres nobilissimos
fundos eum video possidere. Audio præterea non hanc suspicionem nunc primùm in Capito-
nem conferri, multas esse infames palmas,hanc primam esse tamen lemniscatam, quæ Romæ
deferatur:nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit:multos ferro,
multos veneno.Habeo etiam dicere,quẽ,cõtra morẽ maiorũ minorẽ annis L X de ponte in Tybe-
rim deiecerit. Quæ, si prodierit, atque adeo quũ prodierit (scio enim prodíturũ esse) audiet. ve-
niat modò, explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum Erucium cõscripsisse:
quod aiunt illũ Sex.Roscio intẽtasse, & minitatũ esse, se omnia illa pro testimonio esse dictnrũ.

In curru collocat Autumedontem illum. Glauciam,cursorẽ celerrimũ,pag.43.qualis fuit Automedon, Achillis auriga,qui Xãthe & Balio equis velocissimis,vtpote Zephyri filiis,rapidissimè ferebatur

Nisi hoc video. Nisi pro Sed,antiquè & eleganter positũ. vt apud Plautum in Sticho, Act.II,scena I,Miror quid fiet,nisi vt periculũ fiat,visam quid velit.Et in Epist.ad Memmiũ,lib.Ep.XIII, Nec cur ille tantopere contendat,video,nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest,quàm illi, laborare sine causa.Et apud Terentium multis locis.

Hanc primam tamen esse lemniscatam. Lemnisci,inquit Festus,id est,fasciolæ coloriæ,dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quòd antiquissimum fuit genus coronarum lanearum. Plinius lib.16, Inter corticem & lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ éuocãtur,tenuissimæ earum philyræ coronarum lemniscis celebres,antiquorum honore.Et lib. XXI,Crassus diues,primus argento auróque folia imitatus,ludis suis coronas dedit.accesserúntque & lemnisci, quos adiici ipsarũ coronarũ honos erat. Festus autem à lana deriuare hoc velle vocabulum videtur:quasi lanisci diceremus:quod quale sit,coniectura assequi non possum. quũ satis constet Græcum esse vocabulum,quo lib.V.Athenæus vtitur, [illegible] Lemniscos eas fasciolas esse putamus quæ in numis antiquis circum coronas Imperatorum deuinctæ cernuntur,quem morem Rex Galliæ Henricus nuper in aureis & argenteis numis imitatus est. Seruius in illud Vergilii, Puniceis ibant euincti tépora teniis, Significat,inquit,lemniscatas coronas,quæ sunt de frõdibus,& discoloribus fasciis:& sicut Varro dicit, magni honoris sũt.

Minorem annis L X de ponte in Tyberim deiecerit. Varro apud Nonium Marc. Quum,inquit,in quintum gradũ peruenerant, atque habebant quinquaginta annos, tum denique erant à publicis ne-

gotiis liberi, atque expediti, & otiosi. Ideo in prouerbium quidam putant venisse, Sexagenarios de ponte deiici oportere, id est, quòd suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. hæc Varro. Ergo ad hunc morem Tullius alludens, hoc significat, deiectum esse de ponte aliquem in Tyberim à T. Capitone: non de ponte comitiorum causa facto, sed de Sublicio, aut alio quopiam in Tyberi facto. Ex illa porrò consuetudine Depontani senes, vt Sex. Pompeius scribit, appellati sunt, qui sexagenarii de ponte deiiciebantur: ex quo etiam nata est fabula, de qua scribit Ouidius Fastorum v.

Tum quoque priscorum virgo simulacbra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.
Corpora post decies senos qui credidit annos
Missa neci, sceleris crimine damnat auos.
Fama vetus, tunc quum Saturnia terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuere senis,
Falcifero libata seni duo corpora gentes
Mittite, quæ Thuscis excipiantur aquis.
Donec in hæc venit Tyrinthius arua, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta deo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites,
Herculis exemplo corpora falsa iaci.
Pars putat, vt ferrent iuuenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

De more autem suffragiorum hoc intelligere possumus, tum in comitiis legum, quæ in foro fiebant: tum in comitiis magistratuum, quæ in Campo Martio, pontes quosdam leuiter fieri solitos, quos populus R. suffragium laturus transgredi solebat. quod Suetonius in Cæsare significat his verbis, Coniurati primùm cunctati, vtrùmne illum in Campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus diuisis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent, &c. Etsi enim vnius tantùm mentionem faciat, tamen complures fuisse & ex iis locis intelligitur in quibus de pontibus mentio fit, vt lib. de Leg. III & ad Herenniū I. neque verisimile est vnū tantùm XXXV tribubus transmittendis pontem, satis fuisse. Quum igitur septis inclusæ tribus ad suffragia ferenda prodirent, magistratus qui in pontibus cistis præerant, siquem sexaginta annis maiorem animaduerterent, eum de ponte per viatores deiici iubebant. Quum autem Maria lex (vt Cicero scribit lib. III. de Legib.) pontes angustos fecerit, nequis videlicet ad populum rogandum subire posset, distinctos apparet ac separatos his pōtibus candidatos à populo fuisse. Ac de his ipsis pontibus Cornificium quoque loquutū arbitror in libro ad Herenniū primo, quū ait Cæpionem cum viris bonis impetum fecisse, pōtes disturbasse, cistas deiecisse. & Ciceronem lib. I. ad Att. Operæ Clodianæ pontes occuparant.

Et meditatum esse. Eleganter, quum in aliis omnibus mendose meditatum esse, scriptum sit.

O præclarum testem Iudices: ô grauitatem dignam expectatione: ô vitam honestam, atque eiusmodi, vt libentibus animis ad eius testimonium vestrum iusiurandum accommodetis. Profecto non tam perspicue istorum maleficia videremus, nisi ipsos cæcos redderet cupiditas, & auaritia, & audacia. Alter ex ipsa cæde volucrem nuncium Ameriā ad socium, atque ad magistrum suum misit: vt si dissimulare omnes cuperent se scire ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. Alter (si diis immortalibus placet) testimonium etiā in Sex. Roscium dicturus est. quasi verò id nunc agatur, vtrum id quod dixerit, credendum, an quod fecerit, vindicandum sit. Itaque more maiorum comparatū est, vt in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc quàm versa & mutata in peiorem partē sint omnia. quū de bonis, & de cæde agatur, testimoniū dicturus est is qui & sector est, & sicarius: hoc est, qui & illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est, & eum hominem occidendū curauit de cuius morte quæritur. Quid tu, vir optime? ecquid habes quod dicas? mihi ausculta, vide ne tibi desis: tua quoque res permagna agitur. multa scelerate, multa audacter, multa improbè fecisti: vnū stultissime, profecto tua sponte, non de Erucii sententia. nihil opus fuit te *isti credere: neque enim accusatore muto, neque teste quisquam vtitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit.

Alter ex ipsa cæde. T. Roscius Magnus.

Ad magistrum suum. Lanistam, Capitonem. Pag. 42.

Alter (si diis. T. Roscius Capito.

Nihil opus fuit te isti credere. Sic omnes libri veteres. Mihi tamen non est dubium quin ita emendandũ sit, vt sic legamus, Nihil opus fuit te istic sedere: vt Erucii subsellia demõstret. quod enim sequitur, sedere illum in accusatoris subselliis ostendit. quod etiam his verbis apertè docuit, pag. 65, Tecum enim mihi res est T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palàm aduersarium esse profiteris. Et pag. 66, Solus tu inuẽtus es, qui cum accusatoribus sederes. Qua de re ipse in Ora. pro Flacco, Quid, inquit, si testium studium cum accusatore sociatum est? tamenne isti testes habebuntur? Et paulo post, Hoc verò quid est, vnà sedent, ex accusatorum subselliis surgunt, non dissimulant, non verentur: de subselliis queruntur vna ex domo prodeunt, &c. Quare quod modò dixit, Vnum stultissimè, sic accipiendum est, Hoc stultissimè fecisti, & non de Erucii consilio, quòd in accusatoris subselliis consedisti. Fidem enim hoc pacto tuo testimonio abrogasti.

Accusatore muto. Qui accusationem adiuuat, aut accusator est, aut testis. Accusator autem non es: quippe mutus qui sis, & verbum nullum facias. Testis porrò non habetur is idoneus, qui de accusatoris subsellio surgit. Stultissimè igitur fecisti. Testes autem sua seorsim subsellia habebant, separata ab rei & accusatoris subselliis.

Huc accedit, quòd paulo tamen occultior, atque tectior vestra ista cupiditas esset. nunc quid est quod quisquam ex vobis audire desideret, quum, quæ facitis, eiusmodi sint, vt ea dedita opera à vobis contra vosmetipsos facere videamini? Age, nunc illa videamus Iudices, quæ statim cõsequuta sunt. Ad Volaterras in castra L. Syllæ mors Sex. Roscii quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nunciatur. quæritur etiam nunc quis eum nunciũ miserit. Nónne perspicuum est, eundem qui Ameriam curat Chrysogonus vt eius bona veneant statim. qui non norat hominem, aut rem. at qui ei venit in mentem prædia concupiscere hominis ignoti, quem omnino nunquam viderat? Soletis, quũ aliquid huiuscemodi auditis Iudices, continuò dicere, Necesse est aliquem dixisse municipem, aut vicinum. ii plerunque indicant, per eos plerique produntur. Hic nihil est quod suspicionẽ hanc putetis. non enim ego ita disputabo: verisimile est Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse: erat enim eis cum Chrysogono iam antea amicitia. nam quum multos veteres à maioribus Roscii patronos, hospitésque haberent, omneis eos colere atque obseruare destiterunt, ac se in Chrysogoni fidem & clientelam contulerunt. Hæc possum omnia verè dicere: sed in hac causa coniectura nihil opus est: ipsos certò scio non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis: poteritisne dubitare Iudices, qui indicarit? qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? duo Roscii. num quisnam præterea? nemo est Iudices. num ergo dubium est quin ii obtulerint hanc prædam Chrysogono, qui ab eo partem prædæ tulerunt? CICERO. 73

Ad Volaterras in castra L. Syllæ. Pag. 45.

Quatriduo, quo is occisus est. Eodem loco.

Age, nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. si nihil in ista pugna Roscii, quod operæ pretium esset, fecerant, quam ob causam à Chrysogono tantis præmiis donabantur? si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt, nónne satis fuit his gratias agi? denique, vt perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? cur tria prædia tantæ pecuniæ statim Capitoni dantur? cur, quæ reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono cõmuniter possidet? nónne perspicuum est Iudices, has manubias Rosciis Chrysogonum re cognita concessisse? venit in Decemprimis legatus in castra Capito. totam vitam, naturam, morésque hominis ex ipsa legatione cognoscite. nisi intellexeritis Iudices, nullũ esse officiũ, nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eius scelus, atque perfidia violarit, & imminuerit: virum optimum esse eum iudicatote. impedimento est quominus de his rebus Sylla doceatur: cæterorum Legatorum cõsilia, & voluntatem Chrysogono enuntiat: monet vt prouideat, ne palàm res agatur: ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum: illum acuere: hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem monere vt caueret: hisce insidiosè spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia, horum consilia illi enunciare: cum illo partem suam depacisci: hisce, aliqua fretus mora, semper omneis aditus ad Syllam intercludere. CICERO. 74

Honoris aliquid haberi. Honos præter vulgarem significationem, præmium etiam ac remunerationem declarat, vt infrà pag. 84, Quòd viris fortibus, quorũ opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus est, laudo: quod de cõsuetudine Græcorum sumptum videtur, qui τιμὴν pro vtroque vsurpant.

Venit in Decemprimis. Suprà, pag 45.

Quod non eius scelus. Ita probo: quum in omnibus aliis Eiusce vis corruptè legatur.

Illum acuere. Hortari, vrgere, stimulare. Terentius in Adelphis, Attẽtiores sumus ad rem omnes, quàm sat est, Quod illos sat ætas acuet.

aliqua fretus hora semper. Fretum aura, omnes libri veteres. quorum alterum contextus efficit orationis, alterum sententia postulat. Nam vt aliqua hora fretus esset Capito, tempus tamen obseruare aliud Legati & occupare potuissent. Nunc auram aliquam, dicit aliquem Capitonis fautorem, amicum ac beneuolum, de L. Syllæ intimis ac familiaribus.

CICERO. 75 Postremò isto hortatore, auctore, intercessore ad Syllam Legati nõ adierunt: istius fide, ac potius perfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium eis denuntiare, pro re certa spem falsam domum retulerunt. In priuatis rebus siqui rem mandatam non modò malitiosius gessisset sui quæstus aut commodi causa, verùm etiam negligentius: eum maiores summum admisisse dedecus existimabant: itaque mandati constitutum est iudiciũ non minus turpe quàm furti: credõ propterea quòd quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium cõmune præsidiũ, & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. nõ enim possumus omnia per nos agere: alius in alia est re magis vtilis: idcirco amicitiæ comparantur, vt commune cõmodum mutuis officiis gubernetur. quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus es? cur mihi te offers, ac meis cõmodis officio simulato officis, & obstas? recede de medio, per alium trãsigam. suscipis onus officii, quod te putas sustinere posse: quod minime videtur graue iis qui minime ipsi leues sunt. Ergo idcirco turpis hæc culpa est, quòd duas res sanctissimas violat, amicitiam, & fidem. nam neque mandat quisquam ferè, nisi amico: neque credit, nisi ei quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. itáne est? in minimis rebus, qui mãdatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est: in re tanta, quũ is cui fama mortui, fortunæ viui commendatæ sunt, atque concreditæ, ignominiã mortuum affecerit, is inter honestos homines, atque adeo inter viuos numerabitur?

Intercessore. Id est impediente, prohibente.

[redacted] *Si accusator voluerit testimonium eis denuntiare.* Quid ita Tullius ipse non denuntiabat, si ex re id sua esse intelligeret? quia denuntiare testimonium nemini nisi lege licebat. Lege autem accusatores poterant: reis verò denuntiandi potestatem lex non permittebat. non enim defensor testes producit: quum testes facti tantum producantur, vt scribit Asconius.

Summum admisisse dedecus. Itaque in edicto Prætoris lib. Dig. iii. tit. ii. verba hæc sunt, Infamia notatur qui furti, &c. tutelæ, mandati, depositi suo nomine, non contrario iudicio dãnatus erit. Quæ verba Vlpianus exponens, Mandati, inquit, condemnatus, verbis edicti notatur non solùm qui mandatum suscipit, sed & is qui fidem, quam aduersarius sequutus est, nõ præstat: vt puta si fideiussi pro te, & solui: mandati si te condemnauero, famosum facio. [redacted]

Vicaria fides amicorum supponitur. Qua de causa, qui iudicio, inquit Vlpianus, cõtrario damnabitur, non erit infamis, nec immeritò. nam in contrariis non de perfidia agitur, sed de calculo, qui ferè in iudicio solet dirimi. hæc ille, l. Furti, D. de iis qui not. inf.

Ignominia mortuum affecerit. Sine dubio tale quippiam desideratur, Viuum fortunis euerterit, vel Viuum bonis spoliarit.

Atque adeo inter viuos. Sensus est, Non modò inter homines honestos, sed etiam inter viuos. quæ sententia inepta est: hoc tamen particulæ illæ ATQVE ADEO significant. Quare corrigendum sic putarẽ, Atque adeo inter viros. Nam hoc modo Viri nomen ab Hominis distinguit, scribens ad Q. Fratrem, Sed quum veneris, virum te putabo: si Sallustii Empedoclea legeris, hominem nõ putabo. Et Tusc. ii. Ita & tulit dolorem, vt vir: & vt homo, maiorem ferre sine causa necessaria noluit. Et similem Græci inter ἀνδρα & ἄνθρωπον differentiam statuunt: vt apud Xenophontẽ in Tyranno, [illegible]

CICERO. 76 In minimis priuatisque rebus etiam negligentia in crimen mãdati iudiciumque infamiæ reuocatur: propterea quòd si rectè fiat, illum negligere oporteat qui mandarit, non illum qui mandatum receperit: in re tanta, quæ publicè gesta, atque commissa sit, qui non negligẽtia priuatum aliquod cõmodum læserit, sed perfidia, legationis ipsius ceremoniam polluerit, maculáque affecerit: qua is tandẽ pœna afficietur? aut quo iudicio damnabitur? si hanc ei rem priuatim Sex. Roscius mandauisset, vt cum Chrysogono transigeret, atque decideret, inque eam rem fidem suam, siquid opus esse putaret, interponeret: ille, qui sese facturũ recepisset, nonne, si ex eo negocio tantulum in rem suam conuertisset, damnatus per arbitrum, & rem restitueret, & honestatem omnem amitteret? nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandauit: sed, id quod multo grauius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisque omnibus à Decurionibus publicè Roscio mãdatus est: & ex eo T. Roscius non paulum nescio quid in rem suam cõuertit, sed hunc funditus euertit bonis: ipse tria prædia sibi depactus est, voluntatem Decurionum ac municipum omniũ tantidem,

crimen, mandatique iudicium infamiæ reuocatur. [redacted]

leue, legat...

ineptus est ipsemet [illegible]

quanti fidem suam, fecit. Videte iam porrò cætera Iudices, vt intelligatis fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere, turpissimum est, æquéque turpe atque illud de quo antè dixi: neque iniuria. propterea quòd auxiliũ sibi se putat adiunxisse qui cũ altero rem cõmunicauit. ad cuius igitur fidẽ cõfugiet, quũ per eius fidẽ læditur cui se cõmiserit? atqui ea sunt animaduertenda peccata maximè, quæ difficilimè præcauentur.

In crimen mandati iudiciúmque infama. Sic omnes libri veteres. Impressi ex ingenio, vt opinor, correcti, Iudiciique infamiam. Ego sic corrigerem, In crimen mandatique iudicium infame reuocatur. Etenim Infame sic accipio, vt superiore pagina, semel atque iterum, Iudicium turpe, pro eo quod infamiam ac turpitudinem affert. sic etiam passim loquitur, vt in Orat. pro Cæcina, & pro Q. Roscio multis locis. HOT

Si recte fiat. Si pro An, vt apud Terentium in Heaut. Visam si domi est. Et apud Plautũ in Milite glor. Philocomasium dicere nomen, Si iniuria est?

Legationis ipsius ceremoniam pollueris. Inuidiosè hoc addidit. Nam ceremoniæ in legationibus adhibentur, duntaxat quæ ad fœdera faciunda, aut leges pacis bellique dicendas mittuntur.

Damnatus per arbitrum. Puta dictum Per Iudicem. nam in hisce iudiciis in quibus EX FIDE BONA addebatur, quale est mandati iudicium, arbiter idem ipse dicitur, qui Iudex est. Est autẽ anim aduertendus locus, eo magis quòd apertè ostendit nihil interesse, damnatus quis dicatur per arbitrum, an per Iudicem (in iis scilicet iudiciis quæ bonæ fidei Iurisconsulti præcisè nominant, id est, in quibus EX FIDE BONA addebatur) vt ignominia afficiatur. quum Budæus vir doctissimus in commentariis Linguæ Græcæ, quem alii plerique secuti sunt, tradiderit Iudicio pro socio afferri infamiam, arbitrio non afferri. de qua re aliis quibusdam locis fusius explicauimus.

Tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est: socium verò cauere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officii lædimus. Rectè igitur maiores eum qui socium fefellisset, in virorum bonorũ numero non putarunt haberi oportere. At verò T. Roscius non vnum rei pecuniariæ socium fefellit (quod tametsi graue est, tamen aliquo modo posse ferri videtur) verùm nouem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officii, mandatorùmque socios induxit, decepit, destituit, aduersariis tradidit, omni fraude & perfidia fefellit. qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officii metuere nõ debuerunt: eius malitiã non viderũt, orationi vanæ crediderũt. Itaque nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parũ putãtur cauti, prouidiq; fuisse. iste qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primò sociorũ cõsilia aduersariis enuntiauit, deinde societatẽ cũ ipsis aduersariis coiit: terret etiã nos, ac minatur tribus prædiis, hoc est præmiis sceleris, ornatus. in eiusmodi vita Iudices, in his tot tãtisque flagitiis hoc quoque maleficiũ, de quo iudicium est, reperietis. etenim quærere ita debetis: vbi multa auarè, multa audacter, multa improbè, multa perfidiosè facta videtis, ibi scelus quoque latere inter illa tot flagitia putatote. tametsi hoc quidem minime latet, quòd ita promptum, & propositum est, vt non ex illis maleficiis, quæ in illo constat esse, hoc intelligatur: verùm ex hoc, etiam siquod illorum fortè dubitabitur, conuincatur. quid tandem quæso Iudices? num aut ille lanista omnino iam à gladiis recessisse videtur: aut his discipulus magistro tãtulũ de arte cõcedere? CICERO. 77

Si quod illorum forte dubitabitur. Sic postulat verbum Conuincatur. Et similiter dictum est vt illud lib de Off. III, Hoc non turpe est dubitare Philosophos, quod ne rustici quidem dubitent? Vidi tamen qui corrigendum putarent Si quo de illorum. quorum sententiam locus ipse refellit.

Ille lanista. T. Capito, pag. 42.

A gladiis recessisse. Ita probo, quum in aliis omnibus scriptum sit, A gladiatore cessisse. Sensus autem hic est, Num ille ludi gladiatorii magister artem desiisse videtur?

Aut is discipulus. Rectius putarẽ, Hic discipulus, vt T. Magnũ demonstret, qui in accusatoris subselliis sedebat, pag. 72.

Par est auaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia. Etenim quoniam fidem magistri cognostis, cognoscite nunc discipuli æquitatem. dixi iam antea, sæpenumero postulatos esse ab istis duos seruos in quæstionẽ: tu semper T. Rosci recusasti. quæro abs te, iíne qui postulabant, indigni erant qui impetrarent: an iste non commouebat, pro quo postulabãt: an res ipsa tibi iniqua videtur? postulabãt homines nobilissimi, atq; integerrimi nostræ ciuitatis, quos iam antea nominaui: qui ita vixerunt, taléśque à populo R. putantur, vt quicquid dicerent, nemo esset qui non æquum putaret. postulabant autem pro homine miserrimo, atque infœlicissimo; qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. res porrò abs te eiusmodi postulabatur, vt nihil interesset vtrum eam rem recusares, an de maleficio cõfitere-re. Quæ quũ ita sint, quæro abs te quã ob causam recusaris. quũ occiditur Sex. Roscius, ibidẽ fuerunt. seruos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo neq; purgo. quòd à vobis hoc pugnari video ne in quæstionẽ dentur, suspiciosum est: quòd verò apud vos ipsos in honore tãto sunt, profectò necesse est sciãt aliquid, quod si dixerint, perniciosum vobis futurũ sit. in dominos quæri de ser- CICERO. 78

uis,iniquũ eſt.Anne quæritur?Sex.enim Roſcius reus eſt: neque enim quũ de hoc quæritur,vos dominos eſſe dicitis.cum Chryſogono ſunt.ita credo: literis eorum,& vrbanitate Chryſogonus ducitur,vt inter ſuos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos ex tot elegantiſſimis familiis lectos, velit hos verſari, homines penè operarios ex Amerina diſciplina patriſfamiliæ rusticani.

Gemina audacia. Gemini ferè ſunt inter ſe ſimillimi.Itaque ad eas res quæ ſũt inter ſe ſimillimæ, Latini hoc vocabulum tranſtulerunt. Sic in Orat.pro Q. Roſcio, Simillima enim & maximè gemina ſocietas hæreditatis eſt.

Nihil intereſſet,utrum eam rem recuſares. Quòd ſi recuſares,ſatis intelligi poſſet te propterea recuſare,quia ſi torquerentur,cædem faterentur à vobis factam.

In dominos quæri de ſeruis iniquum eſt. Verba T.Magni,& T.Capitonis, Iniquũ eſt in nos de iis ſeruis quæſtionem haberi.idem autem traditur in Partitionibus,& libris Pand.multis locis.

Anne quæritur? Sex.enim Roſcius reus eſt. Reſpõſio Ciceronis, Si quæratur de iis ſeruis,in reum quæretur. Vos autem rei nõ eſtis,ſed Sex.Roſcius. propterea quum quæritur quorum ſint ſerui, vos dominos eſſe non dicitis.

Neque enim quum de hoc. Iacet vox ENIM,&,meo iudicio, vt otioſa & ſuperuacanea inducenda eſt.vt illa in vetuſtis codicibus, Vos enim dominos eſſe dicitis.

Cum Chryſogono ſunt. Verba Roſciorum, Magni & Capitonis, Negatis vos eſſe illorum dominos & apud vos eſſe:cum Chryſogono eſſe dicitis.

Literis eorum & urbanitate. Ironia. Veteres in magno ſeruorum numero,qui valere ingenio videbantur,alios literis inſtituẽdos curabãt: alios aliis ingenuis artibus ac diſciplinis, vt pictura,medicina,muſica.

Ex tot elegantiſſimis familiis. Proſcriptorũ:quorum bona vendente L.Sylla,Chryſogonus emerat.

Homines pene operarios. Verba ſunt Caſſii apud Varronem lib. de Re ruſt.1, quæ quales Operarii fuerint,demonſtrant, Operarios parandos eſſe, qui laborem ferre poſſint, ne minores annorum XXII,& ad agriculturam dociles.

CICERO. 79 Non eſt ita profectò Iudices, non eſt veriſimile,vt Chryſogonus horum literas adamarit,aut humanitatem:non,vt rei familiaris negotio diligẽtiam cognorit eorum & fidem. Eſt quiddam quod occultatur:quod quo ſtudioſius ab ipſis opprimitur & abſconditur,eo magis eminet & apparet.Quid igitur? Chryſogonus ſui maleficii occultãdi cauſa quæſtionẽ de his haberi nõ vult? minime Iudices: non in omneis arbitror omnia cõuenire. ego in Chryſogono,quod ad me attinet,nihil eiuſmodi ſuſpicor,neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere.Meminiſtis me ita diſtribuiſſe initio cauſam:in crimen, cuius tota argumentatio permiſſa Erucio eſt: & in audaciam,cuius partes Roſciis impoſitæ ſunt. quicquid maleficii, ſceleris,cædis erit, propriũ id Roſciorũ eſſe debebit. nimiã gratiã potẽtiámque Chryſogoni dicimus & nobis obſtare, & perferri nullo modo poſſe:& à vobis,quoniã poteſtas data eſt,nõ modò infirmari,verùm etiã vindicari oportere.Ego ſic exiſtimo,qui quæri velit ex iis,quos conſtat, quũ cædes facta ſit,affuiſſe,eũ cupere verũ inuenire:qui recuſet, eum profectò,tametſi verbo nõ audeat,tamẽ re ipſa de maleficio ſuo confiteri.Dixi initio Iudices,nolle me plura de iſtorum ſcelere dicere,quàm cauſa poſtularet, ac neceſſitas ipſa cogeret:nã & multæ res afferri poſſunt, & vnaquæque earum multis cum argumentis dici poteſt.verũ ego,quod inuitus ac neceſſariò facio,neque diu,neque diligenter facere poſſum.quæ præteriri nullo modo poterãt,ea leuiter Iudices attigi.quæ poſita ſunt in ſuſpicionibus,de quibus ſi cœpero dicere, pluribus verbis ſit differendũ: ea veſtris ingeniis coniecturæque committo.

Aut humanitatem. Humanitatem, doctrinam interpretor: vt aliis multis locis, quorum partim annotauimus.

Cuius tota argumentatio. Argumentatio,tractatio,diſputatio.

Nimiam gratiam potentiámque Chryſogoni. Gratiam apud L.Syllam:potentiam,in iudiciis.Nam gratia apud ſuperiores dicitur,potentia in inferiores:vt alibi docuimus.

CICERO. 80 Venio nunc ad illud nomen aureum Chryſogoni:ſub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur: de quo Iudices neque quomodo dicam,neque quomodo taceam, reperire poſſum.ſi enim taceo,vel maximam partem relinquo : ſin autẽ dico, vereor ne non ille ſolus (id quod ad me nihil attinet) ſed alii quoque plures læſos ſe eſſe putẽt.tametſi ita res ſe habet, vt mihi in cõmunem cauſam ſectorum dicendũ nihil magnopere videatur: hæc enim cauſa noua profectò & ſingularis eſt. Bonorum Sex.Roſcii emptor eſt Chryſogonus.primùm hoc videamus,eius hominis bona qua ratione venierunt,aut quomodo venire potuerunt. atque hoc nõ ita quæram Iudices, vt id dicam, eſſe indignum hominis innocentis bona veniſſe: ſi enim hæc audientur, ac libere dicentur, non fuit tantus homo Sex.Roſcius in ciuitate,vt de eo potiſſimũ conqueramur.verùm ego hoc quæ-

ro: qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est, siue Valeria est, siue Cornelia (non enim noui, nec scio) verùm ista ipsa lege bona Sex. Roscii venire qui potuerunt? scriptum enim ita dicunt esse, Vt eorum bona veneant, qui proscripti sunt: quo in numero Sex. Roscius non est. aut eorum qui in aduersariorũ præsidiis occisi sunt. dũ præsidia vlla fuerunt, in Syllæ præsidiis fuit. posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio rediens à cœna Romæ occisus est si lege, bona quoque lege venisse fateor. si autem constat contra omneis non modò veteres leges, verumetiam nouas: bona quo iure, aut quomodo, aut qua lege venierint, quæro.

Sub quo nomine tota societas fundatur. Alludit ad nomina societatũ, quæ in tabulas societatis referuntur. nam quidquid in codicem refertur, id Nomen dicitur. Societatem autem bonorũ Sex. Roscii significat, quam tres quidẽ illi coierãt, sed sub vnius Chrysogoni nomine. Solus enim Chrysogonus, qui & bona vendenda curauerat, & illa minimo pretio coemerat. [redacted]

Si enim hæc audientur. Si pro Etsi, vel Si maximè. Sic Terentius in Eunucho, Nam si ego digna hac cõtumelia Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen. Est ergo sensus, Vt hæc contumelia bona cum venia ex me audiatur, & Iudices eam palàm fieri patiantur, tamen nõ fuit, &c.

Siue Valeria est, siue Cornelia. Siue à L. Valerio Flacco, siue à L. Cornelio Sylla lata. L. Flaccus destituta ciuitate Consulibus, Carbone quippe & Mario interfectis, à Senatu Interrex proditus, vt Consulum creandorum causa comitia haberet, & Syllam Dictatorem dixit, & legem tulit, vt omnia quæcunque Sylla fecisset, essent rata. [redacted] Cicero in Rullum, Omnium legum iniquissimam dissimillimámq; legis esse arbitror eam quam L. Flaccus Interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunque ille fecisset, essent rata.

In aduersariorum præsidiis. Præsidiis, id est castris. sic in Orat. pro Ligario, Tantummodo in præsidiis eratis, animi verò à causa abhorrebant.

In quem hoc dicam, quæris Eruci? nõ in eum quem vis, & putas: nam Syllam & oratio mea ab initio, & ipsius eximia virtus omni tempore purgauit. ego hæc omnia Chrysogonum fecisse dico, vt ementiretur, vt malum ciuem Roscium fuisse fingeret, vt eum apud aduersarios occisum esse diceret, vt his de rebus à Legatis Amerinorum doceri L. Syllam passus nõ sit. denique etiam illud suspicor, omnino hæc bona non venisse: id quod postea, si per vos Iudices licitum erit, aperietur: opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones, vẽditionésque fiant, nimirum ad Cal. Iun. Aliquot post mẽses & homo occisus est, & bona venisse dicuntur. Profectò aut hæc bona in tabulas publicas °nullas redierunt, nósque ab isto nebulone facetius eludimur, quàm putamus: aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt: nam lege quidem bona venire non potuisse constat. Intelligo, me ante tempus Iudices, hæc scrutari, & propemodum errare, qui quum capiti Sex. Roscii mederi debeam, °reduuiam curem: non enim laborat de pecunia, non vllius rationem sui cõmodi ducit: facilè egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione, & ficto crimine liberatus sit. Verùm quæso à vobis Iudices, vt hæc pauca quæ restant, ita audiatis, vt partim me dicere pro meipso putetis, partim pro Sex. Roscio: quæ enim mihi ipsi indigna & intolerabilia videtur, quæq; ad omnes, nisi prouidemus, arbitror pertinere: ea pro meipso, ex animi mei sensu ac dolore pronuntio. Quæ ad huius vitæ casum, causámque pertineant, & quid hic pro se dici velit, & qua conditione contentus sit, iam in extrema oratione nostra Iudices audietis.

CICERO. 81

°nullas l.

°rediuiam l.

Fecisse dico ut ementiretur. Id est, emẽtitum esse, finxisse, dixisse, passum non esse. Et est Latina locutio, qua veteres frequenter vtebantur. [redacted] Plautus Menæhmi, Tu facito ante solis occasum vt venias aduersum mihi. Sed putidum est exempla in re perspicua proponere.

Tabulas publicas. Quas Quæstores AErarii asseruabant: & in quibus pecuniam quæ ex publicatis bonis redigebatur, perscribere solebant. NVLLA autem, non NVLLAS video in antiquis omnibus & manu scriptis libris. quod valde probo. vt sit antiquè positum pro Non redierunt. Locutio autem & ita nota est, & à nobis sæpe explicata, vt exempla proferre nihil necesse sit.

Ab isto nebulone. Chrysogono, quem paulo pòst & hominẽ postremũ, & seruum nequissimum appellat. Sed hæc postea Ciceroni doluit orationis acerbitas.

Reduuiam curem. Rediuiam, multi libri veteres. quã scripturã etiã apud Festũ reperio: qui Rediuiã à Rediuire declinatã dicit, quod Soluere significat. Est enim Rediuia (inquit) morbus, quũ circa vnguès cutis se resoluit. [redacted] Sensus est igitur, Quũ magno malo mederi debeam, vitæ scilicet & capiti Sex. Roscii: nunc curam leuiusculi mali suscipio, de bonis scilicet quæ cõtra leges sunt vendita, de quibus ipse nihil laborat.

Quæ ad huius vitæ casum causámque pertinent. Ordo & sensus hic est, Quæ pertinent ad casum vitæ, id est calamitatem Sex. Roscii, ciúsque causam ac defensionem.

Ego hæc à Chrysogono mea sponte remoto Sex. Roscio quæro: primùm, quare ciuis optimi bona venierint: deinde, quare hominis eius, qui neq; apud aduersarios occisus est, °bona venierint,

CICERO. 82

°neque proscriptus fuerat, bona

» quũ in eos solos lex scripta sit: deinde quare aliquanto post eam dię venierint, quæ dies in lege
» præfinita est: deinde cur tantulo venierint. quæ omnia, si quemadmodum solent liberti nequam
» & improbi facere, in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit: nemo est enim qui nesciat,
» propter magnitudinę rerum multa multos partim cõniuente, partim imprudẽte L. Sylla com-
» misisse. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia præteriri? Non placet Iudices: sed necesse
» est. etenim si Iupiter Optimus Maximus, cuius nutu & arbitrio cælũ, terra, mariáque reguntur,
» sæpe ventis vehemẽtioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili
» frigore hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit, quorũ nihil pernicie causa diuino cõ-
» silio, sed vi ipsa, & magnitudine rerũ factum putamus: at cõtrà, cõmoda quibus vtimur: lucém-
» que qua fruimur, spiritúmque quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus: quid
» miramur, L. Syllam, quũ solus Remp. regeret, orbémque terrarum gubernaret, imperiíque maie-
» statem quam armis receperat, legibus cõfirmaret, aliqua animaduertere nõ potuisse: nisi hoc mi-
» rum est, quod vis diuina assequi nõ possit, si id mens humana adepta non sit. Verùm vt hæc missa
» faciam quæ iam facta sunt: ex iis quæ nunc maximè fiunt, nónne quiuis potest intelligere, om-
» nium architectum, & machinatorem vnum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscii nomen deferẽ-
» dum curauit: hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius.

Qui neque apud aduersarios occisus est. Neque, inquit Asconius, est cõiunctio disiunctiua, & semper postulat vt rursus inferatur: vt quũ dicimus, Neque hoc, neq; illud. Deesse igitur alterũ membrũ videtur. quid dico, videtur: imòverò, nisi planè cæci sumus, apertè ac dilucidè perspicitur. Desũt autem hæc verba, Neque proscriptus fuerat. quod illum locum quę subiiciam, consideráti perspicuè constabit. Scriptum enim ita dicunt esse, Vt eorum bona veneát, qui proscripti sunt: quo in numero Sex. Roscius non est: aut eorum qui in aduersariorum præsidiis occisi sunt.

Tantulo venierint. Sestertiũm duobus millibus, pag. 38.

Nihil pernicie causa Pernicii, Aul. Gellius lib. IX, vetustè vt dies, dii: progenies, progenii: luxuries, luxurii: acies, acii. Apud Nonium tamen Marcellum reperio Pernici: nisi locus corruptus est.

Ex iis quæ nunc maximè fiunt. Nunc maximè: hoc ipso tempore, hoc ipso temporis puncto, ac momẽto. Est enim genus loquendi cum emphasi vsurpatum, quale illud est, Nunc ipsum: quod lib. VII, VIII, & XII Epi. ad Atticum vsurpauit. Et item illud, Quũ maximè. vt Verrina IV, Quũ hæc maximè cognosceremus, & iam in manibus tabulas haberemus.

Accusare se dixit Erucius. Desideratur tota argumentatio, qua neque venire bona potuisse, neque venisse docuit.

desunt non pauca.

CICERO. » artam, & ratione dispositam se habere existimant, qui in Sallentinis aut in Brutiis habent, vnde
83 » vix ter in anno audire nuntiũ possunt. alter tibi descẽdit de palatio, & ædibus suis: habet animi
» relaxandi causa rus amœnum & suburbanum, plura præterea prædia, neque tamen vllum nisi
» præclarũ & propinquũ: domus referta vasis Corinthiis & Deliacis, in quibus est authepsa illa;
» quam tanto pretio nuper mercatus est, vt qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, fun-
» dum venire arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti, quid stragulæ vestis, quid pictarum ta-
» bularum, quid signorũ, quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantũ è multis
» splẽdidísque familiis, in turba & rapinis coaceruari vna in domo potuit. Familiam verò quantã,
» & quàm variis cum artificiis habeat, quid ego dicam? mitto hasce arteis vulgareis, coquos, pisto-
» res, lecticarios: animi & aurium causa tot homines habet, vt quotidiano cantu vocum, & neruo-
» rum, & tibiarũ, nocturnísque conuiuiis tota vicinitas personet. In hac vita Iudices, quos sumptus
» quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quæ verò conuiuia? honesta, credo, in eiusmodi domo: si
» domus hæc habenda est potius, quàm officina nequitiæ, & diuersorium flagitiorũ omnium. ipse
» verò quemadmodum cõposito & delibuto capillo passim per forum volitet cum magna cater-
» ua togatorum, videtis Iudices: vt omnes despiciat, vt hominem præ se neminem putet, vt se so-
» lum beatum, solum potentem putet.

Rus amœnum & suburbanum, plura præterea prædia. Rura agrorum dicuntur tantùm, quia (vt Varro scribit) quotannis rursum facienda eadem, vt rursus eapias fructus. Prædia verò nonnisi quum ædificia sunt. Hæc tamen verborum proprietas minimè à Iurisconsultis obseruatur.

Vasis Corinthiis & Deliacis. AEs Corinthium non naturale, sed artificiosum fuit: confuso quippe auro argentóque miscebatur. Illud principiò casus miscuit, Corintho quũ caperetur incensa. Eius tria genera fuere, Candidum, argento nitore quamproximè accedens, in quo illa mixtura præualuit: alterum, in quo auri fulua natura: tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit. Cicero Verrina VI, Tu videlicet solus vasis Corinthiis delectaris: tu illius æris temperationem,

tu operum lineaméta solertissimè perspicis. Sed antiquissima æris gloria Deliaco fuit, mercatus in Delo concelebrante toto orbe. hæc fere ex Plinio.

Authepsa illa. Vas fuisse videtur ex ære, duos habens fundos: quorum in superiore elixa, in inferiore igniculus imponebatur, coquendis quæ supra posita fuerant, accommodatus. Vocabulum fictum est ex αὐτὸς & ἕψω: quasi per se cibos coqueret, neque foco opus esset.

Magna caterua togatorum. Qui se in illius fidem & clientelam contulerunt. Clientes enim suos patronos assectationis officio colebant, & honoris causa, quum illi vrbem obibant, ducebant ac reducebant. Inuidiose autem hoc dicitur de togatis, qui libertini generis hominem ita obseruanter assectabantur. Martialis de illiusmodi togatis assectatoribus,

Iam parce lasso Roma gratulatori,
Lasso clienti, quamdiu salutator,
Anteambulones & togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto. Et alibi,
Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula sæpe toga. Item alibi locis innumeris

Videtis Iudices, ut omnes despiciat. Omnes prope alii, in queis etiam Aldinus, Videtis Iudices: etiam videtis Iudices, vt omnes despiciat. quod cur ex libris tollatur, opinor causa nulla est.

Quæ verò efficiat, & quæ conetur, si velim commemorare, vereor Iudices, nequis imperitior CICERO. existimet me causam nobilitatis victoriámque voluisse lædere. tametsi meo iure possum, siquid 84 in hac parte mihi non placeat, vituperare: non enim vereor nequis alienum me animũ habuisse à causa nobilitatis existimet. sciunt ii qui me norunt, me pro illa tenui infirmáque parte, posteа quàm id quod maximè volui, fieri non potuit vt componeretur: id maximè defendisse vt ii vincerent qui vicerunt. Quis enim erat qui non videret humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi ciuis erat non se ad eos iungere, quibus incolumibus, & domi dignitas, & foris auctoritas retineretur. quæ perfecta esse, & suum cuique honorem, & gradum redditum, gaudeo Iudices, vehementérque lætor: eáque omnia deorũ voluntate, studio populi R. consilio, & imperio, & fœlicitate L. Syllæ gesta esse intelligo. Quòd animaduersum est in eos, qui contrà omni ratione pugnarunt: non debeo reprehendere. quòd viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus est: laudo. quæ vt fierent, iccirco pugnatum esse arbitror, méque in eo studio partium fuisse cõfiteor. sin autem id actum est, & iccirco arma sumpta sunt, vt homines postremi pecuniis alienis locupletarentur, & in fortunas vniuscuiusque impetum facerent, & id non modò re prohibere non licet, sed ne verbis quidem vituperare: tum verò in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus oppressúsque populus R. est.

Pro illa tenui infirmáque parte. Marii, Cinnæ, Carbonis.

Honos habitus est. Præmia tributa ex eorum spoliis, in quos animaduersum est.

Homines postremi. Id est, infimi, nequã, nullo numero. quemadmodũ ex cõtrario Primi homines, pro primariis, honore ac dignitate præditi. Brutus Ciceroni, in lib. Epist. ad Brutum, Quòd si Romanos nos esse meminissemus, non audacius dominari cuperent postremi homines, quàm id nos prohiberemur.

Verùm longè aliter est: nihil horum est Iudices: non modò non læditur causa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verumetiam ornabitur. etenim qui hæc vituperare volunt, Chrysogonum tantum posse queruntur: qui laudare volunt, concessum ei non esse commemorant. ac iam nihil est quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat, Vellem quidem liceret, hoc dixissem: dicas licet. Hoc fecissem: facias licet, nemo prohibet. Hoc decreuissem: decerne, modò rectè: omnes approbabunt. Hoc iudicassem: laudabũt omnes, si rectè & ordine iudicaris. dum necesse erat, résque ipsa cogebat, vnus omnia poterat. qui posteaquam magistratus creauit, legésque constituit: sua cuique procuratio auctoritásque est restituta. quam si retinere volunt ii qui receperunt: in perpetuũ poterunt obtinere. sin has cædes, & rapinas, & hos tantos, támque profusos sumptus aut faciẽt, aut approbabunt: nolo in eos grauius quicquam ne ominis quidem causa dicere: vnũ hoc dico, nostri isti nobiles, nisi vigilantes, & boni, & fortes, & misericordes erunt, iis hominibus in quibus hæc erunt, ornamenta sua cõcedant necesse est. quapropter desinãt aliquãdo dicere, malè aliquem loquutũ esse, siquis verè ac libere loquutus sit: desinant suã causam cum Chrysogono communicare: desinãt, si ille læsus sit, de se aliquid detractum arbitrari: videant ne turpe miserúmque sit, eos qui equestrem splendorem pati non potuerũt, serui nequissimi dominationem ferre posse. quæ quidem dominatio Iudices, in aliis rebus antea versabatur: nunc verò quam viam muniret, quò iter affectet, videtis: ad fidé, ad iusiurandũ, ad iudicia vestra, ad id quod solum propè in ciuitate syncerum, sanctúmque restat.

CICERO. 85

NOTOM. *Nihil est quòd quisquam aut tam stultus.* Hæc tota cohortatio est Iudicum, Chrysogoni potentiam timentium. sed quæ de decernendo loquitur, & magistratu ac procuratione, ad M. Fannium Quæsitorem pertinere maximè videntur.

CICERO. 86 Hiccine

» Hicne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potēs esse vult? ô rem miseram,
» atque acerbam. neque mehercules hoc indignè fero, quòd verear nequid possit: verùm, quòd au-
» sus est, quòd sperauit sese apud tales viros aliquid ad perniciē posse innocentis, idipsum queror.
» Iccircóne experrecta nobilitas, armis, atque ferro Remp. recuperauit, vt ad libidinem suam liber
» ti seruulique nobilium, bona, fortunas vestras, nostrásq; vexare possent? si id actum est, fateor me
» errasse, qui hoc maluerim: fateor insanisse, qui cum illis senserim: tametsi inermis Iudices sensi.
» sin autem victoria nobilium ornamento, atque emolumento Reip. populóque R. debet esse: tum
» verò optimo, & nobilissimo cuique meam orationem gratissimam esse oportet. quòd si quis est,
» qui & se, & causam lædi putet, quum Chrysogonus vituperetur: is causam ignorat, seipsum pro-
» pè nō nouit: causa enim splēdidior fiet, si nequissimo cuique resistetur: ille improbissimus Chry-
» sogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, læditur, quū ab hoc splendore
» causæ separatur. Verùm hæc omnis oratio (vt iam antè dixi) mea est: qua me vti Resp. & dolor
» meus, & istorum iniuria coegit. sed Roscius horum nihil indignum putat: neminem accusat: ni-
» hil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola, & rusticus, ista omnia;
» quæ vos per Syllam gesta esse dicitis, more, lege, iure gētium facta: culpa liberatus, & crimine ne-
» fario solutus, cupit à vobis discedere: si hac indigna suspicione careat, animo æquo se carere suis
» omnibus commodis dicit.

Si recte & ordine iudicaris. Ordine, modo, ratione, sapienter. Nam ordo ex sapientia nascitur, & apta rerum aque accommodata compositione.

Haec omnia pertinent ad paginā praecedentē [illegible]

Posteaquam magistratus creauit. Cn. Papyrio, C. Mario coss. altero in Sicilia, altero Præneste interfectis, L. Sylla vrbe potitus, Dictator à L. Flacco Interrege dictus est. Proximis tamen Calendis Ianuariis Consules creari permisit, tantùm ad speciem, &, vt scribit Appianus, ἐς σχῆμα τῆς πατρίου πολιτείας, M. Tullium, & Cornelium Dolabellam. apud Appianū enim vitiose legitur Σύλλας καὶ Ὀππιανός, quum Τούλλιος scribi debeat, & Κορνήλιος. Denique hoc toto triennio quo Dictaturam gessit, Consules per simulationem tantùm, ac die is causa creati sunt.

Qui equestrem splendorem pati non potuerunt. Nam huic ordini Sylla victor iudicia ademerat, & in Senatorum ordinem transtulerat.

Serui nequissimi. Chrysogoni.

CICERO. 87

» Rogat, oratque te Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem conuertit,
» si nulla in re te fraudauit, si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumerauit, appendit, si vesti-
» tum, quo ipse tectus erat, annulúmque dedit, os suum tibi tradidit, si ex omnibus rebus seipsum
» nudum, neque præterea quicquam, excepit: vt sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vi-
» tam in egestate degere. Prædia mea tu possides: ego aliena misericordia viuo. concedo: & quòd
» animus æquus est, & quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est. fero. Familia mea ma-
» xima vteris: ego seruum habeo nullum. patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inse-
» queris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? vbi tuis commodis officio?
» quid tibi obsto? si spoliorum causa vis hominem occidere, spoliasti. quid quæris amplius? si ini-
» micitiarum, quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius antea prædia possedisti, quàm ipsum cogno-
» stis? sin metus: ab eóne aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propul-
» sare non posse? Sin, quòd bona quæ Roscii fuerunt, tua facta sunt, iccirco hunc illius filium stu-
» des perdere: nónne ostendis id te vereri, quod præter cæteros tu metuere non debeas, nequando
» liberis proscriptorum bona patria reddantur? Facis iniuriam Chrysogone, si maiorem spē em-
» ptionis tuæ in huius exitio ponis, quàm in iis rebus quas L. Sylla gessit. Quòd si tibi causa nulla
» est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis: si tibi omnia sua præter animam tradidit, nec
» sibi quicquam paternum, ne monumenti quidem causa, reseruauit: deos immortales, quæ ista
» tanta crudelitas est, quæ tam fera immanísque natura?

Annulúmque dedit. Insigne & ornamentum Equestris ordinis, quo vti nemini, nisi qui in censu H-S CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ possideret, licebat. Sic ergo loquitur, quasi omnibus fortunis euersus Roscius etiā annulū de digito suum detraxisset, eúmque Chrysogono dedisset.

Os suum tibi tradidit. Semper tibi præsto fuit: nunquam tuum aspectum præsentiámque vitauit. sic apud Terentiū in Adelphis, Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus. vbi Donatus, Nulli lædere os, id est nullum præsentē lædere. Plato κατὰ πρόσωπον similiter pro præsente aliquo dixit in lib. de Legib. IX. πρὶν πάντων δὲ κατὰ τὸ σῶμα τοῦ διώκοντος τε καὶ φεύγοντος, ὁ δικαστὴς ἑξῆς ἡμῖν ἐγγύτατα κατὰ πρόσωπον ἱζέσθω. Antea, inquit, in cōspectu accusatoris & rei, Iudex ordine, & quamproximè poterit, pro di-

gnitate sua confideat. Alibi, scilicet in Euthydemo, In os dicere, *εἰς τὴν κεφαλὴν αὐτῷ* dixit. quod Gallicè dicimus *in barbam.* [illegible] &c. Noster autem sic Verrina oratione quarta, pag. 321, Qui testes interrogari priore actione nolueris, & iis tacitũ os tuum præbere malueris, quamuis & te & patronos tuos ingeniosos esse dicito. Item lib. Epist. ad Atticum 1, Auli filius millies dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad malè audiendũ quotidie præbeat. id est qui quotidianas eius contumelias audiat.

Familia mea maxima seruis. Familia, vt ipse inquit in Orat. pro Cæcina, intelligitur, quæ constat ex seruis pluribus.

Quod præter cæteros tu metuere non debeas. Quum tantum apud Syllam gratia valeas, quantùm in ciuitate nemo alius.

Quæ in aliis rebus quas L. Sylla gessit. Quas L. Flaccus interrex ratas in perpetuũ esse iussit, pag. 80. hæc tamen dicuntur [illegible].

Ne monumenti quidem causa. Vide quæ dixi pag. 44.

„ Quis vnquam prædo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, vt quũ integram prædam CICERO.
147. „ sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? scis hunc nihil habere, nihil audere, 88
„ nihil posse, nihil vnquam contra rem tuam cogitasse: & tamen oppugnas eum, quem neque me-
„ tuere potes, neque odisse debes, nec quicquam habere iam reliqui vides, quod ei detrahere possis:
„ nisi hoc indignum putas, quòd vestitum sedere in iudicio vides, quem tu è patrimonio tanquam
„ è naufragio nudũ expulisti. quasi verò nescias hunc & ali & vestiri à Cæcilia Balearici filia, Ne-
„ potis sorore, spectatissima fœmina: quæ quũ patrem clarissimum, amplissimos patruos, orna-
„ tissimum fratrem haberet, tamen, quũ esset mulier, virtute perfecit, vt, quanto honore ipsa ex il-
148. „ lorum dignitate afficeretur, nõ minora illis ornamenta ex sua laude redderet. An quòd diligen-
„ ter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? mihi crede, si pro patris eius hospitiis, & gratia
„ vellent omnes huius hospites adesse, & auderent liberè defendere, satis copiosè defenderetur: sin
„ autem pro magnitudine iniuriæ, próque eo quòd summa Reip. in huius periculo tentatur, hæc
„ omnes vindicarent, consistere mehercule vobis isto in loco non liceret. nunc ita defenditur, non
149. „ sanè vt molestè ferre aduersarii debeant, neque vt se potentia superari putent. quæ domi geren-
„ da sunt, ea per Cæciliam transiguntur. fori iudiciíque rationem Messala, vt videtis Iudices, su-
„ scepit. qui si iam satis ætatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. quoniam ad di-
„ cendum impedimẽto est ætas, & pudor, qui ornat ætatem: causam mihi tradidit, quem sua causa
„ cupere ac debere intelligebat.

A Cæcilia Balearici filia. Suprà pag. 45.

Pro patris eius hospitiis. Pag. 41.

Summa Reip. in huius periculo tentatur. Sũma Reipub. loquutio est idem significans quod status, siue firmamentum Reipub. Ergo hic sensus est, Tentatur summa Reipub. id est, Id agitur vt Respub. euertatur, vt optimis quibusque ciuibus, qui sua virtute Rempubl. sustinent, exitiũ ac pernicies afferatur.

Messala, vt videtis Iudices, suscepit. De hoc Messala ipse in Bruto sic loquitur, M. Messala minor natu quàm nos, nullo modò inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minimè incautus patronus in causis cognoscendis componendísque, diligens, magni laboris, multæ operæ, multarúmque causarum.

Ad dicendum impedimento est ætas. Annus legitimus causas publicas agendi, fuit decimus octauus: quum Vlpianus subtit. De postulando, ius à Prætore vrbis postulandi ætatem dicit eam ipsam legitimam fuisse: & hoc amplius, moderatam hanc ætatem Prætori visam esse ad procedendum in publicum: qua ætate aut paulò maiore, fertur Nerua filius publicè de iure respõsitasse. De ætate idem affirmat Iustinianus sub titulo, Quibus ex causis manumittere licet, libro Institut. I et I. nam anno ætatis XVII, pueri deposita prætexta virilem sumebant, atque in forum à parentibus deducebantur.

Sua causa cupere ac debere. Vsitata loquutio, Alteri⁹ causa cupere, pro Alterius cupidũ & studiosũ esse, alteri ex animo bene velle, veréque amicũ esse, propendere beneuolẽtia & studio in alterum.

„ Ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, vt Sex. Roscii vita erepta de manibus CICERO.
„ sectorum, sententiis Iudicum permitteretur. Nimirum Iudices pro hac nobilitate pars maxima 89
„ ciuitatis in armis fuit: hæc acta res est, vti nobiles restituerentur in ciuitatem, qui hoc facerent,
„ quod facere Messalã videtis, qui caput innocentis defenderent, qui iniuriæ resisterent, qui, quan-
„ tum possent, in salute alterius, quàm in exitio mallent ostendere. quod si omnes qui eodem loco
150. „ nati sunt, facerent: & Resp. ex illis, & ipsi ex inuidia minus laborarent. Verùm si à Chrysogono
„ Iudices, non impetramus, vt pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest:
„ vt quũ ademerit nobis omnia, quæ nostra erant propria, ne lucẽ quoque hanc, quæ cõmunis est,

» eripere cupiat:si non satis habet auaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sangui-
» nis perlitus sit: vnum perfugiũ Iudices, vna spes reliqua est Sex. Roscio, eadem quæ Reip. vestra
» pristina bonitas, & misericordia: quæ si manet, salui etiam nunc esse possumus. sin ea crudelitas,
» quæ hoc tẽpore in Rep. versata est, vestros quoque animos (id quod fieri profecto non potest) du-
» riores acerbiorẽsque reddidit: actum est Iudices: inter feras satius est ætatem degere, quàm in hac
» tanta immanitate versari. Ad eámne rem vos reseruati estis, ad eámne rem delecti, vt eos cõdem-
» naretis, quos sectores, ac sicarii iugulare nõ potuissent? Solent hoc boni imperatores facere: quũ
» prælium committunt, vt in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrantur, milites collocent, in
» quos, siqui ex acie fugerint, de improuiso incidant.

[redacted] *Vt nobiles restituerentur in ciuitatem.* Sylla nanque in bellum Mithridaticum profecto, Marius & Cinna vi in vrbem cum hostili exercitu regressi, & Consulem vtrunque, Octauium scilicet & Merulam, & omnes aduersæ partis nobiles partim occiderunt, partim qui effugere potuerant, proscripserunt.

Actum est. In summa rerum desperatione ponitur, vt sæpe apud Terentium. Nam quum Iudices de consilio dimittebantur, præco pronuntiabat, Actum est, Ilicet. id est, ire licet.

CICERO. » Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hîc tales viros sedere, qui exci-
90 » piatis eos qui de suis manibus effugerint. Dii prohibeant Iudices, vt hoc quod maiores cõsilium
» publicum vocari voluerunt, præsidium sectorum existimetur. An verò Iudices vos non intelli-
» gitis, nihil aliud agi, nisi vt proscriptorum liberi quauis ratione tollantur, & eius rei initium in
» vestro iureiurando, atque in Sex. Roscii periculo quæri? Dubiũ est, ad quem maleficium perti-
» neat, quũ videatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eundémque accusatorẽ hoc tem-
» pore: ex altera egentem, probatum suis filium, in quo non modò culpa nulla, sed ne suspicio qui-
» dem potuit cõsistere: Nunquid hîc aliud videtis obstare Roscio, nisi quòd patris bona venierunt?
» Quòd si id vos suscipitis, & eadem in re operam vestram profitemini: si iccirco sedetis, vt ad vos
» adducantur eorum liberi, quorum bona venierũt: cauete per deos immortales Iudices, ne noua,
» & multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illam priorem, quæ facta est in
» eos, qui arma capere potuerunt, tamen Senatus suscipere noluit, ne quid acrius quàm more maio-
» rum comparatum est, publico cõsilio factum videretur. hanc verò, quæ ad eorum liberos, atque
» infantium puerorũ incunabula pertinet, nisi hoc iudicio à vobis reiicitis, & aspernamini: videte
» per deos immortales, quem in locũ Remp. peruenturã putetis. Homines sapientes, & ista aucto-
» ritate, & potestate præditos, qua vos estis, ex quibus rebus maximè Respub. laborat, iis maximè
[redacted] mederi conuenit.

[redacted] *Quod maiores publicum consilium vocari.* Id est consessum Iudicum publicæ vtilitati consulentium. Nam Consilium pro cœtu consessuque Iudicum vsurpari, constat ex locis innumeris. In Orat. pro Mil. In iudicio verò, & in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent. Et suprà hac ipsa Orat. Qui ex ciuitate in Senatum, ex Senatu in hoc consilium delecti estis. Neque iis assentior, qui quia Senatus publicum consilium vocatur, ita hunc Iudicum consessum dictum putant, quòd Senatores hi Iudices essent. non enim pars tam exigua Senatus Publicum consilium vocatur: sed cunctus Senatus. præterea non quasi Senatores hic sedent, sed quasi Iudices: nec maiores iudicium hoc publicum, consilium publicum eo duntaxat tempore vocari voluerunt, quo soli Senatores iudicabant. quid enim? duos ab hinc annos consessus Equitum & Senatorum, decem autem post annos, Equitum, Senatorum & Tribunorũ æris, nunquid publicum iudicium eodem modo vocitatum est? Sed publica cõsilia, meo iudicio, omnia iudicia publica vocata sunt, & distincta hoc nomine à priuatis: in quibus etiam Iudicis & aduocatorum eius consilium dicitur, sed priuatum: quippe quod non rei cõmunis & publicæ, sed priuatæ tantùm & pecuniariæ rei causa sit aduocatum. Cicero pro Quintio, Si apud hoc consiliũ ex opibus, non ex veritate causa pendetur. Et alibi frequenter.

CICERO. » Vestrum nemo est quin intelligat populum R. qui quondam in hostes lenissimus existima-
91 » batur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. Hanc tollite ex ciuitate Iudices: hanc pati no-
» lite diutius in hac Rep. versari: quæ non modò id habet in se mali, quòd tot ciues atrocissime su-
» stulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodo-
» rum. nam quũ omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiã qui natura mi-
» tissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Desit fortasse quippiam.

[redacted] *Desit fortasse quippiam.* Hoc, opinor, inducendum est, & ex libris tollendum. Nam mihi quidem nihil fingi posse videtur perfectius.

[redacted] IN ORATIONEM M. T. Ciceronis pro Q. Roscio Comœdo commentarii.

ARGVMENTVM.

C. Fannius seruum suum Panurgum Q. Roscii Comœdi gratis cōmunem fecit, pactis legibus, vt eum Roscius arte histrionica institueret. Institutū Q. Flauius Tarquiniensis quidā interfecit. Roscius ad Flauium iudicio DAMNI INIVRIA DATI persequendum, Fannium cognitorem dedit. Lite contestata, iudicio constituto, Q. Roscius cum Flauio sine Fannio decidit. accepit H-S centum millia: id est aureorū nostratis pecuniæ duo millia quingentos. Annó pòst teste & arbitro C. Pisone, Q. Roscius C. Fannio pro opera, pro labore quòd cognitor fuisset; quòd vadimonia obisset, certam pecuniā dedit, ea cōditione, vt siquid ille exegisset à Flauio, partem eius dimidiā Roscio dissolueret. C. Fannius quū Flauiū diu multúmque persecutus esset, neque quicquā (vt ipse dicebat) ab eo exigere potuisset, Rosciū in ius vocat. Iudiciū in certam pecuniā, H-S scilicet quinquaginta milliū, à Prætore postulat: & actionē quæ Certi cōdictio vocatur, impetrat, hanc afferens causam, Quia quodcunque sibi petit socius, id societatis fit: quæ H-S centū millia Roscius à Flauio exegit, eorū partē dimidiā ad se pertinere. M. Tullius Q. Rosciū hac oratione defendit. demonstrat socium, nisi cognitorē datum, partē alterius petere nō posse: ac multò minus de ea transigere: atque hoc idem Fanniū ipsum iudicasse, qui transactione à Q. Roscio facta, nihilominus Flauiū persequutus est, Roscióque etiā repromisit partē eius quod exigeret dimidiā. hoc amplius, H-S centum millia à Flauio exegisse. Sed initio orationis non statim ingreditur in causam. Disputat enim, malè Fannium egisse. neque enim incertam pecuniam ad Iudicē peti. hanc autem vel ipsius Fannii confessione incertā esse: quippe quā ad arbitrum antea petierit. ad arbitrum autē incertam pecuniā peti. Causa priuata est. status iuridicialis. agitur apud C. Pisonē Iudicem à Prætore datū, cui M. Perpenna, vir Cōsularis in cōsilio adest. Quibus Cōsulibus acta sit, nō reperio. Facilè tamē ante superiorē actā esse duabus hisce de causis existimarim. Primùm, quia constat acta superiore causa cōtinuò Tulliū in Græciā metu L. Syllæ profectū esse. Deinde quòd Macrobius scribat Roscium à L. Sylla Dictaturā gerente, aureo annulo donatū. quod quū ad Roscii laudem vel maximè pertineret, mihi verisimile non fit Oratorē, si iam tum id factum fuisset, prætermissurum fuisse.

Pro Q. Roscio Comœdo Oratio III.

Multa, quæ desunt, quærenda.

malitiā naturæ, crederetur. is scilicet vir optimus, & singulari fide præditus, qui suo iudicio tabulis suis testibus vti conatur. solent fere dicere, qui per tabulas hominis honesti pecuniā expensam tulerunt, Egone talē virum corrūpere potui, vt mea causa falsum in codicē referret? Expecto quàm mox Chærea hac oratione vtatur, Egóne hanc manum plenā perfidiæ, & hos digitos meos impellere potui, vt falsum perscriberent nomen? quòd si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. erit in illius tabulis hoc nomen: at in huius nō erit. cūr potius illius, quàm huius credetur? scripsisset ille, si non iussu huius expensum tulisset? nō scripsisset hic, quod sibi expensum ferri iussisset? nam quemadmodum turpe est scribere quod non debetur: sic improbum est non referre quod debeas. æquè enim tabulæ condemnantur eius qui verum non retulit, & eius, qui falsum perscripsit. Sed ego copia & facultate causæ confisus, vide quò progrediar. si tabulas C. Fannius accepti & expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas: quo minus secundum illum iudicetis, non recuso. CICERO. l.m 74

[redacted] COMMENTARII.

Vir optimus, & singulari fide præditus. C. Fannius. & εἰρωνικῶς dicitur. vt pro Quintio, pag. 6, Vereor ne se derideri putet, quum iterum iam dico Optimus.

Qui suo iudicio. In suo iudicio, Aldinus, & omnes scripti libri. quod verum puto.

Tabulis suis. Moris erat vt patresfamiliarum, quæcunque per singulos dies aut acciperent, aut expenderent, ea primùm properè ac festinanter in codicem memoriæ causa paratum, referrent, quæ Aduersaria dicebantur: deinde per otium in aliis tabulis ordine & accuratè perscriberent.

eas tabulas accepti & expensi nominabant: de quibus Cicero in Oeconomico scribit, Confecit tabulas diligentissime. hæc autem res habet hoc certè, vt nihil possit neque additum, neque detractum de re familiari latere. De earũ tabularum fide Censores quũ vrbem lustrarent, patresfa. iusiurandũ interponere iubebant. Nam ex iis vniuscuiusque ciuis censum æstimabant. Tabulas autem qui in potestate patris erant, nullas conficiebant: vt ex Orat. pro Cælio intelligitur.

Per tabulas hominis honesti. Vt si tu ab eo qui mihi pecuniam debebat, pecuniã meo iussu accipias.

Expensam tulerunt. Id est, In tertii tabulas referri, ac perscribi iusserunt, expẽsam tibi ab sese pecuniã fuisse. Expensam autem dicimus, vt adnumeratã, creditã, dissolutam. AEre enim graui, & libra in eo tradendo Veteres vtebantur. vnde Expensa in rationibus semper postea dicta sunt, & Prima pensio, secunda, & siquæ alia. Item Dispendium, & Cõpendium. hæc ex Varrone, & Plinio.

Falsum perscriberent nomen Nomen est quodcunque in tabulas refertur, inscripto eius, cui vel acceptum, vel expensum fertur, nomine. Plautus in Curculione, LYCO trapezita, Noui AEdepol nomen. nã mihi istoc nomine, Dũ scribo, expleui rotas ceras quatuor. Et PERSCRIBERENT, rectè: quum in aliis omnibus Perscriberem vitiose legatur.

CICERO. » Quis boc frater fratri, quis parens filio tribuit, vt quodcunque retulisset, id ratum haberet? 3.
93 » ratum habebit Roscius, profer: quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit
antè M. Perpenna, C. Piso argentarii tabulas » probatum, huic erit probatum. Paulo antè à M. Perpenna P. Saturi tabulas poscebamus, nunc 4.
» tuas C. Fanni Chærea solius flagitamus: & quo minus secundum eas lis detur, non recusamus.
» Quid ita non profers? non conficit tabulas? imò diligentissimè. non refert parua nomina in co-
» dices? imò omnes summas. leue, & tenue hoc nomen H-S CCCIↃↃↃ sunt? quomodo tibi tanta
» pecunia extraordinaria iacet? quomodo H-S CCCIↃↃↃ, in codice accepti & expensi nõ sunt? prò
» dii immortales, essẽne quenquam tanta audacia præditum, qui, quod nomen referre in tabu-
» las timeat, id petere audeat? quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in litem non du-
» bitet? quod sibi probare non possit, id persuadere alteri conetur? Nimium citò ait me indignari 5.
codicem l. » de tabulis: non babere se hoc nomen in codice accepti & expensi relatum confitetur, sed in ad-
» uersariis patere contendit. Vsque eòne te diligis, & magnificè circunspicis, vt pecuniam non ex
» tuis tabulis, sed aduersariis petas? suum codicem testis loco recitare, arrogantiæ est: suarum per-
» scriptionum, & liturarum aduersaria proferre, non amentia est? quòd si eandem vim, diligẽtiam, 6.
» auctoritatémque habent aduersaria, quam tabulæ: quid attinet codicem instituere, conscribere,
» ordinem conseruare, memoriæ tradere literarum vetustatem? sed si, quòd aduersariis nihil credi
» mus, iccirco codicem scribere instituimus: quod etiam apud omneis leue & infirmũ est, id apud
» Iudicem graue & sanctum esse ducetur? quid est quod negligenter scribamus aduersaria? 7.

Paulo antè à M. Perpẽna P. Saturi tabulas poscebamus. C. Piso Iudex fuit huius iudicii, pag. 95. Ei in consilio adfuit M. Perpenna, vt dicemus pag. 99, in illum locum, Nam tibi M. Perpẽna, C. Piso certè tanti nõ fuisset, &c. Quo in loco (vt apparet) assessor priore loco nominatus est: quo modo bic quoque factum arbitramur: vt verbum Saturi pro Argentarii positum sit. Argentarium autem eum significat cuius opera in aliqua earum transactionum, de quibus postea dicet, vsi sunt. nam ad argentariorum tabulas qui tabernas in foro habebant, istiusmodi pactiones pecuniarum fieri solitas, patet ex Orat. pro Quintio, pro Cæcina, & aliis locis. Locũ igitur hoc modo restituendum putamus, Paulo antè M. Perpẽna, C. Piso, argentarii tabulas poscebamus. Nam A particula quæ verbis illis M. Perpẽna antecedit, abest ab omnibus veteribus & manu scriptis & impressis libris. Præterea P. Saturium nõ esse hoc loco appellatum à Tullio, illud coniecturam affert, quòd pag. 98, primùm eum tum demum appellare videtur, Quid, ait, tu Saturi, qui contra bunc venis, existimas aliter? &c.

Non conficit tabulas? Hoc pronuntiatur à persona Chæreæ ad Iudices conuerso vultu. vt sit sensus, Fortasse quæratis an tabulas non conficiat. nam illo loco, Quomodo tibi tanta p. ext. iacet? rursus aspectus in Chæream conuertitur.

H-S CCCIↃↃↃ. Valerius Probus in libello de notis antiquis, & Priscianus in eo quem de ponderibus & mensuris inscripsit, docet his notis CCCIↃↃↃ significari Centũ millia, his verò CCIↃↃ, decem millia. illis IↃↃ, quinque millia. Priscianus quidem his literis IↃↃↃ quinquaginta millia: vterque verò (vt modò diximus) illis superioribus CCCIↃↃↃ centum millia. Quæ quum ita sint, & quales antiquæ notæ fuerint tam facilè ex his notis intelligi [illegible]arique possit: id certè doctissimis illis viris in mentem non venisse valde miror. nisi fortè, quod mihi magis verisimile videtur, eorum libri, ac notæ deprauatæ sunt. Nam si in augendo totidem ad læuam adiectæ C literæ, vel apostrophi (vt Priscianus vocat) quot antè ad dextram fuerant, priorẽ numerũ altero tanto multiplicant: dubium, opinor, non erit quin demẽdis vtrinque iisdem literis contrà atque in augendo vsu veniat. quod ipsi quoque in vtrisque illis numeris verum esse ostendunt. Docent enim & IↃↃↃ quinquaginta millia designare, & CCCIↃↃↃ centũ millia, ac similiter IↃↃ quin-

que millia: CCIↃↃ verò, decẽ millia. Quod si ita est, profectò nõ modò hæc nota IↃↃↃↃ quingẽta millia significabit: illa verò CCCCIↃↃↃↃ, decies cẽtena millia: verũetiã illa IↃ quingenta, hæc verò CIↃ millenariũ numerum. vt ex illa obseruatione intelligitur, quòd quantum augetur numerus adiectis literis, tantundem ademptis minuitur. Ex quo illud etiam existimare possumus, quas notas vulgò pro quingentis & pro mille vsurpari scribũt, D scilicet & ∞: eas notas pro illis germanis IↃ & CIↃ vulgò vsurpatas esse. Nam quod corruptas quidam arbitrãtur posteriorum imperitia fuisse, hoc ex monimentis antiquissimis falsum esse appatet: in quibus & D pro quingentis, & ∞ pro mille ferè inuenitur. vt etiam CD pro quadringentis plurimum reperiatur. quod D pro quingentis vsurpari solitum ostẽdit. nam si IↃ tantum scriberetur, præposita litera C millenarium numerũ efficeret. Vtcunque autem se res habeat, illud est certè sine controuersia quod paulo antè diximus: & IↃ quingẽtorum, & CIↃ millenarii numeri significationem fuisse. quod ex aliarum notarum analogia, de quibus inter Priscianum & Valerium cõstat, cuiuis licet animaduertere. Sed quoniam de notis numerorum quædam obseruauimus, ex quibus & quæ sit scribendi antiqua ratio intelligi potest, & plerique veterum auctorũ loci vitiosè scripti, castigari: non alienum erit præcepta quatuor quibus hanc omnem disciplinam complexi sumus, hoc loco exponere. sed principio vnamquanque notam suo loco atque ordine collocabimus.

I	CIↃ
IIII	CIↃ CIↃ CIↃ CIↃ
V	IↃↃ
X	CCIↃↃ
XXXX	CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ
L	IↃↃↃ
C	CCCIↃↃↃ
CCCC	CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ.
IↃ	

Prima obseruatio, Nnmerorum notæ sunt quinque simplices: reliquæ verò coniunctæ. simplices sunt I, V, X, L, C. Secunda, Hæ notæ alternis tantùm ex suo genere multiplicãtur: cæteræ nonnisi cum diuersi generis notis coniunguntur. nam neque plures V, neque plures L, neque aut IↃ, aut cæteræ quæ alternis vicibus subsequuntur, simul reperiuntur. sed aut I. aut X, aut insequẽtes intermediæ. Sequitur tertia obseruatio, Multiplicatio non fit supra quadruplum: nam in quinto loco noua nota succedit. Hoc notauimus in numeris qui ex suo genere multiplicantur. IIII enim tantùm scribuntur, non IIIII. & XXXX non XXXXX, quum certa nota, & huius numeri propria constituta sit. Quarta obseruatio, In coniunctione priores augent postpositæ sequentibus: præpositæ verò detrahunt, hoc modo: I, literæ V postposita, valet sex: præposita, quatuor. I post X, valet vndecim: ante, nouem. In antiquissimis monimẽtis IIX valet octo, & VL quadraginta quinque. Sed in vulgaris & paruis numeris facilior est cognitio. in maioribus sanè peccatũ est in libris veterum, ignorantia librariorum multis locis. vt quũ Verrina V, sic scribitur, Modiûm LXX M M M, pro, septuaginta tria millia. sic enim Latinè & antiquè scribi oportuit, IↃↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ CIↃ CIↃ CIↃ. & alibi XVM, pro quindecim millibus. Quũ enim nullam esse certam notam viderent, quæ hunc numerum indicaret, non animaduerterunt coniungi notas oportere maximorum numerorũ, item vt superiores: & in cõiunctione priores augere postpositas sequentibus. vt si hãc notam IↃↃ illi sequẽti CCIↃↃ postponamus, efficiemus quindecim millia, & hoc modo CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ, pro 25000: qua in re vel plurimum in Plinianis numeris peccatum est. Sic in maximis numeris priores notæ præpositæ sequentibus tantundem quantum postpositæ efficerent, detrahunt. quod ex monimentis antiquis intelligitur, in quibus DXC, quingenta nonaginta significat: & DXXC, quingenta octoginta. Hoc postremò de notis numerorum intelligendum est, quod Valerius Probus etiam ostendit: lineam alicui numero impositam significare millia. quod ex Ciceronis Epist. ad Attic. quinta & sexta facile intellectu est. nam pro H-S XXCD, qua nota epistola quinta vsus est, in sequenti epistola H-S CCIↃↃ CCIↃↃ CCCC scripsit. Quo ex loco etiam, veterem hanc notam D, non nouam & ab imperitis confictam esse, quemadmodum antea dicebamus, perspicuè constat. Atque hæc quidem de notis numerorum. Nunc de Sestertiis, eorùmque notis breuiter explicandum est. Sestertius igitur, vt ex Varrone, Prisciano, Volusio Metiano, & Plinio intelligitur, duos asses & semis valebat. Est enim, inquit Varro, veteris cõsuetudinis, vt retro æra dicerentur: ita vt semis tertius, semis quartus pronuntiarent. Ab semistertius, Sestertius dictus. hæc Varro. quæ tamen in libris peruulgatis deprauata sunt. Latini autem Græcorum figuram imitati sunt, qui τρίτον ἡμιτάλαντον dicunt, pro duo talenta & dimidium. πέμπτον ἡμιτάλαντον, pro quatuor talenta & dimidium: quod ex Suida licet intelligi. Nota verò sestertii hæc H-S, conflata ex illa est LLS, quæ duas libras & semis signifi-

cat: libræ enim hæc nota est, ꝶ, aut illa ₤. Quòd si Sestertiũ in neutro genere, mille sestertiis valebar, quemadmodũ eruditissimi propè omnes tradũt, valde mirũ est, neque Varronem, Plinium, Volusium, Priscianum, quũ præsertim id ab iis institutus sermo maximè postularet, vllã de ea re mentionem fecisse: neque notam à Sestertius vllam diuersam habuisse. Præterea quum in Verrinis orationibus toties de Sestertiis fiat mentio, locum tamen in iis nullum esse, in quo Sestertium in neutro genere accipi oporteat. quin potius omnia ferè in virili genere, certè pro sestertiis numis necessariò accipienda esse. Quum enim, verbi gratia, H-S duo, aut X X, aut C, reperitur, de sestertiis numis id intelligi, similes loquutiones innumeræ demõstrant: in quib' aut Medimnûm, aut Modiûm, aut Iugerum, aut Numûm centum, ducenta, aut trecenta reperimus: & perpetuò subaudimus vocem Millia. vt Ver. v, Singula numûm, pro singula millia numûm, id est sestertiorum: Medimnûm triginta, Modiûm viginti, iugerũ quadraginta. Et quũ eadẽ Orat. pag. 341, Cicero sic scribit, Accessionem ascripsisset, H-S M D, de sestertiis numis necessariò intelligendum est, nõ de millenariis. Itẽ vt illud Ver. v I, 429, A Lisone Lilybetano, primo homine, apud quem diuersatus es, Apollinis signum ablatum certè esse non oportuit. at dices te emisse, scio. H-S M. ita opinor. Ridet hoc loco simulatam emptionem. ex quo de mille tantùm sestertiis numis locum intelligendum esse manifestò constat. quòd si Sestertium mille sestertios valuisset, valde obscurum fuisset non solùm, sed etiam absurdum, notam esse apud Latinos nullam quæ ambiguitatem illam tolleret. Eò accedit, quòd ratio ad numos denarios ducta, & eadem postea in sestertiis numerata, nunquã nisi ad numos sestertios refertur, vt Verrina v, eo loco. vnde intelligitur denarium valuisse quaternos sestertios. Tritici, inquit, modios singulos denariis ternis æstimasti. Et paulo pòst, Duodenos sestertios exegisti. Alia verò argumẽta Georgius Agricola protulit, quæ ex ipsius libris licet cognoscere. quale est illud Martialis,

Mutua viginti sestertia forte rogabam,
 Quæ vel donati nõ graue munus erant.

quod nemo nisi de numis sestertiis intelligeret. Hoc igitur ne posthac singulis locis inculcandum sit, semel sit dictum, Quoties in orationibus Ciceronis nota hæc occurrit H S, eam de numis tantùm sestertiis intelligendam esse.

Leue & tenue hoc nomen H-S CCCIↃↃↃ *fuit.* Nomen quinquaginta dũtaxat millium esse debebat, non centum. sed elatè hoc dicitur, quòd centum millia Roscius à Flauio accepisset, vtriusque nomine, vt Fannius quidem dicebat: vt Roscius, suo solius.

Tanta pecunia extraordinaria. Iam suprà diximus, moris fuisse vt omnes pecuniæ ordine in tabulas referrentur. & hoc ipsum ostendit pag. 49, Quamobrem quũ cætera nomina in ordinem referebas, hoc nomen in aduersariis relinquebas? Ob eámque causam quæ non erant relatæ, Extraordinariæ ab antiquis vocabantur. Sic idem in Ver. I I I, Homo stultissime & amentissime, tabulã quũ conficeres, & quum extraordinaria pecunia crimen subterfugere velles, satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres, neque in tuas tabulas vllum nomen referres? Et Ver. I V, Idem præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fœnerabatur.

Referre in tabulas timeat. Quia falsum sit.

Id iurare in litem non dubites. Iusiurandum, opinor, illud dicit, quod postea Iuriscõsulti iuramentum calumniæ appellarunt. quũ qui aliquem in ius vocat, iurat se non malitia, neque falsa fictáque intentione, sed quia bonam se & veram causam habere arbitretur, litem intendere. Sed aliud est iuramentum in litem, de quo iidem Iurisconsulti disputant, quũ Iudex propter rei calumniam atque contumaciam actori quanti litem illam, id est aduersarii iniuriam æstimet, iurare permittit. de quo quidem iuramento loqui Oratorem non arbitror: quum infrà non litis æstimationem, sed certam pecuniam quæ ex societate debeatur, à Fannio actione Pro socio petitam esse demonstret.

In codice accepti & expensi relatum. Magis placeret In codicẽ. vt in multis veteribus, etiã impressis.

In aduersariis patere contendis. Aduersaria dicuntur tabulæ ad quotidianum vsum paratæ: in quibus cursim & negligenter ea scribimus, quæ pòst accuratius in certas & perpetuò mansuras tabulas ordine ac dispositè perscribimus. deductáque ex eo appellatio videtur, quòd ibi statui soleant vbi nobis assiduè obuersentur: quasi aduersus nos posita. vnde etiã Aduersarii dicti, quasi in quos pepetuò incurramus, vel qui se nobis assiduè opponant: hoc enim propriè Aduersari significat.

Diligis & magnificè circumspicis. Translatum à pauonibus, qui dum aduerso sole expansis plumis frequenter se circunspectant, propter earum ornatum ac splendorem, maiorem in modum sibimetipsis placent.

Memoriæ tradere literarum vetustatem. Literarum vetustatem, sic accipio, literas vetustas: & literas vetustas, vetusta nomina. Nam literæ, priuatæ tabulæ modò dicuntur: vt Ver. I V & V I, multis locis: vt pag. 299, 417, 423. Hinc illud in Pisonem, Quas rationes si cognoris, intelliges nemini

plus quàm mihi literas profuisse: quem locum alibi explicauimus. Ergo Memoriæ tradere literarum vetustatem, hoc significat, conseruare vetusta nomina, curare vt eorum memoria in multum tempus perduret.

Apud iudicem. Qui iurisiurandi religione de vnaquaque re diligentius æstimãda & perpendenda commoneri debeat.

Quid est quòd diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? quia hæc sunt mẽstrua, illæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ seruantur sanctè: hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt deiecta, illæ in ordinem confectæ. itaque aduersaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit, tabulas recitauit. Tu C. Piso tali fide, virtute, grauitate, auctoritate ornatus, ex aduersariis pecuniam petere non auderes, ego, quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo. Illud verò quod ad rem vehementer pertinet, quæro: quampridẽ hoc nomen Fanni in aduersaria retulisti? Erubescit: quid respondeat, nescit, quid fingat extemplo, non habet. Sunt duo menses iam, dices: tamen in codicem acceptum & expensum referri debuit. Amplius sunt sex mẽses, cur tandiu iacet hoc nomen in aduersariis? quid, si tandem amplius triennium est? quomodo, quũ omnes qui tabulas conficiant, menstruas penè rationes in tabulas trãsferant, tu hoc nomen triennium amplius in aduersariis iacere pateris? Vtrum cætera nomina in codicem accepti & expensi digesta habes, an non? si nõ, quomodo tabulas cõficis? si etiam: quamobrem, quum cætera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in aduersariis relinquebas? Nolebas sciri, debere tibi Roscium: cur scribebas? rogatus eras ne referres: cur in aduersariis scriptum habebas? Sed hæc quanquam firma esse video: tamen ipse mihi satisfacere non possum, nisi à C. Fannio ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. CICERO. 94

Hæc sunt menstrua, illæ sunt æternæ. Hæc, ad remotius, Illæ, ad proximum retulit: præter cõsuetudinem Latinæ orationis. quo modo loquutũ Aristotelem Budæus putauit in III Ethic. [illegible] Quod tamen quemadmodum Budæus accipiat, coniectura assequi non possum.

Perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur. Qui enim in censum adscribebantur, & tabulas conficiebãt, iusiurandũ dabãt, se bona fide tabulas cõfecturos: vt scribit Dionysius Hal. li. IV.

Hæc sunt deiecta. Sic omnes libri veteres. Alii tamen Cõiecta, quod planè reiicio. Nam Deiecta sic accipio, quasi disiecta, & permistè nullóque ordine posita, vti ea quæ de superiore loco in inferiorem fortuitò depulsa ac deturbata sunt. Haud scio tamen annon Disiecta rectius legeretur.

Tamen in codicem. Vsitata defectio. Subauditur enim, Vt tibi hoc concedam & largiar.

In codicem acceptum & expensum referri debuit. Fortasse alibi sic rectè dicatur, vt sit sensus, Id quod acceptum & expẽsum est. sed hoc loco verba hæc ad vocem superiorem Nomen referuntur. Quare Accepti & Expensi reponendum potius putarem.

Amplius triennium est. Nam tãtum temporis intercessit, ex quo Panurgus interfectus est, & Roscius eius nomine H-S CCCIↃↃↃ accepit à percussore.

Magnum est quod conor: difficile est quod polliceor: nisi eundem & aduersariũ, & testem habuerit Roscius, nolo vincat. Pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per Iudicem, in qua legitimæ partis spõsio facta est. hic tu si amplius H-S nummo petisti, quàm tibi debitum est: causam perdidisti, proptérea quòd aliud est iudicium, aliud est arbitrium. Iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum, quantum postulauimus, consequamur. Eius rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. Quid est in iudicio? directum, asperum, simplex. si peteret H-S IↃↃↃ dari hic, nisi planũ facit H-S IↃↃↃↃ ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum, quãtum æquius & melius sit dari. ille tamen cõfitetur plus se petere, quàm debeatur: sed satis superq; habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. Itaque alter causæ confidit, alter diffidit. quæ quũ ita sint, quæro abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipsis H-S IↃↃↃ, de tuarum tabularum fide cõpromissum feceris, arbitrum sumpseris, Quãtum æquius, & melius sit dari repromittive, si pareret. Quis in hac re fuit arbiter? Vtinam is quidem Romæ esset: Romæ est. Iam vtinam adesset in iudicio: adest. Vtinam sederet in cõsilio C. Pisonis: ipse C. Piso est. Eundémne tu arbitrum, & Iudicem sumebas? eidem & infinitã largitionem remittebas, & eundẽ in angustissimã formulam sponsionis concludebas? Quis vnquam ad arbitrum, quantum petiit, tantum abstulit? nemo: quantum enim æquius esset sibi dari, petiit. CICERO. 95

Pecunia tibi debebatur certa. Lõga disputatio, in qua ad summam hoc dicit, Malè Fannium egisse, qui incertam pecuniam petat ad Iudicẽ. Incertam autem Fãnium ipsum iudicasse, quũ eandem antè ad arbitrum petierit. nam ad arbitrũ nunquam nisi incertam pecuniam peti. Arbitrum autem hoc toto loco etiã eum significat, qui Iudex est, sed in iis iudiciis in quibus additur EX FIDE

BONA. quibus in causis iidem Iudices dicebantur & Arbitri, idem Iudicium & Arbitrium, vt diximus in Orat. pro Quintio, pag. 4. Atque hoc est quod idem ait in Muræniana, Iurisconsultos nondum statuere potuisse, vtrum Arbitros an Iudices appellarent.

Legitimæ partis sponsio. Infrà tertiam appellat. ex quo coniecturam capimus, in litibus quibus pecunia certa petitur, non fieri sponsionem arbitratu litigatorum, sed lege constitutam, & definitam summam fuisse: opinor ex Prætorum edictis: quæ leges erant annuæ. Addidit autem In qua legitimæ partis s.f. est, quo magis ostenderet, certam pecuniam in iudicium deductam esse.

Iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Quid ita? quoniá Iudices (quippe priuati homines) potestatem iudicandi nullam, nisi quam à magistratu, & qua de re acceperant, habebant. veluti, L. Cassius Iudex esto. Si paret aureos x x Næuio dare oportere Semproniū, eum tantū pecuniæ condemnato. Poterat L. Cassius de aureis x x iudicium statuere: de vno minus, aut amplius, non poterat: nó accepta scilicet à Prætore potestate. nam potestates & imperia sunt penes magistratus: Iudices autem, priuati (vt diximus) homines erát. Itaque si maximè vndeuiginti deberentur, quia tamen x x petita sunt, petitorem Iudex damnabit. vnde illud vulgatū, vt qui plus peteret, causa caderet. Officiū ergo Iudicis est, cōstituere simpliciter, debeātúrne x x aurei, annon debeantur: non autem de aureorum numero arbitrari. Qua de causa reprehendit Hippodamum Milesium Aristoteles lib. de Repub. I I, qui Iudicibus potestatem fecerat, vt reum partim damnarent, partim absoluerēt. Οὐ καλῶς δ' οὐδ' ὁ περὶ τῆς κρίσεως ἔχει νόμος, τὸ κρίνειν ἀξιοῦν διαιροῦντα, τῆς κρίσεως ἁπλῶς γεγραμμένης, καὶ γίνεσθαι τὸν δικαστὴν διαιτητήν. De iudiciis, inquit, nó rectè sancitum est: quū potestas fit Iudici, vt diuidat, id est partim condemnet, partim absoluat, quū purè dica scripta est, vtque ex Iudice fiat arbiter. Nam περὶ κρίσιν ἁπλῶς γράφειν, Iurisconsulti sic Latinis verbis explicant, Iudicium siue actionem purè intendere. Et paulo pòst, ἔπειτα πῶς οὐκ ἔσται ταραχώδης ἡ κρίσις, ὅταν ὀφείλειν ὁ μὲν δικαστὴς οἴηται, μὴ τοσοῦτον δ' ὅσον ὁ δικαζόμενος; ὁ μὲν γὰρ εἴκοσι μνᾶς, ὁ δὲ δικαστὴς δέκα μνᾶς, ἢ ὁ μὲν πλέον, ὁ δ' ἔλασσον, ἄλλος δὲ πέντε, ὁ δὲ τέτταρας, καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον δῆλον ὅτι μεριοῦσιν, οἱ δὲ πάντα καταδικάσουσιν, οἱ δὲ οὐδέν. τίς οὖν ὁ τρόπος ἔσται τῆς διαλογῆς τῶν ψήφων; ἔτι δὲ οὐδεὶς ἐπιορκεῖν ἀναγκάζει τὸν ἁπλῶς ἀποδικάσαντα ἢ καταδικάσαντα, εἴπερ ἁπλῶς τὸ ἔγκλημα γέγραπται δικαίως. οὐ γὰρ μηδὲν ὀφείλειν ὁ ἀποδικάσας κρίνει, ἀλλὰ τὰς εἴκοσι μνᾶς. ἀλλ' ἐκεῖνος ἤδη ἐπιορκεῖ ὁ καταδικάσας, μὴ νομίζων ὀφείλειν τὰς εἴκοσι μνᾶς. Iam verò, inquit, qui poterit non turbulentum esse iudicium? quum deberi quidem Iudex, non tantum autem quātum petitor existimabit. hic enim viginti minas, Iudex verò decem: hic plus, ille verò minus, alius quinque, alius quatuor, atque hoc scilicet modo partientur: alii integram summam, alii nihil deberi iudicabūt. Quanam igitur ratione discerni ac numerari sententiæ poterunt? Præterea nemo peierare cogit eum qui simpliciter damnabit, aut absoluet, si purè lis iure intendatur. neque enim qui absoluit, nihil deberi iudicat, sed viginti minas. Is verò peierat, qui quem viginti minas debere non putat, tanti tamen condemnat. hæc ille. Exemplum autem subiiciemus, Qui absoluit reum vnde viginti aurei petuntur, quū decem tantùm deberet, non iudicat nihil deberi, sed viginti aureos deberi negat. quod verum est.

Vt totam litem obtineamus. Corrige, Aut obtineamus, vt in aliis libris. Huius autem rei ipsa verba formulæ testimonio sunt, Aio te mihi dare centum oportere. nam Oportere verbum necessitatem significat. ex quo apertè intelligitur, quod Paulus respōdit in l. Verbū oportere, D. De verb. sig. ad libera & bonæ fidei iudicia referendum esse. Verbum oportere, inquit, non ad facultatem Iudicis pertinet, qui potest vel pluris vel minoris cōdemnare: sed ad veritatem refertur. Iudicem enim appellat, quem Arbitrum hoc loco Cicero nominauit, nimirum eum qui in bonæ fidei iudiciis sedet. quum contrà qui in stricti iuris iudiciis sedeāt, hic à Cicerone Iudices appellentur.

Verba formulæ. Formulæ Iudicii scilicet, quod à Prætore dari Iudici solebat. Et H-S IↃↃↃ posuit: quòd hæc ipsa esset præsentis iudicii data ac præscripta Pisoni Iudici à Prætore formula. in hanc enim summam sponsio facta est.

Si peteret H-S IↃↃↃ dari. Corruptus locus, quem sic puto corrigendum, SI PATERET H-S IↃↃↃ DARI OP. id est, oportere, vt apud Valeriū Probū in not. antiquis. vt verba sint formulæ iudicii, & grandioribus literis scribātur. Sic Ver. v, pag. 328, Dabat iste iudiciū, SI PATERET iugera eiusmodi fundi esse plura, quàm colonus esset professus, tum Xeno dānaretur. Et eadem rursus Orat. pag. 334, Quærebant quæ in verba Recuperatores daret: respōdebat, SI PATERET aduersus edictum fecisse, quæ in iudicio dicturum esse dicebat. Et in Diuinat. 129, Iudiciū dat statim, SI PATERET eam se & sua Veneris esse dixisse. ná & PATERET dicebatur, & APPARET, vt Ver. 4. pag. 234. & PARET, vt in Institut. iuris lib. I I I I, cap. de Actionibus. Hanc auté notam OP. quæ Oportere significat, aut reponendam arbitror, aut certè subaudiendam.

Ad libellam sibi deberi. Libella, idem quod libra, pondo, as valebat. & erat ex argento parua, vt apud Varronem lib. de Ling. Lát. I V. Veteres autem quū paruam pecuniolam significabant, hoc verbo vtebantur. Cicero Ver. I V, Et quis Volcatio, si sua spōte venisset, vnam libellam dedisset? Plautus in Pseudolo,

Tibi libellam argenti nunquam credam, dum strenuas.

Causam perdit. Etiamsi vno minus deberetur. Et boc est quod modò dixerat, Directū, asperum, simplex. hoc est, præfractè iudicium à Prætore definitur, & quasi ad viuum resecatur, vt Iudici ab iis verbis ne tantulū quidem discedere liceat. vnde iudicia hæc stricti iuris à Iuriscōsultis appellantur, quòd iis dati Iudices ad certam formulam ac summā adstringātur. Quæ verò ea sint, docuimus in libello De actionibus.

Mite, moderatum, quantum æquius & melius. Sic restituo, Mite, moderatū, QVANTVM AEQVIVS ET MELIVS SIT DARI: vt verba sint arbitrii à Prætore dati, & subaudiatur, Tantùm dari iubeas, aut aliquid eiusmodi. In arbitrio rei vxoriæ de repetitione dotis soluto matrimonio, formulam hanc fuisse ipse in lib. de Off. III, docet his verbis, Reliquorū autem iudiciorum hæc verba maximè excellūt. in arbitrio rei vxoriæ, MELIVS AEQVIVS. In Topicis autem, In primísque in arbitrio rei vxoriæ, in quo est QVID AEQVIVS MELIVS. Ergo hoc pro exemplo posuit, quū in aliis addi ferè soleret, EX BONA FIDE. vt lib. de Offi. III, Quid sibi dare facere oporteat ex fide bona. Nam hac formula nō certa & definita summa petebatur, sed quātum Iudex bona fide deberi iudicasset. Atque boc est quod Iustinianus ait sub tit. De actionibus, In bonæ fidei iudiciis libera potestas permitti videtur Iudici ex bono & æquo æstimandi, quantum actori restitui oporteat. Dicebantur autem Bonæ fidei iudicia, cōcisa loquutione, pro Iudicia in quibus addebatur, EX BONA FIDE. vt diximus in Orat. pro Quintio, pag. 4.

Ille tamen. Ille dicit, alium litigatorem significans. alioqui dixisset Hic. sed eum qui arbitrio ageret, designat. & TAMEN dixit, cum vsitata defectione. Subauditur enim, Quanquam pecuniæ summam aliquam nominet.

Itaque alter. Qui iudicio litigat.

Quæ quum ita sint. Quum in arbitrio nonnisi incerta pecunia petatur.

De hac pecunia. Certa & definita.

Compromissum feceris. In iudiciis sponsiones, in arbitriis compromissa fieri solebant. illæ, ni verè actio intenderetur. hæc, ni damnatus arbitri sententiæ pareret. quid sit compromissum, explicauimus Verrina III.

Si peteres. Omnes alii, & scripti & impressi libri, SI PETERES? cum interrogādi nota. quod perspicuè rectum est. Sensus est enim, Si peteres quantum æquius melius arbitro videretur, quo modo de hac certa & definita pecunia compromissum faciebas? Repugnāt enim Certam pecuniam petere, & Petere quantum æquius melius. illic Iudex ad certam summam adstringitur, hîc arbitro potestas permittitur de quanis summa pro suo arbitratu statuendi.

Eundémne tu arbitrum & iudicem sumebas? Simul & vno tempore. quia simul & quātum æquius melius esset, petebas, & certam ac definitam pecuniam præcise flagitabas.

Infinitam largitionem. Nam arbitris, vt dictū est, certa summa non definitur, in qua vel damnent, vel absoluant: sed ex æquo & bono potestas eis de ea re disceptandi permittitur.

Et eundem in angustissimam. Vno tempore. In eandem rationem Seneca libro De beneficiis III, sic scribit, Melior videtur conditio causæ bonæ si ad Iudicē, quàm si ad arbitrum mittatur. quia illum formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit: huius libera & nullis constricta vinculis religio est. detrahere aliquid potest, & adiicere.

13. » De quo nomine ad arbitrum adisti, de eo ad Iudicem venisti. cæteri quū ad iudicem causam CICERO.
» labefactari animaduertunt, ad arbitrum confugiunt: hic ab arbitro ad Iudicem venire est ausus: 96
» qui quū de hac pecunia, de tabularum fide arbitrū sumpsit, *indicauit sibi pecuniam non deberi. *iudicauit l.
» Iam duæ partes causæ sunt confectæ: adnumerasse sese negat: expensum tulisse non dicit, quum
» tabul.. nō recitat. reliquum est, vt stipulatum se esse dicat: præterea enim quemadmodum cer-
» tam pecuniam petere possit, non reperio. Stipulatus es? vbi? quo die? quo tempore? quo præsente?
14. » quis spopondisse me dicit? nemo. Hîc ego si finem faciam dicendi, satis fidei & diligentiæ meæ,
» satis causæ & controuersiæ, satis formulæ & sponsioni, satis etiā Iudici fecisse videar, cur secun-
» dum Roscium iudicari debeat. Pecunia petita est certa, cum tertia parte sponsio facta est. hæc pe
» cunia, necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. datam non esse Fannius confitetur:
» expensam latam non esse, codices Fannii confirmant: stipulatam non esse, taciturnitas testium
15. » concedit. Quid ergo est? quòd & reus is est, cui & pecunia leuissima, & existimatio sanctissima
» fuit semper: & Iudex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quàm secundum nos
» iudicare velimus: & aduocatio ea est, quam propter eximium splendorem, vt Iudicem vnum, ve
» reri debeamus: perinde ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima, omnia arbitria honora-
» ria, omnia officia domestica conclusa, & comprehensa sint, perinde dicemus. Illa superior fuit
» oratio necessaria, hæc erit voluntaria: illa ad Iudicem, hæc ad C. Pisonem: illa pro reo, hæc pro
» Roscio: illa victoriæ, hæc bonæ existimationis causa comparata.

[illegible] *De eo ad iudicem venisti.* In quo malè te vtrobique egiſſe oſtendis. nam ſi pecunia incerta eſt,ad Iudicem peti non poteſt:ſi certa,ad arbitrum.

Cæteri quum ad iudicem cauſam labefactari animaduertunt,ad arbitrum confugiunt. Labefactari ſic accipio,vt ſi dixiſſet Labefactatum iri.Neque enim ſi cauſa agi ad Iudicem cœpta eſt,ad arbitrum defertur. Ergo hic ſenſus eſt,Qui animaduertunt fore,vt ſi cauſa ad Iudicem deferatur,euertatur ac labefactetur:malunt arbitrũ ſumere.Exemplũ extat in oratione Demoſthenis cõtra Phormionem, [illegible]. Et aduerſus Apaturium, [illegible].

Ad iudicem venire eſt auſus. Quum tamen malam cauſam haberet.nam malæ cauſæ ad arbitrum melior eſt conditio:vt ex Seneca paulo antè docebamus.

Iudicauit ſibi pecuniam non deberi. Iudicauit,omnes alii libri:quod magis placet.nam Iudicare,fateri & oſtendere plerunque ſignificat,vt in Orat.pro Quintio,non vno loco. Senſus autem hic eſt,Quum ad arbitrum hanc pecuniam petiit, apertè oſtẽdit ſibi pecuniam certam non deberi: nunc autem eandem pecuniam petit.Incertam igitur pecuniam malè ad Iudicem petit.

Expenſum tuliſſe non dicit. Expenſum tuliſſe,& Adnumeraſſe non idem ſunt : nam quæ pecunia mutuò datur,adnumerari dicitur.mutuum enim,inquit Paulus,non poteſt eſſe,niſi proficiſcatur pecunia.eiúſque nomine chirographum,id eſt pecuniæ cautio fiebat.quod verò nõ in pecunia numerata debetur,expenſum in tabulas refertur. vt ſi ſocius H-S CCCIↃↃↃ ſocietatis nomine ſeruum emerit,ſocio ſuo IↃↃↃ expẽſa referet.De ſyngrapha verò,& obligatione quæ nominibus fiebat,dixi copioſe Verr.III,pag.194.

Præterea enim quemadmodum certam pecuniam petere poſſit,non reperio. Eadem partium enumeratio eſt apud Gellium,cap.II,lib.XIV,ſed paulo aliis expreſſa verbis. Is tamen, inquit, cum ſuis multis patronis clamitabat,probari apud me debere pecuniam datam conſuetis modis:expenſi latione, menſæ rationibus,chirographi exhibitione,tabularũ obſignatione,teſtium interceſſione.Nam menſæ rationem Argentariorum tabulas intelligit,quæ expenſi latione continentur:de quibus latè dixi pag.194.Chirographum autem & tabulas debitoris ſigno conſignatas, Adnumeratio. nis verbo,Cicero cõplexus eſt:teſtium interrogationem,Stipulationis. Quare hic locus diligenter iuris ſtudioſis notãdus atque obſeruandus eſt:qui tribus tantùm cauſis certam peti poſſe pecuniam oſtendit.Nam Bonæ fidei iudiciis incerta petitur:quum Iudici,vt Iuſtinianus ait, poteſtas permittatur,ex æquo & bono æſtimandi quid cuique debeatur.

Stipulatus es tu ubi? quo die? AEs quoque ſtipẽ veteres dicebãt,inquit Varro,li.De lingua Lat.IV.vnde Stipulari & Reſtipulari verba ficta ſunt,vt idem tradit:nõ à ſtipulo vel ſtipite,vt Iuſtinianus putauit:quum ſcilicet pecuniam aliquis alligat.Eſt autem ſtipulatio,vt Pomponius tradit,verborum conceptio,quibus is qui interrogatur,daturum facturúmve ſe id quod interrogatus eſt, reſpõdet.qua in re verba hæc in vſu fuerunt,Spõdes?Spondeo.Promittis?Promitto.Dabis? Dabo.Facies?Faciam.Nonnulli exiſtimãt ſtipulationem tum demũ adhiberi ſolitam, quũ aliquid geſtum eſt quod his quaſi conceptis verbis firmandum ſit: veluti quũ ad emptionem aut locationem adhibetur.quod falſum eſſe Plautus oſtẽdit.nam in Pſeudolo lenonem inducit falſa & inani fiducia fretum atque exultantem,Simonem ſenem coegiſſe,vt ab ſeſe XX minas ſtipularetur ſi Pſeudolus ab eo mulierem abduceret:& quum abducta eſſet, coactum lenonem argẽtum ſeni numerare. Sed melius eſt ipſius verba ſubſcribere,ex quib' ſtipulationis quoque formula qualis fuerit, intelligetur. BALLIO leno,

Minæ viginti ſanæ ac ſaluæ ſunt tibi
Hodie quas,abs te inde eſt inſtipulatus Pſeudolus.
S. Velim quidem hercle .S. Roga me viginti minas,
Si illic hodie illa ſit potitus muliere,
Siue eam tuo gnato hodie,vt promiſit,dabit.
Rogato obſecro,hercle geſtio promittere:
Omnibus modis tibi eſſe rem vt ſaluam ſcias:
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
S. Nullum periculum eſt,quod ſciam,ſtipularier.
Vt concepiſti verba, viginri minas dabin'?
B. Dabuntur. Et aliquanto pòſt,
B. Idipſum eſt,emorior Simo.
S. Hercule haud te ſinam emoriri niſi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. H. atque etiam mihi aliæ viginti minæ.

a. Auferetur id præmium à me, quod promisi per iocum?

s. De improbis viris auferri præmium & prædam decet. Extat aliud exemplũ in Pœnulo, in Bacchidibus, & apud Varronem lib. 2 De re rustica.

Cum certæ parte sponsio facta est. Proxima pagina legitimam partem appellauit. In petitione igitur certæ pecuniæ non arbitratu litigatorum sponsiones fiebant, vt in alius modi causis, sed lege præscriptæ ac definitæ fuerunt.

Et reus is est. Ita probo: quum in aliis vitiosissimè legatur, Et res eius est, cuius.

Aduocatio ea est. Iam suprà dixi, moris fuisse in iudiciis tum priuatis, tum publicis, vt litigatores cum patronis amicos adducerent, quorum præsentia & gratia causam suam apud Iudices adiuuarent.

In hanc formulam. Iudicii, quæ tibi C. Piso à Prætore præscripta est. quæ quamuis facilis sit & expedita, neque à me longiore oratione explicanda esse videatur, tamen perinde ac si difficillima quæque iudicia, & arbitria obscurissima de causa cõstituta in ea formula conclusa essent, ita longa vtemur explicatione.

Iudicia legitima Quæ legum præscripto & auctoritate constituta essent.

Omnia arbitria honoraria. Arbitri appellantur Honorarii, opinor ex eo quòd honoris causa arbitrium ad eos defertur. vnde Honoraria illiusmodi amicorum opera appellatur in Orat. pro Cæcina. quoniam, vt Vlpianus scribit, qui arbitrum sumunt, quasi virum bonum cum disceptatorem inter se deligunt. nam Honos, vt scribit Varro, quasi honestum onus. Itaque Honestus dicitur, & Honoratus, quasi Oneratus: qui sustinet Rempu. Cicero de Fato, Ac mihi quidem videtur, quum duæ sententiæ fuissent veterum Philosophorũ, Chrysippus tanquam arbiter honorarius, medium fieri voluisse. Et lib. Tuscul. v, Quorum cõtrouersiam solebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades. An potius hoc modo: quoniam arbitrorum duo sunt genera, vt Proculus scribit, in l. Societatem, D. pro socio: & alii à Prætore dãtur, qui litiũ scilicet causa sumuntur: alii non dantur, vt quum dicimus Arbitratu L. Titii insulam ædificare spondes: tum enim boni viri arbitrium comprehẽsum est: Ii quidem qui à Prætore dantur, Honorarii appellantur, quòd ab eo qui honores gerit, sumpti sint. quomodo ius Honorarium Iurisconsulti interpretantur, & tutores Honorarios. An potius, quòd à legibus x i i tab. iudicia inuenta sint, vnde legitima nominantur: Arbitria verò duntaxat à Prætoribus?

Omnia officia domestica. Si ageretur in hoc iudicio de maximis quibusque officiis, qualia sũt quæ domestici & cognati inter se debent.

16. » Pecuniam petis Fanni à Roscio, quam? dic audacter & apertè: vtrum, quæ tibi ex societate debeatur, an quæ ex liberalitate huius promissa sit & ostentata? quorũ alterum est grauius, & odiosius: alterum leuius & facilius. Quæ ex societate debeatur? quid ais? hoc iam nõ leuiter ferendum est, neque negligenter defendendum. Si qua enim sunt priuata iudicia summæ existimationis, & penè dicam capitis, tria hæc sunt, fiduciæ, tutelæ, societatis. æquè enim perfidiosum & nefarium est, fidem frangere, quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & socium CICERO. 97
17. » fallere, qui se in negotio coniunxit. Quæ cũ ita sint: qui sit qui sociũ fraudarit, & fefellerit, consideremus: dabit enim nobis iam tacitè vita acta in alterutram partem firmum & graue testimonium. Q. Roscius? quid ais? nónne vt ignis in aquam coniectus continuò restinguitur, & refrigeratur: sic referuens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum statim concidit & extinguitur? Roscius socium fraudauit? potest hoc homini huic hærere peccatũ, qui me- » dius fidius (audacter dico) plus fidei, quàm artis, plus veritatis, quàm disciplinæ possidet in se: quẽ populus R. meliorem virum, quàm histrionem esse arbitratur: qui ità dignissimus est scena pro-
18. » pter artificium, vt dignissimus sit curia propter abstinentiam. Sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico? ignotum hominem scilicet pluribus verbis commendo, éstne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? éstne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberalior videatur?

Quæ ex societate debeatur? Hoc Fannius confirmabat, quum diceret Roscium Panurgi nomine, qui vtriusque illorum communis erat, pecuniam accepisse, quam inter illos diuidi, ex societatis partibus oportebat. Non est tamen hæc actio Pro socio, vt multis ex locis intelligitur: quũ enim actio Pro socio bonæ fidei sit, patet tamen hanc stricti iuris esse, vt pote Certi condictionem. [redacted]

Fiduciæ, tutelæ, societatis. Fiducia est contractus quo fidem alterius sequuti, rem ei aliquam simulandi tantùm causa mancipamus. veluti, vult aliquis filium suum ex manu potestatéque sua dimittere. Lex eum iubet alteri filiũ suum mancipare ac vendere, numúmque ab illo accipere: vt postea filius ille ab emptore, quasi seruus emptus, manumittatur. Hæc venditio, Fiducia dicitur, quia non verè nec ex animo facta est, sed ea spe ac fiducia tantùm vt emptor illum manumittat. vnde etiã Fiduciarius pater, emptor ille appellatur. Nomen autẽ Fiducia ex eo inuenit, quòd pa-

ter verus alia re nulla fretus quàm fide ac probitate emptoris, filiũ ei suũ mãcipat. Quòd si vicissim pater ille fiduciarius venditum sibi filium naturali patri remancipet ac vendat, tum Fiducia cõtracta, id est vltro citróque facta dicetur: quia nõ vera vẽditio hæc est, sed ad speciẽ facta duntaxat, & ea spe ac fiducia, vt eum pater verus manumittat. ita enim emancipati filii sui, si intestatò decessisset, pater hæres futurus erat. Hæc autem à nobis eo fusius explicata sunt, quòd illa neminem eorum qui hac ætate ius ciuile interpretati sunt, in iis quidem libris quos legimus, adhuc animaduertisse comperiebamus. Boetius autem in Topica Ciceronis aliud exemplum exponit Fiduciæ, quod subscribemus. Fiduciam accipere dicitur is cui res aliqua mancipatur, ita vt eam aliquando mancipanti remancipet. veluti si quis tempus dubium timens, amico potentiori fundum mancipet, vt ei, quũ tempus quod suspectum est, præterierit, reddat. hæc mancipatio, fiduciaria dicitur, idcirco quòd restituẽdi fides interponitur. hæc ille. Cicero autem pro Flacco, exemplum Fiduciæ protulit, quæ pignus tantummodo significat. qua in re Paulus Iuriscõsultus in Sententiis hoc nomen crebrò vsurpat. Adolescens enim pecuniã fœnore acceperat, sic vt pro ea pecunia fundum simulatè mãcipasset, ea scilicet lege, vt si intra certum diem pecuniã redderet, ipsi fundus redderetur. Pecuniã, inquit, adolescentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupasti. Hanc fiduciam commissam tibi tenes hodie, ac possides. Id est, quia intra præstitutum tempus persoluta tibi non est pecunia, stipulatio commissa est: hoc est, commissum est id quamobrem fundus sit tuus. Fiduciam igitur dare tum dicimur, quum eius fidem qui nobis iure ciuili obligari non potest, sequimur. (qualia ferè Fidei cõmissa olim fuerunt: tametsi non eadem prorsus ratio est) vt rectè Maiores eum qui fiduciam violasset, summũ admisisse dedecus existimarint. Ad cuius enim fidem is confugiet, qui per eius fidem læditur, cui se commiserit? vt ipse scribit in Orat. pro Sex. Roscio. De Fiducia autem dictum est etiam pro Cæcina, pag. 588.

Et socium fallere. De societate, in Orat. pro Sex. Roscio, pag. 76, 77.

Dabit enim nobis iam tacitè vita acta in alterutram partem firmum & graue testimonium. Hunc locum ipse in Syllana luculẽter tractat his verbis, Omnibus in rebus, Iudices, quæ grauiores maiorésque sunt, quid quisque voluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius qui arguitur, est ponderãdum. neque enim potest quisquam nostrum subitò fingi. neque cuiusquam vita repentè mutari, aut natura conuerti. Et hoc ipsum est quod scribit Iuuenalis Satyra II, - nemo repẽte Fit turpissimus.

Audacter dico. Nam elatè loqui videtur, & oratoriè, quũ plus fidei in Roscio inesse dicit, quàm artis: quum in eo tantum artis & disciplinæ sit, quantum in nullo alio post hominum memoriam fuisse creditur.

Plus veritatis. Bonitatis, probitatis. quod sæpe alibi commostratum est.

Is dignissimus est. Ita pro Adeò, cum superlato verbo positum reperio in Orat. pro Sestio, Cuius sententiam ita frequentissimus Senatus sequutus est, vt vnus dissentiret hostis. Sed hoc in loco, ordo (vt mihi videtur) & sensus hic est, Qui dignissimus est scena propter artificiũ, ita tamen vt dignissimus sit curia propter abstinẽtiam. Curia autem pro Senatu, figura vulgò nota. Quum igitur Histrionica turpis haberetur, Senatores esse histriones non poterant. nam de Senatu Lex huius simillima lata est in XII, Hic ordo vitio vacato, cæteris specimen esto. In hãc sententiam de hoc ipso Roscio multa in Orat. pro Quintio, pag. 28.

CICERO. 98

» Quid tu Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter? nónne, quotiescunque in causa in no-
» men huius incidisti, toties húc & virum bonum esse dixisti, & honoris causa appellasti? quod ne-
» mo nisi aut honestissimo, aut amicissimo facere consueuit. Qua in re mihi ridicule es visus esse
» inconstãs, qui eundem & læderes, & laudares, & virum optimum, & hominem improbissimum
» esse diceres: eundem tu & honoris causa apellabas, & virum primarium esse dicebas, & sociũ frau
» dasse arguebas. sed, vt opinor, laudem veritati tribuebas: crimen gratiæ concedebas, de hoc, vt exi
» stimabas, prædicabas, Chæreæ arbitratu causam agebas. Fraudauit Roscius. est hoc quidem auri
» bus, animísque hominum absurdũ. Quid si tandem aliquem timidum, dementem, diuitem, iner
» tem nactus esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. Veruntamen, quem fraudarit,
» videamus. C. Fannium Chæream Roscius fraudauit. Oro, atque obsecro, vos, qui *nostis, vitam
» inter se vtriusque conferte: qui non nostis, faciem vtriusque considerate. nónne ipsum caput, &
» supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nónne ab imis
» vnguibus vsque ad verticem summum, si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis fi
» gura, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? qui idcirco capite & superciliis sem-
» per est rasis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur. Cuius personam præclarè Roscius in sce-
» na tractare consueuit. neque tamen pro beneficio ei par gratia relertur: nam Ballionem illũ im
» probissimum, & periurissimum lenonem quum agit, agit Chæream. persona illa lutulenta, im-
» pura, inuisa, in huius moribus, natura, vitáque est expressa.

*vtrumque nostis.

Crimen gratiæ concedebas. Crimen, criminationem: vt sæpe aliàs. Gratiæ, C. Fannii, cuius in gratiam Roſcium accuſabas.

Aliquem timidum. Qui de ſocio, à quo fraudaretur, queri non auderet.

Dementem. Qui ſe fraudari non ſentiret, non animaduerteret.

Diuitem. Qui non tãti faceret pecunia fraudari, quàm litium & iudiciorũ moleſtiã ſuſcipere.

Inertem. Qui de ſuo iure decidere, quàm litigare mallet.

Nactus eſſet. Roſcius.

Qui experiri non poſſet. Experiri quid ſit, iam ſuprà dictum eſt in Oratione pro Quintio.

Incredibile eſſet. Propter ipſius vitam ab eiuſmodi ſuſpicione planè abhorrentem.

Vos qui noſtis. Vos qui vtrunque noſtis, ſententia poſtulat, & ſic puto corrigendum.

Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa. Caput & ſupercilia radere, moris fuit quibuſdam, calorem ægrè & moleſtè ferẽtibus. Iulius Cæſar etiam velliſſe capillos dicitur. Suetonius, Circa corporis curã moroſior, vt nõ ſolùm tonderetur diligenter ac raderetur, ſed velleretur etiam, vt quidam exprobrauerunt: caluitii verò deformitatẽ iniquiſſimè ferret, ſæpe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus. P. Scipio Africanus apud Gelliũ lib. VII, Nam qui quotidie vnguentatus aduerſum ſpeculũ ornetur, cuius ſupercilia raduntur, qui barba vulſa fœminibúſve ſubuulſis ambulet, &c. cùmne quiſquã dubitet, quin idem fecerit quod cinædi facere ſolent? Sed Cicero quæ Fannius mollitiæ & delitiarum cauſa fecerat, quia deformitatem afferebant, oratoriè impudentiæ ſignum interpretatur.

Nonne ab imis vnguibus ad verticem ſummum. Sic Plautus in Epidico, STRATIPHOCLES, Contẽpla Epidice, vſque ab vnguiculo ad capillum ſummum.

Siquam coniecturam. Quæ fuit opinio quorundã, quos ideo φυσιογνώμονας Græci appellãt, qui ſe profitebantur hominum mores naturáſque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere. [redacted]

Ballionem illum improbiſſimum. Notiſſimum lenonem ex Pſeudolo Plauti, Comœdia cæterarum omnium facilè principe.

Qui quamobrem Roſciũ ſimilẽ ſui in fraude & malitia exiſtimarit, nihil videtur: niſi fortè, CICERO.
quod præclarè hunc imitari ſe in perſona lenonis animaduertit. Quamobrẽ etiam atque etiam 99
conſidera C. Piſo, quis quem fraudaſſe dicatur. Roſcius Fanniũ? quid eſt hoc? probus improbũ, pudens impudentẽ, periurum caſtus, callidum imperitus, liberalis auidum? incredible eſt. quemadmodum, ſi Fãnius Roſcium fraudaſſe diceretur, vtrunque ex vtriuſque perſona veriſimile videretur, & Fanniũ per malitiam feciſſe, & Roſcium per imprudentiã deceptum eſſe: ſic, quũ Roſcius Fãnium fraudaſſe arguitur, vtrunque incredibile eſt, & Roſcium quicquam per auaritiam appetiſſe, & Fannium quicquam per ſe bonitatẽ amiſiſſe. Principia ſunt huiuſmodi: ſpectemus reliqua. HS IↃↃↃ Q. Roſcius fraudauit Fanniũ. qua de cauſa? ſubridet Saturius veterator, vt ſibi videtur. ait, propter ipſa HS IↃↃↃ. video: ſed tamen, cur ipſa HS IↃↃↃ tam vehementer cõcupierit, quæro. Nam tibi M. Perpenna, C. Piſo certè tanti non fuiſſet, vt ſocium fraudaretis. Roſcio cur tanti fuerit, cauſam requiro. Egebat? imò locuples erat. Debebat? imò in ſuis nummis verſabatur. Auarus erat? imò etiã antè, quàm locuples, ſemper liberaliſſim' munificẽtiſſimúſque fuit. ſuâ bonitatem
Prò deûm hominúmque fidẽ, qui HS CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ quæſtus facere voluit (nã certè HS CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ merere & potuit, & debuit, ſi poteſt Dionyſia HS CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ merere) is per ſummam fraudem, & malitiam, & perfidiam HS IↃↃↃ appetiit? voluit.

Niſi fortè quod præclarè. Salſè & contumelioſè dictum. & eſt ſenſus, Roſcius tum quamoptimè [redacted] lenonem agit, quum Chæream quamoptimè imitatur. quia perſona illa impura & lutulenta in huius vita & moribus expreſſa eſt. imitari autem ſimilium eſt. quare ſui ſimilem, qui ſe imitaretur, Roſcium exiſtimauit.

Et Fannium quicquam per ſe bonitate amiſiſſe. Omnes libri conſentiunt: ego contra omnium auctoritatem PER SVAM BONITATEM, reſtituo, ſententia poſtulante, quam libris omnibus facilè antepono. nam Bonitatem εὐήθειαν modò dicit, & εἰρωνικῶς loquitur.

Ait, propter ipſa. HS IↃↃↃ. Id eſt, tantùm ob lucrum & quæſtum.

Nam tibi M. Perpenna, C. Piſo. Quum anteà C. Piſonem apertè huius iudicii Iudicem appellarit, apparet M. Perpennã ei in conſilio adfuiſſe. vt moris erat Iudicibus aduocare Iuriſperitos, quorum conſilio in re diſceptanda vterentur. ſicut in cauſa P. Quintii, C. Aquilius L. Lucullum, P. Quintilium, & M. Marcellum aduocauit. Sed M. Perpennam priore loco nominat, opinor ob eam cauſam, quòd ampliſſimis honoribus vſus eſſet. Eum enim fuiſſe puto qui fuit Cõſul cum P. Claudio, annos ab hinc ad quatuordecim, & à quo poſtea Sertorius interfectus eſt. Roſcium principibus quibuſque ciuitatis, in his etiam L. Syllæ, & L. Catulo gratioſiſſimum fuiſſe ita notum eſt, vt teſtimonia proferre putidum videatur.

Imò in ſuis nummis verſabatur. Perſpicuè rectum: quũ in aliis propè omnibus, Summis pro Num

mis vitiosè scriptum sit. & hãc lectionem similis loquutio cõfirmat Verr. v i, pag. 416, Non modò in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse.

Facere noluit. Mendum typographi: corrige Noluit.

Si potest Dionysia. Nota saltatricula: cuius nomine oratorem Hortensium Torquatus appellabat. Gellius lib. i, cap. v.

CICERO. „ Et illa fuit pecunia immanis, hæc paruula: illa honesta, hæc sordida: illa iucunda, hæc acerba:
100 „ illa propria, hæc in cãusa, & in iudicio collocata. Decẽ his annis proximis H-S sexagies honestis-
„ simè cõsequi potuit, noluit: laborẽ quæstꝰ recepit, quæstũ laboris reiecit: populo R. adhuc seruire
„ non destitit, sibi seruire iampridẽ destitit. Hoc tu vnquã Fanni faceres? sed si hos quæstus recipere
„ posses, non eodẽ tempore & gestũ, & animã ageres? Dic nũc te ab Roscio H-S 1ↄↄↄ circunscriptũ
„ esse: qui tantas, & tã infinitas pecunias nõ propter inertiã laboris, sed propter magnificentiã libe
„ ralitatis repudiarit. Quid ego nunc illa dicã, quæ vobis in mentẽ venire certò scio? Fraudabat te
„ in societate Roscius. sunt iura, sunt formulæ de omnibus rebus cõstitutæ, nequis aut in genere
„ iniuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex vniuscuiusque damno, dolore,
„ incõmodo, calamitate, iniuria publicæ à Prætore formulæ, ad quas priuata lis accommodatur.
„ Quæ quũ ita sint, cur nõ arbitriũ Pro socio adegeris Q. Rosciũ, quæro. formulã non noras? no
„ tissima erat. iudicio graui experiri nolebas? quid ita? propter familiaritatẽ veterem? cur ergo læ-
„ dis? propter integritatem hominis? cur igitur insimulas? propter magnitudinem criminis? itáne
„ verò, quem per arbitrũ circunuenire nõ posses, cuius de ea re proprium erat iudicium, hunc per
„ Iudicem condemnabis, cuius de ea re nullum est arbitrium? quin tu hoc crimen aut obiice, vbi li
„ cet agere: aut iacere noli, vbi non oportet. tametsi iam hoc tuo testimonio crimen sublatum est.
„ Nam quo tu tempore illa formula vti noluisti, nihil hunc in societate fraudis fecisse ostendisti.

Illa propria. Id est, sine controuersia, sine iudicio.

H-S sexagies. De hac loquutione dixi in Orat. pro Sex. Roscio. Hæc autẽ summa superiorem summã trecẽtorum milliũ decies repetitam altero tãto exuperat. tricies enim illa annis decem tantummodo cõficit: hæc in annos singulos H-S sexcenta millia, id est 1ↄↄↄↄ ccc1ↄↄↄ. neque equidẽ quemadmodum hunc nodum expediã, coniectura assequi possum. nam quod apud Plinium lib. vii legimus, H-S quingenta millia annua meritasse Rosciũ: valde etiam incertum est. quũ, vt Budæus quoque admonuit, in plerisque nõ Quingenta, sed ccc L scriptũ sit. Macrobius autem lib. Satur. iii de Roscio sic scribit, Tanta autẽ fuit gratia & gloria, vt mercedẽ diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus acceperit. quæ summa singulis annis H-S efficit cccc1ↄↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ ccc1ↄↄↄ suprà 1ↄↄↄ cc1ↄↄ. i. quatuordecies sexaginta millia H-S: vt ille locus superioris paginæ mihi valde lubricꝰ & incertus esse videatur.

Sunt formulæ de omnibus rebus cõstitutæ. Ex Legibus xii tabularum Actiones cõpositæ sunt quibus inter se ciues R. disceptatẽt. quas actiones ne populus prout vellet institueret, certas & solennes esse voluerũt: & appellabatur hæc pars iuris, Legis actiones. Hæ apud Pontificũ collegium erant: ex quibus cõstituebatur, quis quoque anno præesset priuatis. & ferè populus annis propè cẽtum hac cõsuetudine vsus est. Postea quũ Appius Claudius composuisset, & ad formã redegisset has actiones, Cn. Flauius scriba eius, libertini filius, surreptũ librum populo tradidit. Augescente ciuitate, qui præerãt, quædam agendi genera cõposuerunt. Nec post multũ temporis spatiũ Sex. AElius actiones cõposuit: & librum populo dedit, qui appellatur Ius AElianũ. hæc Pomponius, cap. de Origine iuris. Non modò autẽ ex duodecim tabularũ Legibus formulæ cõceptæ ac proditæ fuerũt, verùm omnibus etiã ex Legibus quæ postea latæ sunt. veluti ex Lege Aquilia, Rhodia, Cornelia, Voconia, & similibus. quas actiones, Legitimas Vlpianus appellat in l. Qui seruãdarum, D. De præsc. verbis. tum præterea cõsensu populi, ex placitis Iuriscõsultorum, vt illa De dolo malo formula, quam Cicero euerriculũ malitiarum omniũ appellat. Quinetiã Prætores quarũ rerũ noua iudicia cõstituebant, earũ rerũ formulas atq; actiones certas instituere solebãt: vt testatur hic ipse Verr. v, pag. 374, his verbis, A L. Metello vt ex edicto iudiciũ daret in Aproniũ, QVOD PER VIM, aut metũ abstulisset (quã formulã Octauianã & Romæ Metellꝰ habuerat, & habebat in prouincia) nõ impetrat. Omniũ autẽ, quocũque ex iure profectæ essent, formularũ quasi dispensator quidam, atque administrator vrbanus Prætor erat: vt qui iudicio vellet cõtendere, is eius iudicii actionisque formulã ab illo postulare cogeretur. In quo nõ paruæ sæpe apud Prætorem cõtentiones exoriebãtur, quũ an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore (vt Fabius scribit) liceret agete, disceptaretur. nã si quis formula cecidisset, id est nõ eam qua agere debebat postulasset, causa cadebat: vt scribit Cicero lib. de Inuẽ. ii, Ita ius ciuile, inquit, habemus cõstitut, vt causa cadat is, qui nõ quemadmodum oportet, egerit. Prætor autẽ, si modò idoneam atque appositam actor formulam postularet, quanuis eam dari non æquum esset, recusare tamen non poterat. Quomodo enim? an quum administrator iuris esset, id quod ius largiri

atque impertiri iubebat, recusasset? Quapropter si domum quam ex mea materia in Titii fundo cōstructam possideo, Titius (vtpote ipsius iure ciuili dominus) petere velit, actio némqu (pretium tamen materiæ nō offerens) à Prætore postulet, quam lex XII tab. dominis ad res suas vindicandas dedit, SI PARET HANC DOMVM EX IVRE QVIRITIVM MEAM ESSE: quanuis iniquū id videatur, recusare tamen illi Prætor nec actionē nec iudiciū poterit. quippe quum ius actor postulet, id est quod sibi à legibus cōcessum ac permissum est. Hāc tamen iuris acerbitatem ita Prætor leniet, vt Iudicē à se datū, si dolo malo actorem vti cognouerit, reū absoluere iubeat. Exceptionem enim adiiciet, EXTRA QVAM si dolo malo Titii vsum appareat. Atque hoc est quod ait eodē in loco Cicero, Prætoris exceptionibus multæ excludūtur actiones. Ac de formulis quidē hactenus.: Quū autem eiusmodi aliquod negotiū exortū esset, cuius certa nondū esset instituta formula: aut Prætor ipse de controuersia cognoscebat, aut subsidiariā actionem dabat, quæ modò Vtilis, modò In factū præscriptis verbis dicebatur. cui⁹ rei exemplū Vlpianus in Titulis ostendit. Quū enim fideicommissa Leges improbarent, quippe quæ clam iis relinquerētur, quibus apertè Legibus nō licebat, actionē scilicet eorū nomine ac formulā, Leges nullā instituerant. quapropter vbi constitutū est vt Fideicōmissa valerēt, Vlpianus ait ea nō per formulā peti consuesse, sicuti legata: sed cognitionē Romæ quidem fuisse Cōsulis, aut Prætoris qui Fideicommissarius vocabatur: in prouinciis verò, Præsidum prouinciarum. Quod tamen quū magno in litiū numero fieri nō posset, Prætor quidē Romæ, in prouinciis verò Præsides, aut Procōsules, actionem plerunque Vtilē actori concedebāt, Iudicémque aut Recuperatores dabant qui de ea controuersia cognoscerēt. Est autē Vtilis actio, quæ quū alia de causa inuenta atque instituta sit, aliam tamen in causam atque cōtrouersiam accommodatur: ex eo dicta, quòd vtilitate Reipub. postulante cōcedi soleat. Quoties enim deficit actio, inquit Vlpianus, Vtilis actio danda est. Exēpli causa, Flauius Panurgū seruū Roscii manu sua interfecit. Lex Aquilia cōcedit actionem Roscio aduersus Flauiū, SI PARET Panurgū manu Roscii interfectū, Flauius quāti plurimi dānetur. Prætor ergo Roscio legis Aquiliæ actionē dabit: quæ quoniā directò, & ex præscripto legis datur, Directa nominatur. Quòd si nō sua manu Panurgū Flauius occiderit, nō est actio lege Aquilia prodita. Prætor tamen eandem formulā ad hanc quoque causam accōmodabit, quæ ob eam causam Vtilis dicetur, quòd eam vsu Reip. postulante concedere soleat. Quid verò si neque suo corpore, neque corpus læsit Flauius: sed misericordia ductus Panurgū compeditum soluerit, & is postea effugerit? Tum quia nouum hoc negotiū est, nouam concipiet Prætor præscriptis verbis formulam, quæ In factum appellabitur, quòd factum in ea Prætor comprehendat. Eáque actio plerunque Ciuilis à Iurisconsultis appellatur, opinor, quasi dicas humanam, & humanitatis ac ciuilitatis gratia institutam. quū alibi Ciuiles actiones iidē nominent, quæ iure ciuili, non Prætorio cōstitutæ sunt, vt l.1, parag. ait Prætor, & parag. si quum actionem, D. De dolo malo, & aliis locis innumeris. Et quoniā de Vlpiani libello mentio facta est, hoc loco nō possum præterire silentio insignis loci castigationem, quam idem liber mihi hodie demōstrauit. nunquam enim intempestiuum esse arbitror, studiosorum labores iuuare, & maculas ex his Ciceronis pulcherrimis libris eluere. præsertim quum beneficium clarissimi & præstantissimi viri Io. Tilii meis scriptis celebrare mihi in animo sit, vt cum illum qui librorum optimorum thesaurum habet inæstimabilem, ex quo etiam ad nos nonnulla iam peruenerunt, maioráque peruentura speramus: tum alios ad istiusmodi liberalitatem in studiosos exercendam alliciam. Locus ergo ille nobilis, qui in libro de Orat. I vulgò sic legitur, De his, credo, rebus, inquit Crassus, vt in conditionibus scribi solet, quibus sciam poteróque: quíque doctissimorum ingenia non sine causa exercuit, sic corrigēdus est, vt pro CONDITIONIBVS, CRETIONIBVS legam⁹. Cretio enim, inquit Vlpianus, est certorū dierum spatiū, quod datur instituto hæredi, ad deliberādum vtrum expediat ei adire hæreditatē, nécne. velut, Titius hæres esto, cernitóq; in diebus centū proximis, quib⁹ scieris poterísque: nisi ita creueris, exhæres esto. Et paulo pòst, Cretio vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adiiciuntur hæc verba, Quibus scieris poterísque. Cōtinua, in qua non adiiciuntur. Ei qui vulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus scit se hæredem institutum esse, & potuit cernere. ei verò qui continuā habet cretionem etiam illi dies computantur, quibus ignorauit se hæredem institutum: aut sciuit quidem, sed non potuit cernere. Hæc Vlpianus. Quin ergo ad eam formulam Crassus alluserit, hominem certè qui dubitet, neminem fore arbitramur.

Ad quas priuata lis accommodatur. Accommodetur, duo libri veteres: quod magis probo.

Arbitrium pro socio adegeris. Vetus loquutio, Adigere arbitrium, pro Agere ad arbitrium. vtrunque autem dicimus, Arbitriū adigere, & Arbitrum adigere. & est similis significatio, quæ illius Agere in iudicium, vel ad iudicium. Idem Off. III, Itaque Calpburnius quum demolitus esset, cognouissétque Clodiū ædes postea proscripsisse quàm esset ab Auguribus demoliri iussus, arbi-

trum illum adegit, Quicquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. Et in Topicis, Quemadmodum si in vrbe de finibus controuersia est, quia fines magis agrorum videntur esse, quàm vrbis, finibus regundis adigere arbitrum non possis: sic si aqua pluuia in vrbe nocet, quoniam res tota magis agrorum est, aquæ pluuiæ arcendæ adigere non possis arbitrum.

Cur non arbitrium pro socio adegeris Q. Roscium, quæro. Hæc fallaciter dicuntur & oratorié. Nam re vera C. Pisonem arbitrum Pro socio sumpserat: sed quum paratum esset iudicium, pactione (vt Saturius dicebat) interposita renuntiatum ac remissum est.

Iudicio graui. Apparet verum esse quod in Quintiana diximus, in iis iudiciis, in quibus EX FIDE BONA adderetur, idem fuisse iudicium atque arbitrium. de quo tamen aliter Budæus existimasse videtur in cómentariis. vbi etiam illud adscripsit, Iudicio Pro socio damnatum existimationem amittere: arbitrio, non amittere. quod cum hic locus apertè repudiat, tum ille alius luculentus, quem ex Orat. pro Sex. Roscio subiiciã, Si hanc ei rem priuatim Sex. Roscius mãdauisset, ille qui sese facturum recepisset, nónne si ex eo negotio tantulum in rem suam conuertisset, damnatus per arbitrum, & rem restitueret, & honestatem omnem amitteret?

Iudicio graui experiri nolebat. Graue Pro socio iudicium siue arbitrium sic appellat, vt in Orat. pro Cæcina, Turpe: in Rosciana, modò infame, modò turpissimum: paulo suprà, summæ existimationis, & penè dicã capitis. Ex hoc porrò loco facilè intellectu est quod initio diximus, non esse hoc iudicium Pro socio, cuius causa habita hæc oratio est: sed Certi condictionem.

Propter magnitudinem criminis? Refert ad proximum membrum, Insimulas. vt sit, Num insimulas propter magnitudinem criminis: id est fraudis in societate factæ?

Quem per arbitrum. Sensus est, Si arbitrum (qui & Iudex dicitur) sumpsisses, & actione Pro socio apud eum egisses, is quia à Prætore de ea re iudicandi potestatem accepisset, si planũ fecisses fraudatum te in societate à Roscio fuisse, Roscium condemnare potuisset. quia planum facere non poteras, non egisti actione Pro socio, neque eo iudicio cõdemnare Rosciũ potuisti. Vel sic, Quũ egisses actione Pro socio, (revera enim sumptus antea fuerat arbiter) quia tamẽ intelligebas nõ posse id planum fieri, iudicium litémque omnem remisisti. Nunc Iudex datus est, cui certa formula de H-S ↀↀↀ à Prætore præscripta est: sponsio in eandẽ summã facta est, ad cuius angustissimam formulã Pisonem adstrinxisti. de societate, neque in spõsione, neque in formula verbum vllum fecisti. Hoc igitur iudicio condemnare Rosciũ fraudis in societate factæ non potes: quòd Pisonis de ea re nullum est arbitriũ, id est nulla ei de ea re iudicãdi facultas data est. in formula enim certa & angusta à Prætore conclusus est: a qua ne tantulum quidem potest discedere.

Proprium erat iudicium. Sic postulat sententia. Alii libri corruptè, Proprium non erat.

Vbi licet agere. Si iudicio Pro socio vsus esses, id est libero iudicio, & vt Iurisconsulti ex verbis illis EX FIDE BONA præcisè appellant, iudicio bonæ fidei: licuisset hoc obiicere. nunc quia stricto iudicio (sic enim iidem appellant) vsus es, non licet. nihil autem oportet, quod non licet. non igitur oportet.

Nam quo tu tempore formula illa uti noluisti. Quũ arbitrio Pro socio vti noluisti: id est quum institutum iudicium renuntiasti, ac litem inchoatam remisisti, noluisti persequi iudicium de societate quod institueras.

CICERO. Fecit pactionem: num tabulas habet, annon? si non habet, quemadmodum pactio est? si habet,
101 cur non nominas? Dic nunc, Roscium abs te petisse vt familiarem suum sumeres arbitrũ: non petiit. Dic pactionem fecisse vt absolueretur: non pepigit. Quære quare sit absolutus. quòd erat summa innocentia, & integritate. Quid enim factum est? venisti domum vltrò Roscii: satisfecisti: quòd temere commisisses in iudicium vt denuntiaret, rogasti vt ignosceret: te affuturum negasti, deberi tibi ex societate nihil, clamitasti. Iudici hic denuntiauit: absolutus est. tamen fraudis ac furti mentionem facere audes? Perstat in impudentia: Pactionem enim, inquit, mecum fecerat. idcirco videlicet ne condemnaretur? Quid erat causæ cur metueret ne cõdemnaretur? Res erat manifesta: furtum erat apertum. Cuius rei furtum factũ erat? exorditur magna cum expectatione veteris histrionis exponere societatẽ. Panurgus, inquit, fuit Fãnii. is fuit ei cum Roscio communis. hic primùm questus est non leuiter Saturius, cõmunem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fãnii. Largitus est scilicet homo liberalis & dissolutus, & bonitate affluens Fannius Roscio. sic puto. Quoniã ille hic cõstitit paulisper, mihi quoque necesse est paulum commorari. Panurgum tu Saturi proprium Fannii dicis fuisse: at ego totum Roscii fuisse cõtendo. Quid erat enim Fannii? corpus. Quid Roscii? disciplina. facies non erat, ars erat pretiosa. ex qua parte erat Fãnii, nõ erat H-S ↀↀↀ: ex qua parte erat Roscii, amplius erat H-S CCCIↃↃↃ. nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat.

[redacted] *Fecit pactionem.* Verba Fannii, Volebam, inquit, litem institutam persequi: sed Roscius metuens ne turpi iudicio damnaretur, fecit pactionem, transegit de summa quapiam.

Num tabulas habet, an non? Saturiũ alloquitur,& de Fannio intelligit,hoc ſenſu,Ecquid habet eius pactionis tabulas?omnes enim in tabulas actus legitimi referebantur,ſtipulationes,ſponſiones, pacta,conuenta,& quæ ſunt in eodem genere.& ſic loquutus eſt pag.93, Quid ita nō profers?non conficit tabulas?imò diligentiſſimè,&c.

Familiarem ſuum. Aliquem è ſuis familiaribus.

Non petiit. Hoc ſignificat, Apparet nō petiiſſe,quum C.Piſo ſumptus ſit.& oſtēdit C.Piſonem non fuiſſe familiarem Q. Roſcii.

Non pepigit. Apparet non pepigiſſe,quum tabulas non proferat.

Quare ſit abſolutus. Abſolutus, non arbitri ſententia:ſed abſolutus, id eſt ſolutus ac liberatus ea lite ac iudicio.ſic infrà 104,Cur de fundo decīdit,& iudicio non abſoluitur?Neque enim ab arbitro lata eſt ſententia,remiſſo videlicet,ac renuntiato iudicio.Atque hoc ipſum eſt ſcilicet, quod Iuſtinianus ait olim dictitari ſolitum,Omnia iudicia abſolutoria eſſe,id eſt reum etiam accepto iudicio,ac lite conteſtata,& ſemel acta cauſa,ſi tamen culpam agnoſcat,poſſe à Iudice liberatum ab actione dimitti,ne infamia notetur. quod etiam in actore vſitatum fuiſſe ex hoc loco intelligimus:quum videlicet actor ſe calumniatum eſſe agnoſcit.

Satiſfeciſti. Purgaſti te, voluiſti ei dolori mederi quem de tua iniuria conceperat.

Vt ei iudicium denuntiaret. Denuntiares,in ſecunda perſona corrigendum putarem. Nam actorum erat denuntiare,vt ſcribit Iuſtinianus:quod antiquo verbo Condicere dicebatur. vnde Cicero in Epiſt.ad Lentulum,Condicere cœnam dixit,non(vt homines nō imperiti arbitrantur) pro Inuitare ad cœnam,ſed quod Suetonius in Nerone,Indicere cœnā,id eſt Denuntiare vt cœnam paret,velle ſe apud eum cœnare.Craſſus,inquit, vt quaſi teſtata populo R.eſſet noſtra gratia,penè à meis laribus in prouinciam eſt profectus.nam quum mihi condixiſſet,cœnauit apud me,in mei generi Craſſipedis hortis.Hoc verò dilucidè Suetonius in Tyberio demōſtrat,Sexto, inquit, Claudio libidinoſo ac prodigo ſeni cœnam ea lege condixit, nequid ex conſuetudine immutaret aut demeret.

Abſolutus eſt. Iudicio liberatus eſt,dimiſſus eſt, τῆς δίκης ἀπηλλάχθη.

Idcirco videlicet. Ironia.

Quid erat cauſæ. Interrogatio Ciceronis.

Res erat manifeſta. Fannii reſponſum.nam in illius perſona loquitur.

Magna cum expectatione. Iudicum.nam hic locus nota diſtinctionis eſt interpungendus.

Veteris hiſtrionis exponere ſocietatem. Ordo eſt,Exponere ſocietatē,quam de Panurgo vetere hiſtrione Roſcius & Fannius contraxerant.

Communem factum eſſe gratis cum Roſcio. Nam & ita coiri poſſe ſocietatem non dubitatur (inquit Iuſtinianus)vt alter pecuniam conferat,alter non conferat: & tamen lucrum inter eos commune ſit.quia ſæpe opera alterius pro pecunia valet.

» Nam illa membra merere per ſe non amplius poterant duodecim æris: diſciplina quæ erat CICERO.
29. » ab hoc tradita, locabat ſe non minus HS CCCIↃↃↃ. O ſocietatem captioſam & indignam, vbi 102
» alter HS IↃↃↃ,alter CCCIↃↃↃ quod ſit,in ſocietatē affert.Niſi idcirco moleſtè pateris, quòd HS
» IↃↃↃ tu ex arca proferebas,HS CCCIↃↃↃ ex diſciplina & artificio Roſcius promebat. quam enim rem,& expectationem:quod ſtudium,& quem fauorem ſecum in ſcenam attulit Panurgus? quòd Roſcii fuit diſcipulus.Qui diligebāt hunc,illi fauebant: qui admirabantur hunc,illū probabant:qui denique huius nomen audierant,illum eruditum & perfectum exiſtimabant. Sic eſt
30. » vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat. Quid ſciret ille, perpauci animaduertebant:vbi didiciſſet,omnes quærebant::nihil ab hoc prauum & peruerſum produci poſſe arbitrabantur.Si veniret ab Statilio, tametſi artificio Roſcium ſuperaret, aſpicere nemo poſſet.nemo enim,ſicut ex improbo patre probum filium naſci: ſic ex peſſimo hiſtrione bonum comœdum fieri poſſe exiſtimaret.Quia veniebat à Roſcio, plus etiā ſcire,quàm ſciebat, videbatur.quod itē nuper in Erote comœdo vſu venit:qui poſtea quàm è ſcena non modò ſibilis, ſed etiam conuicio explodebatur, ſicut in aram confugit in huius domum, diſciplinam, patrocinium, nomen. Itaque perbreui tempore,qui ne in nouiſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos peruenit co-
31. » mœdos. Quæ res extulit eum? vna commendatio huius: qui tamen Panurgum illum non ſolùm vt Roſcii diſcipulus fuiſſe diceretur,domum recepit,ſed etiam ſummo cum laborē,ſtomacho,miſeriáque erudiit.

Duodecim æris. Præciſa loquutio.Subauditur enim Numos:& idem ſignificat vt ſi diceret,Duodecim aſſes.Gellius lib. XX ad hanc legem, Si iniuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ ſunto: Quis, inquit,erit tam inops,quem ab iniuria facienda viginti quinque aſſes deterreant?As autem denariolos Gallicos quatuor valebat, vt Budæus docet:quem vbique ſequuti ſumus, & ab

ære dictus est, vt Varro tradit. AEreis enim numis Romani plurimū vtebātur: vnde AErarium dictum, & Tribuni, Quæstores, ac Scribæ AErarii.

Sic est vulgus. Similis ferè sententia de Imperatorum existimatione in Orat. pro Pompeio, Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de Imperatoribus vestris existiment, quis ignorat? quum sciamus homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuāt, aut oderint, aut ament, opinione nō minus famæ, quàm aliqua certa ratione cōmoueri.

Si veniret ab Statilio. Histrione vulgo non admodum probato, vt hic locus ostendit.

Ad primos peruenit comœdos. Locus declarat honestius fuisse Comœdi nomē, quàm Histrionis. tā etsi Histrionis nomen generale sit, & comœdos, tragœdos, mimos, pantomimos, ethologos comprehendat: itaque Cicero lib. de Orat. 1, & alibi, AEsopū & Rosciū claros histriones nominat. sed opinor histrionum nomen in iis permansit, qui cæteras fabulas Hetruscorū more agerent, quorum omnium turpis erat existimatio. Comœdos autē propriè eos fuisse qui Atellanas agerent: quod genus ludorum, inquit Liuius, ab Oscis acceptum, tenuit iuuētus, nec ab histrionibus pollui passa est. eóque institutum manet, vt actores Atellanarum nec tribu mouerētur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant. hæc Liuius, & Val. Maximus

CICERO. 103 » Nam quo quisque est solertior, & ingeniosior, hoc docet iracūdius & laboriosius. quod enim » ipse celeriter arripuit, id quum tardè percipi videt, discruciatur. Paulo longius oratio mea pro- » uecta est hac de causa, vt conditionem societatis diligenter cognosceretis. Quæ deinde conse- » quuta? Panurgum, inquit, hunc seruum communem Q. Flauius Tarquiniensis quidam interfe- » cit. In hanc rem, inquit, me cognitorem dedisti: lite contestata, iudicio damni iniuria cōstituto, » tu sine me cum Flauio decidisti: vtrum pro dimidia parte, an pro tota societate? planius dicam, » vtrum pro me, an pro me & pro te? pro me? potui. exemplo multorum licitum est: iure fecerunt » multi: nihil in ea re tibi iniuriæ feci: pete tu tuum: exige, & aufer quod debetur: suā quisque par- » tem iuris possideat, & persequatur. At enim tu tuum negotium gessisti bene: gere & tu tuum be- » ne. Magno tuā dimidiam partem decidisti: magno & tu tuā partem decide. H-S CCCIↃↃↃ tu ab- » stulisti: si sit hoc verò, H-S CCCIↃↃↃ tu quoque aufer. Sed hanc decisionem Roscii, oratione, » & opinione augere licet: re & veritate mediocrem & tenuem esse inuenietis: accepit enim agrum » temporibus iis, quum iacerent pretia prædiorum: qui ager neque villam habuit, neque ex vlla » parte fuit cultus. qui nunc multo pluris est, quàm tunc fuit: neque id est mirum: tum enim pro- » pter Reip. calamitates omnium possessiones erant incertæ, nunc deûm immortalium benigni » tate, omniū fortunæ sunt certæ. tum erat ager incultus sine tecto, nūc est cultissimus cū optima » villa. Verūtamen, quoniam natura tam maleuolus es, nunquā ista te molestia & cura liberabo.

(margin: *si sit hoc verum.* — handwritten: Si fuit hoc verum,)

[redacted]

Nam quo quisque est solertior. Itaque libro de Orat. 1. in persona Crassi sic scribit, Sæpe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidē probaret, potuisse neminem: non quo non essent quidam probabiles: sed quia, si aliquid modò esset vitii, id ferre ipse non posset. De discipulis quoque in quibus docilitas inest, & memoria, idē scribit Plato in persona Theodori, in dialogo περὶ τῆς ἐπιστήμης. Τὸ γὰρ εὐμαθῆ ὄντα, ὡς ἄλλῳ χαλεπόν, πρᾷον αὖ εἶναι διαφερόντως, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνδρεῖον παρ' ὁντινοῦν, ἐγὼ μὲν οὔτ' ἂν ᾠόμην γενέσθαι, οὔτ' ὁρῶ γιγνομένους. ἀλλ' οἵ τε ὀξεῖς, καὶ ἀγχίνοι, καὶ μνήμονες, ὡς τὰ πολλὰ καὶ πρὸς τὰς ὀργὰς ὀξύρροποί εἰσι, καὶ ἄττοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα πλοῖα, καὶ μανικώτεροι, ἢ ἀνδρειότεροι φύονται. οἵ τε αὖ ἐμβριθέστεροι, νωθροί πως ἀπαντῶσι πρὸς τὰς μαθήσεις, καὶ λήθης γέμοντες. id est, Docilem enim perdifficile est, simul admodum esse mansuetum, & præterea fortem cum omnibus. ego quidem neque fuisse puto, neque qui sint video. sed acuti, & ingeniosi, & optima memoria præditi vel plurimum in iracundiam propensi sunt, & cum impetu ferūtur, vt naues sine retinaculis: & furiosi potius quàm viriles existunt. Constantiores autē & grauiores, tardi fere sunt ad artes perdiscēdas, & obliuiosi.

Me cognitorem dedisti. Cognitor præsentis dicitur: Procurator absentis. hoc aliis multis locis explicauimus, & mendum ex Asconii libro, vbi hoc ipsum explicabat, sustulimus.

Lite contestata. Lis contestata dicitur, quum accepto à Prætore iudicio vtraque pars testibus præsentibus pronuntiat TESTES ESTOTE. Gallus AElius reos tum demum dici putauit, quū lis contestata est: reos autem siue qui agerent, siue eum quibus ageretur.

Iudicio damni iniuria constituto. Præcisa loquutio. subauditur enim DATI. vt illa duo verba DAMNI INIVRIA, formulæ verba sint, & grandioribus literis scribantur. Sensus est igitur, Iudicio constituto, cuius formula hæc vsitata est, DAMNI INIVRA DATI, &c. vt paulo suprà. Et in Quintiana, Arbitrium PRO SOCIO adigere. In Topicis, FINIVM REGVNDORVM, AQVAE

[redacted] PLVVIAE ARCENDAE. Iniuriæ autem nomine in hac actione culpa intelligitur: vt Vlpianus scribit in l. 1. D. de iniur. nam si iniuriosè Flauius Panurgum interfecisset, ex vno facto incidisset & in Aquiliam, & in iniuriarū actionem. iniuria enim ex affectu fit: damnum ex culpa: vt scribit Paulus in l. qui seruū, D. de act. & oblig. Hæc autem si vera sunt, Iurisconsultorum libros

innumetis in locis mendosos esse oportet: in quibus non Iniuria, sed Iniuriæ scriptum est. nam hanc quidem lectionem etiam veterum librorum confirmat auctoritas.

Planius dicam. Nam quum pro dimidia parte dixisset, obscurum erat vtrum dimidiam partem litis, an societatis intelligeret.

Pro me: pro te. Hoc ergo significat, Seruo communi occiso, & altero ex sociis cognitore facto ad percussorem iudicio persequendũ, lite iam ab eo contestata, posse tamen alterũ suo nomine cum percussore trãsigere. Sanè socium suæ partis alienandæ potestatem habere, constat ex l. Si socius, D. Si cert. pet. & l. Nemo, 2. D. pro socio. & quamuis procurator per litis cõtestationem sit dominus litis, l. Quod quis, l. Neque tutores, C. de Procur. nihil tamen officit quominus dominus, eòque etiam socius, de sua parte transigere possit, l. Transactionis, C. De transact.

Si sit hoc verò. Si sit hoc verum: sententia postulat, & sic puto corrigendum.

Quum iacerent pretia prædiorum. Proscriptione Syllana: tum enim emere nemo volebat. nam siue diuersarum partium quis esset, bona erant ipsius incertissima: quia vti quisque aut domũ (inquit Sallustius) aut villam, postremò vas aut vestimentum alicuius concupiuerat, dabat operam vti is in proscriptorum numero esset. siue in studio Syllanarum partium fuisset, vilissimo pretio proscriptorum bona, auctione constituta, mercari poterat. quum, vt idem ait, nunquam prius finis iugulandi fuerit, quàm Sylla omnes suos diuitiis expleuerit.

Neque villam habuit. Villa ab eo quòd in eam inuehuntur, & euehuntur quæ veneunt, dicta est. à quo rustici veam non viam dicunt, propter vecturas: & vellam non villam, quò vehunt. item qui vehunt dicuntur vellatoriam facere. hoc ex Varrone lib. De re rust. 1.

Tam maleuolus es. Vt ægritudinem suscipias propter Roscii prosperitatem.

Ista molesta. Inuidentia, quæ tibi dolorem & molestiam affert: quam tibi ego adimerem, si prædii bonitatem verbis extenuarem.

„ Præclarè suum negotium gessit Roscius, fundum fructuosissimum abstulit: quid ad te? tuam CICERO.
„ partem dimidiam, quemadmodũ vis, decide. vertit hic rationem, & id quod probare non potest,
„ fingere conatur. de tota re, inquit, decidisti. Ergo huc vniuersa causa deducitur, vtrum Roscius
„ cum Flauio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem. nam ego Roscium, si quid com-
„ muni nomine tetigit, confiteor præstare debere societati. societatis nõ suas lites redemit, quum
„ fundum à Flauio accepit. quid ita satis non dedit, amplius a se neminem petiturum? qui de sua
„ parte decidit, reliquis integram relinquit actionem. qui pro sociis trãsigit, satisdat neminem eo-
„ rum postea petiturum. Quid ita Flauio sibi cauere non venit in mentem? nesciebat videlicet Pa-
„ nurgum fuisse in societate: sciebat. nesciebat Fannium Roscio esse socium: præclarè: nam iste
„ cum eo litem contestatam habebat. cur igitur decidit, & non restipulatur, neminem amplius pe
„ titurum? cur de fundo decidit, & iudicio non absoluitur? cur tam imperitè facit, vt nec Roscium
„ stipulatione alliget, neque à Fannio iudicio se absoluat? Est hoc primum & ex conditione iuris,
„ & ex consuetudine cautionis grauissimum, & firmissimum argumentum: quod ego pluribus
„ verbis amplecterer, si non alia certiora & clariora testimonia in causa haberem. Et ne fortè me
„ hoc frustra pollicitum esse prædices, te, te inquam Fanni ab tuis subselliis contra te testem susci-
„ tabo. Criminatio tua quæ est? Rosciũ cum Flauio pro societate decidisse. Quo tempore? abhinc
„ annis x v. Defensio mea quæ est? Roscium pro sua parte cum Flauio transegisse. Repromittis IV.
„ tu abhinc triennium Roscio. quid? recita istam restipulationem clarius.

Vertit hic rationem. Immutauit defensionem: aliam defensionis viam iniit.

De tota re, inquit, decidisti. Ambiguè dictum. quasi de tota summa Fannius dixisset: quum cõtrà non de tota re, sed pro tota societate, id est pro vtroque decidisse Roscium diceret.

De tota societate. Planius dixisset, pro tota societate: vel vt suprà, Pro me & pro te.

Societatis, non suas lites redemit. Verba Saturii. Pactionẽ, inquit, nõ de sua lite, sed de societatis fecit.

Quid ita satis non dedit? Satisdare est sponsores dare, quantum ei satis sit, qui sibi ea ratione cauet. vt si quis pecuniam societati debeat, & vni ex sociis solidum persoluat, cauet sibi ab eo, acceptis sponsoribus, id est fideiussoribus, neminem amplius eo nomine quicquam petiturum. elegãter hoc verbum Cicero transtulit in Bruto, Ego tibi, inquit, Brute non soluam, nisi prius à te cauero amplius eo nomine neminem cuius petitio sit, petiturũ. Sed de Satisdare & Cauere in Orat. pro Quintio fusius explicauimus.

Et iudicio non absoluitur. Non liberatur ab ea controuersia quam ei Fannius intenderat, si de tota lite decidebat.

Stipulatione alliget. Neminem postea petiturum.

Ex conditione iuris. Quia ius est, solidum soluenti, hanc stipulationem interponere.

Ex cõsuetudine cautionis. Quia hæc satisdatio & cautio in huiuscemodi solutionib' exigi cõsueuit.

Abhinc annis x v: Manifestum mendum. Legendum opinor 1 v, id est quatuor. primùm quòd

iam suprà, nomen hoc ꟾↃↃↃ H-S, de quo hæc controuersia est, nonnisi ab hinc quadriennium à Fannio in aduersaria relatum dicat. scribit enim, Amplius triennium. deinde quòd modò repromissionem ab hinc triennium factam confirmet, quam satis constat non multò post Roscii transactionem factam esse. Postremò tandiu prolatam esse rem, mihi certè non fit verisimile. Erroris autem occasionē facilè notæ ignoratio imperitis librariis præbere potuit. nā veteres, vt antè dixi, hanc notam IV, pro quatuor ponebant, quæ tamen multis ignota est.

Repromittis tu ab hinc triennium Roscio. Societate dissoluta. nam alioqui promissione nulla fuisset opus. & hoc est quod proxime dicet, In re tā veteri, in negotio tam cōfecto, in societate dissoluta.

CICERO. 105 Attende quæso Piso. Fannium inuitū, & huc, atque illuc tergiuersantem, testimonium contra se dicere cogo. Quid enim restipulatio clamat? QVOD A FLAVIO ABSTVLERO, PARTEM DIMIDIAM INDE ROSCIO ME SOLVTVRVM SPONDEO. Tua vox est Fanni. quid tu auferre potes à Flauio, si Flauius nihil debet? quid hic porrò nūc restipulatur, quod iampridem ipse exegit? quid verò Flauius tibi daturus est, qui Roscio omne quod debuit, dissoluit? cur in re tam veteri, in negotio tam cōfecto, in societate dissoluta, noua hæc restipulatio interponitur? quis est huius restipulationis scriptor, testis, arbiter? quis? tu Piso: tu enim Q. Roscium, pro opera, pro labore, quòd cognitor fuisset, quòd vadimonia obiisset, rogasti vt Fannio daret H-S CCCIↃↃↃ, hac conditione, vt siquid ille exegisset à Flauio, partem eius dimidiā Roscio dissolueret. Satísne ista restipulatio dicere tibi videtur apertè, Roscium pro se decidisse? At enim forsitan hoc tibi veniat in mentem, repromisisse Fannium Roscio, siquid à Flauio exegisset, eius partem dimidiam: sed omnino exegisse nihil. quid? tu non exitum exactionis, sed initium repromissionis spectare debes: neque, si ille persequi noluit, non, quod in se fuit, iudicauit Roscium suas, non societatis lites redemisse. quid, si tandem planum facio, post decisionem veterem Roscii, post repromissionem recentem hanc Fannii, H-S CCCIↃↃↃ Fannium à Q. Flauio Panurgi nomine abstulisset tamen ne diutius illudere viri optimi existimationi Q. Roscii audebit?

Si Flauius nihil debet. Hoc Fannius non dicit. sed hoc contendit, H-S centū millia quæ Roscius à Flauio accepit, cōmuni nomine accepta esse, ideóque partem ad se dimidiam, ad Roscium alteram dimidiam pertinere.

Quod iampridem ipse exegit. Hoc dicitur ad tempus. Non enim quod exegit à Flauio, nunc stipulatur à Fannio: sed partem dimidiam eius summæ quam Fannius à Flauio consequeretur. Hoc enim inter eos certa de causa, quam modò explicabit, conuênit.

Pro opera, pro labore. Hæc dicuntur de Fannio. vt sit, pro opera quam interposuit: pro labore quem sumpsit in Flauio persequendo.

Quòd vadimonia obiisset. De vadimonio, dictum est in Orat. pro Quintio.

Fannio daret H-S CCCIↃↃↃ. Hic mendum est sine dubio. neque enim verisimile est integram suam summam Roscium Fannio pro opera & labore dedisse. præsertim quum ab eo partem dimidiam eius, quod à Flauio exacturus est, stipuletur. Sed qua ratione restitui locus possit, coniectura assequi non possum.

Fanniū à Q. Flauio. Transactionis nomine: quam lite apud Cluuiū Iudicem cum Flauio cōtestata, fecit Fannius. vt pag. 188, Dicat decisionem factam esse, quæ facta non est.

Viri optimi existimationi Q. Roscii. Hæc verba, Q. Roscii: subolent glossam. Libri tamen ii quibus, quum hæc scriberem, vtebar, hanc lectionem retinebant.

CICERO. 106 Paulo antè quærebam id quod vehementer ad rem pertinebat, qua de causa Flauius, quum de tota lite faceret pactionem, neque satis acciperet à Roscio, neque iudicio absolueretur à Fannio. nunc verò (id quod mirum & incredibile est) requiro, quamobrem, quū de tota re decidisset cum Roscio, H-S CCCIↃↃↃ separatim Fannio dissoluit. Hoc loco Saturi quid pares respondere, scire cupio: vtrum, omnino Fannium à Flauio H-S CCCIↃↃↃ non abstulisse: an alio nomine, & alia de causa abstulisse? si alia de causa, quæ ratio tibi cum eo intercesserat? nulla. addictus erat tibi? non. frustra tempus cōtero: Omnino, inquit, H-S CCCIↃↃↃ à Flauio non abstulit: neque Panurgi nomine, neque cuiusquam. Si planū facio post hanc recentem stipulationem Roscii H-S CCCIↃↃↃ à Flauio te abstulisse: nūquid causæ est, quin ab iudicio abeas turpissimè victus? quo teste igitur hoc planum faciā? venerat, vt opinor, hæc res in iudicium? certè. quis erat petitor? Fannius. quis reus? Flauius. quis iudex? Cluuius. ex his vnus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. quis est ex his grauissimus? sine cōtrouersia, qui omnium iudicio comprobatus est, Iudex. quem igitur ex his tribus à me testem spectabis? petitorem? Fannius est: cōtra se nunquā testimonium dicet. reum? Flauius est. is iampridem est mortuus: si viueret, verba eius audiretis. Iudicē? Cluuius est, quid is dicit? H-S CCCIↃↃↃ Panurgi nomine Flauium Fannio dissoluisse. quem tu si ex censu spectas, eques R. est: si ex vita, homo clarissimus est: si ex te, Iudicē sumpsisti: si ex veritate, id quod scire potuit & debuit, dixit. Nega, nega nūc, equiti R. homini honesto, Iudici tuo, credi oportere.

Quum de tota re decidisset. Non de tota re Fannius dicebat: sed de tota societate, vel totius societatis nomine HOTOM.

Addictus erat tibi? Apud veteres, qui pecuniæ damnati iudicatū facere non poterant, nexi in seruitutem creditoribus addicebantur. vt ille Veturius, de quo scribit Val. Maximus lib. VI, cap. I. vnde Addicti nominati sunt. Sed opinor, elatè hoc dictum est, pro Damnatus erat tibi pecuniam aliquam soluere? De addictis notus est Quintiliani locus lib. VII, cap. de Finitione.

Non abstulit. Fannius: & verba sunt Saturii.

A me nisi tum spectabis. Expectabis, opinor, scriptum à Cicerone est: & sic puto legendum.

Flaminio Fannio dissoluisse. Ex transactione. pag. 108, Dicat decisionē factam esse, quæ facta nō est.

Si ex censu spectas. Census est facultatum cuiusque ciuis æstimatio. Testes autem ex censu spectantur, quòd homines tenues & egentes facilè pretio ad falsum dicendum adducantur. Vnde testes idonei, Locupletes testes dicebātur. Cicero in Topicis, Opulētos homines, & ætatis spatio probatos, dignos quibus credatur, putamus. non rectè fortasse. sed vulgi opinio vix mutari potest.

Eques R. est. Quorum census erat H-S CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ: auctore Suetonio.

Homo clarissimus est. Clarissimus, Integerrimus, castissimus, nulla malæ existimationis labe contaminatus. nam si de magistratibus & imperiis intelligeret, non dixisset, Si ex vita: sed potius, Si ex honoribus.

Circunspicit, æstuat, negat nos Cluuii testimonium recitaturos. recitabimus. erras: inani, & CICE[redacted]
tenui spe te consolaris. Recita testimonium T. Manilii, & C. Luscii Ocreæ, duorum Senatorum, 107
hominum ornatissimorum, qui ex Cluuio audierunt. vtrum dicis, Luscio & Manilio, an & Cluuio non esse credendum? planius atque apertius dicam. vtrum Luscius & Manilius nihil de H-S CCCIↃↃↃ ex Cluuio audierunt: an Cluuius falsum Lucio & Manilio dixit? hoc ego loco, soluto & quieto sum animo: & quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro: firmissimis enim, & sanctissimis testimoniis virorum optimorum causa Roscii communita est. si iam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem iusiurandi: responde. Manilio & Lucio negas esse credendum? dic, aude: est tuæ contumaciæ, arrogantiæ, vitæque vniuersæ vox. quid expectas, quàm mox ego Lucium & Manilium dicam ordine esse Senatores: ætate grandes natu, natura sanctos & religiosos, copiis rei familiaris locupletes, & pecuniosos? nō faciam: nihil mihi detraham: quū illis exactæ ætatis seuerissimè fructum, quem meruerunt, retribuam. magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quàm illorum seuerissima senectus desiderat meam laudem. Tibi vero Piso diu deliberandum, & concoquendum est, vtrum potius Chæreæ iniurato in sua lite, an Manilio & Luscio iuratis in alieno iudicio credas. Reliquum est, vt Cluuium falsum dixisse Luscio & Manilio contendat. quod si facit, qua impudentia est? eúmne testem improbabit, quem Iudicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit? eius testis ad Iudicem fidem infirmabit, cuius propter fidem & religionem Iudicis testes comparabat.

iurisiurandi l. (margin)

Qui ex Cluuio audierunt. Nam, vt Verrina III scribit Asconius, apud veteres etiam de auditione [redacted] testimonium dicebatur. post verbum autem AVDIERVNT, deesse hæc opinor omnia, quæ fere in omnibus similibus locis interponuntur, TESTIMONIVM T. MANILII, ET C. LVSCII.

Fide iusiurandi. Iurisiurandi, omnes alii: & sic emenda.

Nihil mihi detraham. Locus est subobscurus: sed, vt opinor, hic sensus est, Nihil sciens de mea existimatione detraham, nihil lubens ac volens diminuam. quod facerem, si tātum mihi sumerem, vt de illorum exacta seuerissimè ætate, adolescens & nulla auctoritate præditus, iudicium meum interponerem. non faciam igitur, vt mihi tantum arrogem. conceptam enim de me opinionem imminuerem, & temeritatis atque arrogantiæ notam subirem.

Diu deliberandum & concoquendum. Quæ concoquimus, retinemus: quæ non concoquimus, euomimus, ac reiicimus. ex quo translatum est vocabulum, vt ea non concoquere dicamus, quæ probare non possumus. Cicero Varroni, Nunc vide vtra te κρίσις magis delectet, χρυσίππειά ne, an hæc quā noster Diodorus non concoquebat. Ea contrà concoquere, quæ pati ac ferre possumus. Idem ad Q. Fr. De Epistola Vatinii, risi. sed me ab eo ita obseruari scio, vt eius ista odia non sorbeam solum, sed etiam concoquam. Græci, πέσσω & πέττω, vel πεπαίνω. vt illud Xenoph. in I V de Cyri disciplina. ἡ ὀργὴ αὐτοῦ σαφῶς ἂν ἦν ... Sed hoc loco Concoquendum dictum est, quasi Ruminandum, & sæpius idem animo agitandū. sensus est enim, Quemadmodum cibum grauem diutissimè concoquimus prius, quàm in sanguinem & nutrimentum mutetur, eodem modo diu multúmque de hac salebrosa & difficili propositione priùs deliberādum est, debeásne Chæreæ iniurato in sua lite credere: quàm eam comprobes. Græci διαμασᾶσθαι dicūt, vt apud Aristophanē in Vespis, Μόλις τὸ πρᾶγμα ἔγνωσαν διαμασώμενοι; Vix rem cognorūt, vbi concoxerunt.

Deprecatio deorum

CICERO. 108 Quem ego si ferrem Iudicem, refugere nõ deberet: quũ testem producam, reprehendere audebit? Dixit enim, inquit, iniuratus Lucio & Manilio. si diceret iuratus, crederes? At quid interest 45 inter periurum, & mendacem? qui mentiri solet, peierare consueuit. quem ego, vt mentiatur, inducere possum: vt peieret, exorare facilè potero. nam qui semel à veritate deflexit, hic nõ maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci cõsueuit. quis enim deprecatione deorum, non cõscientiæ fide commouetur? propterea, quæ pœna ab diis immortalibus periuro, hæc eadem mendaci constituta est. non enim ex pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur, sed ex perfidia & malitia, per quam insidiæ tenduntur alicui, dii immortales hominibus irasci, & succensere consuerunt. At ego hoc ex cõtrario contendo. leuior esset auctoritas Cluuii, si diceret iuratus, quàm nunc est, quum dicit iniuratus. tum enim forsitan improbis nimis 47 cupidus videretur, qui, qua de re iudex fuisset, testis esset: nunc omnibus inimicis necesse est castissimus, & constantissimus esse videatur, qui id quod scit, familiaribus suis dicit. Dic nunc, si potes, si res, si causa patitur, Cluuium esse mentitum: mentitus est Cluuius? Ipsa mihi veritas manum iniecit, & paulisper consistere, & commorari cogit. vnde hoc totum ductum, & conflatum mendacium est? Roscius est videlicet homo callidus & versutus: hoc initio cogitare cœpit: quoniam Fannius à me petit H-S I ɔ ɔ ɔ, petam à C. Cluuio equite R. ornatissimo homine, vt mea causa mentiatur: dicat decisionem factam esse, quæ facta nõ est: H-S C C C I ɔ ɔ ɔ à Flauio data esse Fannio, quæ data non sunt. 48

inicie

[redacted] *Quem ego si ferrem iudicem.* Iudicem enim actor, quem ei commodum erat, ferebat. reus aut recusabat, si sibi eum iniquum fore putaret, aut comprobabat: comprobato ab vtroque iudici Prætor iudicandi potestatem faciebat. hinc Iudex dictus, vt scribit Varro, qui iudicat accepta potestate.

Dixit enim, inquit, iniuratus. Hoc illud est quod Fabius præcepit libro v. nam & tota genera testimoniorum eleuata ab Oratoribus scimus: vt de auditionibus: nõ enim ipsos esse testes, sed iniuratorum afferre voces.

Quid interest inter periurum & mendacem? Hoc totum ad tempus dicitur, & oratoriè. nã qui periurus est, mendax etiam erit: at non contrà, qui periurus non est, mendax etiam non erit. Et quæ de peccatorum gradibus dicuntur, eodem modo accipienda sunt.

Nimis cupidus. Cupiditatis verbũ fere in vitio ponitur. Modò eum significat qui alterius causã cupit: quæ à testibus volũtas aliena esse debet. de Iudice quoque sic in Orat. pro Cæcina, Tamen is aut timidior videatur, quàm fortem: aut cupidior, quàm sapientem Iudicem esse æquum est.

CICERO. 109 Est hoc principium improbi animi, miseri ingenii, nullius cõsilii. Quid deinde? posteaquam 49 se præclare confirmauit, venit ad Cluuium, quem hominem: leuem? imò grauissimum. mobilem? imò constantissimum: familiarem? imò alienissimum. Hunc posteaquam salutauit, rogare cœpit, blandè & concinnè scilicet: Mentire mea causa, viris optimis tuis familiaribus præsentibus. dic Flauium cum Fannio de Panurgo decidisse, qui nihil transegit: dic H-S C C C I ɔ ɔ ɔ dedisse, qui assem nullum dedit. Quid ille? Ego verò cupidè & libenter mẽtiar tua causa: &, siquãdo me vis peierare, vt paululum tu compendii facias, paratum fore scito. non fuit causa cur tantum laborem caperes, & ad me venires. per nuntium hoc, quod erat tam leue, trãsigere potuisti. [redacted] Prò deum hominúmque fidem: hoc aut Roscius vnquam à Cluuio petiisset, si H-S millies in iudicium haberet: aut Cluuius Roscio petenti cõcessisset, si vniuersæ prædæ particeps esset? vix me- 50 diusfidius tu Fanni à Ballione, aut aliquo eius simili hoc *postulare auderes, & impetrare posses, quod cum est veritate falsum, tũ ratione quoque est incredibile. obliuiscor enim Rosciũ & Cluuium viros esse primarios: improbos, temporis causa esse fingo. falsum subornauit testem Roscius Cluuium: cur tam serò? cur, quum altera pensio soluenda esset, non tum, cum prima? nam 51 iam antea H-S I ɔ ɔ ɔ dissoluerat. deinde, si iam persuasum erat Cluuio vt mentiretur: cur potius H-S C C C I ɔ ɔ ɔ, quàm C C C I ɔ ɔ ɔ C C C I ɔ ɔ ɔ C C C I ɔ ɔ ɔ data dixit Fannio à Flauio: quũ ex restipulatione pars eius dimidia Roscii esset?

* expostulare l.

[redacted] *H-S millies.* Vicies quinquies centena millia aureorum.

A Ballione, aut aliquo. De Ballione cognosce pag. 98.

Hoc postulare auderes. Aldinus liber, & omnes alii, Expostulare. quorum auctoritate summáque consensione moueri me fateor. Plautus etiam in Persa hoc eodem verbo sic vsus est, Act. I I I I, Scena I I I.

DORPALVS, -benedictis benefacta, aures meæ
Auxilium expostulant.

Quũ altera pensio soluenda esset. Apparet decisionis nomine trecenta Flauium Fannio promisisse: è quibus centum & quinquaginta, id est dimidia pars Flauio debebatur. quam summam duabus pensionibus solutam esse ostendit. nam prima pensione, inquit, H-S I ɔ ɔ ɔ soluta sunt: altera verò, C C C I ɔ ɔ ɔ.

Cur quum altera pensio. Id est, solutio. Varro de lingua Latina i v, Ab ære impendendo, Dispensator: & in tabulis scribimus expensum, & prima pensio, & sic aut secunda, aut quæ alia.

Quam trecenta millia. Id est integrã summã, quã Fannio Cluuius decisionis nomine promiserat.

Iam intelligis C. Piso, sibi soli, societati nihil Roscium petisse. hoc quũ sentit Saturius esse a- CICERO.
pertum, resistere & repugnare contra veritatem non audet: aliud fraudis & insidiarum in eodem 110
52. vestigio diuerticulum reperit. Petisse, inquit, suam partem Roscium à Flauio cõfiteor: vacuam,
& integram reliquisse Fannii, concedo: sed quod sibi exegit, id commune societatis factum esse
contendo. quo nihil captiosius, neque indignius potest dici: quæro enim potueritne Roscius ex
societate suam partem petere, necne? si non potuit: quemadmodum abstulit? si potuit: quemad-
53. modum non sibi exegit? nam quod sibi petitur, certe alteri nõ exigitur. An ita est, si, quod vniuer-
sæ societatis fuisset, petisset: quod tum exactum esset, æqualiter omnes partirentur: nunc quũ pe-
tierit quod suæ partis esset: non quod abstulit, soli sibi exegit? Quid interest inter eum qui per se
litigat, & qui cognitor est datus? qui per se litem contestatur, sibi soli petit. alteri nemo potest, nisi
qui cognitor est factus. Itáne verò? cognitor si fuisset tuus, quod vicisset iudicio, ferres tuum. suo
54. nomine petit: quod abstulit, *sibi, non tibi exegit. quòd si quisquam petere potest alteri qui co- *sibi, non tibi
gnitor non est factus: quæro, quid ita, quũ Panurgus esset interfectus, & lis contestata cum Fla- exegit
uio damni iniuria esset, tu in eam litem cognitor Roscii es factus? quum præsertim ex tua ora-
tione, quodcunque tibi peteres, huic peteres: quodcunque sibi exigeres, id in societatem recideret.
Quòd si ad Roscium nihil perueniret, quod tu à Flauio abstulisses, nisi te in suam litem dedisset
cognitorem: ad te peruenire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit, quoniam tuus cogni
tor non est factus.

Iam intelligis C. Piso. Nam quum Panurgi nomine pecuniam Fannius acceperit, Rosciũ sibi soli petisse intelligitur. RIDOB XI

Qui cognitor est datus. Nonnulli impressi, Qui cognitorem dat: imperitè, quũ in hoc vis sit, quià cognitor Roscius datus non sit, alteri nõ petisse, & hoc verum est. nam socius (vt antea diximus) suam solam partem alienare potest: ideóque eam solam petere.

Sibi, non tibi exegit. Corrige sic, Tibi, non sibi exegit? cum interrogandi nota. quod ego, quia perspicuum est, pluribus verbis non confirmo.

Lis contestata cum Flauio damni iniuria esset. Grãdioribus literis duo illa verba scribẽda sunt: quæ ex formula Aquilianæ actionis esse docuimus, pag. 103.

Ex tua oratione. Qua inpetendo ac persequendo Flauio vtebare.

Hunc peteres. Non soli. sed vt modò dicit, In societatem,

55. Quid enim huic rei respondere poteris Fanni? quum de sua parte Roscius transegit cum Fla- CICERO.
uio, actionem tibi tuã reliquit, an non? si non reliquit, quemadmodum H·S CCCIↃↃↃ ab eo po- 111
stea exegisti? si reliquit, quid ab hoc petis, quod per te persequi & petere debes? simillimà enim,
& maxime gemina societas hæreditatis est. quemadmodum socius in societate habet partem: sic
hæres in hæreditate habet partem. vt hæres sibi soli, non cohæredibus petit: sic socius sibi soli, nõ
sociis petit. & quemadmodũ vterque pro sua parte petit, sic pro sua parte dissoluit: hæres ex sua
56. parte, qua hæreditatem adiit: socius ex ea, qua societatem coiit. quemadmodũ suam partem Ro-
scius suo nomine condonare potuit Flauio, vt eam tu nõ peteres: sic quum exegit suam partem,
& tibi integram petitionem reliquit, tecum partiri non debet. nisi fortè tu peruerso more, quod
huius est, ab alio extorquere non potes, huic eripere potes. Perstat in sententia Saturius, quodcun
que sibi petat socius, id societatis fieri. quod si ita est: quæ (malum) stultitia fuit? Roscius qui ex
Iurisperitorum consilio & auctoritate restipularetur à Fannio diligenter, vt, quod is exegisset à
Flauio, dimidiã partem sibi dissolueret, siquidẽ sine cautione, & repromissione, nihilominus id
Fannius societati, hoc est Roscio, debebat.

desiderantur non pauca.

Hæres sibi soli, non cohæredibus petit. Nomina ipso iure diuiduntur inter hæredes, l. 2, C. fami. ercisc. itaque non potest hæres agere, nisi pro ea parte qua hæres est. neque ei sententia cum altero hærede lata, quicquam aut prodest, aut nocet. l. A sententia, D. de appellat. quinimo pro parte qua nõ est hæres, extraneus habetur l. Prætoriæ, D. de Præt. stipul. RIDOB XII

Quodcunque sibi petat socius, id societatis fieri. Hoc falsum puto. nam, vt paulo antè posui, suam tantùm partem socius alienare potest; ex quo suam tantum partem eum posse petere, argumentari possumus.

[redacted] S.

VERRINAS orationes,quæ vel ob scripturæ vitia,vel ob rerum difficultatem,vel(vt verius loquamur)ob vtrunque,vsque ad hunc dię quasi incultæ ac desertæ iacuerunt,conati sumus,doctissime & ornatissime [redacted] & mẽdis expurgare,& cõmẽtariis illustrare breuissimis. Quid præstiterimus,non modò nos, ad quos iudicium non pertinet, sed ne eorum quidem quamplurimi, qui sibi in primis eius rei iudicium sument, existimare poterunt. Quantum autem laborem, vt satis conatui & studio nostro faceremus, quantámque diligentiã adhibuerimus, quoniã quidem testari sine pudore possumus,apertè ac planè profitemur,nos & contentionem animi,& laboris assiduitatem incredibilę in hoc negotio consumpsisse. Quo maiore,vt par est,hominum irrisione ludemur, si minus id quod contendimus, assecuti fuerimus. Veruntamen quũ tibi,cuius & acumen ingenii & iudicium in hoc literarum genere exploratum ac perspectum est, has meas lucubrationes maiorem in modum probari intelligerem, & à me vehementer cõtenderes vt in vulgus ederentur, non dubitaui te auctore, & tanquam duce, iudicio me hominum committere. Qua in re quũ existimationi meæ cõsulendum arbitrarer,faciendum putaui vt hæc nostra cõmentatio in tuo quamornatissimo,& apud omnes eruditos gratiosissimo nomine appareret. Quum enim aut periti ad hoc nostrum opus spectandum, aut imperiti, aut fortasse(id quod olim Appelli contigit) vtrique accessuri sint, ab illis quidem redargui mihi summo honori erit: ignari verò & inscii nominis, vt spero, tui splendore atque auctoritate ab obtrectatione & maledicentia deterrebuntur. Vale. III. Id. Februarii, M. D. LIII.

Accusationis in C. Verrem liber PRIMVS, QVI DIVINATIO DICITVR, ORATIO IIII.

M. T. Ciceronis Oratio de constituendo accusatore in C. Verrem, quæ Diuinatio dicitur.

CICERO. 112

Si quis vestrum Iudices, aut eorũ qui adsunt, fortè miratur me, qui tot annos in causis iudiciisq; publicis ita sim versatus, vt defenderim multos, læserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere: is, si mei consilii causam rationémque cognouerit, vna & id, quod facio, probabit, & in hac causa profectò neminem mihi esse præponendum actorem putabit. Quum Quæstor in Sicilia fuissem Iudices: itáque ex ea prouincia decessissem vt Siculis omnibus iucũdam diuturnámque memoriam Quæsturæ nominísque mei relinquerẽ: factum est vti cum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati, atque vexati, cuncti ad me publicè sæpe venerunt, vt suarum fortunarum omnium causam defensionémque susciperem. me sæpe esse pollicitum, sæpe ostendisse dicebant, siquod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerent, commodis eorum me non defuturum. venisse tempus aiebant, non iam vt commoda sua, sed vt vitam salutémque totius prouinciæ defenderem: sese iam ne deos quidem in suis vrbibus, ad quos confugerent, habere, quòd eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset.

[illegible] COMMENTARII.

Principio illud scire oportet, nos in Verrinis explicandis, quæ ab Asconio Pediano doctissimo viro explanata sunt, ea consultò prætermisisse: ne quum studiosorum optimæ voluntati, qui ad harum orationum cognitionem omni festinatione properant, consulere debeamus, moram contrà illorum studiis afferamus. Itaque huius orationis argumentũ omisimus, quod quum sit ab Asconio fideliter & summa cum diligentia expositum, melius erit ex ipsius commentariis cognoscere. Sed quoniam de numero librorum quibus accusatio in Verrem continetur, eorúmque inscriptionibus mihi longè alia opinio est, quàm aliis (puto) omnibus qui de iis nostra memoria conscripserunt, & scio meam opinionem probari quampluimis hominibus summo ingenio iudicióque præditis: operæpretiũ esse arbitror eam breuiter hoc loco exponere. Primùm enim, qui vulgo septem Accusationis libros constituunt, eos falsa opinione & manifesto errore duci, vel hinc licet intelligatur, quòd prima hæc Oratio, quam Primum Accusationis librum appellant, solam M. Tullii cum Q. Cæcilio de constituendo accusatore cõtentionem continet, & amplius tribus mensibus antè habita est, quàm accusari Verres cœperit: quemadmodum ex eo cõstat, quòd posteaquam accusator Tullius constitutus est (id autem habita hac diuinatione factum est) dati sunt illi inquirendi, instruendæque accusationis causa c & x dies. Secunda autẽ oratio etsi illa quidem accusationis initium quoddam est, quoniam tamen neque ea quæ consecuta sunt, id est quibus crimina exponebantur, ab Oratore literis mandata sunt, neque aliud quicquã præter exhortationem Iudicum, & minas in aduersarios continet, de Verris criminibus mentionem facit nullam, Accusationis liber appellari non potest. Ecquemnam igitur librorum numerum statuemus? illum ipsum scilicet qui ab ipso Cicerone positus, & à Quintiliano, Tacito, Gellio, & cæteris præterea omnibus antiquis scriptorib⁹ obseruatus est. quinque enim perpetuò numerant, reliquos à duobus prioribus: de quibus ipsis sic loquitur Asconius, Libros, inquit, pro qualitate criminum Tullius diuidens, anteactis vnũ dedit hunc scilicet solum: (de primo loquitur, quem alii tertium faciunt) crimini ipsi repetũdarum, quatuor: vnum de iure dicundo, alterum de re frumentaria, tertium de signis, quartũ de suppliciis. Fabius verò libri vndecimi capite secundo, Habeamus sanè, inquit, vt qui notis scribunt, certas imagines omnium, & loca scilicet infinita, per quæ verba, quæ sunt in quinque contra Verrem secundæ actionis libris, explicẽtur. Cornelius verò Tacitus in eo dialogo quem de Oratore inscripsit, Quis, inquit, nunc ferat Oratorem de infirmitate valetudinis suæ præfantẽ? quis quinque in Verrem libros expectauerit? Atque hæc quidem Tacitus. Sed melius est Ciceronem ipsum de suis libris loquẽtem audire. Is igitur in eo libro quem Oratorẽ inscripsit, verba hæc ex eo libro proferens qui vulgò Sextus creditur, Cõferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris victoria: Hoc, inquit, genere antiqui delectabantur, nos etiam in eo frequentes, vt illa sunt in quarto Accusationis, Conferte hanc pacem, &c. Quibus ex verbis perspicuum est, eum quartum Cice-

roni fuisse, qui hodie Sextus numeratur. quemadmodum ex eo quoque loco, quum inquit, Exponẽda narratio, quæ plus dignitatis desiderat quàm doloris: vt in quarto Accusationis, de Eonẽsi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarũ situ diximus. Sunt enim hæc omnia in ea posita oratione, quæ vulgo Sextus accusationis liber inscribitur. Quid? quoto accusationis de Siciliæ laude commemorat? eo videlicet qui Quartus inscribitur, fere initio. & tamen in eodem Oratore, Adhibenda, inquit, numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, vt nos in Accusationis secundo de Siciliæ laude diximus. De suis libris Ciceronis sententiã audiuimus. nunc Auli Gellii doctissimi viri testimonium, quasi corollarium, & (vt dici solet) παρέργως audiamus. Is libro Noct. Att. I, cap. VII, ita scribit, In Oratione Ciceronis quinta in Verrem ita scriptum fuit, Homines tenues, obscuro loco nati nauigant, adeúntque ad ea loca quæ nunquam antea viderant. Atqui satis constat hæc verba in ea legi Oratione, quæ vulgo septima numeratur. Item in libro XII, cap. XIII, verba hæc, Est modò locus intra Oceanum, &c. è tertia in Verrem protulit: quũ tamen in ea quæ vulgo quinta credita est, tantùm inueniantur. Item eodẽ lib. cap. XIX, verba hæc, Perangusto fretu diuisa, profert è quinta in Verrem, quum tamen in ea quæ septima vulgo numeratur, legamus. Item eod. cap. verba hæc, Nemo ita viuebat, vt nulla eius vitæ pars manifesto peccatu, &c. è secunda in Verrem notat, quũ tamen alibi quàm in ea quæ quarta vulgo creditur, nõ legantur. Iulius autem Rufinianus, in libello De figuris, In Verrinarũ, inquit, libro I, Si pupillo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. quæ verba in Verrina tertia reperies. Verrinas enim accusationes Iulius significat. quum, vt opinor, nõ malè VII Verrinæ dici possint, quæ ad Verris causam pertineant. Quũ autẽ ex illo loco de Iulii sententia manifestò constet, haudquaquã etiã dubiũ cuiquã fore arbitror, quin mendũ sit alio in loco, vbi sic scriptũ est, Cicero in Verrẽ III actionis libro, Vos quod ad famã, &c. nõ enim Tertiæ actionis, sed Primo secũdæ actionis legendũ: quod tamen etiã ipsa nota significare potest, modò sic interpũgatur, Cicero in Verrẽ I, II actionis libro. vt quũ scribimus, Liuius libro III, I Decadis. Quæ quũ ita se res habeat, cui tandẽ obscurũ, aut dubiũ esse possit, quin locus ille Oratoris ad Brutũ, in quo de septẽ Accusationis libris mẽtio fit, ab imprudẽte quodã & importuno emẽdatore deprauatus sit: qui quũ hunc locũ ex opinione, vt fit, nõ ex veritate æstimasset, vbi Quinque legebatur, Septẽ reponendum esse crediderit? Sunt autẽ M. Tullii verba hæc, quo loco de temperãdo orationis genere loquitur, At hæc interdum temperanda & varianda sunt. Quod igitur in Accusationis septem libris nõ reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelii? &c. quis inquã ex Quintiliani, Taciti, Gellii, quos antea protulimus, auctoritate, aliisque tam multis argumẽtis non videt, Quinque reponi oportere? Atque hæc quidem de librorum Accusationis numero satis dicta sint. Proximum est vt aliam absurdam falsámque opinionem euellamus, quam omnes ad hunc vsque diem de actionum numero habuerunt: quũ septem alii numerẽt, alii sex. vtrique falsò: quemadmodum ex veterum iudiciorũ more perspicuè intelligitur. Quũ enim aut duas aut tres, pluresve actiones esse dicimus, hoc tantùm significamus, causam nõ semel tantùm, sed vel bis, vel ter, vel sæpius actam esse. Quũ igitur bis tantum causa Verris acta sit, semel interrupta atque intercisa oratione: (quæ, quoniam nullius elegantiæ fuisset, non est à Cicerone mandata literis) iterum, perpetua, quæ quinque libros accusationis, de quibus modò dixi, continet, duas tantùm numerari actiones necesse est. Itaque hos quinque libros Alteram actionem Cicero appellat, extrema Oratione secunda, his verbis: Siquis est, inquit, qui perpetuam orationẽ accusationémque desideret, altera actione audiet. Hæc enim lege Acilia huius erat iudicii ratio, vt reus comperendinaretur, ac bis ageretur repetundarum causa. quæ omnia intelligi nullo negotio poterunt, quum eò ventum erit. Et profectò ita est, vt Fabius eo quem suprà protuli loco, Secundam actionem hos quinque libros appellet, Quæ sunt, inquit, in quinque in Verrem secundæ actionis libris. Sed hæc, vt dixi, quum eò peruenerimus, vbi certus mihi locus ad explicandam comperẽdinationem constitutus est, intelligi facilius poterunt. Nunc reliquũ est vt quid sit Diuinatio breuiter explicemus. DIVINATIO est iudiciũ quo duo pluresve, qui se præponi in accusando volunt, de accusatione sibi deferenda cõtendunt. Ex eo autem deductum nomen putamus, quòd quũ in hoc iudicio Iudices non de præterito, sed de futuro statuant, vter sit rectius accusaturus (quod totum opinabile est, cõiecturáque nititur) diuinare dicantur, eorúmque iudiciũ, opinabilis diuinatio. Id quod ex his Ciceronis verbis, quibus in extrema hac oratione prima vsus est, facilè perspicitur. Quapropter, inquit, Iudices vestrũ est deligere, quem existimetis facillimè posse magnitudinẽ causæ ac iudicii sustinere, fide, diligentia, consilio, auctoritate.

Siquis vestrum iudicet. In hoc numero lectissimi & ornatissimi viri complures fuerunt ex eo cõsilio Iudicum, qui Glabrioni Prætori in iudicio Verris affuerunt: quemadmodum ex libro Accusationis primo intelligitur. Erant autem ex ordine tãtùm Senatorio, priuati homines, hoc est sine imperio ac potestate. Magistratibus enim Iudicibus esse non licebat.

Me qui tot annos. Elatè: quum essent anni duntaxat quinque. Sic enim in Bruto, Quũ igitur essem in plurimis causis, & in principibus patronis quinquẽnium ferè versatus, tum in patrocinio Siciliensi maximè in certamen veni. Hanc verò suscepit contentionem quum AEdilitatem peteret, annum scilicet agens ætatis XXXVII. nam à C. Atilio, Q. Seruilio COSS. quo tempore natum Ciceronem alibi docuimus, ad Cn. Pompeiũ, M. Crassum COSS. quo tempore hæc Diuinatio facta est, totidem anni numerantur.

In causis, iudiciisque publicis. De priuatis publicisq; causis, cognosce ex Orat. pro Sex. Rosc. pag. 56.

Subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere. Nam quum multorum inimicitias ii subirent qui alios accusabant, delata erat accusandi molestia ad homines adolescentes, neque ferè quisquã nisi ea ætate ad accusandum descẽdebat. quam tamẽ ætatem Cicero quanuis in foro iudiciisque publicis vel plurimum versatus, sine vlla accusatione transegerat. Nunc igitur quum ad eam ætatem peruenerit in qua defendere omnes solebant, accusare nulli: mirari multi tam subitã consilii mutationem poterant. vt hac eadem oratione, pag. 134, Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc se mirari simulant, Quid sibi iste vult? accusatorémne se existimari, qui antea defendere consueuerat, nunc præsertim ea iam ætate, quũ AEdilitatẽ petat? Itaque tum in exorsu, tum in extremo orationis, rationes exponit huius sui consilii complures. In exorsu tres, primam, quòd hominem iam omnium iudicio & voluntate damnatum accuset: alteram, quòd rogatu Siculorum, quibus officium suum de prouincia decedens detulerat: tertiam, quòd accusatorum penuria, id est adolescentium imperitia & infantia, & quadruplatorum quorundam sordibus, nulla planè iudicia esse videantur. In extremo item tres, quòd vetus hæc consuetudo optimis ciuitatis temporibus fuerit: quòd fortissimorum & clarissimorum virorum exemplo id faciat: quòd hoc solum remedium sanandæ Reipub. reperiatur.

Causam rationémque cognouerit. Causa est quæ impellit quoquo modo. Ratio, qua consideratè & adhibito consilio inducimur.

Id quod facio probabit. Accusandi studiũ laudine an vitio duci oporteat, præclarè ostendit Quintilianus lib. XII, cap. VII.

Quum Quæstor in Sicilia. Quatuor ab hinc annos: Prætore Sex. Pæduceo, cui successit C. Sacerdos, qui successorem habuit C. Verrem.

Itáque ex ea Prouincia decessissem. Decedere de prouincia ferè dicuntur qui cũ imperio aut potestate sunt. Discedere verò, priuati. Itaque Syriæ reges, qui per Siciliam iter faciebant, dicitur Verres de prouincia discedere iussisse. pag. 443.

Iucundam diuturnámque memoriam. De sua Quæstura in Orat. pro Plancio sic scribit, Nõ vereor ne quis audeat dicere, vllius in Sicilia Quæsturam aut gratiorem aut clariorem fuisse. Frumenti in summa caritate maximum numerum miseram: negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens: omnibus etiam visus in omni officio diligentissimus.

Cum summum in veteribus patronis. Eandem ego esse arbitror harum duarum particularum CVM & TVM rationem hoc loco, quæ semper à Cicerone seruata est. nam etsi Nonnullum, minus sit quàm Summum, tamen minus est veteres patronos sine Tullio, quàm eo præterea addito habuisse.

Cuncti ad me publicè sæpe venerunt. Cuncti, elatè & ἀφελῶς. Etenim neque Mamertini venerant, neque Syracusani. Publicè autẽ & priuatim venire, contraria sunt. Illud, Reipub. nomine & auctoritate venire significat: ex quo quid aliud sit, potest intelligi. Cicero Accusationis quito, Quid enim tibi naue opus fuit, qui si quò publicè proficiscereris, & præsidii & vecturæ causa sumptu publico nauigia præberentur: priuatim autem nec proficisci quoquam potes, &c.

" Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, auaritia in rapinis, superbia in contume- CICERO.
" liis efficere potuisset, eas omnes sese hoc vno Prætore per triennium pertulisse: rogare, & orare 113
" ne illos supplices aspernarer, quos me incolumi nemini supplices esse oporteret. Tuli grauiter,
" & acerbè Iudices, in eum me locũ adductũ, vt aut eos homines spes falleret qui opem à me, atque
" auxiliũ expectassent: aut ego, qui me ad defendẽdos homines ab ineunte adolescentia dedissem,
" tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. dicebam, habere eos actorem Q. Cæci-
" lium, qui præsertim Quæstor in eadem prouincia post me Quæstorem fuisset. quo ego adiumẽ-
" to sperabam hanc à me molestiam posse dimoueri, id mihi erat aduersarium maximè: nam illi
" multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos Quæstor non fuis-
" set. Adductus sum Iudices officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri con-
" suetudine, institutóque maiorũ, vt onus hoc laboris, atque officii nõ ex meo, sed ex meorum ne-
" cessariorum tempore mihi suscipiendum putarem. quo in negotio tamen illa me res Iudices, cõ-
" solatur, quòd hæc, quæ videtur esse, accusatio mea, non potius accusatio, quàm defensio est existi-
" manda. defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam. Quam ob

rem si mihi vnus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, & nõ omnino à defendendis hominibus subleuandisque discedere.

Quæ res luxuries in flagitiis. Hæc eadem similiter in Prætore Siciliensis initio coniunctim enumerat. Sed quum, inquit, perferre non possent luxuriem, crudelitatem, auaritiam, superbiam, &c. vt ea coniungere vitia videatur, quæ maximè omnium generis humani societati bellum indixerunt. Etenim luxuries in mulieres & pueros, crudelitas in viros, auaritia in cuiusque bona & fortunas exercetur: superbia verò hominum inter se communicationem funditus euertit.

Hoc uno Prætore per triennium pertulisse. Annuæ fuerunt Prætoriæ prouinciæ, vt apparet ex prima in Antonium. sed quum successor expectaretur Arrius, prorogatum ei suum imperium est.

Auxilium expectassent. Petissent, omnes ad vnũ tũ veteres, tũ impressi libri. Mihi tamẽ hæc valde arridet, quam etiã Spei verbum non modo cõprobare, sed etiam postulare ac requirere videtur.

Qui præsertim Quæstor. Cur Præsertim? quia si quæ illius extitissent in Siculos officia, eorum memoria recentior esse potuisset, quàm meorum.

Si istum non nossent. Acerbè in Cæcilium: de quo pag. 118.

Adductus sum officio. Rationes omnes, quas & in exordio & in extrêmo orationis exponit, his verbis complectitur. Nam Officio, ad Quæsturam suam pertinet: Fide, ad officii sui delationem: Misericordia, ad Verris libidinem & crudelitatem: Multorum bonorũ exemplo, & quæ sequuntur, ad extremum orationis: de quo paulo antè diximus.

Ex meo tempore. Non vt meo tempori seruirem, sed meorum necessariorum calamitatibus subuenirem. Tempus pro ratione negotiorum, id est commodo vel incõmodo recenti, cui ex tempore cõsulendum ac prospiciendum est. Itaque libro de Orat. 2, quod sic dixerat, Tempus quod mihi ab amicorum temporibus datur, paulo infrà pag. 124, sic expressit, Ab amicorum negotiis. Et hoc iam cõtra Cæcilium est, qui suas se iniurias persequi dicebat. Necessarios autem suos Siculos appellat, propter ius hospitii quod cum iis habebat.

Quam defensio existimanda. Odiosum erat Accusatoris nomen, vt multis ex locis intelligitur. itaque illud tanquam inuidiosum declinat. vt libro Accusat. 1. pag. 197, Sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem maximè laudari volo. Et libro secundo, pag. 226, Quanquam in hac causa multo plures partes mihi defensionis, quàm accusationis suscepisse videor. Itaque in libro de Officiis II, quũ ad accusandũ duabus tantùm de causis descẽdendũ esse dixisset, Reipub. causa, & patrocinii: Patrocinii, inquit, vt nos pro Siculis: quo loco Accusationem in C. Verrem intelligit. Et libro de claris Orat. Quum igitur essem in plurimis causis, & in principibus patronis quinquennium ferè versatus, tum in patrocinio Siciliensi maximè in certamen veni.

Si mihi unus. VNVM opposuit Multis mortalibus, multis ciuitatibus. SI verò pro ETSI posuit, vt sæpe aliàs. Sensus est, Quũ tam multos defendam, vt vnum accusem, non tamen hæc accusatio, sed defensio potius appellanda est. nam, vt idem scribit libro De finib. 2, & Tuscul. Disput. 5, semper ex eo quod maximas partes continet, latissiméque funditur, tota res appellatur.

CICERO. 114

Quòd si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam grauem nõ haberem: si aut hoc à me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tantæ necessitudinis nõ intercederet: & hoc quod facio, me Reipub. causa facere profiterer, vt homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, cuius furta atque flagitia non in Sicilia solùm, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romæ denique ante oculos omnium maxima turpissimáque nossemus, me agente in iudicium vocaretur: quis tandem esset, qui meum factum aut cõsilium posset reprehendere? quid est, prò deûm hominúmque fidem, in quo ego Reip. plus hoc tẽpore prodesse possim? quid est, quod aut populo R. gratius esse debeat, aut sociis exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunísque omnium magis accommodatum sit? populatæ, vexatæ, funditus euersæ prouinciæ: socii, stipendiariique populi R. afflicti, miseri, iam nõ salutis spem, sed exitii solatium quærunt. Qui iudicia manere apud ordinem Senatorium volunt, querũtur accusatores se idoneos non habere. qui accusare possunt, iudiciorum seueritatem desiderãt. populus R. interea, tametsi multis incommodis difficultatibúsque affectus est, tamen nihil æquè in Rep. atque illam veterem iudiciorũ vim grauitatémque requirit: iudiciorũ desiderio Tribunitia potestas efflagitata est. iudiciorum leuitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur. Iudicum culpa atque dedecore etiam Censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur, id iam populare, atque plausibile factum est. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi R. quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, cum hoc vnum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, vt homines idonei, atque integri causam Reip. legúmque susciperent: fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse Reipub. subleuandæ, quæ maximè laboraret.

Hanc causam. Multos mortales, Siciliam totam defendendi.

Reipub. causa. Accusare Reip. causa dicitur (qui vt ipse Verrinæ quintæ initio declarat) nullis inimicitiis, nullis iniuriis, nullo præmio, nulla denique alia re, quàm vtilitate cõmuni adductus, aliquẽ in iudiciũ vocat. Obscurè igitur in Cæcilium, qui suas se persequi inimicitias fatebatur.

Quis tandem esset. Rectius putarem, Quis tamen esset. hoc sensu, Vt nullæ huiusmodi extarent causæ, meum tamen consilium, &c. nam SI pro ETSI positum dubitari non potest. vt infrà, Si plurimas à suo Prætore iniurias accepisses, tamen eas ferendo &c. Item, Quamobrem si iure possis eum accusare, tamen quum is tibi partes, &c.

Socii stipendiariique populi R. Socii incertum, vt decimas: Stipendiarii, certum vectigal pẽdunt. de quo dixi latius Verr. v, pag. 309.

Quis iudicia maerere. Iudicia L. Sylla victor ordini Equestri ademerat, & in Senatorium trãstulerat. Sed hoc tẽpore quũ ordo Senatorius infamia iudiciorũ flagraret, populus R. Equitũ iudicia requirebat. neque quicquã propius erat, quàm vt promulgaretur lex ab Aurelio Cotta Prætore, vt cũ Equestri ordine & Tribunis AErariis iudicia cõmunicarẽtur. Erãt autẽ in vrbe alii aliarũ atq; aliarũ partiũ ac studiorũ. Sed falsũ est quod scribit Asconius, ferri legẽ hoc tẽpore. Etenim ne prioris quidem actionis tempore, id est tribus ferè pòst mensibus promulgata erat. vt Cicero ostendit Verrina septima his verbis, Itaque quũ primò agere cœpimus, lex nõ erat promulgata, &c. vide pag. 563, & 408.

Accusatores idoneos. Accusabant enim rudes adhuc & inexercitati adolescentes, vt mox dicet. Itaque paulo infrà, Vt homines, ait, idonei atque integri causam Reip. susciperent. homines idoneos adolescentibus: integros, quadruplatoribus opponens.

Veterem iudiciorum nom. Quæ tum erat quũ Equestris ordo iudicaret. Iudicauit enim annos, vt Cicero scribit, propè quinquaginta, sine vlla ne tenuissima quidẽ suspicione acceptæ pecuniæ: pag. 150. nisi fortè ad tempus hoc dicit, quum Appianus apertè ostendat non minori cum flagitio administrata esse ab Equestri ordine iudicia, quàm antè à Senatorio fuissent. Atque vt totam illam iudiciorum rationem breuiter exponamus, illud intelligi oportet, Senatorium ordinem solum ab Romuli ætate vsque ad C. Gracchi Tribunatũ iudicasse, qui (vt ex Floro, Asconio, Appiano, & Velleio didicimus) ad solos Equites lege lata, iudicia transtulit. quod vsque eò obseruatũ est, dũ M. Liuius Drusus Tribunus pl. L. Marcio, Sex. Iulio COSS. legẽ tulit, vt quũ soli Equites iudicarẽt, vterq. ordo & Equestris scilicet & Senatorius ex æqua parte iudicarẽt. Verùm L. Philippus Consul, qui ei inimicus erat, obtinuit à Senatu, vt leges eius omnes vno S.C. tollerentur: decretũ est enim cõtra auspicia latas esse, neque iis teneri populũ. Quare biennio pòst Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone COSS. M. Plautius Silanus legem tulit adiuuãtibus nobilibus, vt tribus singulæ quinos denos suffragio crearẽt, qui eo anno iudicarẽt. ex quo factũ est, vt Senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe. Quæ lex vsque ad L. Syllæ Dictaturã obseruata est, qui Equitibus ademit iudicia, & in solum transtulit ordinem Senatoriũ.

Iudiciorũ desiderio Tribunitia potestas efflagitata est. Nam Tribunis pl. ante Syllæ Dictaturam potestas erat quemlibet, non modò Senatorem, sed etiam Magistratũ, qui pecunia accepta iudicasset, ad iudicium populi rapere, eique multam dicere. quod ex Oratione pro Cluentio apertissimè intelligitur. in qua Cicero scribit C. Iunium Prætorem, quòd pecuniam ob rem iudicandam acceperat, à L. Quintio Tribuno pl. in iudicium populi abreptum, & condemnatum esse. Sed eam potestatẽ victor Sylla Tribunis demerat. Atque hoc est quod Cicero significat Orat. proxima, pag. 150, Quid fit, quod iudiciis ad Senatorium ordinem translatis, sublatáque populi R. in vnũ quẽque nostrum potestate, &c. Quũ igitur corruptissimè Senatorius ordo iudicaret, potestatem illam veterem Tribunitiam Populus efflagitabat, ac reposcebat: quam paucis post mensibus, COSS. modò designati Pompeius & Crassus, restituerunt. Hic ipse Verrina VII, Et grauiter desiderata & aliquando reddita plebi R. Tribunitia potestas. Vide etiam pag. 562, & 556.

Etiam Censorium nomen. Censoribus enim ius erat, eos qui corruptè iudicassent, notare, & Senatu mouere. de quo dixi in Orat. pro Cluent. Itaque restituta hoc tempore ita hæc potestas est Censoribus Gellio & Lentulo, vt quatuor & sexaginta Senatu mouerint.

In hac libidine hominum. Ἀνακεφαλαίωσις, qua ea cursim strictimque repetuntur, quæ antè dicta sunt. Nã hæc verba Libidine hominum, eò referenda sunt, Populatæ, vexatæ: illud autẽ, Populi querimonia, ad id quod dixerat, Queruntur accusatores, &c. tum illud Iudiciorum infamia, ad hũc locum Iudiciorum seueritatem. illud autem Ordinis offensione, ad Tribunitiæ potestatis, ordinis Equestris & Censorii nominis flagitationem.

Homines idonei atque integri. Idoneos, Adolescẽtibus: Integros, Quadruplatoribus opponit: quorũ vitio ac turpitudine perdita iudicia persæpe antea questus est.

" Nunc, quoniam quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstraui: dicendum neces- CICERO.
" sariò est de contentione nostra, vt in constituendo accusatore, quod sequi possitis habeatis. Ego
" sic intelligo Iudices: quũ de pecuniis repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter
" aliquos sit, cui potissimum delatio detur, hæc duo in primis spectari oportere: quem maximè

» velint actorem esse ii quibus factæ esse dicantur iniuriæ: & quem minime velit is qui eas iniurias
» fecisse arguatur. In hac causa Iudices, tametsi vtrúque esse arbitror perspicuum, tamen de vtro- 11.
» que dicam, & de eo prius quod apud vos plurimũ debet valere, hoc est de voluntate eorum, qui-
» bus iniuriæ factæ sunt: quorum causa iudicium de pecuniis repetundis est constitutum. Siciliã
» prouinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum ciuitates vastasse, domos exi
» nanisse, fana spoliasse dicitur. adsunt, querũtur Siculi vniuersi: ad meã fidẽ, quã habent spectatã
» iã, & diu cognitã, confugiunt: auxiliũ sibi per me à vobis atque à populo R. legibus petũt: me de fẽ
» sorẽ calamitatũ suarũ, me vltorẽ iniuriarũ, me cognitorẽ iuris sui, me actorẽ causæ totius esse
» voluerunt. Vtrũ Q. Cæcili hoc dices, me nõ Siculorũ rogatu ad causã accedere, an optimorũ, fi- 12.
» delissimorúmque sociorũ voluntatẽ apud hos grauẽ esse non oportere? si id audebis dicere, quod
» C. Verres, cui te inimicũ esse simulas, maximè existimari vult, Siculos hoc à me non petisse: pri-
» mùm causam inimicitui subleuabis: de quo non præiudicium, sed planè iudicium iam factum
» putatur, quod ita percrebruit, Siculos omnes actorem suæ causæ contra illius iniurias quæsisse.

[redacted]

Ego sic intelligo iudices. Totam hanc secundam principalis diuisionis partem vna hac argumentatione cõplectitur, Ii præponẽdi sunt qui petuntur: Sæpe sum petitus, Sũ igitur præponẽdus.

Cui potissimum delatio detur. Deferre nomen, Diem dicere, & Accusare nõnulli pro eodem vsurpant. imperitè. quum Deferri nomen dicatur tum quum quis legibus interrogatur apud Prætorem, & si neget, eius nomen inter reos refertur. vt Deferre nomẽ idem sit quod reum facere. At postea instituebatur accusatio, qua instituta dies dicebatur.

...dicitur tamen Cicero
hoc ipso in loco delatio-
...m pro accusatione
accipere. ait enim, si
...tamen sic, cui potissimum
delatio detur.

Iudicium de pecuniis repetundis. Iudicium repetundarum inde dictum est, quòd eo iudicio Socii pecunias sibi contra leges ereptas repetebant, quas ex condemnatorum litibus æstimatis, domum reportarent. Ipse in quinto Accusat. pag. 541, Itaque res suas negligunt. pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt. Et paulo pòst, Non ex litibus æstimatis tuis pecuniam domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. Iudicium autem constitutum, hoc quidem loco sic accipio, vt illud quod mox dicet, Legem de pecuniis repetũdis sociorũ causa constitutam. Aliis enim locis aliud Iudiciũ cõstituere significat.

Queruntur Siculi vniuersi. Præter duas ciuitates, Syracusanam & Mamertinam.

Me cognitorem iuris sui. In Asconio corrige sic, Aut procurator, si absentis negotium suscipit: aut cognitor, si præsentis causam nouit, & sic tuetur vt suam. Deest enim verbum Absentis. quod cum ex Orat. pro Cæcina intelligitur, tum ex his Sex. Pompeii verbis, Cognitor est, qui litem alterius suscipit coram eo cui datus est. Procurator autem absentis nomine actor fit.

Causam subleuabis. Subleuabitur causa, si negetur eum petitũ esse actorem: posito eo quod postea docebit, alium præterea nullum petitum esse à Siculis. nam si actorem Siculi nullum petunt, facilè existimari potest, non tam graues eorum esse iniurias, quàm homines arbitrantur.

Non præiudicium sed planè iudicium. Ex tribus Præiudiciorum generibus de quibus disputat libro quinto Quintilianus, opinor illud intelligit, quod ex iudiciis nascitur ad ipsam causam pertinentibus. Vnde etiam nomen inuenit. Nam quum actorem Siculi postulant, condemnant ipsi Verrem suo iudicio. quod quidem illorũ iudicium ad Verris causam pertinens, huic causæ præiudiciũ affert. Sed elatè dixit, & suo more, Non præiudiciũ, sed planè iudiciũ factũ esse. quasi diceret, Quid nunc subleuare conaris eam causam, quæ non dico præiudicata, sed omnino iudicata, & damnata est. Sed Asconius de eo genere præiudiciorum locũ exponit, quod Fabius Exemplũ vocat. Nunc vtra probabilior sit opinio, eruditiores existimare poterunt. Damnationem autem in opinione, vt dixi, hominum intelligit. vt in sequenti Oratione ostendit his verbis, Reus in iudicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis omnium iam opinione damnatus. Et paulo pòst, Quæ est ista tanta dicendi facultas, quæ istius vitam tot vitiis flagitiísque conuictam, iampridem omnium voluntate iudicióque damnatam, aliqua ex parte possit defendere? Et eadem rursus Oratione, Nam illud mihi nequaquã dignum industria conatúque meo videbatur, istum à me in iudicium iam omnium iudicio condemnatum vocari.

CICERO. 116

» Hoc si tu inimicus eius, factũ negabis, quod ipse, cui maxime hæc res obstat, negare non audet: 13.
» video ne nimium familiariter inimicitias exercere videare. Deinde sunt testes viri clarissimi
» nostræ ciuitatis: quos omnes à me nominari nõ est necesse. eos qui adsunt appellabo: quos, si mẽ-
» tirer, testes esse impudentiæ meæ minime vellem. scit is, qui est in consilio C. Marcellus: scit is
» quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide atque præsidio Siculi maxime ni-
» tuntur: quòd omnino Marcellorũ nomini tota illa prouincia adiuncta est. hi sciũt, hoc nõ mo- 14.
» dò à me petitum esse, sed ita sæpe, & ita vehementer esse petitum, vt aut causa mihi suscipiẽda fu
» erit, aut officiũ necessitudinis repudiandũ. Sed quid ego his testibus vtor? quasi res dubia aut ob-
» scura sit. adsunt homines ex tota prouincia nobilissimi, qui præsentes vos orãt atque obsecrant
» Iudices, vt in actore causæ suæ deligendo vestrum iudicium à suo iudicio ne discrepet. omnium
» ciuitatum totius Siciliæ legationes adsunt, præter duas ciuitates: quarum duarum si adessent,
» duo crimina vel maxima minuerẽtur, quæ cum his ciuitatibus C. Verri cõmunicata sunt. At 15.
» enim cur à me potissimũ hoc præsidiũ petiuerũt? si esset dubiũ, petisset à me præsidiũ néc ne, dice

rem cur petissent. nunc verò, quũ id ita perspicuum sit, vt oculis iudicare possitis: nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si id mihi obiiciatur, me potissimum esse delectum.

Nimium familiariter inimicitias exercere. Græci [illegible] dicũt, & [illegible]. Familiariter autẽ & amicè inimicitias exercent, qui quum se aduersarios profiteantur, ac præ se ferant, amicorum tamen officio funguntur, & rei causam subleuant.

Marcellorum nomini. M. Marcellus Syracusas in fidem receperat. Scribit autem Cicero libro de Officiis primo, more maiorum comparatum fuisse, vt qui nationes aut ciuitates deuictas bello, in fidem recepissent, earum patroni essent.

Vel maxime mouerentur. Nimirum ipsis ciuitatibus. quasi diceret, Minus arguerentur ob ea crimina, quorum sociæ atque adiutrices fuerũt. Tacitè ad societatem accusationis eas allectat, obiecta spe præteritionis criminum. tametsi nõ præteriri dixit, sed minui, ne præuaricari velle videatur. De Syracusano crimine vide lib. Accusat. II, pag. 236. de Mamertino lib. IIII, 484. & lib. V, pag. 504.

At enim cur à me. Remouet à se arrogantiæ suspicionẽ, ne multis claris & disertis Oratoribus, qui patroni erant Siciliæ, præponi velle existimetur. Sensus est, Nõ te petunt Siculi. Cur enim te potius, quàm Marcellos? Et hoc quum dicis, nimium es arrogans.

Oculis iudicare. Quum hos qui præsentes adsunt Siculos, id à vobis apertè petentes intuemini.

16. Verùm id mihi non sumo Iudices, & hoc non modò in oratione mea non pono, sed ne in o- CICERO. 117
pinione quidẽ cuiusquam relinquo, me omnibus patronis esse prępositũ. non ita est: sed vniuscuiusque, temporis, valetudinis, facultatis ad agendũ, ducta ratio est. Mea fuit semper hæc in hac re voluntas, & sententia, quemvis vt hoc mallẽt, de his qui essent idonei, suscipere, quàm me: me
17. vt mallẽt, quàm neminem. Reliquum est iam vt illud quæramus, quũ hoc constet, Siculos à me petisse: ecquid hanc rem apud vos, animósque vestros valere oporteat: ecquid auctoritatis apud vos in suo iure repetundo socii populi R. supplices vestri habere debeant. de quo quid ego plura commemorem? quasi verò dubiũ sit quin tota lex de pecuniis repetundis, sociorũ causa cõsti-
18. tuta sit. nam ciuibus quũ sunt ereptæ pecuniæ, ciuili ferè actione, & priuato iure repetũtur. hæc lex socialis est: hoc ius, nationum exterarum est, hanc habent arcem, minus aliquanto nũc quidem munitam quàm antea: veruntamen, si qua reliqua spes est, quæ sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est. cuius legis non modò à populo R. sed etiam ab vltimis na-
19. tionibus iã pridẽ seueri custodes requiruntur. Quis igitur est qui neget oportere eorũ arbitratu lege agi, quorũ causa lex sit cõstituta? Sicilia tota, si vna voce loqueretur, hoc diceret, Quod auri, quod argenti, quod ornamentorũ in meis vrbibus, sedibus, delubris fuit, quod in vnaquaq; re beneficio Senatus populíque R. iuris habui, id mihi tu C. Verres, eripuisti, atque abstulisti. quo nomine abs te sestertiûm millies ex lege repeto. si vniuersa, vt dixi, prouincia loqui posset, hac voce vteretur. quoniã id nõ poterat, harum rerum actorẽ quem idoneũ esse arbitrata est, ipsa delegit.

Qui essent idonei. Propter adolescentes hæc dicuntur. Semper enim, vt dixi, accusatores idoneos adolescentibus opponit.

Quàm neminem. Hoc propter Cæcilium. neque enim accusator, sed præuaricator est Cæcilius.

Ciuili ferè actione & priuato iure repetunt. Ciuilem actionem opponit non Prætoriæ, vt sæpe apud Iuriscõsultos: sed Sociali. vt sit Actio ciuilis, quæ ciuium propria est, qua præcipuè ciues vtuntur: Socialis, qua socii. Ius autem priuatum dicit, cui præerat vrbis Prætor, qui inter priuatos ius dicebat: vt Accusationis primo, 213.

Hæc lex socialis est. Apparet, quum infrà in eorum voluntate situm esse ostendat, maneántne an tollantur hæc iudicia: & nationes exteras legationes missuras, quæ illa tolli postulent. quin & Verrina V I, 419, sic scribit: Vtitur, inquit, hac lege, qua iudicium est communis & priuatæ rei sociorum.

Munitam quàm antea. Quum Equestris ordo iudicaret. Munitam autem intelligit custodibus & propugnatoribus: id est Iudicibus. Quod enim in arce custos est, id in lege Iudices.

20. In huiusmodi re quisquam tam impudẽs reperietur, qui ad alienam causam inuitis iis quo- CICERO 118
rum negotium est, accedere, aut aspirare audeat? si tibi Q. Cæcili hoc Siculi dicerẽt, Te nõ nouimus: nescimus qui sis: nunquam te antea vidimus: sine nos per eũ nostras fortunas defendere cuius fides est nobis cognita: nónne id dicerẽt quod cuiuis probare deberent? nunc hoc dicunt, vtrunque se nosse, alterum se cupere defensorem esse fortunarum suarum, alterum plane nolle.
21. cur nolint, etiamsi taceant, satis dicunt. verùm non tacent. tamen his inuitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquêre? tamẽ eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quàm abs te defensos esse malunt? tamen his operã tuã pollicebere, qui te neque velle sua causa, nec si cupias, posse arbitrantur? cur eorum spem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis & iudicii seueritate positã, vi extorquere conaris? cur te interponis inuitissimis iis quibus maximè

lex consultum esse vult?cur, de quibus in prouincia non optime es meritus, eos nunc planè fortunis omnibus conaris euertere? cur iis non modò persequendi iuris sui, sed etiam deplorandæ calamitatis adimis potestatem? nam te actore quem eorum affuturum putas, quos intelligis, nó vt per te alium, sed vt per aliquem te ipsum vlciscantur, laborare? At enim solum id est, vt me Siculi maxime velint: alterum illud credo obscurum est, à quo Verres minime se accusari velit. ecquis vnquam tam palàm de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quàm ille atque illius amici, vt ne hæc mihi delatio detur?

Sestertium millies. Concisum genus orationis, quo veteres Millies centena millia significabant: quod ex Verrina tertia & quarta intelligitur. Nam quum in illa Dionem quendam Halesinum H-S vndecies centena millia numerasse dixisset, de eodem loquens oratione sequẽti, bis eadẽ pagina vndecies numeratum, simpliciter dixit. Gulielmus Budæus ratione Gallica vicies quinquies centena millia aureorum, quo tẽpore libros de Asse conscripsit, ei summæ respõdere ostẽdit. quã etsi lõgè alienã esse constat ab aureis qui nostro hoc tẽpore sex & quadraginta assieulis æstimantur, quum illo tempore XXXV tantum valerent, tamen quoniam eandem esse certum est eorũ qui tum erant aureorum, & quibus nunc vtimur, rationem: assiculorũ præterea XXXV veterũ cũ his sex & quadraginta vulgatis: vsitatum numerum auctoritate tanti viri confirmatum immutare non ausi sumus.

In huiusmodi. Hactenus maximè se petitum ostendit. Deinceps minime peti Cæcilium, atque adeò recusari demonstrat.

Etiamsi taceret. Alii omnes tum veteres, tum impressi libri, Tacerent: solus Asconius, Tacent: quod loci sententia manifestò comprobat.

Potius malunt. Insolens & notanda locutio, quam Vlpianus etiam vsurpauit in l. quæ omnia, D. De procurat. Nisi forte, inquit, purgare magis conuitium, quàm procurationem exequi malit. Et in l. si actor, Si actor malit dominum potius conuenire.

Velle sua causa. Qui hanc dicendi figuram non intelligebant, locum sic corruperunt, Velle suam causam defendere. Est autem vetus & vsitata locutio, idem significans quod Alteri studere, ac fauere. Ipse in epistola prima ad Lentulũ, Regis causa siqui sunt qui velint, qui pauci sunt. Et libro tertio, epistola Pluribus, Si autem natura es φιλαίτιος, illud non perficies, quo minus tua causa velim. Sed exemplorum multitudine in re perspicua minime abutemur.

Seueritate legis. Nam accusatore te, ac potius præuaricatore nulla futura est.

Solum id est. Multi tum antiqui, tum impressi libri, Solidum id est. itáque legendum non pauci homines eruditi arbitrantur. Sed hanc scripturam sensus ipse postulare ac requirere videtur. Ex duobus, inquit, quæ in accusatore proponendo requiruntur, hoc in me solum est, ac singulare: sed alterum illud desideratur. Et occupatio est Rhetorica.

CICERO. Sunt multa, quæ Verres in me esse arbitratur, quæ scit in te Q. Cæcili non esse: quæ cuiusmodi in vtroque nostrum sunt, paulo pòst commemorabo. nunc tantum id dicam quod tacitus tu mihi assentiare: nullam rem in me esse, quam ille contemnat: nullam in te, quam pertimescat. itaque magnus ille defensor, & amicus eius tibi Hortensius suffragatur, me oppugnat: apertè ab Iudicibus petit, vt tu mihi anteponare: & ait, hoc se honestè, sine vlla inuidia, ac sine vlla offensione cõtendere: Non enim, inquit, illud peto quod soleo, quũ vehemẽtius contendi, impetrare, reus vt absoluatur: nõ peto: sed vt ab hoc potius, quàm ab illo accusetur, id peto. da mihi hoc: concede quod facile est, quod honestum, quod non inuidiosum: quod quũ dederis, sine vllo tuo periculo, sine infamia illud dederis, vt is absoluatur cuius ego causa laboro. Et ait idem, vt aliquis metus adiunctus sit ad gratiã: certos esse in consilio quibus ostẽdi tabellas velit: id esse perfacile: non enim singulos ferre sententias, sed vniuersos constituere: ceratam vnicuique tabellã dari cera legitima, non illa infami ac nefaria. Atque is non tam propter Verrem laborat, quàm quòd eum minime res tota delectat: videt enim, si à pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si à quadruplatoribus, quos non sine causa contẽpsit semper, ac pro nihilo putauit, accusandi voluntas ad viros fortes, spectatósque homines trãslata sit, se in iudiciis dominari nõ posse. huic ego homini iam antè denuntio: si à me causam hanc vos agi volueritis, rationẽ illi defendẽdi totã esse mutandã, & ita tamẽ mutãdam, vt meliore & honestiore conditione sit, quàm qua ipse esse vult.

Quæ Verres in me esse arbitratur. Honesta significatio est suæ in agendo fidei ac facultatis.

Magnus eius defensor. Hoc non in laudem Hortensii dictum, quasi magnum & præstantem multorum defensorem: sed Magnum defensorem, qui omnem defendendi rationem tentat, omnẽ operam ac laborem interponit vt hunc defendat.

Da mihi hoc. Verba sunt Hortensii, cum Iudicibus colloquentis.

Gratiam. Quam Hortensio sunt polliciti.

Dominari non posse. Vti adhuc dominatus est. Itaq: sequẽti oratione, Nunc verò, inquit, quoniam

hæc te omnis dominatio regnúmque iudiciorum tantopere delectat. Dominatū autē intelligit, corruptionē Iudicum. vt quum Oratione proxima Verrem comitiorū dominū appellat, quòd per Diuisores perfecerit vt ipse Prætor esset, & Hortēsius ac Metellus Consules, M. Metellus Prætor designaretur.

Totam esse mutandam. Quæ in corrumpendis Iudicibus tota consumitur.

» Vt imitetur homines eos quos ipse vidit, amplissimos, L. Crassum, & M. Antoniū, qui nihil se CIC[redacted]
» arbitrabantur ad iudicia causásque amicorū præter fidem, & ingenium afferre oportere. Nihil 110
» erit, quòd me agente arbitretur iudicium sine magno multorū periculo posse corrumpi. ego in
» hoc iudicio mihi Siculorū causam receptam, populi R. susceptā esse arbitror: vt mihi non vnus
» homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiuerunt: sed omnino omnis improbitas, id
» quod populus R. iamdiu flagitat, extinguenda atque delenda sit. in quo ego quid eniti, aut quid
» efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quàm in oratione mea ponere. Tu verò Cæcili
» quid potes? quo tēpore, aut qua in re non modò specimen cæteris aliquod dedisti, sed tute tui pe-
» riculum fecisti? in mentem tibi non venit, quid negotii sit, causam publicam sustinere? vitā alte-
» rius totam explicare? atque eam non modò in animis Iudicum, sed etiam in oculis, cōspectúque
» omniū exponere? sociorum salutem, cōmoda prouinciarum, vim legum, grauitatē iudiciorum
» defendere? Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quàm multa esse
» oporteat in eo qui alterum accuset: ex quibus si vnū aliquod in te cognoueris, ego iam tibi ipse
» istuc, quod expetis, mea volūtate concedā. primum integritatem atque innocentiā singularem.
» nihil est enim quod minus ferendum sit, quàm rationē ab altero vitæ reposcere eum, qui nō pos-
» sit suæ reddere. Hîc ego de te plura non dicam: vnum illud credo omnes animaduertere, te adhuc
» ab nullis nisi à Siculis potuisse cognosci: Siculos hoc dicere, quū eidē sint irati, cui tu te inimicum
» esse dicis, sese tamen te actore ad iudicium non affuturos.

L. Crassum & M. Antonium. Oratores ætatis suæ disertissimos: de quorum laude, pleni sunt de Oratore libri.

Siculorum causam receptam, populi R. susceptam. Recipimus rogati, suscipimus vltrò. Idem Orat. insequenti, Ego quum hanc causam Siculorum rogatu recepissem, tum suscepto negotio maius mihi quiddam proposui. Et Ver. I in, Ego tamē hoc onere suscepto, & recepta causa Siciliensi amplexus animo sum aliquanto amplius. Et lib. de Oratore II, In quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiæ susceptis rebus, vel perfidiæ receptis.

Populi R. susceptam. Nulla enim tum erant iudicia: turpitudine Hortēsii & aliorum, qui per corruptionem dominium & quasi regnum iudiciorum obtinebant.

Sed omnino omnis improbitas. Placet sic, tametsi omnes alii vno excepto manu scripto, non tamen valde antiquo, vocem OMNIS non habeant. Sed eam & sententia comprobat, & in Asconii libro reperi, quem valde auctorem sequor.

Specimen dedisti. Specimen, indicium, significatio. Nam specimen dari dicitur, quum quis alicuius rei particulam ostendit, ex qua totum quale sit intelligatur.

Tute tui periculum. Secretò, remotis arbitris.

Nihil est enim quod minus ferendum. Libro Accus. II, pag. 306.

Adhuc ab nullis. Ex Biantis sententia, ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι id est, Magistratus virum demonstrat. Nam adhuc in sola Sicilia magistratum gesserat.

Innocentiam singularem. Tantámne igitur innocentiam sibi sumit? Respondeo, de se hoc loco nihil affirmat. sed ad finem eius loci, quo de fide quæ in accusatore desideratur, commemorat, sic obscurè loquitur, Concedas oportet iis qui nullo suo peccato impediuntur quominus alterius peccata demonstrare possint. Hoc enim referre ad locum proximum videtur: quum quidem ad hunc quoque sine dubio pertineat.

» Quare negent, ex me non audies. hos patere id suspicari, quod necesse est. Illi quidē, vt est ho- CICERO.
» minū genus nimis acutum & suspiciosum, non te ex Sicilia literas in Verrē deportare velle ar- 111
» bitrantur, sed, quū iisdem literis illius Prætura, & sua Quæstura cōsignata sit, asportare te velle
» ex Sicilia literas suspicātur. deinde accusatorem firmū, verúmque esse oportet. Eum ego si te pu-
» tem cupere esse, facilè intelligo esse nō posse. Nec ea dico, quæ, si dicam, tamē infirmare nō possis:
» te, antequam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre. Potamonē scribam, & familia-
» rem tuum retentum esse à Verre in prouincia, quū tu decederes: M. Cæcilium fratrem tuum, le-
» ctissimum atque ornatissimum adolescentem, non modò non adesse, neque tecum tuas iniurias
» persequi, sed esse cum Verre, cum illo familiarissimè atque amicissimè viuere. Sunt hæc, & alia
» in te falsi accusatoris signa permulta: quibus ego nunc non vtor. Hoc dico, te, si maxime cupias,
» tamen verū accusatorē esse nō posse. video enim permulta esse crimina, quorū tibi societas cum
» Verre eiusmodi est, vt ea in accusando attingere non audeas. Queritur Sicilia tota C. Verrem ab

aratoribus, quum frumentum sibi in cellã imperauisset, & quum esset tritici modius H-S II, pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. Magnũ crimen, ingens pecunia, furtum impudens, iniuria nõ ferenda. ego hoc vno crimine illum condemnẽ necesse est. Tu Cæcili 30.
quid facies? vtrum hoc tantum crimen prætermittes, an obiicies? si obiicies: idne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eadem prouincia tu ipse fecisti?

Acutum & suspiciosum. Siculi perspicaces. sic Accus. III, pag. 312, Ita acutè vt Siculum. Et lib. v, pag. 516. Et in Bruto, de Sicilia loquens, Quòd esset, inquit, acuta illa gens & controuersa natura.

Ex Sicilia literas. Accusatori constituto, Prætoris eius quæstionis quæ in iudicium vocabatur lege, potestas fiebat, omnia non modò Romæ, sed etiam in prouinciis obsignandi ac deportandi quæ ad instituendam accusationem pertinere existimaret. Dabatúrque ea lex accusatori scripta, qua vti, vbi commodum erat, posset. hoc ex Ver. v.

Nec ea dico. His nolle Cæcilius ostenditur veri accusatoris officio fungi: Illis verò, Hoc dico, te, si maxime cupias, tamen verum accusatorem esse non posse: id est firmum non esse.

Scribam & familiarem. Familiarem ideo dixit, quoniam suorum inimicorum amicis & familiaribus nemo vtitur.

Retentum esse. Nam anno secundo Cæcilius de prouincia decesserat: & per singulos annos Quæstores Verri mutati sunt. vide pag. 227.

Lectissimum atque ornatissimum adolescentem. Laudat Cæcilii fratrem, vt ostendat, si vlla esset Verris in Cæcilium inimicitia, non mansurũ illũ cum Verre fuisse: sed fratris inimicitias persecuturum.

Hoc dico. Superiora dixit vt probet eum accusatorem verum esse nolle: nunc esse non posse, si maxime cupiat, ostendit.

Verum accusatorem. Verus accusator dicitur, qui nihil dissimulat, nihil fert obscurè, nihil quicquam sciens prætermittit.

Frumentum nullum imperauisset. Prætori ex S.C. licebat frumentum in annuũ sumptũ aratoribus imperare. Attribuebatur ergò Quæstori ex ærario pecunia, quam aratoribus pro fruméto soluerent. Prætor autẽ frumétum quò vellet, vehi imperabat: aut pro fruméto pecuniam, quanti frumentum erat: aut verò etiam à Quæstore pecuniam ex S.C. attributam accipiebat. Et ea de causa genus hoc frumenti, AEstimatum dicebatur.

Quum esset tritici modius H-S II. Sic interpretor, Sestertiũ duobus, vt apud Non. Marcellũ in dictione Exigere. sic enim loquitur frequẽter in Frumẽtaria. & sensus est, Quũ tanti vẽderetur ab aratoribus, aut summũ ternis: quod pretiũ Verres in æstimando sequi debebat. & vide 393, 396. Nã quod in omnibus tum antiquis, tum impressis libris scriptum est H-S V, mendum manifestum est: quod etiam ex Asconio intelligitur, & Nonio Marcello, in eo quem modò notaui, loco.

CICERO. 122 Audebis ita accusare alterũ, vt quo minus tute condemnere, recusare non possis? si prætermittes, qualis erit ista tua accusatio, quæ domestici periculi metu, certissimi, & maximi criminis nõ modò suspicionem, verumetiam mẽtionem ipsam pertimescat? Emptum est ex S.C. frumentũ 32.
ab Siculis Prætore Verre, pro quo fruméto pecunia omnis soluta non est. graue est hoc crimen in Verrem, graue me agente, te accusante nullum: eras enim tu Quæstor, pecuniam publicam tu tractabas: ex qua, etiam si cuperet Prætor, tamen, ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. Huius quoque igitur criminis te accusante mẽtio nulla fiet: silebitur toto iudicio de maximis, & notissimis illius furtis & iniuriis. Mihi crede Cæcili, nõ potest in accusando, socios verè defendere is, qui cum reo criminum societate coniunctus est. Mancipes à ciuitatibus pro frumẽ 33.
to pecuniam exegerunt. Quid? hoc Verre Prætore factum est solum? non, sed etiam Quæstore Cæcilio. Quid igitur? daturus es huic crimini, quod & potuisti prohibere ne fieret, & debuisti? an totum id relinques? ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet: quod quum faciebat, quẽadmodum defensurus esset, non reperiebat. Atque ego hæc, quæ in medio posita sunt, comme- 34.
moro. sunt alia magis occulta furta: quæ ille, vt istius credo animos atque impetus retardaret, cum Quæstore suo benignissimè cõmunicauit. Hæc tu scis ad me esse delata: quæ si velim proferre, facilè omnes intelligent, vobis inter vos non modò voluntatem fuisse coniunctam, sed ne prædam quidem adhuc esse diuisam.

Emptum ex S.C. frumentum. Tenebantur populi Siciliæ vectigales populo R. frumenti quantum vellet, certo pretio vendere. Ea pecunia Quæstori ex vectigalibus attribui solebat, qui populo R. frumenti numerum quem is posceret, curabat.

Pecunia omnis soluta non est. Certis enim nominibus deductiones fiebant. de quibus vide pag. 389.

Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Mancipes dicuntur, qui in auctione publicã redimunt. Modò Decumanos significat, quibus Verres vendere Siciliæ decumas cõsueuerat. Publicani, quorum Verres socius erat in decumis, illas quamplurimo redimebãt, quòd postea nõ vnas modò decumas, sed ternas & quaternas exigerent. Sæpe tamen has decumas aratoribus ac

ciuitatibus remittebant, pretiũ quanti emerant exigentes, & præterea lucrum, aut accessionem.

Neque deductio fieret. Pag. 389.

Non reperiebat. In tam manifesto crimine.

Quapropter si tibi iudicium postulas dari, quòd tecum vnà fecerit: concedo, si id lege permittitur, si autem de accusatione dicimus: concedas oportet iis qui nullo suo peccato impediuntur quo minus alterius peccata demonstrare possint. Ac vide quantũ interfuturũ sit inter meã atque tuam accusationem. Ego, etiam quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quòd *non te prohibuerit, quum summam ipse haberet potestatẽ. tu contrà, ne quæ ille quidẽ fecit, obiicies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare. Quid illa Cæcili cõtemnendáne tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, præsertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agẽdi, aliqua dicendi consuetudo: aliqua in foro, iudiciis, legibus aut ratio, aut exercitatio. Intelligo, quàm scopuloso, difficilique in loco verser: nam quũ omnis arrogãtia odiosa est, tum illa ingenii, atque eloquentiæ multo molestissima. quamobrẽ nihil dico de meo ingenio: neque est quod possim dicere, neque, si esset, dicerem. aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quicquid est: aut, si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum. De te Cæcili iam mehercule hoc extra hanc cõtentionẽ certaménque nostrũ familiariter tecum loquar. tu ipse quemadmodũ existimes vide etiã, atque etiam: & tu te collige: &, qui sis, & quid facere possis, considera. Putásne *posse de maximis, acerbissimisque rebus, quũ causam sociorum, fortunásque prouinciæ, ius populi R. grauitatem iudicii, legúmque susceperis, tot res, *tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio sustinere? CICERO. 123 [*te non l.] [*te posse l.] [*tam graues, tam varias l.]

Si tibi iudicium. Iudicium. Mendum fuit typographi.

Qui nullo suo peccato. Obscurè respondet obiectioni, quæ ad illud vtrunque fieri poterat, quod se in accusatore constituendo desiderare dixerat, vt paulo pòst, in tertio, Fortasse dices, quid? &c. Nõ enim apertè affirmat summam esse in se vitæ integritatem, atque innocentiam: sed nullam sibi criminum societatem esse cum Verre.

Impediuntur. Tangit Cæcilium: quasi diceret, Vt tu qui, quia peccati es socius, accusare nõ potes.

Ego etiam quæ tu. Trium criminum genera se persecuturum affirmat: quæ Verres sine Cæcilio, quæ cum Cæcilio, & quæ Cæcilius sine Verre. ex quibus duo posteriora dicit Cæcilium ne attingere quidem velle.

Quòd non te prohibuerit. Alii omnes, Quòd te non: & sic emenda.

Difficili in loco. Quia si eam esse in me affirmem, arrogans videbor: si negem, ea ipsa lege quam statuo, excludar.

Maius id. Hominum scilicet opinionem.

Hanc contentionem. Ambiguum verbum. Nam & ad hanc causam de cõstituendo accusatore referri potest, & ad comparationem Ciceronis cum Q. Cæcilio. Nam quum sibi quisque id sumit quod aduersario detrahit, contendere dicitur. Certamen autem significat, quod ex illa comparatione contentionéque ortum est.

Familiariter. Mei rationem non ducens: vt in hac nostra contentione, in qua etsi vlla esset in te facultas, tamen nullam præ mea ducerem.

Tu te collige. Cicero Tuscul. III, Quid est se colligere? nisi dissipatas animi partes rursus vnum in locum cogere: quod fit quum diligentius cõsideramus. At in contentione dissipantur partes animi, quæ dissipatio iudicium impedit.

Putásne posse. Putásne te posse, omnes alii libri, in queis Asconius & sic puto legendum.

De maximis acerbissimisque rebus. [illegible] figura: qua nõnunquã de industria Tullius vtitur, vt ex tẽpore dicere videatur. similis est illa in Orat. pro Balbo narratio, Audiui hoc de parẽte meo, &c.

Tot res tam varias. Hoc amplius omnes ad vnum tum veteres, tum impressi libri, Tot res, tam graues, tam varias.

Voce, memoria. Tacitè eas res cõplexus est quæ in Oratore desiderantur: Inuentionem, quod ingenium appellat: Dispositionem, quod consilium: Memoriam, & Vocem.

Putásne te posse, quæ C. Verres in Quæstura, quæ in Legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaia, Asia, Pamphyliáque patrarit, ea, quemadmodum locis, temporibusque diuisa sint, sic criminibus & oratione distinguere? putásne *posse, id quod in eiusmodi reo maximè necessarium est, facere, vt, quæ ille libidinosè, *quæ crudeliter fecerit, ea æquè acerba & indigna videantur esse iis qui audient, atque illis visa sunt qui senserunt? Magna sunt ea quæ dico. mihi, mihi crede, noli hæc contemnere. Dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia: causa non solùm exponenda, sed etiam grauiter copioséque agenda est: perficiendum est, siquid agere aut perficere vis, vt homines te non solùm audiant, verum etiam libenter studioséque audiant. in quo si te multum natura adiuuaret, si optimis à pueritia disciplinis atque artibus stu- CICERO. 124 [*te posse,] [*qua nefariè, qua crudel.]

duisses,& in his elaborasses, si literas Græcas Athenis,nô Lilybæi,Latinas Romæ,nô in Sicilia didicisses:tamen esset magnû,tantâ causam,tam expectatâ & diligentia consequi,& memoria complecti,& oratione exponere,& voce, & virib' sustinere. Fortasse dices, quid:ergo hæc in te sunt omnia:vtinâ quidem essent: veruntamê,vt esse possent,magno studio mihi à pueritia est elaboratum. Quòd si ego hæc propter magnitudinem rerum, ac difficultatem assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi:quàm longè tu te abhis rebus abesse arbitrare,quas nô modò antea nunquam cogitasti,sed ne nunc quidem, quum in eas ingrederis,quæ & quantæ sint,suspicari potes? 40.

[redacted]. *Quæ Romæ, quæ in Italia.* Amplificatione iterat eadem,quæ modò dixerat,sed aliis verbis. Romæ & in Italia,refero ad Præturam vrbanam. Nam vsque centesimum lapidem Prætor vrbanus ius dicebat:& Romam inde vsque vadimonia promittebantur.

Achaia, Asia. In Quæstura & legatione. Præturâ autem Siciliensem omittit,quod iam ante Cæcilium ab eius accusatione alienum ostendisset.

Putásne posse, id quod. Putásne te posse:duo libri veteres. quod non displicet.

Quæ ille libidinosè quæ crudeliter fecerit. Hoc amplius omnes alii libri, Quæ ille libidinosè,quæ nefariè,quæ crudeliter.

Mihi elaboratum. Græca locutio. Xenophô libro de Cyri institutione v, [illegible] Similiter in Orat. pro Pomp. Quamobrem quicquid in hac causa mihi susceptû est Quirites, &c. Quantum autem elaborarit,ostendit in libro de claris Orat. extremo.

CICERO. 125 Ego,qui,sicut omnes sciunt, in foro iudiciisque ita verser,vt eiusdê ætatis aut nemo,aut pauci plures causas defenderint, & qui omne tempus quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis,laboribúsque consumam,quo paratior ad vsum forensem, promptiórque esse possim:tamen ita deos mihi velim propitios,vt,quum illius diei mihi venit in mentem,quo die citato reo mihi dicendum sit,nô solùm commoueor animo, sed etiâ toto corpore perhorresco. Iam nunc mente, & cogitatione prospicio, quæ tum studia hominum, qui concursus futuri sint, quantam expectationem magnitudo iudicii sit allatura,quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura,quantam denique audientiâ orationi meæ improbitas illius factura sit. Quæ quû cogito, iam nunc timeo,quidnâ pro offensione hominû,qui illi inimici, infensique sunt, & expectatione omniû,& magnitudine rerû dignû eloqui possim. Tu horû nihil metuis,nihil cogitas,nihil laboras:& si quid ex vetere aliqua Oratione, IOVEM ego Optimû, Maximû,aut, VELLEM, si fieri potuisset Iudices:aut aliquid eiusmodi edíscere potueris,præclarè te paratum in iudicium venturum arbitraris. Ac si nemo tibi responsurus esset,tamen ipsam causam,vt ego arbitror,demonstrare non posses. Nunc ne illud quidem cogitas,tibi cum homine disertissimo,& ad dicendum paratissimo futurum esse certamen,quicum modò disserendû,modò omni ratione pugnâdum,certandúmque sit: cuius ego ingenium ita laudo,vt nô pertimescam: ita probo,vt me ab eo delectari facilius,quàm decipi putem posse. Nunquam ille me opprimet côsilio: nunquam vllo artificio peruertet: nunquâ ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur:noui omnes hominis petitiones,rationésque dicendi:sæpe in iisdem, sæpe in contrariis causis versati sumus.

[redacted]. *Quû illius diei mihi venit in mentem.* Omnes & veteres & impressi libri, Quû illius temporis: quod ego sine vetusti auctoritate codicis immutare non ausim. Subauditur enim, Eius diei:& magis accommodatum est ad sententiam. siquidem iis qui metuunt,potius momêti temporis in mentem venit,quàm diei.

Quo die citato reo. Nam apud veteres, vt alio quodâ loco scribit Asconius,& Iudices,& rei,& accusatores & defensores à præcone Prætoris citabantur. Plutarchus in Apoht. scribit Ciceronem tanto in metu cuiusdam agendæ causæ tempus expectasse, vt seruum nomine Erotem libertate donarit,quòd causam quam acturus erat in posterum diê dilatâ nuntiasset. Ipse de se in Cluentiana sic scribit, Semper equidê magno cum metu incipio dicere:quotiescunque dico,toties mihi videor in iudicium venire non ingenii solùm,sed etiam virtutis atque officii: ne aut id profiteri videar,quod non possim implere, quod est impudentiæ: aut id non efficere, quod possim, quod est aut perfidiæ,aut negligentiæ.

Toto corpore perhorresco. Natura hoc accidit metu affectis, vt sanguis cor deserens, defluat, eóque cutis illorum pallescat,ex quo fugiente vi naturali,ac neruos deserente quibus robur tenebatur, horror ac tremor consequitur.

Modò disserendum, modò omni ratione pugnandum. Quidam Omni oratione.& sic interpretâtur, Modò altercatione & velitatione quadam vtendum:modò omni, id est perpetua & continuata oratione pugnandû. Ego & Disserere simpliciter accipio, pro Rationibus conquisitis dicere, & argumentari:quod etiam in perpetua fit oratione:& Omni ratione,legendum arbitror:quo verbo quamuis dicendi rationem complectitur. Nam Omnem orationem,pro Perpetuam,mihi non fit verisimile Ciceronem dixisse.

Artificio peruertet. Quod paulo infrà dixit, Ab institutis, cogitationibúsque abducere.

Hominis petitiones. Verum ictus significat, quasi gladiatorũ: quorum dicuntur propriè Petitiones: an potius quum de ratione dicendi loquatur, Partitiones legamus? quod verbũ cum ratione dicendi Hortensii magnopere congruit. Ipse in libro de Clar. Orat. Hortensius attulerat duas quidem res, quas nemo alius, partitiones quibus de rebus dicturus esset. In Orat. pro Quintio, Faciam quod te sæpe animaduerti facere Hortensi: totam causæ meæ dictionem certas in partes diuidam. tu id semper facis, quia semper potes.

Iisdem causis. Quum eandem causam simul defendimus. Contrariis, quum tu accusabas, ego defendebam: vt in causa Quintii. Cicero in Bruto, Etenim videram in iisdem causis, vt pro M'. Canuleio, pro Cn. Dolabella quum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium.

Ita contra me ille dicet, quanuis sit ingeniosus, vt nonnullum etiam de suo ingenio iudicium CICERO.
fieri arbitretur. Te verò Cæcili quemadmodum sit elusurus, quàm omni ratione iactaturus, vi- 126
dere iam videor: quoties ille tibi potestatem optionémque facturus sit, vt eligas vtrum velis, factum esse, nécne: verum esse, an falsum: vtrum dixeris, id contra te futurum. Qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ dii immortales erunt homini minimè malo? quid, quum accusationis tuæ membra diuidere cœperit, & in digitis suis singulas partes causæ constituere? quid, quũ vnumquodque transigere, expedire, absoluere? ipse profectò metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris. Quid, quũ commiserari, conqueri, & ex illius inuidia deonerare aliquid, & in te traiicere cœperit, commemorare Quæstoris cum Prætore necessitudinem constitutam, morem maiorum, sortis religionem: poterisne eius orationis subire inuidiã? Vide modò, etiam atque etiam considera: mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, sed gestu ipso ac motu corporis præstringat aciem ingenii tui, téque ab institutis tuis, cogitationibúsque abducat. Atque huiusce rei iudicium iam continuò video futurum. si enim mihi hodie respondere ad hæc quæ dico, potueris: si ab isto libro quem tibi magister ludi nescio quis ex alienis orationibus compositum dedit, verbo vno discesseris: posse te & illi quoque iudicio nõ deesse, & causæ atque officio tuo satisfacere arbitrabor. Sin mecum in hac prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo aduersario fore putemus? Esto: ipse nihil est, nihil potest: at venit paratus cum subscriptoribus exercitatis & disertis.

Ita contra me ille dicet. Id est, Quum dicet, non tanta cõfidentia ingenii dicet, quin nõnullum, &c.

Vt nonnullum etiam. Vt non putet sibi cum homine imperito esse negotium, & qui de illius ingenio iudicare non possit. Sibi hoc tribuit, ne terreantur Siculi laude Hortensii. Nam qui de aliorum ingenio iudicant, non multo inferiores esse oportet iis de quibus iudicant.

Elusurus. Complexionibus illis & argumentis vtrinque concludẽtibus, Vis verum, an falsum? vtrum dixeris, id contra te futurum est. Translatum à gladiatoribus, qui ex iis quibuscum pugnant, interdum quærunt vbi feriri malint, suprà, infrà, dextrà, sinistrà, antè, à tergo.

Traiicere. Translationem criminum significat. Nam quum tanta Cæcilio cum Verre societas fuerit, multa in eum crimina traiici ac deriuari facilè poterunt.

Subire inuidiam. Sustinere eam inuidiam quam ille tibi oratione sua parabit. sic enim omnes omnino, quos vidi, libri. Solus Asconius, Subire inuidiæ. quod sic, inquit, Latinè dixit, vt Vergilius in sexto, Subeúntque feretro. Nonius Marc. Subire orationem.

Vide modò. Dum res adhuc est in integro.

Gestu ac motu. Non ad laudem hoc dicitur, sed illum obscurè pungit. nam in libro De claris Orat. de eodem loquens, Vox, inquit, canora & suauis, motus & gestus plus artis habebat, quàm erat Oratori satis. Gellius autem lib. 1, ob eam causam à L. Torquato gesticulariam Dionysiam eum notissimæ saltatriculæ nomine appellatum scribit.

Esto, ipse nihil est. Particula veteribus vsitata, quum aduersariorum cõfessio simul cum alia obiectione subiicitur. Græcis εἶεν in vsu est: vt sæpe in Orat. ὑπ. κτησιφ. Hac autem ipsa Cicero similiter vsus est infrà, pag. 504, 365, 529.

Ipse nihil est. Q. Cæcilius.

Quum subscriptoribus exercitatis. Subscriptores dicebantur, qui se accusatori, qui rei nomen detulerat, subscribebant. Asconius pro Cornelio, Detulit nomen Publius, subscripsit Caius. Et Epist. ad Q. Fratrem, Gabinium de ambitu reum fecit P. Sylla, subscribente priuigno Memmio. Dabantur autem plerunque ab reis ipsis actoribus custodes, ne fortè præuaricarentur. Interdum subscriptionem ipsi à Iudicibus postulabant. Nulli autem, nisi per Iudices liceret, ad subscribendum admittebantur: vt ostendit paulo infrà. Et omnino hic locus demonstrat subscriptores fuisse patronos qui secundo, tertio, & quarto loco causam agerent. nam hoc tempore (vt Asconius scribit in Orat. pro Scauro) quatuor ferè patronis vtebãtur. At post bella ciuilia ante legem

Iuliam ad duodenos patronos est peruectum. Et ob eam causam quatuor tantùm patronos Tullius hic numerat. Quartum, inquit, quem sit habiturus, nō video. Hic mos etiam fuit Athenis, vt ex argumento Libanii in Orat. κατὰ Λεπτίνου intelligitur, quam secundo loco habitam scribit. Nam Aphepsió, inquit, natu maior, primas causæ partes egit. & δευτερολογίαν eam appellat: de qua in fine argumenti pauca explicat. In orationem verò κατ' Ἀνδροτίωνος, auctor argumenti secundi sic scribit, ἰστέον δὲ ὅτι ἐπειδὰν δύο ὦσι κατήγοροι, ὧν ὁ μὲν ὡς πρεσβύτερος, ἵνα λαμβάνει τὴν πρωτολογίαν, κατ' Ἀνδροτίωνος, ὅπερ καὶ ἐνταῦθα ὁ Εὐκτήμων ἔλαβε τὴν πρωτολογίαν, ὡς πρεσβύτερος. καὶ εἶπε τὸ προοίμιον, καὶ τὴν διήγησιν, καὶ μέρος τι τῶν ἀγώνων. ὁ δὲ Διόδωρος ἰδιώτης ὤν, ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ Δημοσθένους τὸν παρόντα λόγον καὶ ἔστι δευτερολογία, ἔχει δὲ ἃ παρέλιπεν ὁ Εὐκτήμων. Quando, inquit, duo sunt accusatores, quorū alter senior est, hic habet priores partes, honoris causa: veluti in hac causa, Euctemon priores habuit partes, vtpote natu maior: vsusque est prooemiis, & narrationem, partémque argumentationis exposuit. Diodorus autem homo imperitus, à Demosthene hanc orationem accepit, quæ est deuterologia. cōtinet autem quæ Euctemō prætermisit.

CICERO. 127 Est tamen hoc aliquid, tametsi non est satis: omnibus enim rebus is qui princeps in agendo est, ornatissimus & paratissimus esse debet. Veruntamen L. Apuleium esse video proximum subscriptorem, hominem non ætate, sed vsu forensi atque exercitatione tyronē. Deinde vt opinor, habet Allienum, hunc tamen à subselliis: qui quid in dicendo possit, nunquam satis attendi: in clamando quidem video eum esse bene robustū atque exercitatum. In hoc spes tuæ sunt omnes. Hic si tu eris actor constitutus, totum iudiciū sustinebit. Ac ne is quidē tantùm contendet in dicendo, quantū potest: sed consulet laudi & existimationi tuæ, & ex eo quod ipse potest in dicēdo, aliquantum remittet, vt tu tamen aliquid esse videare. Vt in actoribus Græcis fieri videmus sæpe illum qui est secundarū, aut tertiarum partium, quū possit aliquāto clarius dicere, quàm ipse primarum, multum submittere, vt ille princeps quàm maximè excellat: sic faciet Allienus, tibi seruiet, tibi lenocinabitur: minus aliquanto contendet, quàm potest. Iam hoc cōsiderate, cuiusmodi accusatores in tanto iudicio simus habituri, quū & ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit, & Cæcilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus minus vehemens fuerit, & sibi primas in dicendo partes concesserit. Quartū quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicunque vos delationem dedissetis. ex quibus alienissimis hominibus ita paratus venis, vt tibi hospes aliquis sit recipiendus: quibus ego non sum tantum honorem habiturus, vt ad ea quæ dixerint, certo loco, aut singulatim vnicuique respondeam.

moratorum

Est tamen hoc aliquid. Tamen pro Tandem: vt sæpe aliâs. hoc sensu, Iandiu quæro quid sit in Q. Cæcilio cur debeat admitti ad accusandum: neque quicquā adhuc dictum est. Nunc tandem aliquid dicitur, sed tamen quod non satis sit. vt in Orat. pro Sex. Roscio, Audio: nunc dicis aliquid quod ad rem pertineat. Nonius Marc. ex hoc Sallustii loco, Tamen pro Tandē vsurpari docet, Nam qui enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis nauium, tamen aut vulnerati a suis, aut afflicti vndarum vi postremò periere.

Omnibus enim rebus. Liber Asconii, In omnibus enim rebus: quo modo legendum & restituendum arbitror. Neque enim Ornatissimus ad Rebus refertur, sed ad Gregem accusatorū. quasi diceret, In rebus omnibus, siue in vsu & exercitatione forēsi, siue in facultate dicendi, is qui primas habet partes debet esse omnium actorum ornatissimus. Deletum autem & sublatum opinor ab iis qui Ornatissimus ad Rebus omnibus referendum putabant.

Habet Allienum. Et hoc loco & paulo pòst sequi videtur Asconius eorum opinionem, qui Alienus legendum putabant. quū tamen apertissime Tullius viri nomen proprium esse ostēdat. Sic faciet Allienus, Ipse Allienus detracturus est, Si Allienus minus vehemens fuerit. Sensus est autem non obscurus, & de Iudicū subselliis intelligi potest: ac de iis causis quæ ad Prætorū tribunalia in foro agebantur. Similiter enim dixit in lib. de Oratore primo extremo, habitare in subselliis eum, cuius operam nullam ad rem, nisi in subselliis vtilem esse significabat. Sic igitur accipio, vt Tamen, item vt paulo antè, pro Tandem, positum intelligatur: & A subselliis hoc significet, Qui in subselliis habitarit, in foro agendisque causis plurimū sit versatus. Sensus igitur hic erit, Quinam isti tandem sunt, qui sibi delationem dari postulant? Q. Cæcilius: At nunquā in causis, iudiciisque versatus est. L. Apuleius: at nouitius & planè tyro est in vsu exercitationéque forensi. Allienus igitur. Tandem vnum aliquem qui in subselliis hæserit, habitarit, versatus sit, nominastis. Sed tamen ita versatus, vt clamator potius, quàm declamator dici possit.

Hunc tamen à subselliis. Potest accipi de vtrisque subselliis, & Iudicū scilicet, qui cum Prætore suo in consilio cōsidebant: & magistratuū minorum, qui non in sellis curulibus, vt maiores, sed in subselliis sedentes ius dicebant. quod qui reprehenderunt, Asconiū, opinor, non intellexerunt.

Ac ne is quidem. Magis placeret, At ne is quidem.

Vt tu tamen aliquid. Alii omnes Vt tu tandem. vtrunque rectè, modò Tamen, vt suprà, pro Tandem.

reprehensus est Asconius quod aut non videre stuporis est, aut, cū videas, calumniari, malignitatis.

dem accipiamus.

Se aliquid futurum putet. Hanc lectionem solus codex comprobat, quem aliis omnibus antepono. Cæteri omnes tum veteres, tum impressi, Facturum. Sic autem loquutus est paucis suprà versibus, Vt tu tamen aliquid esse videare.

Et sibi primas. Perspicuè rectum. omnes alii, Tibi primas.

Ex quibus alienissimi. Obscurus locus, sed, vt opinor, hic sensus est, Oratores isti qui subscriptionem sibi postularũt, nihilomagis versati sunt in iudiciis, quàm tu, aut Apuleius: adeóque à foro alieni sunt, & ignari disciplinæ consuetudinisque forensis, vt quum tu te speres posse ab iis vsum rationémque forensem condiscere, contrà ipsi tibi docendi sint tanquam hospites, atque peregrini, qui nunquam in forum ingressi sunt. Nam Hospitem in ea re sæpe Cicero vsurpat, vt in libro de Orat. 1, Fateor enim callidum quendã hunc, & nulla in re tyronem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere. Et pro C. Rabirio, Adeóne hospes huius vrbis, adeóne ignarus es disciplinæ nostræ vt hæc nescias?

Ita paratus. Tam imparatus. De hoc autem Oratorum grege tantummodo loquitur, non de Allieno. vt nihil Asconio Alienissimi allusionem prodesse appareat.

Aliquis sit recipiendus. Aliquis ex illis hominibus alienissimis, ex isto Oratorum grege: is scilicet quem quartum habiturus es.

Sic breuiter, quoniam non consulto, sed casu in eorum mentioné incidi, quasi præteriens satisfaciam vniuersis. Tantáne vobis inopia videor esse amicorũ, vt mihi nõ ex his quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorũ est, vt mihi causam præripere conemini potius, quàm aliquos à colũna Menia vestri ordinis reos reperiatis? Custodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quàm multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non solùm nequid enunties, sed etiam nequid auferas, custodiendus sis. Sed de isto custode toto sic vobis breuissimè respondebo: non esse hos tales viros commissuros, vt ad causam tantam à me susceptam, mihi inuito quisquam subscriptor me inuito aspirare possit. etenim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat. Verùm vt ad te Cæcili redeam, quàm multa te deficiant, vides: quàm multa sint in te, quæ reus nocens in accusatore suo cupiat esse, profectò iam intelligis. Quid ad hæc dici potest? nõ enim quærõ quid tu dicturus sis. video, mihi nõ te, sed hunc librum esse responsurũ, quem monitor tuus hic tenet. qui si rectè monere volet suadebit tibi vt hinc discedas, neque mihi verbũ vllum respondeas: quid enim dices? an id, quod dictitas, iniuriam tibi fecisse Verrem? arbitror: neque enim esset verisimile, quũ omnibus Siculis faceret iniurias, te illi vnum eximium cui consuleret, fuisse. Sed cæteri Siculi vltoré suarum iniuriarũ inuenerunt: tu, dum tuas iniurias per te, id quod non potest, persequi conaris, id agis vt cæterorum quoque iniuriæ sint impunitæ atque inultæ.

CICERO. 128

Quasi præteriens. Vtpote abiectis & infimæ sortis hominibus. Et hoc de viatorum consuetudine translatum est Nam qui in itinere ab honorato viro interpellantur, ei stãtes, & gradu (vt dicitur) compresso respondent. sin à quouis de populo, prætereuntes & institutum iter persequentes.

Inopia amicorum. Id est, tam parum posse gratia apud Iudices. Amicorum enim, ad Iudices refertur: non ad Meos subscriptores. vnde paulo pòst, Non esse hos tales viros cõmissuros, in eandem sententiam. Nulli enim, nisi quibus per Iudices licebat, ad subscribendum admittebantur.

De populo. Contemptim, vt in lib. De clar. Orat. Quantum non quiuis vnus de populo, sed existimator doctus & intelligens posset cognoscere. Et alio loco, Atque eodem tempore accusator de plebe L. Cæsuletius fuit, qué ego audiui, &c. Qua in re etiam illud dicitur, Vnus de multis: vt libro de Off. 1, Itémque in sermonibus alium quendam videmus, quãuis sit præpotens, efficere, vt vnus de multis esse videatur. Isocrates [illegible] Idem etiam in Orat. [illegible] appellat. [illegible], inquit, [illegible]

Custodem, inquit. Quis inquit? num Cæcilius? opinor. Sic enim ipse postea libro Accus. 1, Quod meum factum lectissimi viri atque ornatissimi ita comprobarunt, vt ei qui istius Quæstor fuisset, & ab isto læsus inimicitias iustas persequeretur, non modò deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, quum id postularet, facerẽt potestatem. Paulo tamen pòst sic loquitur, Verùm vt ad te Cæcili redeam. Nam quum id contumeliosius fuisset, nimísque inhumanũ, Cæcilium subscriptioni negare esse idoneũ, obscurè atque occultè illum remouere conatur, generali responso ad omnes subscriptores.

Meas capsas. In quibus literas, auctoritates, tabulas recõdam, quas ex Sicilia deportabo, si ad me accusatio deferatur.

Non esse hos tales viros. Liber Asconii, Nunquam tales viros. Nihil censeo mutandum.

Hos tales viros. Iudices nostræ huius contentionis. Et est obscura laudatio Iudicum.

Fides mea. Mea vna sufficit integritas: neque alterum ferre potest.

Diligentia. Quæ tanta est, vt mihi etiã à custode timeã, nequid ille vel enuntiet, vel suffuretur.

Qui si rectè monere. Qui si te rectè, omnes alii: & sic emenda.

Quid enim dicas. Propositio Q. Cæcilii: Læsus sum à C. Verre, & ob hoc iure illi sum inimicus: quare præuaricator esse non possum.

Arbitror. Non te hoc dicturum, sed tibi iniuriam illatam.

Vnum eximium. Non eodem te loco habuisse, quo reliquos omnes Siculos. Siculus enim ipse quoque Cæcilius. quocirca infert, Sed cæteri Siculi vltorem, &c.

Id quod non potest. Omnes alii, Non potes: quod magis placet: tametsi apud Donatum in Adel. sic legatur. neque enim ita hoc accipiẽdum est, quasi neget iure Cæcilio licere, sed quòd nulla in eo facultas agendi, nulla dicendi ratio sit.

CICERO. " Et hoc te præterit, non id solùm spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit vlcisci:
129 " in quo vtrunque sit, eum superiorem esse: in quo alterum, in eo, non quid is velit, sed quid facere
" possit, quæri solere. Quòd si ei potissimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui
" maximam C. Verres iniuriam fecerit: vtrum tandem censes hos Iudices grauius ferre oportere,
" te ab illo esse læsum, an prouinciã Siciliam esse vexatam ac perditam? Opinor concedis, multo
" hoc esse grauius, & ab omnibus ferri grauius oportere. concede igitur, vt tibi anteponatur in ac-
" cusando prouincia: nam prouincia accusat, quũ is agit causam, quẽ sibi illa defensorẽ sui iuris,
" vltorem iniuriarũ, actorem totius causæ adoptauit. At eam tibi C. Verres fecit iniuriã, quæ cæ-
" terorum quoque animos posset alieno incõmodo cõmouere. Minimè: nam id quoque ad rem
" pertinere arbitror, qualis iniuria dicatur, quæ causa inimicitiarũ proferatur. Cognoscite ex me:
" nam iste eam profectò, nisi planè nihil sapit, nunquã proferet. Agonis est quædã Lilybætana,
" liberta Veneris Erycinæ, quæ mulier ante hunc Quæstorem copiosa planè & locuples fuit. Ab
" hac Præfectus Antonii quidam symphoniacos seruos abducebat per iniuriã, quibus se in classe
" vti velle dicebat. Tum illa, vt mos in Sicilia est omnium Venereorũ, & eorum qui à Venere se
" liberauerunt: vt Præfecto illi religionem Veneris, nomẽnque obiiceret, dixit & se, & omnia sua
" Veneris esse. vt hoc Quæstori Cæcilio viro optimo, & homini æquissimo nuntiatum est: vocari
" ad se Agonidem iubet: iudicium dat statim, si pateret, eam se, & sua Veneris esse dixisse.

Et hoc te præterit. Valde placeret vt cum interrogatione legeretur.

Non id solùm spectari. Hæc erat Q. Cæcilii ratio, Qui iniuria affecti sunt, accusare debent. Ego sum affectus: accusare igitur debeo. Nunc Cicero propositionẽ distinguit, quòd nõ eos tantùm qui debent, sed etiam qui possint spectare oporteat.

In quo alterum. Non Alterutrum, quod quidam existimant. Postremum enim excluditur his verbis, Sed quid facere possit. Sed Alterum simpliciter dixit, satis intelligi putans primum illud Qui debeat, quod principale est, & primo loco expetendum.

Quòd si ei. Nunc argumentum ipsum in Q. Cæcilium retorquet, Qui iniuria affecti sunt, accusare debent. Concedo: nimirum vt quisque maxima & atrocissima affectus est. Prouinciæ autem maxima est & grauissima: præponenda igitur.

Grauius ferre. Id est, grauiores & atrociores existimare iniurias.

Te læsum. Extenuat, quũ iniuriam factam dicere debuisset: quod grauius est, vt infrà ostendit.

At eam tibi. Responsio Cæcilii, non esse priuatam iniuriam, qua à Verre affectus est, sed publicam: quòd Magistratui populi R. facta sit.

Cæterorum animos. Mira commutatio verborum, pro eo quod Cæcilius dixerat, Quæ publica est, vel, Quæ ad Rempub. pertinet: vtpote quæ magistratui populi R. facta sit.

Liberta Veneris Erycinæ. Verba sunt Polybii, in libro primo, Eryx est Siciliæ mõs, mari imminẽs, ex ea parte quæ Italiam spectat, inter Drepanum ac Panormũ, magis tamen Panormo coniunctus. Hic magnitudine omnes Siciliæ montes superat præter vnũ Aetnam. In eius vertice planicies est, inque ea Veneris Erycinæ templum sine cõtrouersia omnium Siciliæ templorum opulentissimum atque ornatissimum. Quod idem Strabo quoque libro Geog. vi, scribit. Qui ergo quæve Siculorum religionibus cõsecrati essent Veneri, ii Venerei Venereæve dicebãtur. neque enim mulieres modò, vt ex Strabone intelligitur, sed etiam viri Veneri consecrabantur. Cicero in Cluentiana, Martiales quidam Larini appellantur, ministri publici Martis. quorum quũ satis magnus numerus esset, quúmque, item vt in Sicilia permulti Venerei sunt, sic illi Larini in Martis familia nominarentur. Atque iidem, opinor, erant Venerei, de quibus frequens mentio est in Verr. iv, & v, id est viatores atque apparitores quidam, qui magistratibus populi R. præsto esse solebant.

Iudicium dat statim. In prouinciis & Prætores, & Quæstores, vt apparet, iudicia in causis priuatis dabãt. Est autem Dare iudiciũ, Iudices constituere in certa verba, VTI PATERET eam se & sua

Veneris esse dixisse: plena autem est oratio, Tum eius bona Veneri adiudicátor. Nam Iudices à Magistratu dati de facto postea cognoscebant, & eorũ sententiam Magistratus exequebatur. Erat auté hoc Cæcilii negotium, vtpote Quæstoris Lilybætani, qui ea quæ Veneri Erycinæ commissa essét, petebat, pag. 231. Et de Iudiciorũ priuatorum forma fusius in Orat. pro Q. Roscio.

Iudicant Recuperatores id, quod necesse erat: neque enim erat cuiquam dubium quin illa di CICERO.
xisset. Iste in possessioné bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in seruitutem adiudicat: dein- 130
de bona vendit: pecuniam redigit. Ita dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis ac religi-
one retinere vult, fortunas omnes libertatémque suam istius iniuria perdidit. Lilybæum Ver-
res venit postea: rem cognoscit: factum improbat: cogit Quæstorem suum pecuniam, quam ex
57. Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omné adnumerare & reddere. Est adhuc, id quod vos om
nes admirari video, non Verres, sed Q. Mutius: quid enim facere potuit elegantius ad hominũ [redacted]
existimationem? æquius ad leuandam mulieris calamitatem? vehementius ad Quæstoris libi-
dinem coercendã? summè hæc omnia mihi videtur esse laudanda. Sed repente e vestigio ex ho-
58. mine, tãquam aliquo Circæo poculo, factus est Verres: redit ad se, atque ad mores suos: nam ex
illa pecunia magnam partem ad se auertit: mulieri reddidit quantulum visum est. Hic tibi si læ-
sum te à Verre esse dices, patiar, & cõcedam: si iniuriam tibi factã quereris, defendã, & negabo.
Deinde de iniuria quæ tibi facta sit, neminem nostrum grauiorem vindicem esse oportet, quàm
te ipsum cui facta dicitur. Si tu cum illo postea in gratiam redisti, si domi illius aliquoties fui-
sti, si ille apud te postea cœnauit: vtrum, te perfidiosum, an præuaricatoré existimari mauis? vi-
deo esse necesse alterutrum. Sed ego tecum in eo non pugnabo quo minus, vtrum velis, eligas.
59. Quid, si ne iniuriæ quidem, quæ tibi ab illo facta sit, causa remanet? quid habes quod possis dice-
re quamobrem non modò mihi, sed cuiquam anteponare? nisi forte illud, quod dicturum te es-
se audio, Quæstorem illius fuisse.

Iudicant Recuperatores. De Recuperatoribus dixi in Orat. pro Cæcina, vnde ea assumentur quæ [redacted] ad hunc locum pertinebunt.

Id quod vos omnes admirari video. Apud Iulium Rufinianũ, Quod admirari vos video. Vtra sit verior, studiosi ex librorum veterum vel consensione, vel dissensione iudicabunt. Illud quidé corruptum est sine cõtrouersia, quod eodem in libro scriptum est, Ex aliquo Circæo poculo. nam ex particula tollenda est.

Non Verres, sed Q. Mutius. Consul hic Asiam, vt scribit Valerius, tanta fide ac vigilantia gubernauit, vt Senatus postea in eam prouinciam ituris Magistratibus exemplum, atq; formam officii Scæuolam decreto suo proponeret. In ea autem menses tantùm nouem versatus est: ex quo vt scribit Cicero, illustriorem virtutis gloriam reportauit: Epist. ad Att. lib. v. Itaque diem festum Asiatici in eius honorem celebrarunt, quæ Mutia dicebantur, vt infrà pag. 244.

Tanquam Circæo poculo. Nota est de Circe fabula, ex libr. Odyss. x, quæ Vlyssis socios in sues mutauit.

Si te læsum. Est igitur Lædere, idem quod damnum atque incommodum afferre: at Iniuriam facere, iniustè & improba ratione damnum afferre.

Perfidiosum an præuaricatorem. Perfidiosus dicitur, qui quum inimicus sit, amicũ se simulat: Præuaricator, qui quum amicus sit, inimicum se fingit. Illud ad C. Verrem, hoc ad Siculos refertur. Præuaricatoris autem verbum à varicibus deductum est, quæ sunt venæ in suris inflexæ & obtortæ: vnde hic ipse in Partitionibus, Defensor, inquit, vim verbi ex nomine ipso reperiet, quod significat eum qui in contrariis causis quasi varié esse positus videatur. Ex illo autem Partitionum loco illud intelligitur, quod animaduersione dignũ est, moris fuisse vt qui in iudicium adductus esset, si præuaricatione liberatus esse diceretur, rursus in iudicium reuocaretur, eiúsque causa secundo loco cognosceretur. [redacted]

Quid si ne iniuriæ quidem causa remanet. Obscurè facit eius rei suspicioné quam affirmare non audet: redditam scilicet à C. Verre, Cæcilio Agonidis pecuniam fuisse, quam ille auerterat. Nam hæc iniuriæ atque inimicitiarum causa fuerat.

Quæstorem illius fuisse. Mirè dictum Cæcilii inuertit. Contendebat enim se, quia quod Quæstor Verris fuisset, omnia eius crimina nota & perspecta haberet, in accusando præponendum esse. id quod eius dictum nunc ita extulit, vt nihil frigidius esse videatur.

Quæ causa grauis esset, si certares mecum, vter nostrum illi amicior esse deberet. In conten- CICERO.
tione suscipiẽdarum inimicitiarum ridiculum est putare, causam necessitudinis ad inferendũ 131
60. periculum iustam videri oportere. Etenim si plurimas à tuo Prætore iniurias accepisses, tamé
eas ferendo maioré laudé, quàm vlciscendo mererere. quum verò nullum illius in vita rectius
factum sit, quàm id quod tu iniuriam appellas: hi statuent, hanc causam, quam ne in alio qui-
dem probarẽt, in te iustam ad necessitudinem violandam videri? qui si summam iniuriam ab

illo accepisti: tamen quoniam Quæstor eius fuisti, non potes eum sine vlla vituperatione accusare. si verò nulla tibi facta est iniuria: sine scelere eum accusare non potes. Quare quum incertum sit de iniuria: quenquam esse horum putas, qui non malit te sine vitoperatione, quàm cum scelere discedere? At vide quid differat inter meam opinionem, ac tuam. Tu quũ omnibus rebus inferior sis, hac [1]vna in re te mihi anteferri putas oportere, quòd Quæstor illius fueris. Ego, si superior cæteris rebus esses, te hãc vnã ob causam accusatoré repudiari putaré oportere. sic enim à maioribus nostris accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullã neque iustioré, neque grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem sortis, quàm prouinciæ, quàm officii, quàm publicam muneris societatem. Quamobrem si iure eũ possis accusare, tamen, quum is tibi parentis numero fuisset, id piè facere non posses.

Hac una in re te mihi. Hac vna re, crederem esse corrigẽdum, propter sequẽtem particulã, Quòd. Idem autem significat, vt quod sequitur, Hanc vnam ob causam. Neque est aliud dicendi genus magis apud Ciceronem vsitatum.

A maioribus nostris. Idem in libro Accusat. 1, Tu quum Quæstor ad exercitum missus sis, custos non solùm pecuniæ, sed etiam Consulis, particeps omnium rerum consiliorúmque fueris, habitus sis in liberûm loco, sicut mos maiorũ ferebat. Idem in Ora. post reditum, Qui si mihi Quæstor Imperatori fuisset, in filii loco fuisset. Et in Epist. ad Brutum lib. fa. Epist. 13, Quum ad te tu[9] Quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum non putabam: satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum: qui vt te non fugit, hanc Quæsturæ cõiunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.

Quàm coniunctionẽ sortis. Nã & Cõsules & Prætores Prouincias sortiebãtur, & ex S.C. Quæstores. Quibus igitur eadem prouincia obuenerat, diuinitus eam muneris officiique publici societaté accidisse putabant: qua de causa inesse in ea societate religionem aliquam existimabant.

Quum is tibi parentis numero fuisset. In hanc sententiam hic ipse in Oratione pro Cluentio, Facilè intelligo nõ modò reticere homines parentũ iniurias, sed etiam æquo animo ferre oportere.

CICERO. 132 Quum verò neque iniuriam acceperis, & Prætori tuo periculum crees: fatearis necesse est te illi iniustum impiúmque bellum inferre conari. Etenim ista Quæstura ad eam rem valet, vt elaborandũ tibi in ratione reddenda sit, quãobrem, [2]qui Quæstor eius fueris, accuses: non vt ob eã ipsam causam postulandũ sit vt tibi potissimum accusatio detur. Neque ferè vnquã venit in cõtentioné de accusando qui Quæstor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neq; L. Philoni in C. Seruiliũ nominis deferẽdi potestas est data, neq; M. Aurelio Scauro in L. Flaccũ, neque Cn. Põpeio in T. Albutiũ: quorũ nemo propter indignitaté repudiat[9] est, sed ne libido violãdæ necessitudinis auctoritate iudicũ cõprobaretur. Atq; ille Cn. Põpeius ita cũ C. Iulio cõtendit, vt tu mecũ: Quæstor enim Albutii fuerat, vt tu Verris. Iulius hoc secũ auctoritatis ad accusandũ afferebat, quòd vt hoc tempore nos ab Siculis, sic tũ ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. Semper hæc causa plurimum valuit: semper hæc ratio accusãdi fuit honestissima, pro sociis, pro salute prouinciæ, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium, laborem interponere. Etenim si probabilis est eorum causa, qui iniurias suas persequi volunt, qua in re dolori suo, non Reip. commodis seruiunt: quãto illa causa honestior quæ non solùm probabilis videri, sed etiam grata esse debet, nulla priuatim accepta iniuria, sociorum atque amicorum populi R. dolore atque iniuriis commoueri?

Iniustum impiúmq; bellũ. Alludit ad belli iura, quæ ab Anco Rege Fecialib[9] descripta, & cõstituta sunt. Bellum enim populus R. nullũ, nisi à collegio Fecialium iustum, piúmq; habitũ, faciebat.

Quamobrem qui Quæstor fueris. Probabilior scriptura mihi videtur ea quæ in Asconii libro legitur, Quamobrem eum cui Quæstor fueris.

Atque ille. Atque frequenter idem significat quod Atqui. vt hoc loco.

CICERO. 133 Nuper quũ in P. Gabinium vir fortissimus & innocẽtissimus L. Piso delationem nominis postularet, & contrà Q. Cæcilius peteret, isque se vereres inimicitias iandiu susceptas persequi diceret: cum auctoritas & dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat causa iustissima, quòd eum sibi Achæi patronum adoptarant. etenim quũ lex ipsa de pecuniis repetundis, sociorum, atque amicorum populi R. causa comparata sit: iniquum est, non eum legis iudiciique actorem idoneum maximè putari, quem actorem causæ suæ socii, defensorémque fortunarum suarum potissimum esse voluerũt. An quod ad cõmemorandum est honestius, id ad probandũ nõ multo videri debet æquius? vtra igitur est splẽdidior, vtra illustrior cõmemoratio, Accusaui eum quicũ Quæstor fuerã, quicũ me sors cõsuetudóque maiorũ, quicum me deorũ hominúmque iudiciũ coniunxerat: an, Accusaui rogatu sociorũ atque amicorũ: delectus sum ab vniuersa prouincia, qui ei[9] iura fortunásq; defenderé. Dubitare quisquã potest quin honestius sit eorũ causa, apud quos Quæstor fueris, quàm eũ cuius Quæstor fueris, accusare? Clarissimi viri nostræ ciuitatis, tẽporibus optimis hoc sibi amplissimum pulcherrimúmque ducebãt, ab hospitibus cli-

[1] hac vna re
[2] eũ cui Q. fueris

entibúsque suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionémque essent, iniurias propulsare, eorúmque fortunas defendere. M. Catonem illum sapientem, clarissimumvirum, & prudẽtissimũ, cum multis graues inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorũ, apud quos Consul fuerat, iniurias. Nuper Cn. Domitium scimus Decimo Silano diẽ dixisse propter vnius hominis Egritomari paterni amici, atque hospitis iniurias.

Vter illustrior Idest, vtrius nostrum: vel sic, Vter nostrum honestius ita de se loquuturus est.

Ab hospitibus clientibúsque suis. De clientibus latè explicaui in Orat. pro Sex Roscio.

In amicitiam populi R. ditionémque essent. Vetus loquutio, qua eadẽ vsus est in Orat. pro lege Manil. Quum vestros portus, atque eos portus quibus vitã ac spiritũ ducitis, in prædonum fuisse potestatẽ sciatis. Et infrà, Verrina v i i, pag. 528, Quòd qui illam partem vrbis tenerẽt, in eorum potestatem portum futurum intelligebant. Aulus Gel. lib. i. cap v i i, similem ex Plauti Amphitryone notauit, Nõ verò mihi in mentem fuit. In Oratione pro Cæcina eadem figura dixit, In possessionem vestigium fecero. Et lib. v. de Finibus, In aliquam historiam vestigium ponere.

M. Catonem illum sapientem. Ver. v i i, pag. 564, & quæ ex Liuio descripsi.

Decimo Silano diem dixisse. Hunc postea Marcum appellat, & Consularem, Ver. i v, pag. 271. Consul autem M. Iunius Silanus fuisse traditur, anno ab hinc x x x v i i i: collegámque habuisse Q. Cæcilium Metellum. At Decius fuit Silanus Consul anno post Ciceronem Cõsulem. Lego igitur M. Silano, adductus præterea Ciceronis verbis in Orat. pro Cornelio, apud Asconium, Quid idem Domitius? M. Silanum, Consularem hominem, quemadmodum Tribunus pl. vexauit? Cur autem vexarit ex Asconii commentariis cognosces.

Neque enim magis animos hominũ nocentium res vnquã vlla cõmouit, quàm hæc maiorũ cõsuetudo lõgo interuallo repetita, atque relata: sociorũ querimoniæ delatæ ad hominẽ nõ inertissimũ: susceptæ ab eo qui videbatur eorũ fortunas fide, diligẽtiáq; sua posse defendere. Hoc timẽt homines: hoc laborãt: hoc institui, atque adeò institutũ referri, ac renouari molestè ferũt. Putant fore vti, si paulatim hæc cõsuetudo serpere, ac prodire cœperit, per homines honestissimos viróśq; fortissimos, nõ imperitos adolescẽtulos, aut illiusmodi quadruplatores leges iudiciáq administrẽtur. Cuius cõsuetudinis, atque instituti patres, maioréśq; nostros non pœnitebat, tũ quũ P. Lẽtulus, is qui Princeps Senatus fuit, accusabat M. Aquiliũ subscriptore C. Rutilio Rufo: aut quum P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, posteaquã bis Cõsul & Censor fuerat, L. Cottã in iudicium vocabat. Iure tũ florebat populi R. nomẽ: iure auctoritas huius imperii, ciuitatisq; maiestas grauis habebatur. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nũc homine paruis opibus, ac facultatibus prædito simulãt sese mirari: quũ molestè ferãt. Quid sibi iste vult? accusatorémne se existimari, qui antea defendere cõsueuerat? nunc præsertim ea iã ætate, quã AEdilitatẽ petat. Ego verò ætatis nõ modò meæ, sed multo etiã superioris, & honoris amplissimi puto esse, & accusare improbos, & miseros, calamitosósq. defẽdere. Et profectò aut hoc remediũ est ægrotæ, ac propè desperatæ Reip. iudiciisq; corruptis, ac cõtaminatis paucorũ vitio ac turpitudine, homines ad legũ defensionẽ iudiciorúmque auctoritatem quàm honestissimos & integerrimos, diligẽtissimósque accedere: aut si ne hoc quidem prodesse poterit, profectò nulla vnquam medicina his tot incommodis reperietur.

Is qui Princeps Senatus fuit. Princeps Senatus à Censoribus legebatur, is qui primus Censor ex iis qui viuerent, fuisset. Liuius Decadis quartæ, libro nono, Scipionem & Polybius, & Rutilius hoc anno mortuum scribunt. Ego neque his, neque Valerio assentior: his, quòd Cẽsoribus M. Porcio, L. Valerio Principem Senatus ipsum L. Valerium Cẽsorem lectum inuenio, quum superioribus duobus lustris Africanus fuisset: quo viuo, nisi vt ille Senatu moueretur (quam notã nemo memoriæ prodidit) alius Princeps in locum eius lectus nõ esset. Eum in Senatu primum sententiam rogari solitum tradit Aulus Gel. lib. i v, cap. x.

Accusabat M. Aquilium. Quem M. Antonius defendit, diloricata tunica, vt cicatrices apparerẽt. Ver. v i i, & libro de Orat. i i.

L. Cottam in iudicium vocabat. Qui tamen absolutus est, ne nimiis aduersarii viribus abiectus videretur. Ipse in Oratione pro Muræna, & Val. Max. libr. v i i i.

Bis Consul. Primùm tempore tertii belli Punici, quum AEdilitatem peteret, nec dum per ætatẽ Consulatum petere posset. iterum bello Numantino: legibus vtroque tempore solutus.

Se mirari: quum molestè ferant. Molestè ferunt tã diligentem accusatorem adhiberi, id tamen dissimulãt: ac fingunt se mirari cur hac ætate accusationẽ suscipiam. Adolescentes accusare solitos antea diximus: id quod ex Oratione pro Cælio intelligitur. Voluit, inquit, vetere instituto eorum adolescẽtium exemplo, qui pòst in ciuitate summi viri & clarissimi ciues extiterunt, industriam suam à populo R. ex aliqua illustri accusatione cognosci.

Ea iam ætate. Non tamen admodum grandi, neque enim annos natus erat x x x v i: qui fuit an-

nus AEdilitatis legitimus: sed Ea ætate, quia nonnisi in adolescētia solebant accusare, quam adolescentiam Cicero in defendendis amicorum periculis transegerat.

Quem AEdilitatem petat. Quam hoc ipso anno consequutus est, vt apparet ex libro Accusat. v, Nunc sum designatus AEdilis: habeo rationem, quid à populo R. acceperim.

CICERO. » Nulla salus Reipub. maior est, quàm eos qui alterū accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua: quàm illos qui accusantur, de capite ac fortunis suis pertimescere. Itaq; semper ii » diligētissimè, laboriosissiméq; accusarūt, qui se ipsos in discrimē existimationis venire arbitra » ti sunt. Quāobrē hoc statuere Iudices debetis, Q. Cæciliū de quo nulla vnquā opinio fuerit, nul » láq; in hoc ipso iudicio expectatiō futura sit: qui neque, vt ante collectā famā cōseruet, neq; vti » reliqui tēporis spē cōfirmet, laborat, nō nimis hāc causam seuerè, nō nimis accuratè, nō nimis » diligēter acturū. habet enim nihil quod in offēsione deperdat, vt turpissimè flagitiosissiméq; di » fœdat: nihil de suis veterib' ornamētis requiret. A nobis multos obsides habet popul' R. quos vt » incolumes cōseruare, tueri, cōfirmare, ac recuperare possim', omni ratione erit dimicandū. Ha » bet honorē, quē petimus: habet spē, quā propositā nobis habemus: habet existimationē multo » sudore, labore, vigiliísque collectam: vt, si in hac causa nostrum officium, ac diligentiā probaue » rimus, hæc quæ dixi retinere per populū R. incolumia, ac salua possimus: si tātúlum offensum » titubatúmque sit, vt ea quæ singulatim ac diu collecta sunt, vno tempore vniuersa perdamus. » Quapropter Iudices, vestrum est deligere quem existimetis facillimè posse magnitudinem cau » sæ, ac iudicii sustinere fide, diligētia, consilio, auctoritate. Vos si mihi Q. Cæcilium anteposueri » tis, ego me dignitate superatum non arbitrabor: Populus R. ne tam honestam, tam seueram, di » ligētémq; accusationē neque vobis placuisse, neque ordini vestro placere arbitretur, prouidete.

Non nimis seuerè. Dictum puto pro Non multum. vt in Epi. ad Pætum, Testes verbum honestissimum est in iudicio: alio loco non nimis.

Quod in offensione. Id est, si minus rectè & syncerè accuset, si ab religione officii sui declinet, vt paulo pòst, Si tantulū offensum titubatúmque sit, idest peccatum. Itē vt in Orat. 11, Hìc siquid erit offensum, omnes homines alium ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur.

Multos obsides. Deterrentur homines à maleficio, qui & existimationi iā collectæ, & expectatis honoribus (ne eos non consequantur) metuunt. Sunt enim hæc tanquam pignora, quæ ab illis habet Respub. vt siqua in re offendāt, ea quasi Reipub. commissa videantur. Cæcilius, cuius neque opinio, neque honorū expectatio vlla est, nullo metu à suscipiendo scelere deterreri potest. Contra M. Tullius, qui si in hac causa, &c. Obsides autem dicere maluit, quàm Pignora: vt maiorem timorem significaret, ne nō & expectationem & famam satis commodè tueri posset. Maior est enim in obsidibus, quàm in pignoribus religio.

Dignitate superatū. Id est non putabo vos id fecisse, quòd Q. Cæcilium digniorē qui accuset existimetis.

Tam seueram accusationem. Quàm mea est: vel, Tam seuerum accusatorem. Qui verò frigidum & inertē accusatorē cupiunt, ii reo fauere se ostendūt. Quare obscurè significat Iudices, in suspicionē populi vēturos, quòd hominis vita atq; factis omniū iā opinione dānati causā subleuēt.

ARGVMENTVM VERRINAE ORATIONIS SEcundæ, quæ primæ actionis initium continet.

M. Tullio accusatore cōstituto, atque ex Sicilia, quò instituēdæ accusationis causa profectus erat, reuerso, C. Verres quū suæ causæ magnopere diffideret, neque dubitaret quin multis & testimoniis & tabulis, tum publicis, tū priuatis conuinceretur, duplicem inire rationē cœpit: primùm vt huius causæ actio in annū proximum perduci posset: quòd scilicet in eū annū, & Q. Hortēsius ipsius patronus, & Q. Metellus eiusdē amicissimus, Cōsules designati essent: deinde quòd M. Glabrio, præsentis anni Prætor, breui Magistratu abiret, multiq; huius consilii Iudices Magistratum caperēt, quo tempore Iudicibus illis esse nō liceret, in quorum locum M. Metellus frater Consulis Prætor designatus, & alii Iudices, non tam, vt sperabat, ad corrumpendum difficiles, succederent. tum præterea L. Metellus, illorum frater, Siciliam prouinciam sortitus esset, cuius auctoritate Siculos commoueri posse confidebat. Id vt efficeret, quoniam quatuor duntaxat menses ante Calendas Ianuarii supererant, principiò causam alterius rei interponere conatus est, quæ omne tempus ad agendum idoneum absumeret. Sed eius spem Ciceronis diligentia longè fefellit. Itaque ea spe frustratus tentare aliam rationem cœpit. Nam quum ex hoc tempore, Nonis scilicet Sextilibus, non multum temporis ad agendum superesset, ludis propè mēses treis auferentibus, præsertim si horis suis legitimis, idest xx diebus accu-

ſator vti voluiſſet: conſilium hoc cepit, vt partim dicendo, partim excuſando, rem integrã in annum ſequentẽ produceret. Huic illius conſilio Cicero ita occurrit. Statuit perpetuam orationem in aliud tempus reſeruare, & breuiter teſtes interrogãdo accuſationem expedire. Et quoniam ſibi ab vſitata ratione Hortenſii, & corrumpendorũ iudiciorum conſuetudine timebat, hac tota Oratione multis minis interpoſitis, & Hortenſium, & alios eiuſmodi artifices perterrere conatus eſt: oſtendens ſe admiſſum dedecus ſeueriſſimè perſequuturum. Deinde quũ Senatoria iudicia infamia laborarent, & Populus Equitum iudicia magnoperè flagitaret, oſtendit hanc vnam eſſe vel maximam aut ea amittendi, ſi ſe corrumpi ſinerent: aut confirmandi facultatem, & ordinis inuidiã infamiámque iudiciorum ſedandi, ſi in hoc iudicio, quo Senatorii ordinis integritas in iudicium vocatur, ſeueritatem & religionem tam graui & delecto conſilio dignã adhibeant. Atque argumentum quidem hactenus expoſuimus: quòd etſi Aſconius illud quoque conſcripſerat, mihi tamen paulo fuſius ac dilucidius explicanda eſſe nõnulla videbantur. Ex his autem etiam illud intelligi volumus, non rectè adhuc appellatam atque inſcriptam hanc fuiſſe orationem, vel ſecundum Accuſationis librum, vel Alteram actionem: quũ illa initium potius, & quaſi prooemium quoddam ſit Accuſationis, quæ (quemadmodũ in Diuinatione diximus) quòd interrupta, atque interciſa oratione conſtaret, non eſt ab Oratore mandata literis.

Accuſationis in C. Verrem liber SECVNDVS, ORATIO V.

M. Tullii Ciceronis prima in C. Verrem Actionis initium.

QVOD erat optãdum maximè Iudices, & quod vnum ad inuidiam veſtri ordinis, infamiámque iudiciorum ſedandam maximè pertinebat: id non humano conſilio, ſed propè diuinitus datum, atque oblatum vobis ſummo Reipub. tempore videtur. inueterauit enim iam opinio pernicioſa Reipub. vobiſque periculoſa, quæ nõ modò Romæ, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone percrebruit, his iudiciis, quæ nunc ſunt, pecunioſum hominem, quanuis ſit nocens, neminem poſſe damnari. Nunc in ipſo diſcrimine ordinis iudiciorúmque veſtrorum, quum ſint parati qui concionibus & legibus hanc inuidiã Senatus inflammare conentur: reus in iudicium adductus eſt C. Verres, homo vita atque factis, omnium iam opinione damnatus: pecuniæ magnitudine, ſua ſpe, ac prædicatione abſolutus. Huic ego cauſæ Iudices, cum ſumma voluntate, & expectatione populi R. actor acceſſi: non vt augerem inuidiam ordinis, ſed vt infamiæ cõmuni ſuccurrerem. adduxi enim hominem, in quo reconciliare exiſtimationem iudiciorum amiſſam, redire in gratiam cum populo R. ſatiſfacere exteris nationibus poſſetis: depeculatorem ærarii, vexatorem Aſiæ, atque Pamphyliæ, prædonem iuris vrbani, labem atque perniciem prouinciæ Siciliæ. 136

COMMENTARII.

Quod erat optandum maximè iudices. Iudices dicit, primùm M. Glabrionẽ Prætorem cui ſorte quæſtio de pecuniis repetundis obuenerat: tum Senatores qui ei in conſilio affuerunt, vti ex Iudicum decuria ſortitione obtinerant, ab accuſatore & reo, vt mos erat, reiecti. Affuerũt deſignati M. Metellus Prætor, M. Cæſonius Ædilis cum Tullio, Q. Manlius, Q. Cornificius, P. Sulpitius Tribuni pleb. M. Crepereius, L. Caſſius, Cn. Tremellius Tribuni militares, P. Seruilius Iſauricus vir clariſſimus maximis rebus geſtis, Q. Catulus, is qui Capitolium dedicauit, C. Marcellus qui Procõſule in Sicilia fuerat, L. Octauius Balbus, homo iuris & officii peritiſſimus, Q. Titinius. Acta eſt in foro, ad ædem Caſtoris. Agi autem cœpit Nonis Sextilibus, durauítque ad XIX Cal. Septemb.

Veſtri ordinis. Senatorii. ad quem decem ab hinc annis tranſlata fuerant ab Equeſtri ordine iudicia, lege L. Syllæ Dictatoris.

Summo Reipub. tempore. Id eſt, ſummo Reipub. commodo: vel Reipub. tempore & ſtatu id ſummè poſtulante. Hoc enim vox Tempus plerunque ſignificat. Cicero De claris Orat. Sed quoniã perpetua quadã fœlicitate vſus ille exceſſit è vita, ſuo magis, quàm ſuorũ ciuium tempore. Et Verr. III, Quũm que iſter hoc ſibi magis ad quæſtum ſuum, quàm ad Reip. tempus accommodatũ depopoſciſſet. Et Philip. V, Quod C. Cæſar C. F. Propr. ſummo Reipub. tempore milites veteranos ad libertatem populi R. cohortatus ſit, eóſque conſcripſerit.

His iudiciis quæ nunc ſunt. Senatoriis, vel Senatorio ordine iudicante.

In ipso discrimine ordinis. Quū ordo vester adductus esset in discrimen, manerétne penes eum iudicia, an aliò transferrentur. Ipse Verr. v t 1, At quo tempore futurum est? nempe eo, quum populus R. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res iudicandas requirit.

Concionibus & legibus. Hoc quid sit, Asconius declarat. Adscribemus etiam ipsius Oratoris locum ex Orat. pro Cluētio, qui planius Asconii sententiam confirmat: Cōdemnato Oppianico, statim L. Quintius (Tribunus pleb. erat & Oppianici patron') homo maximè popularis, qui omnes rumorum & concionum ventos colligere consuesset, oblatam sibi facultatem putauit, vt ex inuidia Senatoria posset crescere, quòd eius ordinis iudicia minus iam probari populo arbitrabatur. Habetur vna atque altera concio, vehemens & grauis, accepisse pecuniā Iudices, vt innocentem reum condemnarent. Tribunus pleb. clamitabat: agi fortunas omnium dicebat, nulla esse iudicia: qui pecuniosum inimicum haberet, incolumem esse neminem posse.

Vt augerem inuidiam ordinis. Senatorem Verrem iis ipsis criminibus conuincens, quorū hoc tempore ordo Senatorius insimulatur. Ipse Verr. v 1 1, Denique si videor hic, id quod ego nō quæsiui, de vno isto voluisse crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri nō potest, de multis mihi crescere licebit.

Depeculatorem ærarij. In Quæstura.

Vexatorem Asiæ. In Legatione.

Prædonem iuris vrbani. In Prætura vrbana.

Labem atque perniciem pro. sic. In Prætura Siciliensi.

CICERO. » De quo si vos seuerè, religiosèque iudicaueritis: auctoritas ea quæ in vobis remanere debet, hæ 3.
137 » rebit. sin istius ingentes diuitiæ iudiciorum religionē, veritatéque perfregerint: ego hoc tamen as-
» sequar, vt iudicium potius Reipub. quàm aut reus Iudicibus, aut accusator reo defuisse videatur.
» Equidem, vt de me confitear Iudices, quū multæ mihi à C. Verre insidiæ terra marique factæ sint,
» quas partim mea diligentia deuitarim, partim amicorum studio, officióque repulerim: nunquam
» tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque tantopere pertimui, vt nunc in ipso
» iudicio. neque tantum me expectatio accusationis meæ, concursúsque tantæ multitudinis, quibus 4.
» ego rebus vehemētissimè perturbor, cōmouet: quantum istius insidiæ nefariæ, quas vno tempore
» mihi, vobis, M. Glabrioni Prætori, Sociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique Senatorio fa-
» cere conatur. qui ita dictitat, iis esse metuendū, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissēt: se tantum
» rapuisse, vt id multis satis esse possit: nihil esse tam sanctum, quod nō violari, nihil tam munitum
» quod non expugnari pecunia possit. quòd si quàm audax est ad conandum, tam esset obscurus in 5.
» agendo: fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. verū hoc adhuc percōmodè cadit, quòd cum
» incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta est. nā vt apertus in corripiēdis pecuniis fuit,
» sic in spe corrumpendi iudicii perspicua sua consilia, conatúsque omnibus fecit. semel ait se in vi-
» ta pertimuisse, tum, quū primùm reus à me factus sit: quòd, quū è prouincia recens esset, inuidiáque
» & infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret, tum ad iudicium corrumpendum tempus
» alienum offenderet.

Auctoritas ea. Iudiciorum. Sic Verr. t 1 1, Vt quū hæc res pro voluntate populi R. esset iudicata, aliqua ex parte, mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur.

Insidiæ terra marique. Rodiens ex Sicilia, iter à Rhegio Romam vsque terra facere veritus, propter fugitiuorum & Verris insidias, à Vibone (quæ est vrbs in Agro Brutio) Veliam Lucaniæ oppidum paruo nauigio transiit. pag. 264.

Quas vno tempore mihi. Meæ existimationi, præuaricationis præmia proponens: vt infrà, Fecit animo lubentissimo populus R. vt cuius diuitiæ me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecuniis de honore deiicerer.

Nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Alludit ad Philippi dictū, nullū esse oppidū tam munitum, quod expugnari non possit, modò asellus auro onustus posset in illud ascendere.

Tum quum primùm reus à me factus sit. Liber Asconii, Tum, quum à me reus factus sit. Nihil censeo mutandum. Sæpe enim interpretes non omnia verba religiosè describunt.

CICERO. » Itaque quum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulauissem, Inuenit iste, qui sibi 6.
138 » in Achaiam biduo breuiorem diem postularet: non vt idem conficeret diligentia, & industria sua
» quod ego meo labore, & vigiliis cōsequutus sum. etenim ille Achaicus Inquisitor ne Brundisium
» quidem peruenit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, vt omnium populorū, priuato-
» rūmque literas, iniuriásque cognoscerē. vt perspicuū cuiuis esse possit, hominem ab isto quæsitum
» esse non qui reū suū adduceret, sed qui meū tempus obsideret. nūc homo audacissimus atque amen- 7.
» tissimus hoc cogitat: intelligit me ita paratū, atque instructū in iudicium venire, vt nō modò in au-
» ribus vestris, sed in oculis omniū sua furta, atque flagitia defixurus sim. videt Senatores multos esse
» testes audaciæ suæ: videt multos Equites R. frequētes, præterea ciues atque socios, quibus ipse insi-

gnes iniurias fecerit: videt etiã tot graues ab amicissimis ciuitatibus legationes cũ publicis auctoritatibus, ac testimoniis conuenisse. quæ quũ ita sint, vsque eò de omnibus bonis malè existimat, vsque eò Senatoria iudicia perdita profligatáque esse arbitratur, vt hoc palàm dictitet, nõ sine causa se cupidum pecuniæ fuisse, quoniam tantum in pecunia præsidiũ experiatur esse: sese, id quod difficillimum fuerit, tempus ipsum emisse iudicii sui, quo cætera facilius emere posset: vt, quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis deuitaret.

Perexiguam diem. Quantum spatii fuerit, intelligitur ex libro sequẽti, pag. 168. Nunquam autem, quod sciã, Dies in virili genere pro Tempore vsurpatur: sed in in fœminino & pro Tempore, & pro XII horarum die. vt libro Epist. ad Att. II, Nos in Formiano esse volumus vsque ad pridie Non. Maias. eò si ante eam diem non veneris, Romæ te fortasse videbo.

Non vt idem conspiceret. Nõ quod se tam industriũ ac diligentẽ putaret: sed vt meũ tempus obsideret. Diligẽtia autẽ ad multitudinẽ literarũ: Industria ad celeritatẽ reditionis refertur. Ver. III, pa. 168.

Reum suum adduceret. Adduci intelligo non ex Achaia; nam eum Romæ reũ fecerat: sed in iudicium. vt paulo suprà, Adductus est in iudicium C. Verres. Et in Orat. sequenti. Quid iam Reipub. honestius, quàm in tanta inuidia iudiciorũ adducere hominem, cuius damnatione, &c. Et sic loquutus est in Orat. pro Milone, Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad vixit.

Meum tempus obsideret. Vt illud occupet, méque ab eo remoueat. Nam tres eo anno menses Tullio erepti sunt, ad agendum maximè appositi, pag. 168.

Tot graues ab amicissimis ciuitatibus legationes. Decedentibus de prouincia moris erat, vt ciuitates eius prouinciæ Senatusconsulto Legationes decernerent, eásque Romam mitterent: quæ, si Magistratu functi abstinenter, & moderatè prouinciam rexissent, eos laudarent: sin minus, vituperarent, atque in iudiciũ, postulato actore, adducerent. Laudationis autẽ ferè legitimus numerus decem erat ciuitatum, quemadmodũ ex Verrina VII, intelligitur: quibus tum præsertim locus dabatur, quũ Magistratu functus in suspicionẽ iniquæ administrati imperii vocaretur. Alioqui enim de Legationibus ita scribit Cicero ad Appiũ, Epistolarũ lib. III, Deinde vidi multis accidere, vt eorũ causa Legationes Romam veniant. sed his Legationibus nõ memini vllum tẽpus laudandi, aut locũ dari. De priuatorum quidem hominũ laudationibus (priuatos autẽ dico, etiã Magistratibus fungentes, ciuitatum videlicet laudationes ab iis distinguens) Valerius Max. lib. VI, cap. Quæ liberè dicta aut facta sunt, sic scribit: Quũ Cato in Senatorem nocentem & infamem reu Iudex sedisset, tabellæque Cn. Põpeii laudationẽ eius cõtinẽtes prolatæ essent, proculdubio efficaces futuræ pro noxio, submouit eas è quæstione, legem recitãdo, qua cautum erat, ne Senatoribus tali auxilio vti liceret.

Tempus ipsum emisse. Pecunia effecisse vt causam non nisi anno insequente diceret. quo anno & ab hoc Prætore M. Glabrione, & à magna parte horum Iudicum, ad Prætorem alium, Iudicésque alios veniret.

Procellam temporis. Translatum à nauiculariis, qui si infestum aliquem & periculosum locum adituri sunt, eóque ipso tempore procella aliqua impendere videatur, eam tamen deuitant. Nam Procella venti impetus vehementissimus, sed non diuturnus.

9. Quòd si non modò in causa, verùm in aliquo honesto præsidio, aut in alicuius eloquentia aut gratia spem aliquam collocasset: profectò non hæc omnia colligeret, atque aucuparetur, nõ vsque eò despiceret, contemneretque ordinem Senatoriũ, vt arbitratu eius deligeretur ex Senatu qui reus fieret: qui dum hic, quæ opus essent, compararet, causam interea ante eum diceret. quibus ego rebus quid iste speret, & quò animum intendat, facilè perspicio. quam ob rem verò se cõfidat aliquid perficere posse hoc Prætore, & hoc cõsilio, intelligere non possum. vnum illud intelligo, quòd populus R. in reiectione Iudicũ iudicauit, ea spe istum fuisse præditum, vt omnem rationem salutis in pecunia poneret: hoc erepto præsidio, vt nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur. Etenim quod est ingenium tantum, quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ istius vitam tot vitiis flagitiísque conuictam, iampridem omnium voluntate, iudicióque damnatam, aliqua ex parte possit defendere? cuius vt adolescentiæ maculas ignominiásque prætereeam, Quæstura primus gradus honoris quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum à Quæstore suo pecunia publica: nudatum & proditum Consulem: desertum exercitum: relictam prouinciam: sortis necessitudinem, religionémque violatã? cuius Legatio exitium fuit Asiæ totius, & Pamphyliæ. quibus in prouinciis multas domos, plurimas vrbes, omnia fana depeculatus est, quum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renouauit, & instaurauit Quæstoriũ: quum eum, cui Legatus, & *Proquæstor fuisset, & in inuidiam suis maleficiis adduxit, & in ipsis periculis non solùm deseruit, sed etiam oppugnauit, ac prodidit.

CIC 139

*Proquæstore l.

Quòd si nõ modò. Non modò, id est Nõ dico. vt in Diuinat. Quid habes quod possis dicere, quamobrem non modò mihi, sed cuiquam anteponare? & sæpe aliâs.

Non vsque eò despiceret. Contemnit enim, quum ex eo ordine reum aliquem fieri postulat, & modò aliquis fiat, quis ille sit, minimè laborat.

Dum hic quæ opus essent compararet. Dũ Verres pararet ea quæ sibi in iudicio opus essent. dixit dum

h. ii.

largitione & promissis Iudices sibi adiungeret, atque amicos faceret.

Perfice hoc Praetore. Artificiosa laudatio Glabrionis, & Iudicum, qua sibi beneuolétiam illorum concilias, quũ eos minimè ad corrumpendũ accommodatos, neque Verris rationi, atque consiliis appositos esse ostendit. Nonnulli libri, Hoc Glabrione Praetore. quod verbum vt glossam Asconii sub insequenti verbo subiectam, reiicio.

Quod populus R. Asconius, & plerique libri, Quod Praetor. quod vitium ex ignoratione notae veteris manauit. quum P. R. distinctae literae grãdiores, pro populus Romanus scriberentur: coniunctae verò alteram vocem, Praetor scilicet, indicarent.

In reiectione Iudicum indicauit. Quũ Verres spectatissimos & seuerissimos Iudices reiiceret, quos nullo modo corrumpi posse arbitrabatur. De reiectione satis copiose Asconius.

Omnium voluntate iudicibque damnatam Voluntatem & iudicium cõiungit, hoc sensu, Quam omnes iam damnatam vellent, & damnandam esse iudicant.

Cn. Carbonem spoliatum. Libro Accusat. 1, pag. 169.

Legatio exitium Asiae. Eodem libro, pag 172.

Multas domos, plurimas vrbes. Facilis fuit error, qui vt acciderit, veremur. vt quũ Vrbes multas, domos plurimas, scriptum esset, librarius vocem Vrbes omissam, & in margine positam, alienum in locum coniecerit.

Legatus & Proquaestor. Omnes alii Proquaestore: & sic legisse videtur Asconius.

Scelus illud pristinum. Nam vt Carbonẽ auxiliis spoliatum prodiderat, & oppugnarat, sic Dolabellae causam omnem ad inimicos accusatorésque detulit. pag. 175, 188, 197.

CICERO. 140 » Cuius Praetura vrbana aediũ sacrarum fuit, publicorúmque operũ depopulatio: simul in iure dicendo bonorum possessionúmque contra omniũ instituta addictio, & condonatio. Iam verò omnium vitiorũ suorum plurima & maxima cõstituit monimẽta, & indicia in prouincia Sicilia: quam iste per trienniũ ita vexauit, ac perdidit, vt ea restitui in antiquũ statum nullo modo possit: vix autẽ per multos annos, innocẽtésque Praetores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. hoc Praetore Siculi neque suas leges, neque nostra S. C. neque cõmunia iura tenuerunt. tantum quisque habet in Sicilia, quantũ hominis auarissimi, & libidinosissimi aut imprudentiá subterfugit, aut satietati superfuit. nulla res per trienniũ, nisi ad nutũ istius, iudicata est: nulla res cuiusquam tam patria, atque auita fuit, quae nõ ab eo, imperio istius abiudicaretur, innumerabiles pecuniae ex aratorũ bonis nouo nefarióque instituto coactae: Socii fidelissimi in hostiũ numero existimati: ciues Romani seruilem in modum cruciati, & necati: homines nocẽtissimi propter pecuniam iudicio liberati, honestissimi, atque integerrimi absentes rei facti, indicta causa damnati, & eiecti: portus munitissimi, maximae tutissimaeq; vrbes piratis, praedonibúsque patefactae: nautae, milítesque Siculorum, socii nostri, atque amici fame necati: classes optimae, atque opportunissimae cũ magna ignominia populi R. amissae & perditae. Idẽ iste Praetor monumẽta antiquissima partim Regum locupletissimorũ, quae illi ornamẽto vrbibus esse voluerunt: partim etiam nostrorũ Imperatorum, quae victores ciuitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt, spoliauit, nudauitque omnia.

Iura sacrarum aedium depopulatio. Pag. 211.

Bonorum possessionúmque addictio. Pag 201, & seq. Addici verò bona dicuntur, quae Praetoris imperio alteri è litigatoribus traduntur: veluti, Edixit Praetor nequis haeredẽ mulierem instituat. Instituit aliquis filiam: eique Maeuium substituit. Praetor bona Maeuio cõdonabit. hoc significat Addicere. Vide pag. 203. Addicit praeterea, & tum maximè quũ in iure fit cessio. fit autem illa per tres personas: Cedentis, id est domini: Vindicantis, id est eius cui ceditur, & Addicẽtis Praetoris. Sic enim Vlpiani locum restituendum arbitror. Condonare autem possessionem, est quũ duo inter se de possessione contendunt (meliore enim conditione est is qui possidet, quàm qui petit) alterũ possessorem constituere, & à petitionis onere liberare.

Aut imprudentia subterfugit. Imprudentiam, omnes tum veteres, tum impressi libri. Mihi haec probatur: quòd prudentiam hac in re subterfugere diceremus, non imprudentiam.

CICERO. 141 » Neque hoc solùm in statuis publicis, ornamẽtísque fecit: sed etiam delubra omnia sanctissimis religionibus cõsecrata depeculatus est: deum denique nullum Siculis, qui ei paulo magis affabrè, atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris verò, & flagitiis nefarias eius libidines cõmemorare, pudore deterreor: simul illorũ calamitatem cõmemorando augere nolo, quibus liberos coniugésque suas integras ab istius petulantia conseruare nõ licitũ est. At enim haec ita commissa sunt ab isto, vt non cognita sint ab omnibus. hominem esse arbitror neminem, qui nomen istius audierit, quin facta quoque eius nefaria cõmemorare possit: vt mihi magis timendum sit, ne multa crimina praetermittere, quàm nequa in istum fingere existimer. neque enim mihi videtur haec multitudo, quae ad audiendum cõuenit, cognoscere ex me causam voluisse: sed ea quae scit, mecum recognoscere. quae quũ ita sint; iste homo amens ac perditus alia mecum ratione pugnat: non id a-

git, vt alicuius eloquentiam mihi opponat: non gratia, non auctoritate cuiusquam, nó potentia nititur: simulat his se rebus confidere. sed video quid agat (neque enim agit occultissime) proponit inania mihi nobilitatis, hoc est hominum arrogantium nomina: qui nó tam me impediunt, quòd nobiles sunt, quàm adiuuant, quòd noti sunt: simulat se eorum præsidio confidere, quũ interea
16. aliud quiddam iamdiu machinetur. Quam spem nunc habeat in manibus, & quid moliatur, breuiter iam Iudices exponam: sed prius, vt ab initio res ab eo constituta sit, quæso cognoscite. Vt primùm è prouincia rediit, redemptio est huius iudicii facta grandi pecunia: *mansit in conditione *ea mansit. L.
atque pacto vsque ad eum finem, dum Iudices reiecti sunt.

At enim hæc ita. Hæc subiectio referenda ad illud est quod suprà negauit, vllam esse tantam eloquentiam, quæ aliqua ex parte possit illius vitam defendere.

Inania nobilitatis, hoc est hominum arrogantium nomina. Ludit obscurè ancipiti significatione vocabuli, vt & Nomina inania dicat, quasi vana ac futilia: & Inania nobilitatis, quasi veræ ac germanæ nobilitatis expertia.

Adiuuant quòd noti sunt. Acerbè dictum per agnominationem verborum Nobilis & Notus. Nam illud, Satis notus est, in deteriorem partem accipitur. vt alibi diximus

Mansit in conditione. Asconius, Ea mansit in conditione. & sic emenda.

Redemptio est huius iudicii facta grandi pecunia. Translatũ à redemptionibus operis faciẽdi. Nam qui certo pretio opus aliquod faciendu suo periculo cõduxit, Redemptor dicitur: & qui locat, Vẽditor. opus verò ipsum, Redemptoris bona. pag. 215. Et contumeliose ducta similitudo ab operariis & fabris, qui vulgò suas operas locant, quasi hi quoque artem corrumpendorũ iudiciorum vulgò mercede proposita exercerent.

Posteaquam reiectio Iudicũ facta est: quòd & in sortitione, istius spem fortuna *populi R. & in CICERO.
reiiciendis Iudicibus, mea diligentia istorum impudentiam vicerat: renuntiata est tota conductio. 142
17. præclarè se res habebat: libelli nominum vestrorũ consiliique huius in manibus erant omnium: *Reipub.
nulla nota, nullus color, nullæ sordes videbantur his sententiis allini posse: quũ iste repentè ex alacri, atque læto sic erat humilis, atque demissus, vt nõ modò populo R. sed etiam sibi ipse cõdemnatus videretur. Ecce autem repentè, his diebus paucis, comitiis Cõsularibus factis, eadem illa vetera cõsilia pecunia maiore repetũtur, eædémque vestræ famæ, fortunisque omniũ insidiæ per eosdem homines cõparantur. quæ res primo Iudices pertenui nobis argumento, indicióque patefacta est: pòst aperto suspicionis introitu ad omnia intima istorum consilia sine vllo errore peruenimus.
18. Nam vt Hortensius COS. designatus domum reducebatur è campo, cum maxima frequentia, à multitudine: fit obuiã casu ei multitudini C. Curio: quem ego hominẽ honoris potius, quàm contumeliæ causa nominatum volo. etenim ea dicam quæ ille si cõmemorari noluisset, non tanto in conuentu, tam apertè, palámque dixisset: quæ tamen à me pedetentim cautéque dicẽtur, vt amici-
19. tiæ nostræ, & dignitatis illius habita ratio esse intelligatur. videt ad ipsum Fornicem Fabianum in turba Verrem: appellat hominẽ, & ei voce maxima victoriã gratulatur: ipsi Hortẽsio, qui Consul erat factus, propinquis necessariisque eius, qui tum aderant, verbũ nullum facit: cum hoc consistit, hũc amplexatur, hũc iubet sine cura esse. Renuntio, inquit, tibi te hodiernis comitiis esse absolutũ.

Fortuna populi R. Nam forte Iudices contigerunt in iudicio C. Verris, nũ eiusmodi, quales ipse sperabat, & optabat. Sed cur populi R.? An potius, Reipub. legendum? vt in antiquissimo codice manu scripto. quæ verba frequentissimè mutata sunt à librariis, quũ ea notis duarum literarum P.R. & contrà R.P. scripta reperirent. Nam Populum R. frequentius Cicero pro plebe dicit. Reip. autem hæc fortuna est, sicuti initio dixit, Summo Reipub. tempore adductum Verrem. Et Orat. seq. 157, Neque enim salus vlla maior Reipub. hoc tempore reperiri potest, quàm populũ R. intelligere, diligenter reiectis ab accusatore Iudicibus, &c.

Renuntiata est tota conductio. Renuntiare conductionem, est irritam nũtiare: sicuti scribit Asconius in eum locum, Præturæ vrbanæ pag. 115, Renuntiat Rabonius illam decisionem tutoribus. Liber Asconii, & alii plerique, Conditio. sed hoc probabilius. Perstat enim in translatione redemptionis, quæ alio verbo Conductio dicitur. vt si diceret, Renuntiata est tota redemptio.

Ex alacri atque læto. Alacritatem Cicero Tusculana IV, lætitiam gestientem interpretatur. Propriè igitur Lætitia, animi est: Alacritas autẽ, corporis. Itaque hominis Lætitia propria, quippe quæ opinione constet: Alacritas autem communis omnium animantiũ. Idem de Diuinat. II, Galli victores alacritate, & quasi lætitia ad canendum excitantur.

His diebus paucis. Familiare Ciceroni, pro Paucis pòst diebus. In Orat. pro Cluentio, Asinius autem breui illo tempore occiditur, & venenum diebus paucis deprehenditur.

Comitiis Consularibus. Quibus Verris Patronus Q. Hortẽsius, & Q. Metellus, Consules designati fuerant. Fiebant autem comitia Consularia ante diem VI Cal. Sext. Hoc tempus significat Iuuenalis Satyra III, Charus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult Accusare potest.

E campo. Cāpū Martiū significat, in quo comitia fiebāt, mādabantúrq; Magistratus à populo R.

Pedetentim cauteque dicantur. Hoc loco Platonem imitatus videtur, apud quem Socrates de Protagora loquens sic inquit, [illegible]. Et in Orat. pro Cluentio, A me tamen, vt æquum est, omnia cautè pedetentimque dicētur, vt neque fides huius defensionis relicta, neque cuiusquam aut dignitas læsa, aut amicitia violata esse videatur.

Fornicem Fabianum. Fornicem, arcum triumphalē quem nunc dicimus, appellabant. Monimentum esse solebat rerum in bello præclarè gestarum. Vicerat autem Fabius Allobroges: è quibus spolia, ad columnas quæ arcum sustinebant, affixerat. Positum in Sacra via fuisse declarat Cicero pro Plancio his verbis, Equidem siquando, vt fit, iactor in turba, non illum accuso qui est in summa Sacra via, quum ego ad Fabii Fornicem impellor: sed eum qui in meipsum incurrit atque incidit. Vbi tamen corruptè Fabiū legitur. Idem libro de Orat. II, Etiā illa ridentur, quæ minuendi, aut augendi causa, ad incredibilē admirationē efferuntur: velut tu Crasse in cōcione, ita sibi ipsum magnum videri Memmium, vt in forum descendens caput ad Fornicem Fabii demitteret.

Necessariisque eius. C. Verris.

CICERO. 143 » Quod quū tam multi homines honestissimi audissent, statim ad me defertur, imò verò, vt quisque me viderat, narrabat. aliis illud indignum, aliis ridiculum videbatur: ridiculum iis qui istius causam in testium fide, in criminum ratione, in Iudicum potestate, non in comitiis Consularibus positam arbitrabantur: indignū iis qui altius perspiciebant, & hāc gratulationem ad iudiciū corrumpendū spectare arbitrabantur. etenim sic ratiocinabātur, sic honestissimi homines inter se, & mecum loquebātur, apertè iam & perspicuè nulla esse iudicia: qui reus pridiè iā ipse se condemnatum putabat, is, posteaquam defensor eius Consul est factus, absoluitur. Quid igitur? quòd tota Sicilia, quòd omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicæ priuatæque literæ Romæ sunt, nihilne id valebit? nihil inuito Consule designato. quid Iudices? non crimina, non testes, non existimationem populi R. sequentur? non; omnia in vnius potestate, ac moderatione vertentur. Verè loquar Iudices, vehementer me hæc res cōmouebat: optimus enim quisque ita loquebatur, Iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iudicia diutius. Etenim quis poterit Verre absoluto de transferendis iudiciis recusare? Erat omnibus molestum: neque eos tam istius perditi subita lætitia, quàm hominis amplissimi noua gratulatio commouebat. Cupiebam dissimulare, me id molestè ferre: cupiebā animi dolorem vultu tegere, & taciturnitate celare. ecce autem illis ipsis diebus, quum Prætores designati sortirentur, & M. Metello obtigisset, vt is de pecuniis repetundis quæreret: nuntiatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, vt is quoque domum ' mitteret, qui vxori suæ nuntiarent.

L. pueros mitteret,

Honestissimi homines inter se & mecum loquebantur. Vnus manu scriptus, Inter se & me colloquebantur. sed nihil muto.

Omnes Siculi, omnes negotiatores. Non enim Siculi soli Verrem, sed etiam Romani homines qui in Sicilia negotiabantur, accusant. pag. 228.

Non: omnia in vnius potestate. Vetus, Num omnia in vnius potestate ac moderatioue vertētur? Ne hoc quidem loco mutandum quidquam putarim.

Prætores designati sortirentur. Præter vrbis Prætorem, qui iuri dicundo tantùm præerat, aucta vrbe alii Prætores creati sunt, qui de quæstionibus capitalibus legum præscripto & imperio cognoscebant. Designati autem antequam Magistratum inirent, sortiri inter se solebant, quis de pecuniis repetūdis, quis de ambitu, quis de veneficiis, quis aliis denique quæstionibus præfuturus esset, quæ quia satis perspicua esse arbitror, mediocriter quidē eruditis, vno tantùm huiusdem auctoris loco confirmabimus. ex Orat. pro Muræna, Quid? in ipsa Prætura, nihilne existimas inter tuā & istius sortem interfuisse? huius sors ea fuit, quā omnes tui necessarii tibi optabamus, iuris dicundi. Et paulo pòst, Quid tua sors? tristis, atrox, quæstio peculatus. ex altera parte lacrymarū & squaloris, ex altera plena catenarū atque Iudicū. Nō erat igitur M. Metellus vrbis Prætor, sed Quæsitor. Aurelius Cotta eo anno vrbis Prætor fuit. nō est hoc anno M. Glabrio, sed M. Mūmius, pag. 360. Non erat Iunius qui præfuit in causa Cluentii, sed Verres. Hoc eodem modo, Prætorum prouincias nā hæ quoque prouinciæ dicūtur, vt Verr. v II, pag. 502) apertè distinguit in Orat. pro Cluēt. Quid ergo est? hæc quæstio sola ita gubernatur? quid M. Pletorii, & C. Flaminii inter sicarios? quid C. Orcinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquilii, apud quem nunc de ambitu causa dicitur? quid reliquæ quæstiones?

Vt is quoque domum mitteret. Domum pueros mitteret: alii tum veteres, tum impressi libri: quorum auctoritatem sequimur.

CICERO. 144 » Sanè ne hæc quidem res mihi placebat: neque tamen, quid tantopere in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam: vnum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam;

» fiscos complures cum pecunia Siciliensi à quodam Senatore ad Equitem Romanum esse transla
» tos:ex his quasi x fiscos ad Senatorem illum relictos esse comitiorũ meorum nomine: Diuisores
23. » omnium tribuum noctu ad istum vocatos.ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere ar-
» bitrabatur,eadem illa nocte ad me venit:demonstrat qua iste oratione vsus esset: commemorasse
» istum,quàm liberaliter eos tractasset iam anteà,quum ipse Præturam petisset, & proximis Con-
» sularibus,Prætoriisque comitiis: deinde esse pollicitum,quantum vellent,pecuniæ, si me AEdili-
» tate deiecissent.hoc alios negasse audere:alios respondisse,non putare 'perfici posse: inuentum ta-
» men esse fortem amicũ, ex eadem familia Q. Verrem Romilia, ex optima Diuisorum discipli-
» na,patris istius discipulum,atque amicũ,qui,H-S quingentis millibus depositis,id se perfecturum
» polliceretur:& fuisse 'tamen nonnullos,qui se vnà facturos esse dicerent.quæ quum ita essent,sanè
24. » beneuolo animo me,vt magnopere cauerẽ, præmonebat. Sollicitabar rebus maximis,vno atque
» eo perexiguo tempore.vrgebant comitia: & his ipsis oppugnabar grandi pecunia. instabat iudi-
» cium:ei quoque negotio fisci Sicilienses minabantur.agere, quæ ad iudicium pertinebant,liberè,
» comitiorum metu deterrebar:petitioni toto animo seruire, propter iudicium non licebat.

Neque tamen quid tum opere. Valde arridet. Cæteri tamen sic, Neque quid,&c.

Fiscos complures cum pecunia Siciliensi. Fisci propriè dicebantur,in quibus æra publica deferebantur. vt apparet ex tertio Accusat. pag. 390, Viator ac Venerius,qui fiscũ sustulit. Et eadẽ rursus Orat. Quatuor H-S quos mihi Senatus decreuit,& ex ærario dedit,ego habebo,& in cistã transferam ex fisco. At pecuniam Siciliensem intelligit,ex Siciliæ furtis & rapinis conciliatã.est ita.sed hoc verbo consultò vsus est,augendæ rei causa. Nam Fisci,vt scribit Asconius,etiam vtensilia sunt ad maioris summæ pecunias capiendas.

Diuisores omnium tribuum. Diuisores fuisse arbitror,qui & Diribitores dicebantur,qui in comitiis populũ in tribus aut classes centuriásve ad suffragia ferenda diuiderẽt, singulisque ciuibus,quum quis largitione in populum vteretur, pecuniam in sua tribu dispertirentur. Nam vnanquanque tribum suum Diuisorem habuisse docet hic locus. Neque verisimile est genus hominũ tam apertè corruptionibus accõmodatum, quasi probatum iam,& receptum fuisse. Veruntamen per hos Diuisores commodissimè suffragia corrumpebantur. Ex quo etiam Diuisorum nomen cõtumeliosum cœpit esse. vt quum Verr. v,339,ita loquitur, Tu eiusmodi euasisti,nõ in hominis luxuriosi,sed tantùm in furis,ac Diuisoris disciplina educatus.

Omnia mea causa debere. Alii,Facere debere. imperitè. quũ hoc genus dicendi frequentissimũ apud Ciceronem esse constet. cuius exempla ponerem, nisi in re aperta putidum videretur.

Quum ipse Præturam petisset. Declarat in libro Accusat. i v,pag. 433. Quod(inquit)H-S LXXX millia Diuisoribus,vt Prætor renuntiarere,dedisti.

Putare perfici posse. Aldinus & omnes impressi, Putare id perfici. Idẽ noster manu script⁹. probo.

Patris istius discipulum atque amicum. Nam Verris patrem etiam Diuisorem appellat,eo quem modò commemoraui loco.

Fortem amicum. Id est,Audacem. Opponit iis qui negarunt se id tentare audere.

H-S quingentis millibus. Coronatorum duodecim millibus,& præterea quingentis.

Et fuisse tamen. Tandem opinor,rectius legeretur. Tamen enim iam antè dictum est. quasi dicat, Quum plerique audere id se negassent,vnus tamen inuentus est,quem alii tandem exemplo,vt fit, confirmati,sequuti sunt.

Solicitabar rebus maximis. In Oratione pro Muræna, apertius declarat Cicero his verbis quàm aliud sit petendi,aliud accusandi tempus, Primùm accusandi terrores,& minæ,quibus tu quotidie vti solebas, sunt fortis viri:sed & populi opinionem à spe adipiscendi auertunt, & amicorum studia debilitant. Nescio quo pacto semper hoc fit, neque in vno atque alter oanimaduersum est:sed iam in pluribus. simulatque candidatus accusationẽ meditari visus est,vt honorem desperasse videatur. Et multa in hanc sententiam.

» Minari denique Diuisoribus, ratio non erat, propterea quòd eos intelligere videbam,me hoc
25. » iudicio districtum, atque obligatum futurum. atque hoc ipso tempore Siculis denuntiatum esse
» audio, primùm ab Hortensio, domum ad illum vt venirent:Siculos sanè in eo liberos fuisse, qui,
» quamobrem accerserentur quum intelligerent,non 'venissent. interea comitia nostra, quorum
» iste se, vt cæterorum hoc anno comitiorum,dominum esse arbitrabatur, haberi cœpta sunt. cur-
» sare iste homo potens cum filio blando & gratioso circum tribus: paternos amicos, hoc est diui-
» sores,appellare omnes,& conuenire. quod quum esset intellectum,& animaduersum: fecit animo
» libentissimo populus R. vt cuius diuitiæ me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecu-
26. » niis de honore deiicerer. Posteaquã illa petitionis magna cura liberatus sum,animo cœpi multo
» magis vacuo,ac soluto nihil aliud nisi de iudicio agere,& cogitare. reperio Iudices,hæc ab istis cõ-
» silia inita, & constituta, vt, quacunque opus esset ratione, res ita duceretur, vt apud M. Metellum

» Prætoré causa diceretur. in eo esse hæc commoda, primùm M. Metellum amicissimum: deinde » Hortensium Consulem, nô solùm, sed etiam Q. Metellum: qui quàm isti sit amicus, attendite. » dedit enim prærogatiuam suæ voluntatis eiusmodi, vt isti pro prærogatiuis iam reddidisse vi- » deatur. An me taciturum tantis de rebus existimauistis: & in tanto Reip. existimationisque meæ » periculo cuiquam consulturum potius, quàm officio & dignitati meæ? accersit alter Consul de- » signatus Siculos: veniunt nonnulli, propterea quòd L. Metellus esset Prætor in Sicilia: cum iis ita » loquitur, se Consulem esse: fratrem suû alterum Siciliam prouinciâ obtinere, alterum esse quæ- » siturum de pecuniis repetundis: Verri ne noceri possit, multis rationibus esse prouisum.

Quamobrem accerserentur. Asconius, & duo libri veteres quorum auctoritatem non opinor asper nandam, Arcesserentur.

Non venisse. Omnes alii, Non venisse. vide Asconium.

Ceterorum hoc anno. Non obscurè in C. Hortensiû, & Metellos, quasi pecunia & largitione Verris, honores assequutos.

Cuius diuitiæ. Vide infrà, Verr. 111, pag. 163.

M. Metellum prætorem. Designatum, cui sortè obtigerat, vt de pecuniis repetundis quæreret.

Pro prærogatiuis iam reddidisse videatur. Sensum interpretatur Asconius. sed tamen Eam pro Iam rectius & cócinnius legi posse arbitrarer. vt sit sensus, Pro prærogatiuis tribubus, quas ei Verres addixerat, hoc suæ erga illum voluntatis specimen & quasi primitias esse voluit. Nam Prærogatiuam trâslatè posuit pro progressione, antecessione, primordio, vt in Epist. Catonis ad Ciceronem lib. Epist. x v, Quòd si triumphi prærogatiuam putas supplicationem.

Accersit alter Consul Asconius, Arcessit. probo.

CICERO. 146 » Quid est quæso Metelle iudicium corrumpere, si hoc non est: testes, præsertim Siculos, timi- » dos homines, & afflictos, non solùm auctoritate deterrere, sed etiam Consulari metu, & duorum » Prætorum potestate: quid faceres pro homine innocente, & propinquo, quû propter hominem » perditissimum, atque alienissimum de officio, ac dignitate decedis, & committis, vt, quod ille di- » ctitat, alicui, qui te ignorat, verum esse videatur: nam hoc Verrem dicere aiebant: te non fato, vt » cæteros ex vestra familia, sed opera sua Consulem factum. duo igitur Consules, & Quæsitor e- » runt ex illius voluntate. Non solùm effugiemus, inquit, hominem in quærendo nimium dili- » gentem, nimium seruientem populi existimationi, M. Glabrionem: accedet nobis etiam illud: » Iudex est M. Cæsonius collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus, & cogni- » tus: quem minimè expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere: pro- » pterea quòd iam antea, quû Iudex in Iuniano consilio fuisset, turpissimum illud facinus non so- » lùm grauiter tulit, sed etiam in medium protulit. hunc Iudicem ex Cal. Ian. non habebimus. » Q. Manlium, & Q. Cornificium, duos seuerissimos, atque integerrimos Iudices. quòd Tribu- » ni pl. tum erunt, Iudices non habebimus. P. Sulpitius, Iudex tristis & integer, magistratum ineat » necesse est Nonis Dec. M. Crepereius ex acerrima illa equestri familia, & disciplina: L. Cassius » ex familia tum ad cæteras res, tum ad iudicandum seuerissima: Cn. Tremellius, homo sum- » ma religione, & diligentia: tres hi homines veteres Tribuni militares sunt designati: ex Calend. » Ian. non iudicabunt.

Præsertim Siculos, timidos homines. Non, quasi sint Siculi natura timidi: sed Præsertim, quòd alii essent præterea nonnulli testes Romani ciues. pag. 228.

Qui te ignorat. Qui te non nouit. Sic Terentius in Heauton.

Erras si id credis, & me ignoras Clinia. In Eunucho,

Isti te ignorabant: postquam eis mores ostendi tuos, Impetraui. Cicero Acad. quæst. I V, Maiore etiâ studio Lucullus Philosophiæ deditus fuit, quàm qui illum ignorabât, arbitrabâtur.

Hunc Iudicem ex Cal. Ian. non habebimus. Locus animaduersione dignus: ex quo illud intelligitur quod sæpe dixi, non licuisse & Magistratus & Iudicis partes vno tempore sustinere. Etiam illud: multa in Orationibus dicere Ciceronem ad tempus, non ad veritatem. Nam & Cæsonium hoc loco, & Cornificium paulo infrà spectatos & integros appellat: quû in prima Epist. ad Atticum vtrunque vt Consulatu quem petebant, indignissimum, acriter perstringat.

Iudex tristis & integer. Donatus in illum Terentii locum, Tristis seueritas inest in voltu, atque in verbis fides: Ad laudem, inquit, interdum sumitur, non ad amaritudinem Tristis. Cicero, Iudex tristis & integer. Hæc Donat. Seruius in illud Vergilii, Tristisque senectus: Seuera, inquit. Cicero, Iudex tristis & integer.

CICERO. 147 » Subsortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is huic ipsi quæstioni præfuturus est. ita » secundum Calend. Ianu. & Prætore, & propè toto consilio commutato, magnas accusatoris » minas, magnámque iudicii expectationem ad nostrum arbitrium, libidinémque eludemus.

31. » Nonæ ſunt hodie Sextiles:hora nona convenire cœpiſtis.hunc diem iam ne numerant quidem.
» decem dies ſunt ante ludos votiuos,quos Cn. Pompeius facturus eſt.hi ludi dies quindecim auferent:deinde continuò Romani conſequētur.ita propè XL. diebus interpoſitis,tum denique ſe ad
» ea quæ à nobis dicta erunt, reſponſuros eſſe arbitrantur:deinde ſe ducturos & dicendo, & excu-
» ſando facilè ad ludos Victoriæ: cum his plebeios eſſe coniunctos, ſecundum quos aut nulli, aut
» pauci dies ad agendum futuri ſunt:ita defeſſa, ac refrigerata accuſatione rem integrā ad M.Me-
» tellum Prætorem eſſe venturam:quem ego hominem, ſi eius fidei diffiſus eſſem, Iudicem nō re-
» tinuiſſem.nunc tamen eo animo ſum,vt eo Iudice,quàm Prætore, hanc rem tranſigi malim, &
32. » iurato ſuam, quàm iniurato aliorum tabellas committere. Nunc ego Iudices, iam vos conſu-
» lo,quid mihi faciendum putetis: id enim conſilii mihi profectò taciti dabitis, quod egomet mi-
» hi neceſſario capiendum intelligo.ſi vtar ad dicēdum meo legitimo tempore:mei laboris, indu-
» ſtriæ,diligentiæque capiam fructum,& ex accuſatione perficiam, vt nemo vnquam poſt homi-
» num memoriam paratior,vigilantior,compoſitior ad iudicium veniſſe videatur.ſed in hac lau-
» de induſtriæ meæ reus ne elabatur,ſummum periculum eſt.

Subſortiemur etiam in M. Metelli locum. Non ſubſortiebantur Cōſules,ſed Prætor vrbis,vnà cum Iudice quæſtionis. Itaque hæc dicuntur ex perſona Metelli, non vt Cōſulis,ſed vt amici Verris, ad ſpem omnem Siculi.tollendam:quaſi omnia in eorum manu ſint.Subſortitio verò in eorū fiebat locum, qui vel ob reiectionem, vel aliam ob cauſam, vt quia Magiſtratus eſſent, in conſilio intereſſe non poterant.

Nonæ ſunt hodie Sextiles. Quintus dies Auguſti.Romulus Martiū primū anni menſem conſtituit. vnde Iulius,ante C.Iulium Cæſarē,Quintilis: Auguſtus, ante Auguſtū,Sextilis dicebatur. Id illi S.C.datum eſt, quòd eo menſe triumphos tres in vrbem intulerat : & AEgyptū in ditionem populi R. redegerat.Tranquillus,Macrobius.

Ante ludos votiuos. Vouebantur à Magiſtratibus pro ſalute Reip.Profecturi enim in militiā Imperatores,vota pro Repub.cæſis victimis nuncupabant.inde paludati extra vrbem exibant.Hæc autem ideo dicit,quia ludorum diebus iudicia in vrbe non exercentur.

Quos Cn. Pompeius facturus eſt. Qui quum adhuc Quæſtor eſſet, cum imperio Conſulari contra Sertoriū miſſus eſt.in quo imperio eos Ludos vouerat. Votiui autem ludi XVII Cal. Septemb. dabantur,vt ex hoc loco,rationem ſubducenti conſtabit.

Continuò Romani conſequentur. Hos inſtituiſſe traditur L. Tarquinius Priſcus, primóſque in circo, qui Maximus dictus eſt,dediſſe,bello cū Latinis fœliciter geſto,& Appiolis captis. Solēnes deinde annui manſerunt: primíque Romani ſunt nominati. Hi Iunoni,Ioui & Mineruæ ab AEdilibus curabātur:maximíque etiā appellabantur:Liuius lib.1, Cicero lib.Accuſat.v,pag 502.Locus autem pridie Calendas Sept. Romanos committi ſolitos oſtendit: & decem dies continuos duraſſe,rationem XLV dierum ſubducenti conſtabit, qui ante diem VIII Cal.Nou. vacui ludis debent intercedere. Eo enim die ad ludos redibatur:vt ex libro 3.Ep.ad Q. Fratrem intelligitur.

Prope XL. diebus. Oratoriè.nam & decem dies qui ſunt ante ludos votiuos comprehendit: qui tamen cum XXV ludorum diebus coniuncti, nonniſi XXXV efficiunt. Et quanuis ſubdifficilis ratio & computatio videatur,aut certè ſubobſcura,propter locum pag.155,tamen quū XLV dies ante diem VIII Cal. Nou.numerandi ſint vacui ludis, Romanos ludos nō amplius decem dies duraſſe arbitramur.

Aut nulli, aut pauci dies. Nā tres Iudices Nonis Decemb.magiſtratū ineunt:vt paulo antè oſtēdit.

Deinde ſe ducturos. Eſt enim ex ſuperiorum dierum die,aduſque alteros binos,interuallum XLV dierum:vt conſtat ex Accuſat.II,pag.177: vt rectè conueniat quod dixi,ludos Victoriæ incidere in diem VIII Cal. Nouemb. Duraſſe autem vtroſque ludos, Victoriæ ſcilicet & Plebeios, dies octo, ex eo coniectura ducimur ad credendum, quòd & in eadem Ep. ad Q. Fratrem, & item ad Atticum ſcribens lib.Ep.IIII,Epiſtola Occupationum.ſic ait,Pōtinus vult ad IIII Non.Nou. triumphare.quod eum diem feſtum non fuiſſe demonſtrat. neque enim ludorum diebus triumphi agebantur..

Iurato ſuam. Neque enim qui Iudex quæſtionis erat,iurabat,quippe qui ſententiam ipſe nō ferret, ſed eorum qui ipſi in conſilio aſſidebant, tantummodo pronuntiaret. Iurabat autem vrbis Prætor,qui Iudices legebat de quæſtione ſententiam laturos,vt apparet ex Orat.pro Cluentio.

Meo legitimo tempore. Viginti diebus.hi enim dabātur ad accuſandum legitimi, totidémque defenſori ad reſpondendum.Aſconius Verr.3.

Mei laboris. Laboris,in itinere faciendo,& conquirendis literis ac teſtimoniis:Induſtriæ,in celeritate reditionis:Diligentiæ,in multitudine comparandarum literarum,& teſtium. Ver.II.

33. » Quid eſt igitur quod fieri poſſit? non obſcurum, opinor, neque abſconditum.fructum iſtum
» laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reſeruemus.nunc hominem ta-

» bulis, testibus priuatis publicisque literis, auctoritatibúsque accusemus. res omnis mihi tecum
» erit Ho[illegible] Dicam aperte, si te mecum dicendo [illegible] criminibus in hac causa contende-
» re putarem, ego quoque in accusando, atque in explican[illegible]minibus operam consumeré. nunc
» quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quàm ex istius tempore, & causa,
» malitiosè: necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. Tua ratio est, vt secundum bi- 34.
» nos ludos mihi respondere incipias: mea, vt ante primos ludos comperendinem. ita fiet, vt tua
» ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium. verùm illud, quod institueram
» dicere, mihi rem tecum esse, huiusmodi est: Ego quũ hanc causam Siculorum rogatu recepissem,
» idque mihi amplum, & præclarum existimassem, eos velle meæ fidei diligentiæque periculum fa-
» cere, qui innocentiæ, abstinentiæque fecissent: tum suscepto negotio maius mihi quiddam propo-
» sui, in quo meam in Remp. voluntatem populus R. perspicere posset. nam illud mihi nequa- 35.
» quam dignum industria, conatúque meo videbatur, istum à me in iudicium iam omnium iudicio
» condemnatum vocari, nisi ista tua intolerabilis potentia, & ea cupiditas, qua per hosce annos in
» quibusdam iudiciis vsus es, etiam in istius hominis desperati causa interponeretur.

Quoniam instituisti. Ad præteritum tempus referendum. Acaicum enim inquisitorem interpositum significat, qui & inquisitionis tempore menses tres ad agẽdum appositos eriperet: & reuersus quod reliquum erat temporis ad Calendas vsque Ianuarias dicendo consumpturus erat.

Secundum binos ludos. Votiuos & magnos.

Comperendinem. Atque ita nõ modò ego accusarim, sed tu quoq; defenderis. Comperẽdinare verò est, causa vtrinque dicta, iubere vt perendie & reus & accusator reuertãtur, causam iterum acturi. Factum autẽ esse hoc ipsum significat Accusationis 1, his verbis, Vt his ludorum diebus interpositis, nemo istum comperendinatum, sed cõdemnatum iudicaret. Et rursus Accus. III, Vt nuper posteaquam est comperendinatus, cum iam pro damnato, mortuóque esset, &c.

Astuta. Astus & Astutus ab ἄστυ. Ita est: sed Astuta non ita subtiliter hoc loco dici puto, pro Vrbana, sed pro callida & veteratoria: quum apertè extrema Oratione, hanc ipsam Astutam rationem, Malitiam appellet: Nunc id quod facimus, ea ratione, vt malitiæ illorũ occuramus, necessariò fieri intelligat. Necessarium verò declarat lib. Accus. 1, his verbis, Tametsi ita de meo facto loquor, quasi ego illud mea voluntate potius, quàm vestra iniuria adductus fecerim. Mea voluntate & Necessario consilio, inter se opponit tanquam repugnantia.

Qui innocentiæ. In Quæstura Siciliensi.

Suscepto negotio. Mea volũtate. Recipere & Suscipere inter se opponit, vt suprà ostẽdimus: pa. 120.

Nequaquam dignum industria. Id est, Humilius videbatur, quàm vt eò mihi descendendum esset.

CICERO » Nunc vero, quoniam hæc te omnis dominatio, regnúmque iudiciorum tantopere delectat: &
149 » sunt homines, quos libidinis, infamiæque suæ neque pudeat, neque tædeat, qui quasi de industria
» in odium offensionémque populi R. irruere videãtur: hoc me profiteor suscepisse, magnũ fortasse
» onus, & mihi periculosum, veruntamen dignum in quo omnes neruos ætatis, industriæque meæ
» contenderem. quoniam totus ordo paucorum improbitate, & audacia premitur, & vrgetur infa- 36.
» mia iudiciorum: profiteor, huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduũ,
» acerbum aduersarium. hoc mihi sumo: hoc mihi deposco: quod agam in Magistratu, quod agam
*ac de L. » ex eo loco, ex quo me populus R. ex Cal. Ian. secum agere de Rep. *de hominibus improbis voluit.
» hoc munus AEdilitatis meæ populo R. amplissimum, pulcherrimúmq; polliceor. moneo, prædi-
» co, ante denuntio: qui aut deponere, aut accipere, aut recipere, aut polliceri, aut sequestres, aut inter
» pretes corrũpendi iudicii solent esse: quique ad hanc rem aut potentiã, aut inpudentiã suã professi
» sunt, abstineant in hoc iudicio manus, animósque ab hoc scelere nefario. erit tum Consul Hor- 37.
» tensius cum summo imperio, & potestate: ego autem AEdilis, hoc est paulo amplius, quàm priua-
» tus. tamen hæc huiusmodi res est, quam me acturum esse polliceor, ita populo R. grata, atque iu-
» cunda, vt ipse Consul in hac causa præ me minus etiam si fieri possit, quàm priuatus esse videa-
*inter L. » tur. omnia non modò commemorabuntur, sed etiam expositis certis rebus agentur, quæ *intra
» decem annos, posteaquam iudicia ad Senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefariè, flagitio-
» séque facta sunt.

Profiteor huic generi. Nunc illud est, quod postea dicet, Id sum assecutus, vt vna hora, qua cœpi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito spem iudicii corrumpendi præciderem.

Agam in Magistratu. AEdilitate, quam proximis comitiis AEdilitiis adeptus est.

Ex eo loco. E loco superiore, ex Rostris. In primo Accus. Hanc ego causam quum agam beneficio populi R. de loco superiore. Nemini enim, nisi magistratui, cõcionem aduocare, & cum populo agere licebat.

Secum agere de Repub. ac de hominibus improbis voluit. Non enim agere cum populo, & in concionem ascendere, nisi Magistratibus licebat. vt apparet ex eo loco quem modò protuli: & ex Orat. pro

Pompeio, in exordio: & lib. Accusa. v, pag. 561. Be[...]scribe, Ac de hominibus: vt in aliis omnibus.

Consul Hortensius cum summo imperio. Consulum summum imperium, & planè regia [...]as erat. Itaque duodecimviis fasces, itē vt Regibus, præferebātur: Magistratibus omnib' inte[...]cebantur, solis nō intercedebatur: ab omnibus Magistratibus, & comitiatū & concionē auocare poterat: nullus eis auocare poterat, ne Prætor quidem, qui aliis omnibus euocabat. prouocabatur [...] ab iis ad populum: neque vitæ & necis potestatem in ciuem vllū habebant. Quare re vera populi summum erat imperium: secundùm populum, eius Consulis qui fasces haberet. Sed quæ populo, quæ Consulis potestas esset, Sallustius his verbis planissimè declarat, Itaque, quod plerunque in atroci negotio solet, Senatus decreuit, darent operam Consules nequid Respublica detrimenti caperet. Ea potestas per Senatum more Romano Magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque ciues: domi militiæque summum imperium atque iudicium summum habere: Aliter sine populi iussu nulli earum rerum Consuli iūs est.

Hoc est, paulo amplius quàm priuatus. Nam AEdilitas primus est Magistratus curulis. illisque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus erat, & ex minoribus erat Magistratibus, id est, ex iis qui minoribus auspiciis creabantur. sellam tamē curulem, & iudicia, & antiquiorē in Senatu sententiæ dicendæ locum habebāt. Priuatus autem à Latinis ei qui cum imperio est opponitur, quasi publico, & iam in re publica nō priuata versanti. quapropter à Græcis [...] & [...], quasi dicas publici, appellantur.

Quam me acturum esse polliceor. Ad populum de loco superiore.

Minus quàm priuatus. Quippe qui multis partibus melius Reip. quàm ipse Consul, cuius id munus est, consulam atque prospiciam.

Non modò commemorabuntur, sed etiam agentur. Vt scilicet de ea re populus R. suffragia ferat. Nam Commemorare, simpliciter rem exponere significat: sed Agere, eo animo exponere, vt non modò populus R. audiat, sed de ea re suffragium ferat. Agere nanque cum populo, rogare est quid populum, quod suffragiis suis aut iubeat, aut vetet. vnde pagina insequenti, Hæc omnia me diligenter seueréque acturum esse polliceor. An potius sic exponamus, Certissimis firmissimísque probationibus, atque argumentis coarguētur, & conuincentur. vt infrà 153, Ita res à me agetur, vt in eorum consiliis omnibus, non modò aures hominum, sed etiam oculi populi R. interesse videantur.

Intra decem annos. Quū dicimus Intra decem annos, hoc sine dubio significamus, Minus decem annis, vel Minus decem ab hinc annis. quod exemplis confirmandū est. Plautus in Curculione,

Dimidiam partem nationum vsque omnium
Subegit solus, intra viginti dies.

Liuius libro quarto, Decemuiros legibus scribēdis intra decem hos annos & creauimus, & è Repub. sustulimus. Idē lib IX, Quid ego antiqua repetam: nuper intra decem annos C. Mænius Dictatura se abdicauit. Cæsar lib. I, Intellecturū, quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis qui intra annos XIIII tectum non subissent, virtute possent, id est paulo minus annis XIIII proximis. Liuius lib. IX, Puberes ad triginta omnes intra annum cum stirpe extinctos. Idem lib. X, Legem recitari iussit, qua inter decem annos eundem Cōsulem refici non liceret. Similiter Intra Calendas, id est ante exitum eius diei. quod contrà tamen apud Gellium ineptissimè disputatur. Itaque quum mihi huius scripturæ fides in dubium veniret, consului librum Asconii, in quo non Intrà, sed Inter, & in manu scripto, & in Aldino reperi. quam lectionem longè probabiliorem & commodiorem esse iudicaui. Video enim vsurpatum ab hoc auctore esse multis in locis hoc dicendi genus, quod nostram sententiam planissimè confirmat: vt in Orat. pro Quintio, Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium, quum potestas esset agendi quotidie. Et pro lege Manilia, Qui inter tot annos vnus inuentus est, quem socii in vrbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quibus ex locis hac locutione Inter tot annos, nihil aliud significari videtur, quàm Per tot annos. quod etiam ex illo Titinnii intelligitur, apud Noniū Marc. Quæ inter decem annos nequisti vnam togam detexere. Similem etiam errorem irrepsisse video in libro Liuii ab vrbe condita primo: quum Aldus & veteres manuscripti habeant in eo loco, Bina postea inter tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia: alii Intra emendarunt, & hodie in multis impressis legitur.

" Cognoscet ex me populus Ro. quid sit quamobrem, quū Equester ordo iudicaret, annos propè CICERO.
" quinquaginta continuos *nullo Iudice Equite R. iudicante, ne tenuissima quidem suspicio acceptæ 150
" pecuniæ ob rem iudicandam constituta sit: quid sit, quòd iudiciis ad Senatorium ordinem trans- *nulla
" latis, sublatáque populi R. in vnum quemque nostrum potestate, Q. Calidius damnatus dixerit
" minoris *H-S XXX M Prætorium hominem honestè non posse damnari: quid sit, quòd P. Septimio *H-S minus
" Senatore damnato, Q. Hortensio Prætore, de pecuniis repetundis, lis æstimata *sit in eo nomine, *sit eo
" quòd ille ob rem iudicandam pecuniam accepisset: quòd in C. Herennio, quòd in C. Popilio Sena-
" toribus, qui ambo peculatus damnati sunt: quòd in M. Attilio, qui de maiestate damnatus est, hoc

» planum factum est eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse: quòd inventi sunt Senatores, » qui C. Verre Prætore vrbano sortiente, exirent in suum reum, quem incognita causa condemnarent: quòd inuentus est Senator, qui quum Iudex esset, in eodem iudicio ab reo pecuniam acciperet, » quam iudicibus diuideret, & ab accusatore, vt reum damnaret. iam verò quomodo illam labem, » ignominiam, calamitatémque totius ordinis conquerar, hoc factũ esse in hac ciuitate, quũ Senatorius ordo iudicaret, vt discoloribus signis, iuratorum hominum sententiæ notarentur: hæc omnia me diligenter, seueréque acturum esse polliceor. Quo me tandem animo fore putatis, siquid in » hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum atque commissum: quum præsertim planum facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia multis audientibus sæpe dixisse, » se habere hominem potentem, cuius fiducia prouinciam spoliaret.

Nullo iudice Equite R. Sic omnes, quos vidi, codices. Ego contra omnium auctoritatem clarissimi & eruditissimi viri Iohannis Lucanii iudiciũ secutus, NVLLA in casu recto restituendũ opinor.

Ne tenuissima quidem suspicio. Hæc dicuntur Oratoriè, & ad tempus. Cõtra enim scribit Appianus, Equites non minus turpiter & flagitiose iudicia administrasse, quàm Senatores.

Nobilitasque populi R. Quam habebat per Tribunos. Magna enim Tribunorum potestas, nõ modò in Senatores, sed etiam in Magistratus. itaque Magistratum, quem vellent, in cõcionem rapere pro suo iure poterant: & qua de re visum esset, interrogare, prehenderéque, atque in vincula ducere vel Consulem ipsum, vt scribit Plutarchus in Tiberio. Liuius verò, Appium Claudium Censorem, à Tribuno pl. Sempronio prehensum esse, atque in vincula duci iussum: missos in Africam Tribunos, qui Scipionem, si Prætoris dicto audiens non esset, comprehenderent, ac iure sacrosanctæ potestatis reducerent. Tullius autem libro de Legib. III, quum reliqui Magistratus omnes Consuli parerent, vnum Tribunũ pl. illius imperio nõ paruisse demõstrat. Asconius autem de sublata intercessione locum interpretatur: quod mihi quidẽ dubium, ac lubricum videtur, ex eo quod scribit Cæsar libro de Bello ciuili primo, & Cicero de Legib. III, Syllam nudata omnibus rebus Tribunitia potestate, tamen intercessionem liberam reliquisse: hoc amplius, quod de potestate Tribunorum in Senatores Cicero loquitur, quum intercessio non omnino in Senatores, sed iniustis Magistratuum decretis opponeretur.

Minoris H-S XXX M. Liber Asconii, Minoris H-S tricies. quæ summæ vehemẽter inter se discrepãt: nam illa septingẽtos quinquaginta aureos efficit, hæc septuaginta quinque millia. Vtra verò probabilior sit, difficile est existimare. tametsi aliorum damnationes litiúmque æstimationes reputãti, perexigua sanè hæc summa videtur septingentorum quinquaginta aureorum: præsertim quum ab Oratore commemoretur non paruæ alicuius summæ loco, ac numero, sed eius quæ magnas Senatorum rapinas fuisse demonstret. Omnino autem aut Millibus integrè scribendum est, aut his notis vtendum, CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ: de quibus in Orat. pro Q. Roscio explicauimus: sed mihi verior Asconii lectio videtur.

Q. Hortensio Prætore, de pecuniis repetundis. Ordo est, P. Septimio dãnato de pecuniis repetundis, Prætore Q. Hortensio. Hæc enim Q. Hortensio Prætori sors obtigit, vt de repetundis pecuniis quæreret: sicuti cõstat ex libro de Clar. Orat. Sed cur nominatim Q. Hortensio Prætore? An criminose hoc dictum est in Hortensium? vt Asconius interpretatur. Mihi quidem minime videtur: præsertim quum damnatum dicat Sulpitium. An igitur vt rem nemini dubiam, sed manifestam, & vel ipsius aduersarii oculis testatam prolaturum se ostendat? opinor, hæc potius causa est.

Lis æstimata sit in eo nomine. Omnes alii libri, AEstimata sit eo nomine. Et in Orat. pro Cluentio, P. Septimio Scæuolæ litem eo nomine esse æstimatam. AEstimari autem lis dicitur, quũ reo damnato initur furtorum eius omnium ratio atque æstimatio, ex qua, summa quædam pecuniæ conficitur: vt sociis ereptæ pecuniæ restituantur. Nam continuò damnati bona Sectoribus auctione venduntur, qui eam summam Quæstoribus AErarii repræsentent.

C. Popilio. Hunc in Ora. pro Cluentio Publium appellat, vbi de hisce omnibus copiosè commemorat.

C. Verre sortiente. Aut subsortiente legendum, aut Sortiri pro Subsortiri positum, atque vsurpatum est. Iunianam enim subsortitionẽ significat, de qua & hoc extremo libro, & in Orat. pro Cluentio multa mẽtio est. Subsortiebatur autem nõ modò Prætor vrbis, qui ius dicebat, sed vnà cum ipso is Prætor qui quæstioni capitali præesset. Itaque non modò C. Verres, qui eo anno Prætor vrbis erat, quo acta Oppianici causa est, subsortitus dicitur: sed etiam C. Iunius qui ei quæstioni præfuit. Reponebantur autem in arcam Prætoris vrbani, eorum qui manserant Iudicum nomina, in libellis perscripta. Cicero pro Cluent. Multa à C. Iunio petita est, quòd C. Verres Prætor vrbanus homo sanctus & diligens, subsortitionem eius in eo codice nõ haberet. & aliquanto pòst, Ab illo enim, siue quòd in legem non iurasset, siue quòd ex lege subsortitus Iudicem non esset, multa petita esse dicitur.

Inuenti sunt Senatores. Vnum tantùm in Cluentiana nominat, C. Fidiculaniū Falculā, à quo cōdemnatum scribit Oppianicum, quum tamen post paucos ex subsortitione dies sedisset. Sed operæpretium est alium ex Orat. pro Cæcina locum subscribere, ex quo & Fidiculanium negotium intelligatur, & M. Tullii integritas, qui quum in hac pro Cæcina testem Falculam ob eam causam repudiet, iure tamen eum in Oratione pro Cluentio absolutum fingit. Decimo, inquit, loco testis expectatus, & ad extremum reseruatus, dixit Senator populi R. splendor ordinis, decus atque ornamentum iudiciorum, exēplar antiquæ religionis Fidiculanius Falcula. In eum quid dicam, nisi id quod negare non possit, venisse in consilium publicæ quæstionis, quum ejus cōsilii Iudex non esset, adum incognita re iudicare voluisset, maluisse condemnare, quàm absoluere quum, si vno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse. Verum grauius aliquid in quempiam dici potest, quàm ad hominem condemnandum quem nunquam vidisset, neque audisset, adductum pretio esse?

Exirent. Non ex vrna, vt sit, Eorū nomina ex vrna educerentur: sicuti nonnulli existimant. Nō enim ex vrna nomen Falculæ exierat: sed Irent simpliciter accipio, quasi dictum sit, Adirent ad illud iudicium, & Prætori assiderent.

Inuentus est senator. C. AElius Stalenus in Oppianici causa Iudex, cui tamen in Orat. pro Cluentio, ab Oppianico solo numerata esse H-S sexcenta quadraginta millia corrumpendorum Iudicum causa defendit. Quapropter recitatus hic ex hac Oratione locus, in ea causa est ab Actio aduersus Tullium, cui quàm honestè & præclarè respondeat, operæpretium est ex ipsius verbis cognoscere, pag. 62. pro Cluentio.

Se habere hominem potentem. Quem significet neque obscurum est, & ipse clarè ostendit in quinto Accusationis, Hortensium compellans, Quæ iste in prouincia palàm dictitabat, quū ea quæ faciebat, tua se fiducia facere dicebat, ea ne vera putentur, tibi maxime est prouidendum.

» Neque sibi soli pecuniam quærere, sed ita triennium illud Præturæ Siciliensis distributum ha- CICERO.
» bere, vt secum præclare agi diceret, si vnius anni quæstum in rem suam conuerteret, alterum pa- 151
» tronis, & defensoribus suis traderet, tertium illum vberrimum quæstuosissimúmque annum to-
41. » tum Iudicibus reseruaret. ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M. Glabrionem
» nuper quū in reiiciendis Iudicibus commemorassem, intellexi vehementer populum R. commo-
» ueri: me arbitrari fore vti nationes exteræ legatos ad populum R. mitterent, vt lex de pecuniis re-
» petundis iudiciúmque tolleretur. si enim iudicia nulla sint, tantum vnumquenque ablaturum pu
» tant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur. Nunc quòd eiusmodi iudicia sint, tantum v-
» numquenque auferre, quantum sibi, patronis, aduocatis, Prætoribus, Iudicibus satis futurum sit:
» hoc profecto infinitum esse: se auarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimæ victo-
42. » riæ non posse. O commemoranda iudicia, præclarámque existimationem nostri ordinis, quū so-
» cii populi R. iudicia de pecuniis repetundis fieri nolint, quæ à maioribus nostris sociorum causa
» comparata sunt. an iste vnquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malā opinionem ani-
» mo imbibisset: quo maiore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quàm est apud populū R.
43. » quū in auaritia, scelere, periurio vos sui similes esse arbitretur. cui loco per deos immortales Iudi-
» ces, cōsulite, ac prouidete: moneo, prædicóque id quod intelligo, tempus opportunissimū vobis hoc
» diuinitus datum esse, vt odio, inuidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. nulla in iudi-
» ciis seueritas, nulla religio, nullá denique iam existimantur esse iudicia.

Satis esse arbitretur. Quidam corrigunt, Arbitrarentur. cuius rei si rationem aliquam afferrent, tolerabilius opinor facerent. Nunc sine causa quæ recta sunt immutare, non est mei pudoris.

Patronis, aduocatis. Moris erat in iudiciis tum priuatis, tum publicis, amicos omnes aduocare, quorum vel auctoritate vel gratia moueri posse Iudices existimabātur. Hos Aduocatos nominabant, qui præsentiam suam amico commodabant. qui verò ipsi orabant, causámque dicebant, Patronos. patet ex Orat. pro Sylla, Sex. Roscio, & aliis.

Cui loco. Locus pro Res, vt sit, Cui rei, vel existimationi. Ita Terentius in Andria,

Summum bonum esse here, putabam hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum paratum in quouis loco.

44. » Itaque à populo R. contemnimur, despicimur, graui, diuturnáque iam flagramus infamia: ne- CICERO.
» que enim vllam aliam ob causam populus R. Tribunitiam potestatē tāto studio requisiuit, quam 152
» quum poscebat, verbo illā poscere videbatur, reuera iudicia poscebat. neque hoc Q. Catulum ho-
» minem sapientissimum, atque amplissimum fugit: qui, Cn. Pompeio viro fortissimo, & clarissimo
» de Tribunitia potestate referente, quū esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum auctori-
» tate vsus: Patres Cōscriptos iudicia malè & flagitiosè tueri: quòd si in rebus iudicandis populi R.
» existimationi satisfacere voluissent, nō tantopere homines fuisse Tribunitiā potestatem desideratu
45. » ros. Ipse denique Cn. Pompeius, quum primum concionem ad vrbem Consul designatus habuit:

» vbi(id quod maxime expectari videbatur)ostendit se Tribunitiam potestatem restituturum,factus
» est in eo strepitus,& grata concionis admurmuratio. idem in eadem concione quũ dixisset, popu-
» latas,vexatásque esse prouincias,iudicia autem turpia,& flagitiosa fieri,ei rei se prouidere,ac con-
» sulere velle:eum verò non strepitu, sed maximo clamore suam populus R. significauit voluntatẽ.
» Nunc autem homines in speculis sunt:obseruant, quemadmodum se vnusquisque vestrum gerat
» in retinenda religione, conseruandisque legibus. vident, adhuc post legẽ Tribunitiam vnũ Sena-
» torem vel tenuissimum esse damnatum,quod tametsi non reprehendunt,tamen magnopere,quod
» laudent,nõ habent:nulla est enim laus,ibi esse integrũ,vbi nemo est qui aut possit,aut conetur cor-
» rumpere.hoc est iudicium in quo vos de reo, populus R.de vobis iudicabit.

Tribunitiam potestatem tanto studio requisiuit. Illam enim tres Tribuni pl. Sicinius, Quintius,& Palicanus hoc triennio summa contentione flagitarant. itaque de Pompeio ,qui eam hoc anno populo reddidit,sic loquitur Cicero libro de Legib. III, Sensit,inquit, deberi non posse huic ciuitati illam potestatem:quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem ciuis fuit, causam nec perniciosam, & ita popularem vt non posset obsisti, perniciosè populari ciui non relinquere. Palicanum autem significat.

Concionem ad urbem Consul designatus habuit. Ad vrbem,in vrbe, inquit Asconius.quod quemadmodum intelligi debeat,coniectura assequi non possum:quum locus ipse quem alibi testem citauit ex Sallustio, perspicuè extra vrbem Imperatores illos fuisse ostendat, quos ad vrbem fuisse dicit: Hi vtrique,inquit, ad vrbem Imperatores erant, impediti ne triumpharent,calumnia paucorum,quibus omnia honesta atque inhonesta vẽdere mos erat. Nemini autem quicum imperio prouinciali esset,nisi aut triumpharet,aut imperium deponeret,vrbem introire licebat. Quod etiam ipse Asconius in Orat. pro M.Scauro,planissimè demonstrat: Horum, inquit,magna pars per tabulas laudauerunt,quia aberant:inter quos Pompeius quoque.nam quòd erat Proconsule,extra vrbẽ morabatur. Et Dion lib. [illegible Greek] &c. Quibus enim mandatũ erat imperium,ii cæsis in vrbe victimis, votisque nuncupatis,paludati cõtinuò ex vrbe exibant.quod ex libro Accusationis v intelligitur, vbi sic loquitur, Alterum,quòd quũ paludatus exisset, votáque pro Imperio suo, communique populi R.nuncupasset, noctu stupri causa lectica in vrbem introferri solitus est ad mulierem nuptam vni , propositam omnibus. Itaque libro Epist.fam.XVI,quum ad Tironem scriberet,& se ad Vrbem accessisse dixisset prid.Non. Ian. paucis pòst versibus,Senatum sibi frequentem flagitasse triumphũ dicit:posteaquam se Proconsulẽ paulo antè nominasset.quum tamen satis constet Proconsulare imperio neminem in vrbe fuisse. Sed & libro tertio in Epistola ad Appium,posteaquã sic scripsit, Videbam te hanc epistolam ,quum ad Vrbem esses,esse lecturum,in Epistola insequenti apertè ostendit tum in Vrbem illum nõdum introiisse.Quinetiam ex libro x I Epist.ad Atticum,intelligitur, Ciceronem etsi in vrbem tum ingressus non esset, quòd sibi triumphum decretum iri speraba,tamen neque imperium,neque laureatos lictores,& cætera insignia deposuisse:sed cum iis Pompeium vrbe relicta profugiẽtem secutum esse.Ex his igitur omnibus facile id quod volumus intelligitur, Ad vrbẽ eos dici Magistratus, qui cum potestate prouinciali,aut nuper è prouincia reuertissent,aut nondum in prouinciam profecti essent:sed extra vrbem manerent:vt modò Pompeius,qui quum triumphum expectaret(quem postea adeptus est,vt ex Orat pro L.Manilia,Plinio,& Valerio Maximo intelligitur)extra vrbem morabatur. vt mihi obscurior Asconii sentẽtia videatur, nisi fortè Vrbis verbum latè accepit etiam pro continentibus ædificiis :vt quũ postea dixit in IV Verrinam, Etiamsi administrator eius Romæ est. Nam vt Paulus Iurisconsultus docet in l.II, D. de verb. & rer.sig. Vrbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet.vt Romæ esse dicerentur etiam qui ad Vrbem erant, quamuis in vrbe non essent. Verba sunt Ciceronis in Orat.pro Cluent. quæ meam sententiam confirmant, Intereà Oppianicus quum iam conualesceret,& huc ad vrbem profectus esset,(solebat enim extra portam aliquid habere conducti)cecidisse ex equo dicitur,&c.

Factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. Consuetudo populi,quum quid,quod sibi placeret,in concione audisset,teneri nõ poterat quin summissa voce,alius alii benè & præclarè dictum insusurraret. In Orat.pro Pomp.quum Orator obscurè Lucullũ auaritiæ notasset,ea re lætus populus insusurrare cœpit,significari Lucullum. Vestra, inquit, admurmuratio facit Quirites,vt agnoscere videamini,qui hæc fecerit.ego autem neminẽ nomino. Idem etiam in Curia Senatorum mos erat.vt in Pisonem,Quo quidem tempore cœpi P.C.fructum immortalem vestri in me & amoris,& iudicii,qui non admurmuratione,sed voce, & clamore abiecti hominis,& semiuiui furorem petulantiámque fregistis. Et Epist.ad Q.fratr. Multa feci verba de toto furore latrociniòque P. Clodii. Eum tanquam reum accusaui, multis & secundis admurmurationibus. Quintilianus lib.

x 1, Conueniens etiam ambulatio quædam, propter immodicas laudationum moras. Et aliquanto pòst, Vnde moueor vt ne id quidem transeam ineptissimè fieri, quũ inter moras laudationum, aut in aurem alicuius loquuntur, aut cum sodalibus iocantur, &c. Sed alia erat populi acclamatio aduersa, quæ, vt Cicero De Orta. 1 1 scribit, aut Orationis peccato aliquo excitatur, si asperè, si arroganter, si turpiter, si sordidè, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur. Eam ipse sustinuit, quum pro C. Rabirio diceret: Nihil, inquit, me clamor iste commouet, sed consolatur, quum indicat esse quosdam ciues imperitos, sed non multos, Nunquam, mihi credite, populus R. hic qui silet, Consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.

In retinenda religione. Iurisiurandi.

Vnum senatorem vel tenuissimum. Asconius, Vnum hominem: sed nihil censeo mutandum.

In hoc homine statuetur, possitne Senatoribus iudicantibus homo nocentissimus, pecuniosissimúsque damnari. Deinde est huiusmodi reus, in quo homine nihil sit præter summa peccata, maximámque pecuniam: vt, si liberatus sit, nulla alia suspicio, nisi ea quæ turpissima est, residere possit. Non gratia, non cognatione, non aliis rectè factis, nõ denique aliquo mediocri vitio tot tantáque eius vitia sublenata esse existimabuntur. Postremò ego causam sic agam Iudices: eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferã: vt nemo à vobis, vt istũ absoluatis, per gratiam conetur contendere. Habeo autem certã viam, atque rationem, qua omnes illorum conatus inuestigare, & consequi possim. ita res à me agetur, vt in eorum consiliis omnibus non modò aures hominum, sed etiam oculi populi R. interesse videantur. Vos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinem, atque infamiã delere, ac tollere potestis. Constat inter omnes, post hæc constituta iudicia quibus nunc vtimur, nullum hoc splendore, atque hac dignitate cõsilium fuisse. Hic si quid erit offensum: omnes homines nõ iam ex eodẽ ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest: sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quærendum arbitrabuntur. Quapropter primum ab diis immortalibus, quod sperare mihi videor, hoc idẽ Iudices peto, vt in hoc iudicio nemo improbus præter eum qui iampridem inuentus est, reperiatur. Deinde, si plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo R. Iudices, confirmo, vitã mehercule mihi prius, quàm vim perseuerantiámque ad illorum improbitatem persequendam defuturam. CICERO. 153

Aliis rectè factis. Hoc est, Non tam turpiter factis, quàm si pecunia absolutus esset. Similiter pag. 138, Quòd si non modò in causa, verum in aliquo honesto præsidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia spem aliquam collocasset. Honestum præsidium appellat, quod modò dixit Rectè factum. Item in Orat. pro Milone pag. 239, Rectè facta appellat munera, & ludos qui à Candidatis deliniendæ multitudinis causa fiunt. Qui non modò, inquit, improbitati irascuntur Candidatorũ, sed etiam in rectè factis sæpe fastidiunt.

Inuestigare & consequi. Modò Inuestigare, Peruestigare significat, & quærendo inuenire, vt apud Terentium, Nihil tam difficile, quin quærendo inuestigari possit. Aliàs Exquirere, & vestigiis odorari significat.

Post hæc constituta iudicia. Omnes propè tum veteres, tum impressi libri, Post hæc iudicia. Sed hanc scripturam & Asconii liber tuetur, & sensus ipse confirmat.

Hoc splendore. Tribuit hoc suæ fidei, & diligentiæ in reiiciendis Iudicibus: libro Accusat. 1, Ita, inquit, reiecti Iudices, vt hoc constet, post hunc statum Reip. quo nunc vtimur, simili splendore & dignitate consilium nullum fuisse.

Non iam ex eodem. In libro Accus. 1, Splendor vester facit, &c. pag. 164.

Quod sperare mihi videor: Nonnunquã etiam verbum Debere adiungitur: vt lib. Epist. 1 x Epist. 1, Quamobrẽ quãdo placatis his vtor, videor sperare debere si te viderim, &c. Sæpe hoc eodẽ modo; vt libro de Orat. 1 1, Itaque si quid est in me quod iam sperare videor, quoniã quidem, &c. Et libro de Amicitia, Quo in genere sperare videor, Scipionis amicitiam, & Lælii, notam posteritati fore.

Verùm quod ego laboribus, periculis, inimicitiísque meis tum, quum admissum erit, dedecus CICERO. seuerẽ me persecuturum esse polliceor: id ne accidat, tu tua sapientia, auctoritate, diligentia, M. Gla- 154 brio potes prouidere. suscipe causã iudiciorũ: suscipe causã seueritatis, integritatis, fidei, religionis: suscipe causam Senatus: vt is hoc iudicio probatus, cum populo R. & in laude, & in gratia esse possit. cogita, quis sis, quo loco, quid dare populo R. quid reddere maioribus tuis debeas. fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem: qua lege populus R. de pecuniis repetundis, optimis iudiciis, seuerissimísque Iudicibus vsus est. Circunstant te summæ auctoritates quæ te obliuisci laudis domesticæ nõ sinant, quæ te dies noctésque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimũ auum, grauissimum socerum fuisse. Quare si Glabrionis patris vim, & acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis: si aui Scæuolæ prudentiam ad prospiciendas insidias, quæ tuæ, atque horum famæ comparantur: si soceri Scauri constantiam, vt nequis te de vera, & certa possit sententia dimouere: intelligit populus R. integerrimo, atque honestissimo Prætore, delectóque consilio, [Cogita quo loco sis, quid dare]

nocenti reo magnitudiné pecuniæ plus habuisse momenti ad suspicionem criminis, quàm ad rationem salutis. Mihi certú est nó committere, vt in hac causa Prætor nobis, cósiliúmque mutetur. 52
non patiar rem in id tempus adduci, vt Siculi, quos adhuc serui designatorum Consulum nó mouerunt, quum eos nouo exemplo vniuersos arcesserent, eos tum lictores Consulum vocent, vt homines miseri, antea socii, atque amici populi R. nunc serui ac supplices, nó modò ius suú fortunásque omnes eorum imperio amittant, verumetiam deplorandi iuris sui potestatem non habeant.

Hoc iudicio probatur. Hoc significat quod apertè dicit pag. 164, Quid iam Reip. honestius, quàm adducere hominé, cuius damnatione totus ordo cum populo R. & in laude & in gratia possit esse

Cogita qui sis, quo loco sis. Aldinus & omnes alii, Cogita quo loco sis, quos sequi videtur Asconius.

Paternæ lege Acilia. De qua Orat. sequenti pag. 166.

Scauri Scauri. M. A Emylium Scaurum significat, quem Sallustius in Iugurth. sic describit, Scaurus homo nobilis, impiger, factiosus, audax, sed vitia sua callidè occultãs, vir Consularis & in Senatu princeps. Sed Cicero semper de illius laudibus prolixius, vt in Orat. pro Fonteio, in Bruto, & lib. de Orat. 1.

maxime eximiis, latine dici non pot.

Delectóque consilio. Id est, lectissimis & maximè eximiis Iudicibus. Sic in Orat. contra Rull. Quid censetis, quum isti Decemuiri cum imperio, cum fascibus, cum illa delecta finitorum iuuẽtute per orbem terrarum vagabuntur?

CICERO. 155

Non sinam profecto, causa à me perorata, x l diebus interpositis, tum nobis denique respódeant, 54
quú accusatio nostra in obliuionem diuturnitate adducta sit. Non cómittam vt tum res iudicetur, quú hæc frequentia totius Italiæ Roma discesserit, quæ conuenit vno tempore vndique, comitiorum, ludorum, censendique causa. Huius iudicii & laudis fructum, & offensionis periculúq; vestrum; laborem, solicitudinémque nostram: scientiam quid agatur, memoriámque quid à quoque dictum sit, omnium puto esse oportere. faciam hoc non nouum, sed ab iis qui nunc principes nostræ ciuitatis sunt, antè factum, vt testibus vtar statim. Illud à me nouum Iudices cognoscetis, quòd ita testes constituam, vt crimen totum explicem: vbi id interrogando, argumentis atque oratione firmauero, tum testes ad crimen accommodem: vt nihil inter illam vsitatam accusationé, atque hanc nouam intersit, nisi quòd in illa tunc, quú omnia dicta sunt, testes dãtur: hic in singulas res dabuntur, vt illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique sit. Si quis erit qui perpetuam orationem, accusationémque desiderat: altera actione audiet. Nunc id quod facimus, ea ratione facimus, vt malitiæ illorum consilio nostro occurramus, necessariò fieri intelligas. Hæc primæ actionis erit accusatio. Dicimus C. Verré, quú multa libidinose, multa crudeliter in ciues R. atque in socios, multa in deos, hominésque nefariè fecerit, tum præterea quadringéties sestertiú ex Sicilia contra leges abstulisse. hoc testibus, hoc tabulis priuatis publicísque auctoritatibus ita vobis planum faciemus, vt hoc statuatis, etiamsi spatium ad dicẽdum nostro commodo, vacuósque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse. Dixi.

(margin: 55 at "sit, omnium puto…"; 56 at "tione facimus…"; marginal notes: "vt interrogando crimen t. vbi id argumentis"; "iteratio")

Quadraginta diebus interpositis. Alii propè omnes, Triginta. Asconius Quadraginta. quod perspicuè rectum est, vt ex similibus locis intelligitur, 147, & 168. Nam oratoriè loquitur, & decem dies qui sunt ante ludos Votiuos comprehendit.

In obliuionem diuturnitate adducta sit. Ioachimus Camerarius, alios libros sequutus, Diuturnitatis. quam correctionem, vt docto homine indignam, silentio potius, quàm argumentis refutãdã puto.

Sed ab iis qui nunc. Sic Asconius. Omnes fere alii, Sed ab aliis qui nunc. Sequor Asconium.

Testibus vtar statim. In Accusationib' vsitatis, separata erat ab oratione perpetua, testiú interrogatio. hic statim sunt citati à præcone testés: quod ipse declarat Oratione proxima, pag. 163: vt tota hæc actio, testium interrogatio meritò appelletur. Atque idipsum est quod in Accusationis primo scribit his verbis, Etenim sic me ipsum egisse memoria teneris, vt in testibus interrogandis, omnia crimina proponerem, & explicarem. Non quò primus testes appellaret, quàm crimen breuiter explicasset, quemadmodum ex hisce verbis intelligitur, Vt quum rem totam in medio proposuissem, tum denique testem interrogaré: & his præterea quæ proximè consequuntur, Hîc in singulas res testes dabuntur: sed quoniam actus ille legitimus & iudicialis Testium interrogatio ob citatos primo die testes diceretur. Primùm ergo breuiter vnumquodque crimen singulatim explicabatur ab Oratore, Verres illo die, ex illo templo Dianæ signum sustulit: tum excitabat ipse testes, cósque interrogans, confirmabat accusationé. vt mihi suspectus omnino locus sit proximus, in quo scriptú hoc modo est, Vbi id interrogando, argumentis atque oratione firmauero, tú testes ad crimen accommodem. Nam si interrogando firmauit crimen, quid est quod cótinuò sequitur, Tum testes ad crimen accommodem? Quo modo enim interrogando confirmauit, nisi adhibitis, accommodatísque testibus? Aperiam igitur quod mihi in mentem venit, de quo eruditiores existimare poterunt. Quoniam in illo primi Accusationis loco, quem superius protuli, dicit se in testibus interrogandis crimina explicasse, veni in suspicionem, prætermissum in scribendo verbum INTERRO-

GANDO, postea in conferendo, ad marginem adscriptum: deinde verò ab alio scriptore non suo loco restitutum esse, itaque potius legendum sum arbitratus, Quòd ita testes constituam vt interrogando crimen totum explicem: vbi id argumentis, atque oratione firmauero, tum testes ad crimen accommodem. Vt verbum INTERROGANDO, non ipsam testium compellationem declaret, sed (vt in libro sequenti) actum illum legitimum & iudicialem, qui testium interrogatio dictus est: præsertim quū hoc ipsum apertè iisdē verbis in eo libro explicarit, Vt in testibus, inquit, interrogandis omnia crimina proponerem & explicarē. Ex quibus ipsis verbis perspicuè falsitas eorum opinionis intelligitur, qui locū hunc de reo interrogando interpretabantur, quum apertè de testium interrogatione Cicero loquatur.

Eadem interrogandi facultas. Ex his verbis apparet, quare prima hac actione non defenderit Hortensius. Nam quum testes facti tantùm producantur, neganti autem factum defensori non prosint, & tota hæc actio testium interrogatione constaret, nihil Hortensio relictum omnino est, præter eandem interrogandi, dicendi, atque argumentādi facultatem. Verba autem Oratoris in libro sequenti hæc sunt, Credo, si meis horis vti voluissem, vererer ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego accusare non possem. Et aliquanto post, Nisi verò illud dicet, quod & in testimonio Tettii priore actione interpellauit Hortensius. quo tempore quidem satis signi dedit, si quid esset quod posset dicere, se tacere non posse: vt quandiu in cæteris rebus tacuerit, scire omnes possemus, nihil habuisse quod diceret. Et lib. III, pag. 321, Qua re igitur id assecutus es? ingenio? qui testes interrogari priore actione nolueris, & iis tacitum os tuum præbere malueris, quanuis & te & patronos tuos ingeniosos esse dicito. Et lib. Acc. V, Reducam iterum Equitē R. L. Flauium, si voles, quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadā sapientia, vt omnes intelligunt, conscientia tua testem nullum interrogasti. Aliam tamen in Oratore causam huiusce rei attulit, quam subiiciam, Est inquit, τὸ παθητικόν, quod bene tractatū ab Oratore, admirabilem eloquētiam facit: quo perturbantur animi, & concitantur, in quo vno regnat oratio, estque vehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur, quod cum rapidè fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper vsi impetu, sæpe aduersarios de statu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo, summus Orator non respondit Hortensius. Hæc ille. At Plutarchus de ea re in Ciceronis vita sic loquitur, vt sæpe in Romanis historiis, in quibus hospes nonnunquam alicui videri possit.

Si quis erit qui perpetuam orationem, accusationémque desideret altera actione audiet. Moris erat tū in publicis, tum in priuatis iudiciis, vt, si Iudicibus non liqueret, Prætor Amplius cognoscendum pronuntiaret. cuius rei exemplum libro Accusationis primo pag. 187, reperies, & in Bruto, 544. Itaque de integro causa agebatur, & cognoscebatur. In hoc verò repetūdarum iudicio, lege Glauciæ, qua hoc Verris iudicium constitutum est, iubebatur, vt bis causa ageretur, pag. 116. Hoc igitur dicit, Prima hac actione interrupta atque intercisa vtemur oratione: altera verò, id est post comperēdinationem, perpetua. Similiter in Orat. pro Fonteio, 581. Fonteius ita duabus actionibus accusatus est, vt obiectum nihil sit, quo significari vestigiū libidinis possit. Et pro Cæcina, 624, Decemuiri prima actione non iudicauerunt: postea re quæsita & deliberata, sacramentum iustum iudicauerunt. Sic pro Cluentio, 25, 35, 47. Hæc igitur, vt apparet, prior actio est, aut potius prioris actionis initiū, quæ nouem continuis diebus transacta est: pag. 221.

Nunc id, quod facimus, ea ratione facimus. Tenebricosa oratio, qua, si Asconium secuti, postremum Facimus tollatur, nihil erit apertius. Referendū enim verbū illud INTELLIGAT, ad illud quod antecedit, SI QVIS. vt cuiuis appareat, non INTELLIGANT, plurali, sed INTELLIGAT singulari numero scribendū esse. Similiter autē dixit & de malitia, & de cōsilio necessario paulo suprà, Nunc quoniam pugnare contra me instituisti, non tā ex tua natura, quàm ex istius tēpore & causa maliciose, necesse est istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. Et eodem loco, Ita fiet, vt tua ista ratio existimetur astuta: meum hoc consilium, necessarium. Cur autem necessario id fieri dicat, ostendit libro sequenti in eo loco, Tametsi ita de meo facto loquor, &c. Quæ quum ita sint, haud scio an aliorum opinio pluribus verbis refutanda sit, qui locum sic correxerunt vt sic legatur, Ea enim ratione. Nam cum sine vetusti auctoritate codicis id faciunt, tū verò sentētia per se absurda est: quum præter Ciceronis, & omnino doctorum hominum cōsuetudinem, rationē cur quid dicatur, priusquam illud dictum sit, exponat.

Quadringenties HS. Sestertiorum nummorum quadringenta millia, id est decies centena millia aureorum. imo quadringenties centena millia

Dixi. Hoc verbum, inquit Donatus, denuntiatio est confirmandæ sententiæ, nec mutandæ. Et alibi, Hoc verbum in fine additum superiora confirmat, & est propriū his qui perorauerint causam.

lium dánatis permissum est, quum antea morem Græciæ imitari, verberibus animaduerterent in ciues, de condemnatis supplicium sumerent.

Salua ulla maior Reip. Quasi Reipub. interisset, manere iudicia Senatoria. itaque paulo infrà, Splendor vester facit, vt peccare sine summo Reip. detrimento ac periculo non possitis.

Itaque mihi videor magnam. Apud Non. Marcellum, in dictione Deponere, Itaque mihi videor, Iudices, magnam. quod mihi maiorem in modum arridet. præsertim quũ statim inferat, Quam vestræ laudi. Vox autem illa facilè prætermitti potuit, quum hac nota vulgò scriberetur, Iud.

Et propè depositum. Seruius in illum Verg. locum, quem citat Asconius, Consuetudo erat, inquit, vt desperati ante ianuas suas collocarẽtur, vel vt extremum spiritũ redderent terræ, vel vt possent à transeuntibus fortè curari, qui aliquando simili laborauerant morbo. Cicero, AEgram & pr. d. R. partem. hæc Seruius.

Vt esset hoc iudicatum. Corruptus apertè locus. Primùm enim neque ita latinè loquimur, Accessi vt hoc iudicatum esset: sed, Vt hoc iudicaretur. neque verò quicquam est, vnde pronomẽ HOC declarari possit. Præterea ne hoc quidẽ cõuenit quod modò dixit, iudicata ista re ex voluntate populi, auctoritatem iudiciorum visum iri auctoritate sua constitutam. Prius enim constituta sit oportet, quàm eius diligentia cõstituta videatur. Postremò, quid illud significat: Vt hoc esset iudicatũ. Difficile autem esse arbitror sine melioris ope codicis, ex ingenio locũ hunc integritati suæ restituere. sed tamẽ nostram sententiam aperiemus, vt aliis eruditioribus aditum, si possimus, ad hunc abstrusum & reconditum locum patefaciamus. Mihi quidẽ verba præposterè posita videntur: itáque fortasse restitui posse, vt quod manifestissimè malè cohærebat, posteriore loco, id est suo reponatur: hoc modo, Et, quũ hæc res pro voluntate populi R. esset iudicata, vt finis aliquando iudiciariæ cõtrouersiæ constitueretur: postremò, vt quũ esset hoc iudicatũ, aliqua ex parte mea diligentia cõstituta auctoritas iudiciorũ videretur. Quòd autẽ VT prius in ET mutaui, id eò feci, primùm quòd alterũ è duobus erat superuacaneũ: deinde quòd alioqui vocẽ POSTREMO, quæ nõnisi tertio loco ponitur, secundo loco poneremus. quũ illa hoc modo (figura nota Grãmaticis, quàm ζεῦγμα Græci appellant) cõmodissimè ad verbũ Accessi tertio loco referatur. quòd etiã significare velle videtur Asconius: vt verbũ Accessi, hoc significet, Accessi ad hanc causam. Vocẽ autem CVM, etiã interposui post verbum POSTREMO, sententia ita postulante, & adductus superioris loci similitudine, in quo ita legitur, Et quum hæc res pro voluntate, &c.

Esset hoc iudicatum. Id est, Quum ea iudiciaria cõtrouersia decisa, & iudicata esset: quum ei controuersiæ finis impositus esset.

[non in loco, sed in interprete vitium est.] [errat.]

Etenim sine dubio Iudices in hac causa ea res in discrimen adducitur: reus est enim nocentissimus, qui si condẽnatur, desinent homines dicere, his Iudiciis pecuniã plurimũ posse: sin absoluitur, desinemus nos de iudiciis transferendis recusare. Tametsi de absolutione istius neque ipse iam sperat, nec populus R. metuit. De impudentia singulari, quòd adest, quòd respondet, sunt qui mirentur: mihi pro cætera eius audacia atque amentia ne hoc quidẽ mirandũ videtur: multa enim & in deos, & in homines impiè nefariéque cõmisit: quorum scelerum pœnis agitatur, & à mente consilióque deducitur. agunt eum præcipitem pœnæ ciuium R. quos partim securi percussit, partim in vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis & ciuitatis in crucem sustulit. Rapiũt eum ad supplicium dii patrii: quòd iste inuentus est qui è complexu parẽtum abreptos filios ad necem duceret, & parẽtes pretium pro sepultura liberũm posceret. Religiones verò, ceremoniæque omniũ sacrorum, fanorúmque violatæ, simulacráque deorum, quæ nõ modò ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa, atque abdita, consistere eius animum sine furore atque amentia nõ sinunt. neque iste mihi videtur se ad damnationem offerre solùm, neque hoc auaritiæ supplicio cõmuni, qui tot sceleribus se obstrinxerit, contentus esse: singularẽ quandã pœnã istius immanis, atque importuna natura desiderat. Non id solùm quæritur, vt isto damnato bona restituantur iis, quibus erepta sunt: sed & religiones deorum immortalium expiandæ & ciuium R. cruciatus, multorúmque innocentium sanguis istius supplicio luendus est. CICERO. Pag. 158

Ea res. Maiores etiam tenebræ, si totum locum, vt scriptus est, relinquamus. Etenim quam rem intelligi dicemus? Emendamus igitur sequentẽ locũ, REVS est enim nocẽtissimus: quoniã in Asconii libro legimus, Homo est nocentissimus, ad hunc modum: Reus est homo nocentissimus: vt EA RES hoc significet quod proximè declarat. Sanè totus hic locus mihi suspectus est, neque omnino quicquam affirmare ausim. nam quod sequitur de pecunia, postulare videtur vt pro Nocẽtissimus, Opulentissimus aut simile quiddam legamus. nisi fortè vtrunque necessarium est: quod etiam non obscurè significare videtur Asconius. *Partim securi percussit.* Pag. 549, 553, 556.

[Tenebrae ... etiam ipso meridie.]

Quòd iste inuentus est. Apud Priscianum lib. VII, capite de Genitiuo pl. secundæ decl. Iste vnus inuentus est. quod ἀπροσδόκητον videtur, & mihi vehementer arridet.

E complexu parentum. pag. 539, 237.

Hoc auaritiæ supplicio communi. Asconius superiore libro quod esset supplicium lege Repetũdarum

I.ii.

constitutū ostendit his verbis, Duæ,inquit, res consequebantur damnationē,altera redditio pecuniæ iis ad quos pertinebat,in quo vel simpli,vel dupli,vel quadrupli ratio ducebatur: altera exiliū.

CICERO. 159 Non enim furē, sed ereptorē:non adulterū, sed expugnatorē pudicitiæ: non sacrilegum,sed hostem sacrorum, religionúmque: non sicariū, sed crudelissimum carnificem ciuiū, sociorúmque in vestrum iudicium adduximus: vt ego hunc vnū eiusmodi reum post hominū memoriam fuisse arbitrer cui damnari expediret.Nam quis hoc non intelligit,istum absolutum diis hominibúsque inuitis,tamen ex manibus populi R.eripi nullo modo posse?quis hoc non perspicit, præclarè nobiscum actū iri,si populus R. istius vnius supplicio contentus erit? ac non sic statuerit, non istum maius in sese scelus concepisse,quū fana spoliarit,quū tot homines innocentes necarit,quum ciues R.morte,cruciatu,cruce affecerit,quū prædonum duces accepta pecunia dimiserit:quàm eos, siqui istum tot,tantis,tam nefariis sceleribus coopertū iurati sentētia sua liberarent?Nō est,nō est in hoc homine cuiquam peccandi locus Iudices: non is est reus,non id tempus,non id consilium(metuo, nequid arrogantius apud tales viros videar dicere)ne actor quidem est is, cui reus tam nocens,tam perditus,tam victus aut occultè surripi, aut impunè eripi possit.His ego Iudicibus nō probabo C. Verrem contra leges pecunias cepisse:sustinebūt tales viri, se tot Senatoribus, tot Equitibus R.tot ciuitatibus,tot hominibus honestissimis ex tam illustri prouincia,tot populorum,priuatorúmque literis non credidisse:tantæ populi R.voluntati restitisse?sustineant:reperiemus,si istum viuum ad aliud iudicium perducere potuerimus,quibus probemus,istum in Quæstura pecuniam publicam Cn. Carboni COS.datam auertisse:quibus persuadeamus,istum alieno nomine à Quæstoribus vrbanis,quod priore actione didicistis,pecuniam abstulisse.

9.

10.

11.

[redacted]

Non furem,sed ereptorem. Grauius ergo Rapere est, quam Furari:quod quū ita sit,minus tamen esse pœnæ Raptori quàm Furi cōstitutum, mirū alicui videri possit,tametsi propter pœnæ vtraque in specie,manifestæ scilicet & necmanifestæ Rapinæ,æquabilitatē,grauius quiddā in Raptorū genus constitutum ex Theophili sententia nonnulli disputant. quā tamen illi disputatione nunquā assequētur, quin Ereptorē (saltem manifestū)Fure manifesto leuius multari appareat.Quod equidem cocoquere vix possum:illud præsertim reputās,quod Iustinianus scribit sub rit. De perp.& temp. act. quū annua sit hæc in quadruplū Bonorū raptorū actio, Furti tamen manifesti perpetuam esse in quincuplū actionē. Valde enim absurdū est,Furem manifestū perpetuò quincupli damnari:Raptorē manifestū intra annū nō pluris quàm quadrupli, anno vertente simpli: nunquā illum effugere multam posse grauissimam, hunc anno exacto multa,omni solutum esse ac liberum. Quòd si quod sentio aperiendum est: Quū Furti nomen generale sit,eóque duæ contineantur species, altera quæ generis sui nomine contenta est: altera, quæ Rapina nominatur (vt patet initio Vi bon rap. lib.Inst.IV)equidē quū Iustinianus ait,Qui res alienas rapit, tenetur etiā Furti,hoc verbū FVRTI sic acciperem vt ipse posuit, omnino scilicet atque infinitè: vt si Raptor manifestus esset, Furti manifesti teneretur: si necmanifestus,Furti necmanifesti. Quod etiam significare idem paulo pòst videtur apertius:infert enim, Sed tamen propriā actionem eius delicti nomine Prætor introduxit. Quibus verbis generalem quidem esse Furti actionē ostendit,id est tum ad Furtū,tum ad Rapinam pertinentem:sed præter illam generalem,aliā quoque specialem & propriā,huius causa delicti constitutā à Prætore fuisse. Dicet aliquis, Quorsum?Primum vt si necmanifestus Ereptor sit, grauius multetur, quàm si nec manifestus fur fuisset. æquū est enim eū grauius qui vi ac violētia diripuit, quàm qui latēter & occultè suffuratus est,puniri.deinde vt dominus, si dolorem suū vlcisci, quàm pecuniæ maiorem summā consequi malit,Ereptorē hoc iudicio (quod sine dubio turpius est,quàm illud Furti damnare possit.Postremò vt hoc flagitiū quod Legibus XII tab.notatum apertè non fuerat,sua & actione & pœna vehementissimè notetur ac vindicetur Nam quod cōiecit Tribonianus ex Pauli scriptis in legem I,D.Vi bon rap.Qui rem rapuit,& furti manifesti tenetur:id Paulū de nō manifesto Raptore intellexisse cui tandē dubiū esse potest?cogitāti præsertim quod insequēti capite Vlpianus ait Iulianū scribere eum qui vi rapuit,Furē esse improbiorē; quúmque vt paulo antè dicebamus,absurdū sit,pœnā esse Furis perpetuam in quadruplū,Ereptoris verò anno exacto nullam esse. Nam cōiecturam nostrā etiam alter locus cōfirmat in Instit. qui paulo pòst sequitur, cum qui iuris insciens rem suā rapuit, vt nō Rapinæ, sic neque Furti actionē teneri. Quis enim ita hunc locū accipiat, vt si manifestus Raptor sit,cum nec manifesti Furti actione nō teneri dicat?quo dici nihil potest absurdius. Sed Papinianus in l.si vendidero, D.de furtis,rem omnem vno verbo conficit. Quum, (inquit) Raptor omnimodo furtum facit, manifestus fur existimandus est,id est (vt & alii interpretātur,& sententia demonstrat)manifestè fur est, vel manifestū est,illum furē habendum esse.Is autem inquit)cuius dolo fuerit raptū,Furti quidē non tenebitur, sed Vi bonorū raptorū.Quibus verbis leuiorē esse Vi bonorū raptorū actionē (quatenus scilicet multā spectamus) quàm Furti, non obscurè, opinor, demonstrat. Raptorem tamen acerbius quàm Furem puniri idem ostendit. quod sanè, si manifestum Ereptorem pœna necmanifesti furis tantummodo teneri diceremus,falsissimū esse constaret.Nam finge meo dolo factum esse vt raperes. æquum est te(vt di-

ctum est) grauius quàm me puniri. at ego iam Vi bonorum raptorum teneor. qua igitur pœna tu præterea multabere? an furti nec manifesti, si manifestus ereptor es? minime: sed manifesti, vt Papinianus demonstrat.

Cui damnari expediret. Propter animaduersionem populi, ad quem, si hoc iudicio absoluatur, propter ius libertatis & ciuitatis imminutum, reuocabitur. nam animaduertere in ciuem R. ad populum solum, vt modò dixi, pertinebat. Et locus apertè ostendit, quod etiam ex Orat. pro domo sua intelligitur, vbi multatio bonorum erat, supplicium in corpus irrogari ius non fuisse.

Nobiscum actum iri. Id est, cum Senatoribus. Significat populum R. in alios quoque Senatores animaduersurum esse.

Peccandi locus. Id est, Nemini potest esse vtile, peccare.

Ad aliud iudicium perducere potuerimus. Asconius sic, Po. s. et Equitum R. Quod sic interpretati sumus, Populi scilicet & Equitum Romanorum. in quo quidem error manifestus est quùi satis constet peculatus quæstionem ad populum non pertinuisse: sed eius Quæsitoré & Iudices constitutos, item vt in aliis publicis causis fuisse. quod vel ex hoc ipso loco ita perspicuũ est, vt alia testimonia conquirere putidum videatur. Locum igitur in Asconio corruptum puto, quem tamen quemadmodum emendare possim, non dispicio.

Pecuniam publicam auertisse. Pag. 169.

Alieno nomine. Pecuniã opinor, eam significat, quã tũ empti, tũ æstimati frumẽti nomine à Quæstoribus vrbanis accepit. Illam enim fœneratus est, hanc auertit. vide librũ Accus. t i 1, pag. 381. 393.

» Erunt qui & in eo quoque audaciã eius reprehendant, quòd aliquot nominibus de capite, quan CICERO.
» tum cõmodum fuerit, frumenti Decumani detraxerit. Erunt etiam fortasse Iudices, qui illum eius 160
» peculatum vel acerrimè vindicandum putent, quòd iste M. Marcelli, & P. Africani monimenta,
» quæ nomine, illorũ: re vera, populi R. & erant, & habebantur, ex fanis religiosissimis, ex vrbibus so-
» ciorum atque amicorum non dubitauerit auferre. Emerserit ex peculatus etiam iudicio: meditetur
» de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberauit: videat quid de illis respondeat quos in eorum
» locum subditos domi suæ reseruauit. quærat, non solum quemadmodum nostro crimini, verum
» etiam quo pacto suæ confessioni possit mederi. Meminerit, se priore actione clamore populi R. in-
» festo, atque inimico excitatum, confessum esse, duces à se prædonũ securi non esse percussos: se iam
» tum esse veritum ne sibi crimini daretur, eos ab se pecunia liberatos. fateatur id, quod negari non
» potest, se priuatum hominem prædonum duces viuos, atque incolumes domi suæ, posteaquã Ro-
» mam redierit, vsque dum per me licuerit, tenuisse. Hoc in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi osten-
» derit, ego oportuisse concedam. Ex hoc quoque euaserit. proficiscar eò, quò me iampridem vocat
» populus R. de iure enim libertatis, & ciuitatis suum putat esse iudicium, & rectè putat. Confringat
» iste sanè vi sua consilia Senatoria, quæstiones omnium perrumpat, euolet ex vestra seueritate: mi-
» hi credite, arctioribus apud populũ R. laqueis tenebitur. Credet iis Equitibus R. populus R. qui ad
» vos antea producti testes, ipsis inspectãtibus ab isto ciuem R. qui cognitores homines honestos da-
» ret, sublatum esse in crucem dixerunt.

De capite detraxerit. Hæc latè dicũtur lib. i i 1, pag. 339, 340, & seq. Ex quibus illud intelligitur, Caput in Decumis eam appellari frumenti summam, qua Decumani ciuitatis alicuius Decumas coemunt. Caput auté appellatur, propter eam rationé quam habet ad lucrũ & ad accessioné: quorum vtrunque Decumanis concedebatur: sicut in mutua pecunia Caput cum Vsura confertur.

M. Marcelli, & P. Africani. Libro Accus. i v, pag. 447, & lib. i i, pag. 224.

Meditetur de ducibus. Aliud iudicium denuntiat, maiestatis scilicet.

De ducibus hostium. Libro v, pag. 515, & seq.

Nostro crimini. Nostræ accusationi. locutio vsitata. *Vsque dum per me licuerit.* Pag. 519.

Oportuisse concedam. Ἐμφατικῶς plus est enim Oportere, quàm Licere. Oportere siquidem perfectionem significat officiũ.

Eò quo me iampridem. Ad concioné populi: ad rostra, vnde solis Magistratibus agere cum populo licebat. Aliorum quidem criminũ quæstiones lege lata populus constituerat: eíque legi, vt Cicero Ver. v scribit, custodes & vindices, id est Quæsitoré & Iudices præposuerat qui de reis & accusatione cognoscerẽt. Sed huius criminis, imminutæ scilicet libertatis populi R. iurísque ciuitatis iudicium & cognitionem sibi reseruarat. quo vehementiora erant huiusmodi iudicia, propter animaduersionem potestatémque populi, de qua paulo antè commemorauimus. similiter hac eadem Oratione pag. 201, criminis Falsi quæstionem ad populum pertinere Cicero demonstrat.

Qui cognitores homines honestos daret. Cognitores hoc loco eosdem videtur existimare dici Asconius, qui in Diuinat. quũ inquit, Cognitorem iuris sui. Ego Cognitores simpliciter eos intelligo, quibus eorum qui capiebantur status & conditio nota esset, id est qui testificari possent, eos nõ esse speculatores. Itaque in lib. Accusat. v, pag. 558, vbi hæc eadem ipsa narrantur, Homines, inquit, tenues,

obſcuro loco nati, nauigant: adeunt ad ea loca quæ nunquam antea viderant; vbi neque noti eſſe iis, quò venerant, neque ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt. Et paulo pòſt, Clauſum habuiſſe quū Panormo Pretius veniret: cognoſceret hominem: aliquid de ſummo ſupplicio remitteres. ſi ignoraret, tum hoc iuris in omnes conſtitueres, vt qui neque tibi notus eſſet, neque cognitorem locupletem daret, quanuis ciuis R. eſſet, in crucē tolleretur. Hos [illegible] Græci appellant. Xenophon lib. κυρ. παιδ. v i, [illegible]

CICERO. 161 Credent omnes v & x x x tribus homini grauiſſimo, atque ornatiſſimo M. Annio, qui ſe præſente ciuem R. ſecuri percuſſum eſſe dixit. audietur à populo R. vir primarius eques R. L. Flauius, qui ſuum familiarem Herennium negotiatorem ex Africa, quū eum Syracuſis amplius centum ciues R. cognoſcerent, lacrymantéſque defenderent, pro teſtimonio dixit, ſecuri eſſe percuſſum. probabit fidem, & auctoritatem, & religionem ſuam L. Suetius homo omnibus ornamentis prædiius, qui iuratus apud vos dixit, multos ciues R. in latumiis iſtius imperio crudeliſſimè per vim morte eſſe multatos. Hanc ego cauſam quum agam beneficio populi R. de loco ſuperiore: non vereor ne aut iſtum vis vlla ex populi R. ſuffragiis eripere, aut à me vllum munus AEdilitatis amplius, aut gratius populo R. eſſe poſſit. Quapropter omnes in hoc iudicio conentur omnia: nihil eſt iam quod in hac cauſa peccare Iudices quiſquam, niſi veſtro periculo, poſſit. Mea quidem ratio cum in præteritis eſt rebus cognita, tum in reliquis explorata, atque prouiſa eſt. Ego meum ſtudium in Remp. iam illo tempore oſtendi, quū longo interuallo veterem conſuetudinem retuli, & rogatu ſociorum, atque amicorum populi R. meorum autem neceſſariorū, nomen hominis audaciſſimi detuli. quod meum factū lectiſſimi viri atque ornatiſſimi (quo in numero è vobis cōplures fuere) ita probarūt, vt ei qui iſtius Quæſtor fuiſſet, & ab iſto læſus inimicitias iuſtas perſequeretur, nō modo deferendi nominis, ſed ne ſubſcribendi quidem, quum id poſtularet, facerent poteſtatem.

v & x x x tribus Quarum aliæ Ruſticæ, aliæ Vrbanæ dicebantur: illæ quidem ingenuorum, vt ſcribit Aſconius pro Milone: laudatiſſimæ, inquit Plinius, eorum qui rura haberēt. Vrbanæ verò libertinorum, vt Florus docet in epitome lib. x x. in quas, inquit Plinius, transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ, probro. itaque quatuor ſolæ erant à partibus vrbis, in queis habitabant, Suburrana, Palatina, Collina, Exquilina Hæc Plinius.

M. Annio, qui ſe præſente. Pag. 517.

L. Flauius. Pag. 552.

L. Suetius. Pag. 549.

In latumiis. De iis in Oratione in Verrem quinta ſuo loco explicauimus, pag. 515.

Beneficio populi R. Vtpote AEdilis factus: nō enim cuiquā niſi Magiſtratui, aut ei cui per Magiſtratum licebat, ius erat in concionem aſcendere.

Vllum munus AEdilitatis. AEdiles ſolēnes ludos curabant, Ver. v i i, pag. 502, & lib. de legib. i i i. vnde munera AEdilitia dicebātur. Cicero de Offi. i i, Craſſus tum cognomine diues, tum copiis, functus eſt AEdilitio maximo munere. Ad hanc igitur AEdilium conſuetudinem alludit, Nullo, inquit, AEdilitio munere gratiore populo R. fungi potero, quàm hoc meo officio Reip. præſtando.

Nihil eſt iam. Poſtquam omnia diligentis accuſatoris officia præſtitimus.

In præteritis rebus. Quæ ad accuſationem comparandam pertinebant.

In reliquis. Quæ ad conuincendum & condemnandum Verrem pertinebunt.

Veterem conſuetudinem. Vt homines honeſtiſſimi, non imperiti adoleſcentuli accuſent.

CICSRO. 162 In Siciliam ſum inquirendi cauſa profectus: quo in negotio induſtriā meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo literarum & teſtium declarauit: pudorem verò, ac religionem, quòd quum veniſſem Senator ad ſocios populi R. qui mea prouincia Quæſtor fuiſſem, ad hoſpites meos, ac neceſſarios cauſæ communis defenſor diuerti potius, quàm ad eos qui à me auxilium petiuiſſent. Nemini meus aduentus labori aut ſumptui neque publicè, neque priuatim fuit. vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi lex dabat, non quantam habere poteram iſtorum ſtudio quos iſte vexarat. Romam vt ex Sicilia redii, quum iſte, atque iſtius amici homines lauti, & vrbani, ſermones huiuſcemodi diſſipaſſent, quo animos teſtium retardarent, me magna pecunia à vera accuſatione eſſe deductum: tametſi probabatur nemini, quòd & ex Sicilia teſtes erant ii qui Quæſtorem me in prouincia cognouerant, & hinc homines maximè illuſtres, qui vt ipſi noti ſunt, ſic noſtrum vnumquenque optimè norunt: tamen vſque eò timui, nequis de mea fide, atque integritate dubitaret, donec ad reiiciendos Iudices venimus. Sciebam, in reiiciendis Iudicibus nonnullos memoria noſtra pactionis ſuſpicionem non vitaſſe, quū in ipſa accuſatione eorū induſtria ac diligentia probaretur. Ita reieci Iudices, vt hoc conſtet, poſt hunc ſtatum Reip. quo nunc vtimur, ſimili ſplendore, & dignitate conſilium nullum fuiſſe. quam iſte laudem cōmunem ait ſibi eſſe mecum: qui quū P. Galbam Iudicem reieciſſet, M. Lucretium retinuit: & quū eius patronus ex eo quæreret cur ſuos familiariſſimos Sex. Peduceum, Q. Conſidium, Q. Iunium reiici paſſus eſſet, reſpondit, quòd eos

in iudicando nimium sui iuris, sententiæque cognosceret.

Celeritas reditionis. Quinquaginta enim diebus obiit vniuersam Siciliam.

Qui à me auxilium. Ne quasi pro meo iure, ab iis qui mea causa deberẽt, hospitium exigere viderer. De more hospitiorum alibi explicauimus. HOTOM.

Quantum lex dabat. Tantúmodo in furta inquisiui, non in alia flagitia. Etenim Legem repetundarum dici, quæ potestatem faciebat inquirendi in pecunias à sociis ereptas.

Pactiones. Quam cum reo fecissent se præuaricaturos.

Quam iste laudem. Optimæ Iudicum reiectionis.

Nimium sui iuris. Nulla gratia à semel suscepta sententia deduci posse.

Itaque Iudicibus reiectis sperabam iam onus meum vobiscum esse commune: putabam, nõ solùm notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse, & diligentiam. Quod me nõ fefellit: nam comitiis meis, quum iste infinita largitione contra me vteretur, populus R. iudicauit istius pecuniam, quæ apud me contra fidem meã nihil potuisset, apud se contra honorem meũ nihil posse debere. quo quidem die primùm Iudices citari in hunc reum cõsedistis: quis tam inimicus huic ordini fuit, quis tam nouarum rerũ, iudiciorum, Iudicúmque cupidus, qui non conspectu, consessúque vestro commoueretur? quũ in eo vestra mihi dignitas fructum diligentiæ referret, id sum assecutus, vt vna hora, qua cœpi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito spem iudicii corrũpendi præciderem: vt primo die testium tãto numero citato populus R. iudicaret, ipso absoluto Remp. stare non posse: vt alter dies amicis istius, & defensoribus non modò spem victoriæ, sed etiam voluntatem defensionis auferret: vt tertius dies sic hominem prosterneret, vt morbo simulato, non quid responderet, sed quemadmodum nõ responderet deliberaret. Deinde reliquis diebus, bis criminibus, his testibus & vrbanis, & prouincialibus, sic obrutus, atque oppressus est, vt bis ludorũ diebus interpositis, nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret. Quapropter ego, quod ad me attinet Iudices, vici: non enim spolia C. Verris, sed existimationẽ populi R. concupiui. meum fuit, cum causa accedere ad accusandum. CICERO.

Onus meum. Si suspectus essem, vos quoque quos retinueram, fore suspectos.

Non solùm notis. Nóti & Ignoti actiua significatione pro iis qui norunt, & qui non norunt. In Orat. pro Celio, De dignitate, Celius notis ac maioribus natu facilè ipse respondet. quibus autẽ non æquè est cognitus, &c. Et lib. Epist. fam. v, Atque illi artifices corporis, simulacra ignotis nota faciebant. Sic paulo pòst pag. 168, & lib. Accus. v, pag. 518.

Comitiis meis. Quibus AEdilitatem petebam.

Fructum diligentiæ. Quam in reiiciendis Iudicibus adhibueram.

Reo audaci. Ad corrumpendum.

Perdito. Qui nullis opibus, modò iudicium corrumperet, parcebat.

Remp. stare non posse. Quòd qui integerrimi Iudices haberentur, ii corruptissimè iudicarẽt: pro Iudicum autem integritate ac leuitate stétque cadítque Resp.

Reliquis diebus. Sex. nam diebus nouem primam actionẽ transactam esse infrà ostendit, pag. 221.

His ludorum diebus. Votiuorum & Romanorum.

Comperendinatum. De Comperendinatione paulo pòst idoneo loco explicabimus.

Cum causa. Etenim neque adolescentes qui aut exercendi sui, aut ostentandæ eloquentiæ causa: neque Quadruplatores, qui lucri cupiditate adducti accusant: causam habent idoneam cur boni ciues ob accusationem existimentur.

Quæ causa fuit iustior, quàm à tam illustri prouincia defensorem constitui & deligi? Reipub. consulere: quid iam Reip. honestius, quàm in tanta inuidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum populo R. & in laude, & in gratia possit esse? ostendere, ac persuadere hominem nocentem adductum esse: quis est in populo R. qui hoc non ex priore actione abstulerit, omnium antè damnatorum scelera, furta, flagitia, si in vnum locum conferantur, vix cum huius parua parte æquari, conferríque posse? Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutémque communem pertinet Iudices, prospicite, atque consulite. Splendor vester facit, vt peccare sine summo Reip. detrimento, ac periculo non possitis. Non enim potest sperare populus R. esse alios in Senatu, qui rectè possint iudicare, vos si non potueritis. necesse est, quũ de toto ordine desperarit, aliud genus hominum, atque aliam rationem iudiciorũ requirat. Hoc si vobis ideo leuius videtur, quòd putatis onus esse graue, & incommodum, iudicare: intelligere debetis, primùm interesse, vtrum id onus vosmetipsi reieceritis: an, quòd probare populo R. fidem vestram, & religionem non potueritis, eo vobis iudicandi potestas erepta sit. Deinde etiam illud cogitate, quanto periculo venturi simus ad eos Iudices, quos propter odium vestri populus R. de vobis voluerit iudicare. Verùm vobis dicam id, quod intellexi Iudices. homines scitote esse quosdam, quos tantum odium vestri ordinis teneat, vt hoc palàm iam dictitent, se istum, quem sciant esse hominem improbissimum, hoc vno CICERO.

nomine absolui velle,vt ab Senatu iudicia per ignominiam,turpitudinémque auferantur.

HOTOM. *Fuit inslior.* Vt Reip cómodis seruire existimarer. Alii codices, Illustrior. sed hanc magis probo.

Graue & incommodum iudicare. Quòd multæ necessariò subeundæ sint inimicitiæ,& dãnatorum,& eorum qui illorum sunt propinqui atque amici. vnde libro Accus. I I S, Multa sunt,inquit,imposita huic ordini munera,multi labores,multa pericula,non solùm legum,ac iudiciorum,sed etiam rumorum ac temporum. Sic est hic ordo quasi propositus atque editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circunstari posse videatur. Asconius etiam in fine Verrinæ tertiæ, Facilè,inquit,pro veris Iudicibus improbi supponi poterant, volente hoc Iudice quæstionis, & illis patientibus,qui veri Iudices erant: quia nisi citari non considebant, & graue onus erat, & incómodum iudicare.

CICERO. 165 Hæc me Iudices pluribus verbis vobiscum agere coegit nõ timor meus de vestra fide, sed spes illorum noua: quæ quũ Verrem à porta subitò ad iudicium retraxisset, nõnulli suspicati sunt non sine causa illius consilium tam repentè esse mutatũ. Nunc ne nouo querimoniæ genere vti possit Hortẽsius,& ea dicere, opprimi reum de quo nihil dicat accusator: nihil esse tam periculosum fortunis innocentium, quàm tacere aduersarios: & ne aliter quàm ego velim, meũ laudet ingenium: quũ dicat, me, si multa dixissem, subleuaturum fuisse eum quẽ contra dicerem: quia nõ dixerim, perdidisse: morem illi geram: vtar oratione perpetua: non quoniã hoc sit necesse, verum vt experiar vtrum ille ferat molestius, me tunc tacuisse, an nũc dicere. Hic tu fortasse eris diligẽs, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam: nisi omni tempore, quod mihi lege cõcessum est, abusus ero, querère. deum atque hominum fidem implorabis: circumueniri C. Verrem, quòd accusator nolit tandiu, quandiu liceat, dicere. Quod mihi lex mea causa det, eo mihi non vti nõ licebit? nam accusandi mihi tempus mea causa datum est, vt possem oratione mea crimina causámque explicare. hoc si non vtor, nõ tibi iniuriam facio, sed de meo iure aliquid, & cómodo detraho. causa enim, inquit, cognosci oportet. ea re quidem, quòd aliter condemnari reus, quamuis sit nocẽs, non potest. Id igitur tu molestè tulisti, à me aliquid factum esse, quominus iste cõdemnari posset? nam causa cognita possunt multi absolui: incognita quidem condemnari nemo potest. Adimo enim comperendinatum: quod habet lex in se molestissimum: bis vt causa dicatur. quod aut mea causa potius est constitutum, quàm tua: aut nihilo tua potius, quàm mea. nam si bis dicere est commodum: certè vtriusque commune est.

[illegible] *Spes illorum noua.* Post priorem actionem corruptos esse Iudices.

A porta. Quum in exilium proficisceretur.

Nouo querimoniæ genere. Nouum dixit, quasi ridiculum. Est enim nouum & absurdum, defensorem queri quòd ab accusatore reus opprimatur.

Aliter quàm ego velim Astutum me,& callidum appellans.

Adimo enim comperendinatum. Nam comperẽdinatione tum vtuntur, quum causa non satis cognita esse videtur. Priore autem actione sic erant acta omnia, vt nihil cuiquam obscurum esset, eóque non esset cõperẽdinatio necessaria. Quanquam quoniam lege Glaucia vtebãtur, quæ necessariam faciebat comperendinationem, ita intelligendum potius videtur, Puta me adimere comperendinatum. quam tibi facio iniuriam? Sic enim continuò post, Puta te, inquit, non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Comperendinatus autem & Comperendinatio dicitur, vt in illo De claris Orat. Vnum, quasi cõperendinatus, medium diem fuisse.

Bis vt causa dicatur. Ex hoc loco erui posse putaui differentiam inter Comperendinationẽ & Ampliationem: quum in Lege comperendinationis numerus actionum duarũ præstitutus esset, Ampliationis, nullus esset certus numerus. Itaque causam C. Cottæ accusati repetũdarum à L. Scipione, septies ampliatã esse Valerius auctor est: Et Cicero in lib. De claris Orat. causam quorundam publicanorũ tribus ampliationibus prolatam. Et Liuius libro X L S I I, M. Titinũ repetundarum ab Hispanis accusatum, bis ampliatum, tertiò absolutum fuisse. Et paucis pòst versibus, Grauissimis criminibus accusati ambo, ampliatique, quum dicenda de integro causa esset, excusati exilii causa solum vertisse. Præterea in Ampliatione iudicari primò poterat, vt infrà 187: in Comperendinatione nonnisi post secundam actionem, vt ex hoc loco intelligitur.

CICERO. 166 Si eum qui posterius dixit, opus est redargui: accusatoris causa, vt bis ageretur, constitutum est, verum, vt opinor, Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus: àntea vel iudicari primò poterat, vel, Amplius, pronuntiari: vtram igitur putas legem molliorem? opinor illam veterem, qua vel citò absolui, vel tardè condemnari licebat. ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, condemnati sunt, nequaquam tam manifestis, neque tantis criminibus, quantis tu conuinceris. puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Accusabo: respondebis. testibus editis, ita mittam in cõsilium, vt, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primò iudicare. Verùm si causam cognosci opus est, parúmne cognita est? dissimulamus Hortensi, quod sæpe in dicendo experti

» sumus. Quis nos magnoperè attendit vnquam, in hoc quidem genere causarum, vbi aliquid ereptum aut ablatum à quopiam dicitur: nónne aut in tabulis, aut in testibus omnis expectatio Iudicum est? Dixi prima actione, me planum esse facturum, C. Verrem H-S quadringenties contra legem abstulisse. Quid? hoc planius egissem, si ita narrassem. Dio quidam fuit Halesinus: qui, quum eius filio Prætore Sacerdote hæreditas à propinquo permagna venisset, nihil habuit neque negotii, neque controuersiæ. Verres simulac tetigit prouinciam, statim Messanam literas dedit, Dionem euocauit, calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam hæreditatem Veneri Erycinæ commissam esse dicerent. hac de re ostendit se ipsum cogniturum. Messana

Opus est redargui. Id est Vtile est, vt paulo infrà, Verùm si causam cognosci opus est.

Glaucia primus. C. Seruilius Glaucia: quo Prætore Saturninus maximè vsus est in illa seditione, propter quã in Curia interfectus est. Eũ Cicero libro De Orat. III, per similitudinẽ stercus Curiæ appellari posse dicit, nisi deformis esset cogitatio similitudinis. Eius etiam mentionem facit contumeliæ causa in Bruto, in Orat. de respons. Harusp. & pro Rabirio Posthumo. Huius legis Seruiliæ meminit Asconius in Comment. pro M. Scauro.

Iudicari primò poterat. Id est prima actione. vt continuò post, Isti turpe sibi existimant non primò iudicare. Ex quo apparet lege Seruilia, id est Glauciæ, primò iudicari non licuisse: sed expectãdam alteram fuisse necessariò actionem.

Amplius pronuntiari. Iudices sibi non liquere dicebant. Prætor amplius cognoscendum pronuntiabat. cuius rei exemplum est infrà positum in causa Philodami hoc ipso libro, pag. 187, & in Bruto, 544.

Citò absolui. Vnica actione. vt illud, TARDE condemnari, post ampliationem, scilicet quæ sæpe non semel, sed iterum ac sæpius fiebat.

Aciliam legem. Vetustiorem, & illa, quam nunc veterem appellauit, molliorem. Vnam enim duntaxat actionem habebat. Rarissimè autem contingebat, vt vnica actione causa ita cognosceretur, vt nihil omnino difficultatis superesset. In causa enim dicẽda, defensiones multæ aut veræ, aut verisimiles afferuntur à reo, quæ rem obscurãt. in quo ipso mollitia & lenitudo legis apparet. Nam condemnari nisi euidẽtissimis & manifestissimus criminibus nemo poterat: absolui autẽ poterat.

Hac tam atroci. Cornelia postrema. Antecessit enim Seruilia, vt ex Orat. pro Rabirio Posthumo intelligitur. Atrociores autem semper fuisse posteriores Tullius auctor est in lib. de Offi. II. Iulia verò à Iulio Cæsare lata postea est. Atrox autem Cornelia, propterea quòd cognosci crimina multis ampliationibus iubebat. Condemnari autẽ, nisi causa diligentissimè cognita, nemo poterat, vt modò diximus.

Illa lege mitissima. Acilia.

Accusabo: respondebis. Moris tamen erat, vt modò dixit, prima actione reum respondere, pòst in altera priore quoque loco dicere. Sed quoniam altera actione non respõdit, posteriore loco dicet in hac accusatione: quasi lege adhuc Acilia vtatur.

Genere causarum. De pecuniis repetundis: vbi aliquid ereptum vi, aut ablatum furtim à quopiam dicitur.

Dixi prima actione. Hoc dictum est pag. 155.

H-S quadringenties. Scutatorum decies centena millia.

Prætore Sacerdote. Erat in manuscripto C. Sacerdote, cum prænomine. est etiã in multis postea locis. quo mihi magis hæc lectio probatur. Fuerat autẽ Prætor in Sicilia ante Verrẽ C. Sacerdos.

Messanam literas dedit. Restituo, Messana: ex libro sequenti, pag. 230, Quo die, inquit, Siciliam tetigit, Messana literas Halesiam mittit. Et omnino Messana in Pelori promontorii sinu sita est, quod Italiæ est proximum. vnde Silius, lib. XIV, Incumbens Messana freto, niuibúsque reuulsa.

Commissam esse dicerent. Commissa hæreditas ea dicitur, in quã id commissum est, quamobrem alteri debeatur. Iussus hæres fuerat in foro statuas ponere: nisi poneret, Veneri Erycinæ multatus est. Mortuo testatore, non posuit. Commissa multa dicitur, & hæreditas, quoniam id commissum est, quamobrem ei auferatur. Similiter pœna commissa dicitur à Iurisconsultis, & commissa stipulatio: à Cicerone in Orat. Pro domo sua, deuotio sui capitis commissa. Et in Epist. ad Thermũ libro XIII, Commissæ hypothecæ.

» Possum deinceps totam rem explicare, deinde ad extremum id quod accidit, dicere: Dionem H-S decies centena millia numerasse, vt causam certissimam obtineret: præterea greges equarum eius istum abigendos curasse: argenti vestisque stragulæ quod fuerit, curasse auferendum. Hæc neque quum ego dicerem, neque quum tu negares, magni momẽti nostra esset oratio. Quo tempore igitur aures Iudex erigeret, animúmque attẽderet? quũ Dio ipse prodiret, quũ cæteri, qui tum in Sicilia negotiis Dionis interfuissent: quum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, prædia vendidisse: quũ tabulæ virorum bo-

norum proferrentur: quũ, qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent se iam tum audisse, eò nummos sumi, vt Verri darentur: quũ amici, hospites, patroni Dionis, homines honestissimi, hæc eadem se audisse dicerent. opinor, quum hæc fierent, tum vos audiretis, sicut audistis: tum causa agi videretur. sic à me sunt acta omnia priore actione, vt in criminibus omnibus nullum esset, in quo quisquam vestrum perpetuam accusationem requirat. Nego esse quicquam à testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurũ, aut cuiusquam oratoris eloquentiã quæreret. etenim sic me- 29
ipsum egisse memoria tenetis, vt in testibus interrogandis omnia crimina proponerem, & explicarem: vt quũ rem totam in medio proposuissem, tum denique testem interrogarem. itaque non modò vos, quibus est iudicandũ, nostra crimina tenetis: sed etiam populus R. totam accusationem causamque cognouit. tametsi ita de meo facto loquor, quasi ego illud mea voluntate potius, quàm vestra iniuria adductus fecerim.

H-S decies centena millia. In libro seq. pag. 230, H-S vndecies. ex quo apparet vel Vndecies, hoc loco reponendum, vel in illo oratoriè & elatè loqui Ciceronem, vt sæpe aliás. Decies autem H-S, viginti quinque scutatorum millia nostratis pecuniæ efficiunt, vt Budæus, cuius tantisper in his occupationibus auctoritatem sequimur, disputauit.

Decies centena millia. Plena loquutio, quæ præcise in sequenti libro, pag. 230, sic vsurpatur, Sestertium decies. vbi tamen Vndecies, vt dixi, legitur. Sed Plutarchus in Antonio id planissimè demonstrat, Τῷ φίλῳ τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο Ῥωμαῖοι δεκίης καλοῦσι. id est, Amico cuidam drachmarũ, siue denariorũ ducẽta quinquaginta millia dari iussit. hoc Romani Decies vocãt. Quibus ex verbis hoc quoque intelligitur, Decies præcise dici solitum, etiã sine voce Sestertiũ, pro Decies centena millia H-S. quod vsque eò verum est, vt etiam cum singulari numero cõiungatur, quasi Centena millia non subaudiretur. vt Verrina V, pag. 381, H-S bis & tricies in annos singulos Verri decernebatur quod aratoribus solueret. Et paulo pòst, Hic per trienniũ propè centies & tricies erogatum est. Et Verrina III, 230, H-S vndecies numeratũ esse. Sed quod in libris quibusdã tum Ciceronis, tum aliorum legitur, Sestertio decies, & Sestertii decies: id planè absurdũ est. vehementérque miror Budæum hunc errorem tandiu in hominum mentibus aluisse.

Abigendos curasse. Abigei, inquit Vlpianus, ii dicuntur, qui pecora ex pascuis vel ex armentis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, & abigendi studium quasi artem exercent, oues de gregibus, vel boues de armentis abducentes.

Stragulæ quod fuerit. Eodem loco, Stragulæ domi quod fuerit. Nihil muto tamen.

Quum ego dicerem. Neque id tabulis, aut testibus probarem.

Magni momenti. Ad fidem Iudicibus faciendam.

Causa agi videretur. Non, quum hæc aut à me dicerentur, aut à te negarentur,

Interrogandis. Id est In actu illo iudiciali, qui testium interrogatione cõstabat. Prius enim crimen breuiter exponebat, vt superius diximus, quàm vllũ testem interrogaret. sed quia statim initio testes à præcone citati sunt, idcirco dicit, In testibus interrogandis.

Vestra iniuria. Ad defensores Verris & vocẽ conuertit, & vultũ. ἀποστροφὴ hæc à Græcis appellatur.

CICERO. 168 Interposuistis accusatorem, qui quũ ego mihi C & X dies solos in Siciliã postulassem, C & VIII sibi in Achaiam postularet: menses mihi tres quũ eripuissetis ad agendum maximè appositos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remissurum putastis: vt, quum horis nostris nos essemus vsi, tu, binis ludis interpositis, quadragesimo pòst die responderes: deinde ita tempus duceretur, vt à M. Glabrione Præt. & à magna parte horum Iudicum ad Prætorem aliũ, Iudicésque alios veniremus. Hæc si ego non vidissem: si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in 31
eo laborari, vt res in illud tempus reiiceretur: credo, si meis horis in accusando vti voluissem, vererer ne mihi crimina non supperent, ne oratio deesset, ne vox viresque deficerent, ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. Ego meum consilium tum Iudicibus, tum populo R. probaui. nemo est qui alia ratione istorũ iniuriæ, atque impudentiæ potuisse obsisti arbitretur. Etenim qua stultitia fuissem, si, quam diem qui istum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, quum ita cauerent, si post Cal. Ian. in consilium iretur: in eam diem ego, quum potuissem vitare, incidissem? Nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendum datur, quo-
niam in animo est causam omnem exponere, habenda ratio est diligenter. itaque primùm illum 32
actum istius vitæ turpissimum, & flagitiosissimum prætermittam: nihil à me de pueritiæ suæ flagitiis, peccatisque audiet: nihil ex illa impura adolescentia sua quæ qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. omnia præteribo quæ mihi turpia dictu videbuntur: neque solùm, quid istum audire, verumetiam quid me deceat dicere, considerabo.

In Siciliam. Inquirendi causa.

Menses tres. Maium, Iunium, & Quintilem. Nonis enim Sextilibus agi hæc causa cœpta est.

Remissurum. Sine accusatione traducturum.

Quadragesimo post die. Quàm accusare cœpissem. Nam & decem dies, qui sunt ante ludos votiuos, & ludorum dies XXV comprehendit: neque aliter locum intelligere possumus. Quâuis autem hoc toto tempore quinque tâtùm & XXX dies efficiâtur, tamen oratoriè loquutus est: quod suprà osten dit, pag. 47, quum dixit Propè XL diebus. quo in loco, quæ ad hunc pertinebant, explicauimus.

Duceretur. Protraheretur, partim dicendo, partim excusando.

Ad Prætorem alium. M. Metellum, Prætorem comitiis proximis designatum.

Crimina non suppeterent. Quibus explicandis tempus meum legitimum consumerem.

Iniuriæ atque impudentiæ. Iniuriam cum impudentia posuit, hoc sensu, quod se aliud consiliū velle corrumpere non dissimulabant.

Eripiendum redemerunt. Qui certa pactione receperunt, se iudicium corrupturos.

Ita cauerent. Ea lege sese obligarent.

Aut ex eo. Longe probabilior lectio quæ est in libro Asconii, Aut ex isto. Verris enim filium ostendit, qui in iudicio erat cum patre atratus. & vide infrà 375, & 500.

Recognoscere. Quasi tanta sit similitudo paternæ turpitudinis, vt filii turpitudine cognita, cōtinuò parentis in mentem veniat: & quū alii ex formæ aut ingenii similitudine liberi agnoscantur, istum imago paternæ pueritiæ demonstret.

" Vos quæso date hoc, & concedite pudori meo, vt aliquam partem de istius impudentia reticere CICERO.
" possim. omne illud tempus, quod fuit antequam iste ad Magistratus, rémque publicam accessit, ha 169
" beat per me solutum, ac liberum. sileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac vigiliis: lenonum,
" aleatorum, perductorum nulla mentio fiat: damna, dedecora, quæ res patris eius, ætas ipsius pertu-
" lit, prætereantur: lucretur indicia veteris infamiæ: patiatur eius vita reliqua me hanc tantam iactu-
" ram criminum facere. Quæstor Cn. Papirio cos. fuisti abhinc annos quatuordecim: ex ea die ad
" hanc diem quæ fecisti, in iudicium voco. hora nulla vacua à furto, à scelere, crudelitate, flagitio re-
" perietur. hi sunt anni consumpti in Quæstura, & Legatione Asiatica, & Prætura vrbana, & Prætu
" ra Siciliensi. quare hæc eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ. Quæstor ex
" s.c. prouinciam sortitus es: obtigit tibi Consularis: vt cum cos, Cn. Carbone esses, eámque pro-
" uinciam obtineres. erat tum dissensio ciuium: de qua nihil sum dicturus quid sentire debueris. vnū
" hoc dico, in eiusmodi tempore ac sorte statuere te debuisse, vtrum malles sentire, atque defendere.
" Carbo grauiter ferebat, sibi Quæstorem obtigisse hominem singulari luxuria, atque inertia: verū-
" tamen ornabat eum *beneficiis officiisque omnibus. ne diutius teneā, pecunia attributa numerata *beneficiis omnibus.
" est: profectus est Quæstor in prouinciam: venit in Galliam expectatus ad exercitum Consularem
" cum pecunia.

Date hoc, & concedite pudori meo. Est enim hominis pudentis, non modò nihil facere, sed etiam nihil dicere impudicum.

Perductorum. Perductores, inquit Asconius, dicuntur etiam inuitarum personarum. inde, vt puto, ducta appellatione, quòd suasionibus aut pollicitationibus illas perducant vt velint. Similiter mimam Tertiam, Isidori mimi filiam, dolo atque insidiis ad Verrem per Rubrium perductam postea multis in locis dicit. & pag. 500, Verrem ipsum, quum puer esset, abduci a foro solitum, non, vt ipse prædicabat, perduci. Quibus ex locis, Perductores, quàm Productores scribēdum potius existimaui: præsertim quum hoc modo apud Tertullianū scriptum offenderim, in Apologetico, capite, Qui de Christianis conquerantur. Hos Græci προαγωγούς appellant.

Damna, dedecora. Ordo est, damna, quæ res patris eius: dedecora, quæ ætas ipsius pertulit. Damna autem, quæ ex aleæ ludo contracta sunt.

Lucretur. Id est Ne reposcatur ab eo illiusmodi damnorum ratio. Iudicia autem veteris infamiæ appellat damna & iacturas aleatorias.

Quæstor Cn. Papirio cos. fuisti. Cnei Papirii Carbonis alterum Consulatū significat quem annos ab hinc tredecim cū L. Cornelio Cinna gessit, quū infrà sic scribat, Idem fecisses quod anno pòst M. Piso. Quæstor quum L. Scipioni Cōsuli obtigisset, &c. Cōsul enim fuit Scipio inter secundum & tertium Carbonis Consulatum. Erat autem Quæstura primus honoris gradus, cuius annus legitimus erat tertius & trigesimus. Huic à Tribunis Ærariis adnumerari pecunia ex Ærario solebat in stipendium militum, annonam exercitus, & sumptū in Legatos & Proquæstores. Inde autem dictos apparet quòd, item vti vrbani, pecuniam quæ populo R. ex vectigalibus debebatur Romæ quærebant, & asseruabant: sic illi in prouinciis, quæ Reipub. deberentur quærerent, & Romam ad Quæstores vrbanos mitterent.

Obtigit tibi Consularis. Prouinciæ vel Consulares erant, quas ii qui Consules aut erant, aut fuerant, biennium obtinebant: vel Prætoriæ, quas Prætores annū vnū Prætorio imperio administrabant.

Statuere te debuisse. Vt lege illa nobili Solonis Atheniensis, de qua ipse scribit libro X Epist. ad Atticum; quæ capite sanciebat, siqui in seditione, non alterutrius partis fuisset.

Luxuria atque inertia. Inertia dicitur in iis in quibus virtus nulla est. Cicero lib. De Finib. I I, Sed lustremus animo nō has maximas artes, quibus qui carebant, inertes à maioribus nominabātur.

Beneficiis, officiisque omnibus. Omnes libri veteres, Beneficiis omnibus. quod magis probo. Nā verbū Officii, opinor, potius inferioris est in superiorem. & redolet glossam, hominis tamen non doctissimi.

Pecunia attributa. Senatuscōsulto: & numerata, vt scribit Asconius, à Tribunis AErariis: qui quēadmodum ex legibus X I I tab. intelligitur, pecuniam publicam domi custodiebāt, eam duntaxat quæ in vrbe signabatur. Attributa autem, vt Varro scribit, pecunia dicebatur quæ assignata erat: vnde Tribuni AErarii dicti, quibus attributa erat pecunia quæ militibus redderetur. Nā id quod attributum erat, AEs militare dicebatur.

CICERO. 170 » Simulac primùm ei occasio visa est: cognoscite hominis principium Magistratuum gerendorum, & Reipub. administrandæ: auersa pecunia publica Quæstor Consulē, exercitū, prouinciāmque deseruit. Video quid egerim: erigit se: sperat sibi auram posse aliquā afflari in hoc crimine voluntatis, assensionísque eorum, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio fit: quibus illam relictionem, proditionémque Consulis sui gratam sperat fore. quasi verò id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut studio partium fecerit, ac non apertissimè Consulem, exercitum, prouinciámque compilarit, & propter impudentissimū furtum aufugerit: est enim obscurum, & eiusmodi factum eius vt possit aliquis suspicari, C. Verrem, quòd ferre nouos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc est ad suos, transisse, nihil fecisse propter pecuniam. Videamus, rationes quemadmodum retulerit: iam ipse ostēdet quāobrem Cn. Carbonem reliquerit: iam se ipse indicabit. primùm breuitatē cognoscite. ACCEPI, inquit, VICIES DVCENTA TRIGINTA QVINQVE MILLIA QVADRINGENTOS XVII NVMMOS: DEDI STIPENDIO, FRVMENTO, LEGATIS, PROQVAESTORIBVS, COHORTI PRAETORIAE H-S MILLE SEXCENTA TRIGINTAQVINQVE MILLIA, QVADRINGENTOS XVII NVMMOS: RELIQVI ARIMINI H-S SEXCENTA MILLIA. Hoc est rationes referre: hoc modo aut ego, aut tu Hortensi, aut quisquam hominum retulit: quid hoc est? quæ impudentia? quæ audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis huiusmodi est?

Cn. Carbonis mortui nomen odio fit. Hic ex Cinnanis partibus quum esset, Vrbi bellum intulit: & se ipse per biennium Consulem creauit. Tandem a Cn. Pompeio in Siciliam misso captus, & flens muliebriter, interfectus est. Liuius, Plutarchus, Appianus.

Illam relictionem. Alii propè omnes, Reiectionem. sed nihil muto.

Nouos homines. Noui homines dicebātur, quorum nulli maiores Magistratum in Republica gessissent. Iis opponuntur Nobiles. Plutarchus in Catone Censorio, εἰώθεισαν δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν, καινοὺς ὀνομάζειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν κάτωνα ὠνομασμένον, &c.

Accepi vicies. Rationem tribus versiculis relatam reprehendit, Accepi, Dedi, Reliqui. primùm quòd singula nomina nō descripserit: sed vniuersè & generatim omnia in vnū nomen cōgesserit. Deinde quòd ita quadrēt summæ, vt neque plus quicquam, neque minus inueniatur. quod vix, aut nullo modo in veris rationibus contingit. Nam quod dedit & accepit, cū eo quod accepit ita conuenit, vt non Archimedes melius potuerit describere. Summa autem ista ad nostratis pecuniæ rationem redacta, scutatos, vt nunc dicimus, aureos accepisse dicitur Verres 55224, cum assiculis nouem: dedisse 38938, cum vno & viginti assiculis: reliquisse 14285, cum assiculis triginta.

Legatis. De Legatorum generibus insequenti pagina cognosces.

Proquæstoribus. Asconii liber, Pro Quæstore: quam lectionem, meliorem iudico: quòd vbi Quæstor esset, ibi Proquæstoribus opus non erat.

Cohorti prætoriæ. Cohors prætoria manus dicebatur partim euocatorum militum, partim adolescentium nobilium quæ & in castris & in agmine atque acie præsto Imperatori esse solebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quenque delegit qui ab eo in bello non discederēt, & cætero munere militiæ vacarent, & sexquiplex stipendium acciperent. Prætoriam autem dixit vetustè: quū esset Consularis. Nam Prætores dicti, vt ait Varro, qui præirent iure & exercitu. quare apud Liuium libro V I I, Legis vetustæ priscis literis, verbísque scriptæ mentio fit, vt qui Prætor maximus esset, Idib. Septemb. clauum pangeret: id est qui summum imperium & potestatem haberet, veluti Consul, vel Dictator. Sic Sallustius Albinum Consulem dicit, Aulum fratrem in castris Proprætore reliquisse: quum paulo pòst eum Legatum appellet. Et eodem rursus libro, Ad L. Syllam, inquit, profugiunt, quem Consul (Marius) in expeditionem proficiscens Proprætore reliquerat.

Quod exemplum. Nam alii omnes impensas minutatim & articulatè describunt.

CICERO. 171 » Illa tamen H-S sexcēta millia, quæ ne falsò quidem potuit, quibus data essent, describere, quæ se » Arimini scribit reliquisse, quæ ipsa H-S sexcenta millia reliqua facta sunt: neque Carbo attigit, ne-

que Sylla vidit: neque in AErarium relata sunt. oppidum sibi elegit Ariminum, quod tum, quum iste rationes referebat, oppressum direptúmque erat. Non suspicabatur id, quod nunc sentiet, satis multos ex illa calamitate Ariminensium testes nobis in hanc rem reliquos esse. Recita denuò. P. LENTVLO, L. TRIARIO QVAESTORIBVS VRBANIS, RATIONVM RES RELATARVM. Recita. EX S. C. Vt hoc pacto rationem referre liceret, eo Syllanus repentè factus est, non vt honos & dignitas nobilitati restitueretur. Quòd si illinc inanis profugisses: tamen ista tua fuga, nefaria: proditio Consulis tui, scelerata iudicaretur. malus ciuis, improbus Consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit. fuerit aliis: tibi quando esse cœpit? posteaquam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitúmque commisit. nam si tibi antea displicuisset, idem fecisses quod anno pòst M. Piso Quæstor quum L. Scipioni Consuli obtigisset. non attigit pecuniam: non ad exercitum profectus est: quod de Repub. sensit, ita sensit vt nec fidem suam, nec morem maiorum, nec necessitudinem sortis læderet. Etenim si hæc perturbare omnia, & permiscere volumus: totam vitam periculosam, infestámque reddemus, si nullam religionem sors habebit, nullam societatem coniunctio secundæ, dubiæque fortunæ, nullam auctoritatem mores, atque instituta maiorum. omnium est communis inimicus, qui fuit hostis suorum. nemo vnquam sapiens proditori credendum putauit.

Verris rationũ relatarum.

Rationum res relatarum. Alii omnes, Res rationum rel. Legendum putarem, Verris rationum relatarum. subaudiendum autem, Literæ. vt libro Accusat. v. pag. 510, Cedo mihi eiusdem Prætoris literas, & rerum decretarum, & frumenti imperati. Nam & paulo antè dixit, Ex tot hominũ rationibus relatis. Et aliquanto pòst, Rationes relatæ P. Seruilii.

Seditiosus homo Cn. Carbo. Stetit, vt dixi, à partibus Marianis, & cum Sertorio ac Cinna in vrbem receptus, eam velut captam, cædibus & rapinis vastauit, occiso Cn. Octauio COS. & omnibus aduersæ partis nobilibus.

Quæstor quum L. Scipioni Consuli. Alii, L. Pisoni. corruptè: Carbonis enim secundum Cõsulatum L. Scipionis C. Norbani Consulatus proximè sequutus est.

Fidem suam. Quam nec Consuli suo dedit.

Morem maiorum. Qui Prætorem Quæstori suo parentis esse loco voluerunt.

Necessitudinem. Qualis est parentis cum filio.

Periculosam infestámque. In aliis omnibus codicibus, Periculosam, inuidiosam, infestámque. Est autem sensus, Nemo erit tutus ab altero si non à suo Quæstore Consul sit tutus.

Nemo vnquam sapiens proditori credendum putauit. In hanc sententiã Plutarchi verba, quæ ad hunc locum magnopere pertinẽt, subscribemus. οὐ μόνος οὖν, ὡς ἔοικεν, Ἀντίγονος ἔφη προδιδόντας μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν. οὐδὲ Καῖσαρ εἰπὼν ἐπὶ τοῦ Θρᾳκὸς Ῥυμητάλκου, φιλεῖν μὲν προδοσίαν, προδότην δὲ μισεῖν. ἀλλὰ κοινόν τι πάθος τοῦτο πρὸς τοὺς πονηροὺς τοῖς δεομένοις αὐτῶν, ὥσπερ ἰοῦ καὶ χολῆς ἐνίων θηρίων δέονται. τὴν γὰρ χρείαν ὅτε λαμβάνουσιν ἀγαπῶντες, ἐχθαίρουσι τὴν κακίαν ὅταν τύχωσι. hæc Plutarchus in vita Romuli, quæ sic conuertimus, Non solus igitur, vt apparet, dixit Antigonus, se proditores, dum produnt, amare: postquam prodiderunt, odisse. neque Cæsar: qui in Thracem Rhumitalcum dixit, placere sibi proditionem, proditorem verò esse odio. Sed hoc ferè modo omnes, qui improborũ opera egẽt, in eos affecti sunt, quomodo qui quarundam ferarum felle aut veneno indigent. ea enim, dum eis vtuntur, amant: vbi vsi sunt, malum ac perniciem illam oderunt.

Ipse Sylla, cui aduentus istius gratissimus esse debuit, ab se hominẽ, atque ab exercitu suo remouit, Beneuenti esse iussit apud eos quos suis partibus amicissimos esse intelligebat, vbi iste summæ rei, causæque nocere nihil posset. ei postea præmia tamen liberaliter tribuit: bona quædã proscriptorum in agro Beneuentano diripienda concessit: habuit honorem vt proditori, non vt amico fidem. Nunc, quamuis sint homines qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi debent, non quid illi accidere voluerint, sed quid ipsis in tali re metuendũ sit, cogitare. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm eæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palàm est aduersarius, facilè cauendo vitare possis: hoc verò occultum, intestinum, ac domesticum malum nõ modo non existit, verùmetiam opprimit, antequam perspicere, atque explorare potueris. Itáne verò? tu, quũ Quæstor ad exercitum missus sis, custos non solùm pecuniæ, sed etiam Consulis, particeps omniũ rerum, consiliorúmque fueris, habitus sis in liberúm loco, sicut mos maiorũ ferebat: repentè relinquas, deseras, ad aduersarios transeas? O scelus, ô portentum in vltimas terras exportandum: non enim potest ea natura, quæ tantum facinus commiserit, hoc vno scelere esse contenta: necesse est semper aliquid eiusmodi moliatur: necesse est, in simili audacia, perfidiáque versetur. Itaque idem iste, quem Cn. Dolabella postea C. Malleolo occiso pro Quæstore habuit (haud scio an maior etiã hæc necessitudo fuerit, quàm illa Carbonis, ac plus iudicium volũtatis valere, quàm sortis debeat) idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit.

CICERO. 172

In tabre. Vt exemplum in Verre aliis Quæstoribus edatur.

Nullæ sunt occultiores insidiæ. Simillima sentẽtia in libro Accuſ.v, Etenim tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quàm indictæ & apertæ. Sumptus autem hic locus videtur ex libro Xenophontis, rerum Græcarum ſecundo. καίτοι πολὺ μὲν δικαιότερον μεγάλοις πολέμιον, ὅσῳ χαλεπώτερον φυλάξασθαι τὸ ἀφανὲς τοῦ φανεροῦ. τοσούτῳ δ' ἔχθιον, ὅσῳ πολεμίοις μὲν ἄνθρωποι καὶ σπένδονται αὖθις, καὶ πιστοὶ γίγνονται. ὃν δ' ἂν προδιδόντα λαμβάνωσι, τούτῳ οὔτ' ἐσπείσατο πώποτε οὐδεὶς, οὔτ' ἂν πιστεύσειε τοῦ λοιποῦ.

Quàm Cn. Dolabella. Pag.194.388.

CICERO. 173 » Nam, quæ in *istum valebant crimina, contulit in illum, cauſamque illius omnẽ ad inimicos » accuſatoréſque detulit: ipſe in eum, cui Legatus, cui Proquæſtore fuerat, inimiciſſimum atque im- » probiſſimũ teſtimonium dixit. Ille miſer quà eſſet tum proditione iſtius nefaria, tum improbo, & » falſo eiuſdem teſtimonio, tum multo ex maxima parte iſtius furtorum, ac flagitiorũ inuidia con » flagrauit. Quid hoc homine faciatis? aut ad quam ſpem tam perfidioſum, tam importunum ani- 42. » mal reſeruetis? qui in Cn. Carbone ſortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit, ac violarit, » eóſque ambos nõ ſolùm deſeruerit, ſed etiam prodiderit, atque oppugnarit? Nolite, quæſo Iudices, » breuitate orationis meæ potius, quàm rerũ ipſarum magnitudine crimina ponderare: mihi enim » properandum neceſſariò eſt, vt omnia vobis, quæ mihi cõſtituta ſunt, poſſim exponere. quamob- 43. » rem Quæſtura iſtius demonſtrata, primíque Magiſtratus & furto, & ſcelere perſpecto, reliqua at- » tendite. in quibus illud tempus Syllanarum proſcriptionum ac rapinarum prætermittam: neque » ego iſtum ſibi vllam ex cõmuni calamitate defenſionem ſinam ſumere: ſuis eum certis propriiſ- » que criminibus accuſabo. Quamobrem hoc omni tempore Syllano ex accuſatione circũſcripto, » Legationem eius præclaram cognoſcite. Poſteaquam Cn. Dolabellæ prouincia Cilicia cõſtituta 44. » eſt, ô dii immortales, quanta iſte cupiditate, quibus allegationibus illã ſibi Legationem expugna- » uit: id quod Cn. Dolabellæ principium maximæ calamitatis fuit.

*ipſum

Nam, quæ in iſtum v.c. contulit in illum. Alii, Nam, quæ in ipſum v.c.c. in iſtũ. Aſconius etiam, Nam quæ in ipſum. Valdè placeret vt ſic legeremus, Nam quæ in ipſum v.c.c. in illum.

Ad inimicos accuſatoréſque detulit. Significat M. Scaurum, de quo mentionem facit hoc eodem libro, paulo infrà, 197. Vnde ſatis conſtat, & condemnatum, & in exilium pulſum fuiſſe Dolabellam. Demiror autem quod ſcribit Aſconius, Iudicem aduerſus Dolabellam fuiſſe Verrem: quum ipſe in Diuinatione doceat, Senatores lege prohibitos fuiſſe, Iudices eſſe. Nam quòd hunc ſcribit fuiſſe Dolabellam, qui à Cæſare accuſatus eſt, [illegible] putandũ eſt, & diſſimulandũ: non inconſtantiæ, vt nonnulli faciunt, aſſignãdum. Quem ergo Cicero Dolabellã nominat, eum à M. Scauro accuſatum eſſe idem poſtea oſtendit, 197. & damnatum pag. 188, quum ita loquitur, Nemo iam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberûm, &c. Quem verò Cæſar accuſauit, & Conſularis erat, & abſolutus eſt, vt Suetonius & Plutarchus ſcribũt. Atque is fuit videlicet Dolabella, qui cum M. Tullio Conſulatum geſſit vndecim ab hinc annis: quo Conſule alter quoque Cn. Dolabella Prætor vrbanus erat, vt in Oratione pro Quintio diximus, & ex Prætura prouinciã Ciliciam nactus, vt Cicero poſtea oſtendit.

Multò ex maxima parte. Quidam hæc verba EX PARTE tollenda eſſe arbitrãtur. Qua verò adducti ratione venerint in eam opinionẽ, non video. Conſtat enim ſua ſententia huic orationi. Quanquam ſi Miſerum pro Innocente accipiamus, vt voluit Aſconius, tollenda omnino videntur eſſe. Nam ſi Innocens Dolabella oppreſſus eſt, non ex parte, ſed in totum alterius inuidia conflagrauit. Sed ego niſi auctoritate vetuſti codicis adiutus, Miſerum pro Calamitoſo & Afflicto potius accipiendum, quàm quicquam temerè mutandum putarim. Illud quidem certè fateri oportet, quem locum citat Aſconius ex Orat. II, in L. Catilinã, eum locum, etſi aliter vulgò ſcriptus eſt in omnibus libris (nõ enim Miſerũ ſed Timidum vbique legitur) tamen in antiquiſſimo libro manuſcripto, quocum omnes Ciceronis Orationes diligentiſſimè contuli, eam lectionem retinuiſſe, quam profert Aſconius.

Aut ad quam ſpem. Omnes propè, Ad aliquam ſpem. ſed nihil muto.

Primíque magiſtratus. Quæſtura prima erat, vt ſcribit Aſconius, Senatoris adminiſtratio. Erátque Magiſtratus, ſed ex minorib', vt Gellius ex Varrone docuit, id eſt ex iis qui minorib' auſpiciis creabantur, et in vrbe neque lictorem, neque viatorẽ, hoc eſt, neque vocationem, neque prehenſionem habebant: quinetiam à priuato in ius ad Prætorem vocari poterant. lib. XIII, cap. XII, & XIII.

Syllanarum proſcriptionum. De quibus ſatis multa diximus in Orat. pro Sex. Roſcio.

Legationem eius præclaram. Legatorũ qui cum Imperatoribus in prouincias mittebantur, duo genera fuerunt. Alii mittebantur à Senatu tantùm: de quibus, opinor, Varro loquitur, quum ſic ſcribit, Legati, qui lecti publicè, quorum opera conſilióque vteretur peregrè Magiſtratus. Sic enim, opinor, Varronis locus legẽdus eſt. & quod ſequitur, Qui verò nuntii Senatus aut populi eſſent, pro Qui verè: vt locus ſit mutilus & imperfectus. Hi neque imperiũ neque poteſtatem habebant. Alii à Senatu quidem deligebantur, & ex eius dabantur auctoritate: Imperium verò aut poteſtatem à

Populo accipiebāt. hos Cicero in Vatiniana interrogatione pacis ac belli nuntios appellat, curatores, interpretes, bellici consilii auctores, ministros muneris prouincialis. Itaque Imperatoribus sine successore decedētibus ius erat Legatos imperii sui vicarios relinquere, quos Cæsar fiduciariā operam obtinere scribit. Idem lib. De bello ciuili III, Aliæ, inquit, sunt Legati partes, atque Imperatoris: alter omnia agere ad præscriptum, alter liberè ad summā rerum consulere debet. Appianus libro primo de bellis ciuilib. quo loco de Seruilio Proconsule Asculi interfecto cōmemorat, ὑπεκρίθη δ' αὐτῷ ὁ Φοντήϊος, ὃς ἐπρέσβευεν αὐτῷ. καλοῦσι δ' οὕτως τοὺς τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν ἐκ τῆς βουλῆς ἑπομένους ἐς βοήθειαν.

Quibus allegationibus. Allegatio dicitur in priuato negotio, quod in publico Legatio. Iuriscōsulti Allegationes postea trāslatè dixerūt, & Allegare causam, pro eo quòd Cicero Afferre, aut Proferre, aut etiam Opponere dicit. Quinetiam quasi translatè vsum hoc verbo Ciceronem reperio in Epistola benè longa ad M. Catonem, lib. Epist. XV, Extremum, inquit, illud est, vt quasi diffidas rogationi meæ, philosophiam ad te allegem.

Nam vt iste profectus est, quacunque iter fecit, eiusmodi fuit, non vt Legatus populi R. sed vt CICERO.
quædam calamitas peruadere videretur. In Achaia (prætermittam minora omnia, quorum simile 174
forsitan alius quoque aliquid aliquādo fecerit: nihil dicam nisi singulare, nisi quod, si in aliū reum diceretur, incredibile videretur) Magistratum Sicyonium nummos poposcit. ne sit hoc crimen in Verrem: fecerunt alii. Quum ille non daret, animaduertit. improbum, sed non inauditum. Genus animaduersionis videte: quæretis ex quo genere *hominem istum iudicetis. ignem ex lignis viridi- *hominum
bus, atque humidis in loco angusto fieri iussit: ibi hominem ingenuū, domi nobilem, populi R. socium, atque amicum, fumo excruciatum semiuiuū reliquit. Iam quæ iste signa, quas tabulas pictas ex Achaia sustulerit, non dicā hoc loco, est alius mihi locus ad hanc cupiditatem demonstrandam seruatus. Athenis audistis ex æde Mineruæ grande auri pondus ablatum. dictum hoc est in Cn. Dolabellæ iudicio: dictum? etiam æstimatum. huius consilii nō modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis. Delum venit: ibi ex fano Apollinis religiosissimo noctu clam sustulit signa pulcherrima, atque antiquissima, eáque in onerariam nauem suam coniicienda curauit. Postridie quum spoliatum fanum viderent ii, qui Delum incolebant, grauiter ferebant: est enim tanta apud eos eius fani religio, atque antiquitas, vt in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur. verbum tamen facere non audebant, ne fortè ea res ad Dolabellā ipsum pertineret. Tum subitò tempestates coortæ sunt maximæ Iudices, vt non modò proficisci, quum cuperet, Dolabella non posset, sed vix in oppido consisteret: ita magni fluctus eiiciebantur.

In Achaia. Per quam iter in Ciliciam prouinciā faciebat. Nō enim hæc in prouincia gesta sunt. [redacted]

Magistratum Sicyonium. Sicyon oppidum est in Peloponneso, ea parte qua Achaia prouincia est, quæ propriè dicitur Achaia. Plinius lib. XXXVI, Sicyonem diu fuisse scribit officinarum omnium metallorum patriam.

Ex quo genere hominem istum iudicetis. Mallem Ex quo genere hominum: vt illa inter se opponantur, Genus animaduersionis, & Genus hominum.

Athenis audistis. Hæc omnia fiunt in itinere.

Etiam æstimatum. Damnationem litis æstimatio sequebatur: vt alibi docuimus.

Hîc nauis illa prædonis istius, onusta signis religiosis, expulsa, atq; eiecta fluctu, frāgitur: in lito- CICERO.
re signa illa Apollinis reperiūtur: iussu Dolabellæ reponuntur, tēpestas sedatur: Dollabella Delo 175
proficiscitur. Non dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio vnquā fuit religionis, nunc tamen in metu periculóque tuo, tuorū tibi scelerū veniat in mentem. potéstne tibi vlla spes salutis cōmoda ostendi, quū recordaris, in deos immortales quàm impius, quàm sceleratus, quàm nefarius fueris? Apollinémne tu Deliū spoliare ausus es? illine tu tēplo tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias, ac sacrilegas afferre conatus es? si in pueritia nō iis artibus, & disciplinis institutus eras, vt ea, quæ literis mandata sunt, disceres, atque cognosceres: ne postea quidem, quū in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id quod est proditum memoriæ, ac literis? Latonam ex longo errore, & fuga grauidam, & iam ad pariendum vicinam, temporibus exactis *fugisse Delum, *confugisse
atque ibi Apollinem Dianámque peperisse. qua ex opinione hominū illa insula eorum deorum sacra putatur: tantáque eius auctoritas religionis & est, & semper fuit, vt ne Persæ quidem quum bellum toti Græciæ, diis, hominibúsque indixissent, & mille numero nauium classem ad Delum appulissent, quicquam conarētur aut violare, aut attingere. hoc tu fanum depopulari homo improbissime, atque amentissime audebas? fuit *illa cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem? Et si *tibi
tum hæc nō cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullū esse tantū malum, quod non tibi pro sceleribus tuis iandiu debeatur?

Quæ literis mandata sunt. Poetas discebant in scholis pueri, et ex iis Deorum fabulas. Est autem in [redacted] Hesiodi Theogonia hæc fabula.

Λητὼ δ' Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν.

Ἱμερόεντα γόνον περὶ παίδων εὐεστηκότων
Πέμπετ᾽ ἐφ᾽ αἰγιόχοιο Διὸς φιλότητι μιγεῖσα.

Temporibus exactis. Nouem mensibus.

Fugisse Delum. Mallem Confugisse. Cōfugere enim dicimus tanquam ad portum & perfugium. Et absurda hæc oratio videtur, Ex longo errore & fuga fugisse. Macrobius autem exposuit hanc fabulam libro Satur. I, cap. XVII.

Diis hominibúsque. Diis dixit, quòd templa incenderent: de quo vide Herodotum libro quinto & sexto. Cicero etiam lib. De Legibus II, Patrum, inquit, delubra esse in vrbibus censeo: nec sequor Magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quòd parietibus includerent deos, quibus omnia deberēt esse patentia, ac libera, quorúmque hic mūdus omnis templum esset, & domus. Hoc quoque AEschylus queritur in Persis,

οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ᾽ οὐ θεῶν βρέτη
ᾐδοῦντο συλᾶν, οὐδὲ πιμπράναι νεώς.
βωμοὶ δ᾽ ἄιστοι, δαιμόνων θ᾽ ἱδρύματα
πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.

Religionem tamen aliquam colebāt. Nam etsi neque statuas, neque templa, neque aras ædificarent, sacrificia tamen in præcelsis atque editis montibus cæli complexui, quem Iouem nominabant, & Lunæ, Telluri, Igni, Aquæ, & Veneris facere solebant. Sed de Persarum religione & ceremoniis fusè lib. I Herodotus, & Strabo Geog. VI. XV.

Fuit illa cupiditas. Longè probabilior lectio manuscripti codicis, Fuit vlla.

CICERO. 176 » In Asiam verò postquā venit, quid ego aduentus istius prandia, cœnas, equos, muneráque commemorem: nihil cum Verre de quotidianis criminibus acturus sum. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse: item Erythris, & Halicarnasso. Tenedo (prætereo pecuniā, quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur, qui vrbem illam dicitur condidisse, cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipsum inquā, Tenem pulcherrimè factum, quem quondam in comitio uidistis, abstulit magno cum gemitu ciuitatis. Illa verò expugnatio fani antiquissimi, & nobilissimi Iunonis Samiæ quàm luctuosa Samiis fuit? quàm acerba toti Asiæ? quàm clara apud omnes? quàm nemini vestrū inaudita? de qua expugnatione quū Legati ad C. Neronē in Asiam Samo venissent, responsum tulerunt, eiusmodi querimonias quæ ad Legatum populi R. pertinerent, non ad Prætorem, sed Romam deferri oportere. Quas iste tabulas illinc, quæ signa sustulit? quæ cognoui egomet apud istum in ædibus nuper, quū obsignandi gratia venissem. quæ signa nunc Verres, vbi sunt? illa quæro quæ aput te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in sylua denique disposita *sub diuo vidimus. cur ea, quandiu alium Prætorem cum iis Iudicibus, quos in horum locum *subsortitus es, de te in consilium iturum putasti, tandiu domi fuerunt: posteaquam nostris testibus nos, quam horis tuis, vti malle vidisti, nullum signum domi reliquisti, præter duo, quæ in mediis ædibus sunt, quæ ipsa Samo sublata sunt? non putasti me tuis familiarissimis in hanc rem testimonia denuntiaturum?

sub dio
subsortiturus eras

Tenem ipsum. De Tene ipse sic scribit libro de Nat. deor. III. Tenes enim Cycni filius in eam cum nouis colonis ex Troade nauigasse dicitur, conditámque ex se vrbem Tenedon nominasse.

Iunonis Samiæ. In Samo Insula Iuno nata traditur, & educata, Iouíque nupta. Quocirca templum & simulacrū in habitu mulieris figuratū est, & sacra eius anniuersaria nuptiarum ritu celebrata.

Non ad Prætorem, sed Romam. Etsi non Neronis Legatus erat Verres, sed Dolabellæ, vt rectè Nero fecisse videretur, quòd in eum qui ipsius Legatus non esset, animaduertendum non putasset, in qua sententia fuisse videtur Asconius: apparet tamen hoc responsum non in eam partem cōmemorari à Tullio, quòd Neronis factū probaret. Et profectò ita est, vt & ad Prætorē quem oportebat Samii questi sint (Prætor quippe Nero erat in Asia, in qua & Samos) & Nero pro summo imperio de iis cognoscere potuisset, quæ in sua prouincia commissa dicerentur.

In sylua denique. Erant in viridariis syluulæ Romæ, & in suburbanis, quò se vitandi caloris causa conferebant. Vnde in libro De Orat. III, Quinā igitur locus, inquit, an in media sylua placet? est enim is maximè & opacus & frigidus.

Disposita sub diuo. Sub dio, omnes alii libri. quam scripturam confirmat Asconius. Apud Varronē tamen vtrūque reperio. Iupiter, inquit, olim Diionis & Diespiter dictus, idest Diei pater: à quo Dii dicti, qui inde & Dius (sic enim puto scribendū, nō Dies) & Diuus. vnde Sub dio, Diuo, Diusfidius. Itaque inde Dius (subaudi dicitur: sic enim legi arbitror oportere) perforatum tectum, vt videatur Diuū, id est Cælū. Ergo Sub dio hoc significat quod Virgilius dixit, Nudo sub ætheris axe Græci ὑπαίθριον dicunt & ἐν Διὸς ὥραις. Plato in Protagora, [illegible] καὶ ἐν Διὸς ὥραις [illegible], &c.

Subsortitus es. Aut Subsortitus dixit κατὰ πρόληψιν, pro Subsortiturus: quasi iam certos habeat, & designatos quos anno insequenti subsortiatur. vt superiore Oratione multis locis, Condemnatum

dixit Verrem ſpe,& certa quadam populi R.expectatione:aut Subſorciturus eras,omnino legendum.quod mihi veriſimilius videtur,perpendenti verba & interpretationẽ Aſconii,& illud quod ſuprà dixit,147,Subſortiemur in M.Metelli locum.

Teſtibus quidem horis tuis. Aſconium hunc locum aliter & legiſſe,& intellexiſſe,ſatis ex ipſius verbis intelligitur. TVIS enim eius interpretatio manifeſtò repudiat.Neque ea ſanè in eius libro aut manuſcripto,aut veteri impreſſo legebatur. Tolerari tamen fortaſſe poterit, ſi modò ſententiã attendamus.Opponere nanque Cicero videtur inter ſe Noſtris teſtibus,& Tuis horis.vt Tuis horis eodem modo dictum videatur, quo ſuperiore Oratione pag.138, dixit Suum iudicium: id eſt,vt ipſe Aſconius interpretatur,ſibi appoſitum. Vti,ergo,tuis horis,perinde interpretor quaſi dixiſſet,Tibi commodis,vel, Tempore tuis rationibus accõmodato, & appoſito. vt ſit, Poſteaquam vidiſti nos tantum nolle in accuſando temporis conſumere,quantum tibi commodum fuiſſet.

» Qui tuæ domi ſæpe fuiſſent, ex quibus quærerem, ſigna ſcirẽtne fuiſſe quæ non eſſent. quid CICERO. 52.
» tum hos de te iudicaturos arbitratus es , quum viderent te iam non contra accuſatorem tuum, ſed 177
» contra Quæſtorem,Sectorẽmque pugnare?Qua de re Charidemum Chium teſtimonium priore a
» ctione dicere audiſtis:ſeſe, quum eſſet Trierarchus, & Verrem ex Aſia decedentem proſequeretur,
» iuſſu Dolabellæ fuiſſe vnà cum iſto Sami, ſeſeque tum ſcire ſpoliatum eſſe fanum Iunonis, & op-
» pidum Samum, poſteàque ſe cauſam apud Chios ciues ſuos Samiis accuſantibus publicè dixiſſe,
» eóque ſe eſſe abſolutum,quòd planum feciſſet,ea quæ Legati Samiorum dicerent,ad Verrem,non
» ad ſe pertinere. Aſpendum vetus oppidum, & nobile in Pamphylia ſcitis eſſe, pleniſſimum ſi- 53.
» gnorum optimorum. non dicam illinc hoc ſignum ablatum eſſe, & illud: hoc dico, nullum te A-
» ſpendi ſignum Verres reliquiſſe, omnia ex fanis, ex locis publicis, palàm, ſpectantibus omnibus,
» ploſtris euecta, aſportatáque eſſe. atque etiam illum Aſpendium citharistam, de quo ſæpe audiſtis
» id quod eſt Græcis hominibus in prouerbio, quem omnia intus canere dicebant,ſuſtulit,& in inti-
» mis ſuis ædibus poſuit,vt etiam illum ipſum artificio ſuo ſuperaſſe videatur. Pergæ fanum anti- 54.
» quiſſimum, & ſanctiſſimum Dianæ ſcimus eſſe. id quoque à te nudatum, & ſpoliatum eſſe, ex ipſa
» Diana ,quod habebat auri, detractum, atque ablatum eſſe dico.quæ (malum) eſt iſta tanta audacia
» atque amentia? quas enim ſociorum, atque amicorum vrbes adiſti Legationis iure,& nomine:ſi in
» eas vi cum exercitu,imperióque inuaſiſſes, tamen opinor quæ ſigna, atque ornamenta ex his vrbi-
» bus ſuſtuliſſes, hæc non in tuam domum, neque in ſuburbana amicorum, ſed Romam in publi-
» cum deportaſſes.

Quæſtorem Sectorẽmque. Nam Quæſtores AErarii à Populo in eius bona publicè poſſidenda mittebantur qui damnatus eſſet.vt ſcribit Liuius,miſſos Quæſtores in poſſeſſionem bonorum Scipionis Aſiatici, ſed eos nequaquam tantam ſummam in AErarium redegiſſe, quantæ pecuniæ damnatus fuerat.Sectores autem à ſequendo dictos,ex verbis Aſconii cõiicimus.Arbitror ab antiquo verbo Seco,ſecas,quod idem ſignificat vt ſequor.vnde Sector,ſectaris,& Secta,ſectæ. Accuſatores enim & iudicia ſectabantur, quoniam damnatorum bona ipſi æſtimare, & certam ſummam promittere ſolebant.

Græcis hominibus in prouerbio. Quòd ita citharam pulſaret, vt à ſe tantummodo exaudiretur: prouerbium in eos conueniſſe arbitror, qui ſuis duntaxat commodis & rationibus conſulentes, aliorum nullam curam aut cogitationem ſuſcipiunt. Sic in Orat.contra Rullum,Atque hoc carmen Tribunus non vobis,ſed ſibi intus canit.

Pergæ fanum. Fanum hoc non Pergæ,quod eſt oppidum Pamphyliæ,ſed proxime Pergam fuiſſe Strabo teſtatur libro Geog. XIIII, [illegible], inquit, [illegible]. Perge verò ſine diphthõgo legiſſe Aſconium ex eius verbis coniicio,vt ſit Perge,Perges, [illegible].

Audacia atque amentia. Non modò diripuiſſe, ſed etiam domum tuam deportaſſe ſigna atque ornamenta ſociorum.

» Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracuſas vrbẽ ornatiſſimã cepit?quid de L. Scipione, CICERO. 55.
» qui bellum in Aſia geſſit,Antiochúmque Regem potentiſſimũ vicit?quid de Flaminio,qui Regem 178
» Philippum,& Macedoniã ſubegit?quid de L.Paulo,qui Regẽ Perſen vi,ac virtute ſuperauit? quid
» de L.Mummio,qui vrbem pulcberrimã,atque ornatiſſimã Corinthum,pleniſſimã rerũ omnium
» ſuſtulit,vrbẽſque Achaiæ,Bœotiæque multas ſub imperiũ populi R.ditionẽmque ſubiunxit?quo-
» rum domus quũ honore & virtute florerent,ſignis & tabulis pictis erant vacuæ.at verò vrbem to
» tam,templa deorum omnẽſque Italiæ partes illorũ donis,ac monimẽtis exornatas videmus. Ve- 56.
» reor ne hæc fortè cuiquã nimis antiqua,& iam obſoleta videantur:ita enim tum æquabiliter om-
» nes erant huiuſmodi,vt hæc laus eximiæ virtutis,& innocentiæ non ſolùm hominũ,verumetiam
» temporum illorũ eſſe videatur. P. Seruilius vir clariſſimus,maximis rebus geſtis,adeſt, de te ſen-
» tentiam laturus eſt:Olympũ vi,copiis,conſilio,virtute cepit,vrbem antiquã,& omnibus rebus au

» ctam & ornatá.recés exemplú fortissimi viri profero:nam postea Seruilius Imperator populi R.
» Olympú vrbem hostium cepit, quàm tu in iisdé illis locis Legatus Quæstorius oppida pacata so
» ciorum,atque amicorú diripienda,ac vexanda curasti.tu quæ ex fanis religiosissimis per scelus, & 57.
» per latrocinium abstulisti,ea nos videre,nisi in tuis, amicorúmque tuorum tectis, non possumus.

Quid de M. Marcello. Hic imperator populi R. Syracusas bello cepit: neque tamen vlla signa inde exportauit. vide latè pag. 468. & infrà item 224. Itaque Liuius lib. v I tertiæ decadis, Ouás, inquit, multam præ se prædam in vrbem intulit. Cum simulacro captarum Syracusarum catapultæ, ballistæque, & alia omnia instrumenta belli lata, & pacis diuturnæ, regiæque opulétiæ ornamenta, argenti ærisque fabrefacta vasa, & alia supellex, pretiosáque vestis, & multa nobilia signa, quibus inter primas Græciæ vrbes Syracusæ ornatæ fuerant.

L. Scipio. De L. Scipione Asiatico, eiúsq; triúpho scribit Liuius Decadis quartæ lib. v I I extremo.

Quid de Flaminio. T. Quintium Flaminium dicit, de cuius triumpho Liuius lib. I v, quartæ decadis, & Plutarchus in eius vita.

Quid de L. Paulo. Huius triumphú vide apud Liuiú Decadis quartæ lib. v. De abstinentia, Cicero libro de Off. I I, ita scribit, Omni Macedonú gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus: tátum in AErarium pecuniæ inuexit, vt vnius Imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum suam intulit, præter memoriam nominis sempiternam. Plinius eadem propè, libro XXXIII, cap. III.

Quid de L. Mummio. Cicero, eo qué modò dixi loco, Quid, qui eius collega in Césura fuit L. Mummius? nunquid copiosior, quum copiosissimam vrbem funditus sustulisset? Italiam ornare, quàm domum suam maluit: quanquam Italia ornata, domus ipsa videtur mihi ornatior. Strabo item libro Geographiæ octauo, contemptorem signorum & tabularum maximum facit Mummium. Itaque quod de vrbis Romæ & Italiæ templis Cicero scribit, idem ille attingens, σχεδὸν δέ τι, inquit, καὶ τῶν ἄλλων ἀναθημάτων τῶν ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖστα ἐντεῦθεν ἀφῖχθαι. τινὰ δὲ καὶ αἱ κύκλῳ τῆς Ῥώμης πόλεις ἔχον. Ferè, inquit, quæ Romæ sunt pretiosissima templorum signa & ornamenta, ea magna ex parte ex Corintho deportata sunt. nonnulla etiam Italiæ ciuitates habuerunt.

Olympum, in consiliis. Strabo libro X I I I I scribit in hanc sententiam, In vertice Tauri montis Olympus est, Zeniceti pyratæ sedes. Mons item & arx eodem nomine: vnde Lycia omnis, & Pamphylia Pisidiáque cernitur. Quem montem quum Isauricus cepisset, sese ille cum vniuersa domo exussit. Illius erat & Corycus, & Phaselis, & loci Pamphyliæ plurimi. Hæc autem omnia cepit Isauricus.

CICERO. 179
» P. Seruilius quæ signa, atque ornamenta ex vrbe hostiú, & virtute capta, belli lege, atque Impe-
» ratorio iure sustulit, ea populo R. apportauit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad AEra-
» rium perscribenda curauit. Cognoscite ex literis publicis hominis amplissimi diligentiá. Recita.
» RATIONES RELATAE P. SERVILII. Non solum numerú signorú, sed etiam vniuscuius-
» que magnitudinem, figuram, statum literis definiri vides. certè maior est virtutis, victoriæque iu-
» cunditas, quàm ista voluptas quæ percipitur ex libidine, & cupiditate. Multo dil:gétius habere di-
» co Seruiliú prædam populi R. quàm te tua furta notata, atque descripta. Dices, tua quoque signa, 58.
» & tabulas pictas ornaméto Vrbi, foróque populi R. fuisse. memini: vidi simul cum populo R. fo-
» rum, comitiúmque adornatum: ad speciem, magnifico ornatu: ad sensum, cogitationémque, acer-
» bo, & lugubri: vidi collucere omnia furtis tuis, præda prouinciarum, spoliis sociorum, atque ami-
» corum. quo quidem tempore Iudices, iste spem maximam reliquorum quoque peccatorú nactus
» est: vidit enim eos, qui iudiciorum dominos se dici volebát, harum cupiditatum esse seruos. socii 59.
» verò, nationésque exteræ, spem omnium tum primum abiecere rerum, ac fortunarum suarum:
» propterea quòd casu Legati ex Asia, atque Achaia plurimi Romæ tunc fuerunt, qui deorum simu
» lacra ex suis fanis sublata in foro venerabátur: itemque cætera signa, & ornamenta quú cogno-
» scerent, alia alio in loco lacrymantes intuebantur. quorú omnium hunc sermonem tum esse au-
» diebamus, nihil esse quod quisquam dubitaret de exitio sociorum atque amicorum, quú quidem
» viderent in foro populi R. quo in loco antea qui sociis iniurias fecerant, accusari, & condemnari
» solebant, ibi esse palàm posita ea, quæ ab sociis per scelus ablata, ereptáque essent.

P. Seruilius. Hic est P. Seruilius Isauricus, qui, vt Strabo scribit libro X I I, Isauriam in populi R. imperium ditionémque redegit. quo loco idem testatur se Isauricum vidisse.

Certe maior est. Asconio subobscurus videtur locus. ego ea de causa subiectum arbitror ἡδονὴν, quòd omnia subtiliter admodum & enucleatè Seruilius perscripserit: ex quo eum apparet voluptatem etiam in describendo, & singula quæque ita subtiliter enumerando cepisse.

Reliquorum quoque peccatorum. Fore vt hoc iudicium corrumpi posset.

Esse seruos. Seruos cupiditatum Hortensium & cæteros appellat, quòd, vt ea signa sibi haberent, receperant se Verris voluntati, in iudicio turpiter corrumpendo, morem gesturos. Nam corrum-

pendorum iudiciorum artifices, iudiciorum dominos & reges appellat.

Spem omnium abiecere. Desperarunt se à Prætorum rapinis & iniuriis fortunas posse suas integras conseruare.

Exitio sociorum. Id est, quin esset maxima Prætoribus, & populi R. Magistratibus, ad populandas prouincias fenestra patefacta.

Hic ego non arbitror illum negaturũ, signa sese plurima, tabulas pictas innumerabiles habere. sed, vt opinor, solet hæc, quæ rapuit, & furatus est, nonnunquam dicere se emisse, quoniã quidem in Achaiam, Asiã, Pamphiliam sumptu publico, & Legationis nomine cũ imperio, & securibus mercator signorũ tabularũmque pictarũ missus est. habeo & istius & patris eius accepti tabulas omnes, quas diligentissimè legi, atque digessi: patris, quoad vixit: tuas, quoad ais te cõfecisse. nam in isto Iudices hoc nouum reperietis. audimus aliquem tabulas nunquam confecisse: quæ est opinio hominum de Antonio, falsa: nã fecit diligentissimè. Verum sit hoc genus aliquod minimè probandum. audimus alium nõ ab initio fecisse, sed ex tempore aliquo cõfecisse. est aliqua etiã huiusce rei ratio. hoc verò nouũ, & ridiculũ est, quod hic nobis respõdit, quũ ab eo tabulas postularemus: vsque ad M. Terentiũ, & C. Cassium Cõsules confecisse, postea destitisse. Alio loco, hoc cuiusmodi sit, considerabimus. nũc nihil ad me attinet: horum enim temporũ in quibus nunc versor, habeo tabulas & tuas, & patris. plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas deportasse te, negare nõ potes: atque vtinam neges. vnum ostende in tabulis aut tuis, aut patris tui, emptum esse: vicisti. ne hæc quidem duo signa pulcherrima, quæ nunc ad impluuium tuum stãt, quæ multos annos ad valuas Iunonis Samiæ steterunt, habes quomodo emeris: hæc inquam duo, quæ in ædibus tuis sola iam sunt, quæ sectorem expectant, relicta, ac destituta à cæteris signis. CICERO. 180 60. 61.

In Achaiam, Asiam, Pamphiliam. Per quas iter in prouinciam Ciliciam faciebat. [redacted]

Cum imperio & securibus. Abest hoc totum ab omnibus & manuscriptis, & impressis libris, quos quidem adhuc viderim. neque qua ratione hoc adscriptum sit, intelligo, quũ satis constet Legatis non modò imperium, sed ne potestatem quidem datã fuisse: vt apparet pag. 408. secures autem Legati, nisi quũ operam fiduciariã præstant, id est quũ Proprætore relicti, aut à Prætore quopiã missi sunt, quorsum haberent? Quapropter tollendũ hoc totum, & remouendũ putarem: quod sine dubio sumptũ est ex illo Orationis sextæ loco, pag. 415, O dii immortales, præclarã defectionem: mercatorem cum imperio ac securibus in prouinciã misimus. Vbi de Prætore loquitur, cui summum imperium & sex secures dabantur, vt alibi dictũ est. Hæc autem dicuntur per irrisionem: quia nulli neque Magistratui, neque Legato, quicquam in prouinciis mercari licebat: quòd videretur ereptio, non emptio, quum venditori suo arbitratu vendere non liceret. [redacted]

Nam in isto Iudices. Necessariò anticipatione vsus est, vt intelligi posset quod modò dixit, Tuas, quoad ais te confecisse. Est enim alius ad dicendum locus de tabulis constitutus, pag. 194.

De Antonio falsa. M. Antoniũ Oratorem nõ existimatũ esse tabulas cõficere, scribit in ipsius persona Cicero libro de Orat. II, his verbis, Sulpitius, Me quidem, inquit, rectè mones, idque mihi gratum est, sed ne te quidem Antoni, multum scriptitasse arbitror. Tum ille, Quasi verò, inquit, non ea præcipiam aliis, quæ mihi ipsi desunt: sed tamen ne tabulas quidẽ conficere existimor. Verùm & in hoc ex re familiari mea, & in illo ex eo quod dico, quantulum idcunque est, quid faciam iudicari potest. De alio tamen Antonio locum Asconius interpretatur.

Huiusce rei ratio. Id est Potest hoc aliqua ratione defẽdi. Potest aliqua esse huiusce rei ratio videri.

Ad M. Terentium, C. Cassium COSS. De M. Terentii Cõsulatu nihil inuenio. Sunt qui Liciniũ reponant. quòd in recẽsione Cõsulum tres ab hinc annos C. Cassius & M. Licinius Lucullus Cõsules ponantur. quibuscũ facere videtur Asconius, qui Cõsulatum istum, de quo Cicero loquitur, à præsenti tempore nõ longè abesse scribit. Moueor tamen aliorũ locorũ multitudine, in quibus perpetuò Terentii nomen reperio: vt Verrina V, pag. 380, & 386. Item Verr. VII, 508. Et nonnunquam incidi in suspicionem, non COSS. sed CESS. id est Censores legendum esse: quòd tabularum cura ad Censores pertineret. sed de Terentio vel Consule, vel Censore nihil reperio.

At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrænatas habebat: cæteræ libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. Quàm multis istũ ingenuis, quàm multis matribusfamilias in illa tetra, atque impura Legatione vim attulisse existimatis? ecquo in oppido pedẽ posuit, vbi non plura stuprorũ, flagitiorúmque suorum, quàm aduetus sui vestigia reliquerit? Sed ego omnia quæ negari poterũt, prætermittã. etiã hæc quæ certissima sunt, & clarissima relinquã. Vnũ aliquod de nefariis istius factis eligã, quo facilius ad Siciliã possim aliquãdo, quæ mihi hoc oneris, negotiique imposuit, peruenire. Oppidum est in Hellesponto Lampsacum Iud. in primis Asiæ prouinciæ clarum, & nobile: homines autem ipsi Lampsaceni tum summè in omnes ciues Romanos officiosi, tum præterea maximè sedati, & quieti, propè præter cæteros ad summum Græcorum otium potius, quàm ad vllam vim, aut tumultum accommodati. accidit, quum iste à Cn. CICERO. 181 62. 63.

Dolabella efflagitasset, vt se ad Regem Nicomedem, Regémque Sadalam mitteret, quúmque iter hoc sibi magis ad quæstum suum, quàm ad Reipub. tempus accommodatum depoposcisset: vt illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate, & prope pernicie ciuitatis. Deducitur iste ad Ianitorem quendam hospitem, comitésque eius item apud cæteros hospites collocantur. vt mos erat istius, atque vt eum suæ libidines flagitiosæ facere admonuerát, statim negotium dat illis suis comitibus, nequissimis, turpissimísque hominibus, vt videant, & inuestigent ecquæ virgo sit, aut mulier, digna quamobrem iste Lampsaci diutius commoraretur.

Aduentus sui vestigia. Aut rixis, aut cædibus factis.

In Hellesponto Lampsacum. Hellespontus Asiam discriminat ab Europa, hinc Sesto, & Callipoli: illinc Lampsaco & Abydo nobilissimis vrbibus, inter se quasi è regione spectantibus.

Asiæ prouinciæ. Quæ definitur à Septétrione Bithynia, ab Occasu Propontide, AEgeo pelago, atque Icario, Myrtoóque, à Meridie Lycia, ab Oriente Pamphilia, & Galatia.

Græcorum otium. Itaque multis locis Græcos otiosos appellat, vt libro seq. pag. 225, Græcorũ desidia. Et pro Sestio, Græculũ, inquit, se atque otiosum putari voluit. Lib. de Orat. 1, Quid mihi nũc vos, inquit Crassus, tanquam alicui Græculo otioso & loquaci, quæstiunculam de qua meo arbitratu loquar, quæritis?

CICERO. 182 Erat comes eius Rubrius quidã, homo factus ad istius libidines: qui miro artificio, quocunque venerat, hæc inuestigare omnia solebat. is ad eũ rem istam defert: Philodamũ esse quendã genere, honore, copiis, existimatione facilè principem Lampsacenorũ: eius esse filiã, quæ cum patre habitaret, propterea quòd virũ nõ haberet, mulierem eximia pulchritudine, sed eã summa integritate pudicitiáque existimari. Homo vt hæc audiuit, sic exarsit ad id quod nõ modò ipse nunquã viderat, sed ne audierat quidẽ ab eo qui ipse vidisset, vt statim ad Philodamũ migrare se diceret velle. Hospes Ianitor qui nihil suspicaretur, veritus ne quid in ipso se offenderit, hominẽ summa vi retinere cœpit. iste qui hospitis relinquendi causã reperire nõ posset, alia sibi ratione viã munire ad stuprũ cœpit: Rubriũ, delicias suas, in omnibus eiusmodi rebus adiutorẽ suũ, & conscium, parũ lautè diuersari dicit, ad Philodamũ deduci iubet. Quod vbi est Philodamo nuntiatum: tametsi erat ignarus, quantũ sibi ac liberis suis iã tum mali constitueretur, tamen ad istũ venit, ostendit munus illud suũ nõ esse: se, quũ suæ partes essent hospitũ recipiẽdorũ, tũ ipsos tantũ Prætores & Cõsules, nõ Legatorũ asseclas recipere solere. Iste, qui vna cupiditate raperetur, totũ illius postulatũ causãque neglexit: per vim ad eũ qui recipere non debebat, Rubriũ deduci imperauit. Hic Philodamus, posteaquã ius suũ obtinere nõ potuit: vt humanitatem cõsuetudinémque suã retineret, laborabat.

Virum non haberet. Mortuum nimirum. Mulierem enim modò appellat, non virginem.

Veritus ne quid in ipso se offenderit. Obscura loquutio. Fortasse sic rectius legeretur, Veritus ne quid ipsum in se offenderit: vel, Ne quid in seipsum offenderit. vel sic potius, Ne quid ipse in se offenderit. vt pronomen Ipse Verrem demonstret. Nam sic loquutus est in Orat. pro Milone, Quæ si vos cepit obliuio, aut si in me aliquid offendistis: cur non id meo capite potius luitur, quàm Milonis?

Tametsi non erat ignarus. Negationẽ sententia manifestò repudiat, quæ abest etiã nõ modò ab omnibus cũ veteribus, tum impressis libris: sed etiã à lexico Nonii Marcelli in dictione Constituere.

Tum ipsos tantum Prætores. Malim, Tamen ipsos. Eritque multo sententia cõcinnior. Fuit autem lapsus perfacilis, in nota vulgari Tñ, u vocalem, pro n consonante accipere.

Causámque neglexit. Causam, excusationẽ. vt infrà, 194, Omen magis Patribus Cõscriptis, quàm causa placuit. Terentius in Hecyra,

Nam hercle abs te factum est turpiter:
Etsi tibi causa est, mater te impulit.

CICERO. 183 Homo qui semper hospitalissimus amicissimúsque nostrorũ hominũ existimatus esset, noluit videri ipsum illũ Rubriũ inuitus in domũ suã recepisse: magnificè & ornatè, vt erat in primis inter suos copiosus, cõuiuium cõparat: rogat Rubriũ, vt, quos ei cõmodum sit, inuitet: locum sibi soli, si videatur, relinquat: vt etiã filium suũ, lectissimum adolescentẽ, foras ad propinquũ suum quendã mitteret ad cœnã. Tum Rubrius istius comites inuitat. eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. maturè veniunt: discumbitur: fit sermo inter eos, & inuitatio, vt Græco more biberetur: hospes hortatur: poscũt maiorib' poculis: celebratur omniũ sermone lætitiáque conuiuiũ. Posteaquã satis calere res Rubrio visa est: Quæso, inquit, Philodame, cur ad nos filiã tuam nõ intro vocari iubes? homo, qui & sũma grauitate, & iã id ætatis, & parẽs esset, obstupuit hominis improbi dicto. instare Rubrius. tũ ille, vt aliquid respõderet, negauit moris esse Græcorũ, vt in cõuiuio virorũ accũberent mulieres. hic tũ alius ex alia parte, Enimvero ferẽdũ hoc nõ est: vocetur mulier. & simul seruis suis Rubrius, vt ianuã clauderent, & ipsi ad fores assisterẽt, imperat. Quod vbi ille intellexit id agi, atq; id parari, vt filiæ suæ vis afferretur, seruos suos ad se vocat, his imperat vt seipsũ negligãt, filiã defendãt, excurrat aliquis qui hoc tantũ domestici mali filio suo nũtiet. clamor interea fit tota domo inter seruos Rubrii atq; hospitis: iactatur domi suæ vir optim', & homo honestissim'.

" pro se quisque manus affert:aqua denique feruenti à Rubrio ipso Philodamus perfunditur.

Quos ei commodum sit. Vetustè, inquit Asconius in eum locum sequentis Orationis, pag. 135, Aut enim Iudicem, quem commodū erat, pro Eum quem volebat. Similiter hac eadem Orat. pag. 203 Bona patria eriperes, & cui tibi commodum esset, condonares.

Inuitatio ut Græco more biberetur. Morem attingit duplicē. primùm vt inuitatio fieret: deinde vt maioribus poscerent. quare de vtroque testimonia proferemus. Cicero lib. I. Tusculanarum disputionum primo, de Theramene loquens, Quum venenum, inquit, vt sitiens obbibisset, reliquum sic è poculo eiecit, vt id resonaret. Quo sonitu reddito, ridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conuiuiis solent nominare cui poculū tradituri sint. hæc ille. Morem autem hunc animaduertere possumus ex conuiuio, de quo mentionem facit Xenophon, libro de Cyri minoris expeditione VII: in quo conuiuæ inter se ad bibendum prouocantes, eum nominant cui pincernam postea cornu vino plenum tradere iubent. Itaque, inquit, regi omnes propinant. Xenophon ipse quū adesset, ab alio prouocatus, regem inuitat. ad extremum, ἀνίσταται δὲ ὁ Σεύθης, inquit, συνεξέπιε, καὶ συγκατεσκεδάσατο μετ' αὐτοῦ τὸ κέρας. Alexāder porrò Aphrodisiēsis in Problematis eius moris quo maioribus poscebāt, mentionē facit, causamque affert quā non alienū erit hoc loco exponere. Διὰ τί ἐν ταῖς συμποσίαις τῷ ἐναντίῳ τρόπῳ οἱ ἄνθρωποι κέχρηνται. ἀρξάμενοι μὲν γὰρ ἐν μικροῖς πίνουσι, πληρωθέντες δὲ, ἐν μεγάλοις ποτηρίοις. τοῦτο νομίζεται μὲν εἶναι καταγέλαστον, ἔχει δὲ πρὸς αἰτίας εὐλόγους. διὰ γὰρ τὴν εὐωχίαν ὥστε τὸ πίνειν πυκνότερον καὶ συνεχῶς, ἄρχονται μὲν ἀπὸ μικροτέρων φιαλῶν, λήγουσι δὲ ἐν μείζοσιν. αἱ γὰρ μικραί, αὐτάρκως ... ὡς ἐν ... τοῦ πιεῖν οὐχ ἧττον εἰσὶν. εἰ δὲ μὲν καὶ ἀπὸ μειζόνων ἄρχονται, θᾶττον πληρούμενοι πυκνῶς τοῦτο ποιεῖν, ὡς ἐν ταῖς εὐφροσύναις, οὐ δύνανται, ἐν χρείᾳ ἢ τῇ ἀνθρώπῳ, ἢ ὁ πάλιν ... ὀλίγον ... δύνανται τὴν χρείαν. Hoc est, Cur Græci in cōuiuiis contraria ratione poculis vtuntur? Bibunt enim initio in paruis, pleni verò in grandioribus poculis. hoc existimatur quidem esse perridiculū. habet tamen causam aliquam probabilē. nam propter epulas, vt crebrò & cōtinenter bibant, à paruis quidem poculis initium faciunt, finem à maioribus. parua enim, vbi largè & prolixè bibendū est, satietatem afferre cōmodè nequeūt. Quòd si à maioribus inciperent, celerius explerentur, neque crebrò hoc facere (vt fit in epulis) possent. Præterea natura, frequētia & crebritate bibendi excepta, statim fastidio afficitur, & copiam atque abundantiā auersatur. paruis autem paulatim assueta, succedente tempore abundantiam ferre poterit.

Poscunt maioribus poculis. Poscere hoc loco Nonius Prouocare interpretatur, vt sit Prouocāt inter se maioribus poculis exhauriēdis, vt in illo Virgilii, Aut acrē dubites in prælia poscere Turnū.

Calere visa est. Non ad libidinem. non enim ea præda vlli cōuiuæ quærebatur. Philodamū verò vino accensum nō dicit, quē summa grauitate hominē, & natu grādē appellat. Calere igitur comitum & sodaliū animos intelligo, ad audendū & suscipiendū facinus cōstitutū. Quod Demosthenis locus, quem Cicero sine vlla dubitatione sibi modò imitandū proposuit, apertissimè declarat. Is est in Oratione περὶ παραπρεσβείας, vbi de AEschinis intēperātia cōmemorat, apud Xenophonē cœnātis. Ἐπειδὴ δὲ ἧκον εἰς τὸ πίνειν, εἰσάγει γυναῖκα, εὐπρεπῆ μὲν, ἐλευθέραν δὲ, καὶ σώφρονα, ὡς τὸ ἔργον ἐδήλωσε. ταύτην τὸ μὲν πρῶτον, οὕτωσὶ πίνειν ἠνάγκαζον ἠρέμα καὶ τρώγειν, ὥς μοι διηγεῖτο Ἰατροκλῆς ἐμοὶ τῇ ὑστεραίᾳ. ὡς δὲ προῄει τὸ πρᾶγμα, καὶ διεθερμαίνοντο, κατακλίνεσθαι καὶ ᾄδειν τι ἐκέλευον. ἀδημονούσης δὲ τῆς ἀνθρώπου, καὶ οὔτε ἐθελούσης, οὔτε ἐπισταμένης, ὕβριν τὸ πρᾶγμα, ἔφασκεν οὗτος καὶ ὁ Φρύνων, καὶ οὐκ ἀνεκτὸν τοὺς θεοῖς ἐχθρούς, καὶ ἀλιτηρίους Ὀλυνθίων αἰχμαλώτους οὔσας, τρυφᾶν. Id est, Quū ad potationē ventū esset, introducit mulierem quandā Olynthiā: forma quidem eximia, sed ingenuā & pudicā: quemadmodū reipsa cōpertum est. Hāc ergo principiò (vt opinor) bibere isti atque edere leniter cogebāt: sicuti mihi Iatrocles postridie narrabat. Postquā res progressa est, & illi calere cœperūt, vt discūberet atque aliquid caneret iusserūt. Mulier quū animo angeretur, doloréque ardens parere nollet, quippe quæ contumeliā pati nō didicerat, tu iste & Phryno, Enimuero, aiunt, ferendū hoc nō est, istā ex nefariis ac sceleratis Olynthiis captiuā, delitias agere. Donatus hūc Ciceronis locū in Terentiū proferens, Enimuero, inquit, significationē habet nimium permoti atque irritati animi, principiúmque est aliquid cum iracundia dicturi.

Clamor interea fit tota domo inter seruos Rubrij atque hospitis. Hoc amplius liber Iulii Rufiniani, in figura παλιλογία. Pugna inter seruos Rubrii. quod mihi mirandum in modum arridet.

Vir optimus, & homo honestissimus. Vir primus, omnes ad vnū scripti, & veteres impressi. & sic loquutus est pag. 429, A Lisone verò Lilybætano, primo homine, apud quē diuersatus es. Apud Noniū Marcellum in dictione Iactare, reperio Primario. Ego à librorū consensione non facilè discedo.

Aqua denique feruenti. Ridiculè & contumeliosè dictum in Rubrium, quasi nō vt vir, gladiis, sed vt mulier instrumentis ex culina sumptis depugnaret.

" Hæc vbi filio nunciata sunt, statim exanimatus ad ædes cōtendit, vt & vitæ patris, & pudicitiæ CICERO.
" sororis succurreret. omnes eodem animo Lampsaceni, simul vt hoc audiuerūt, quòd eos tum Phi- 184
" lodami dignitas, tū iniuriæ magnitudo mouebat, ad ædes noctu conuenerunt. hic lictor istius Cor-
" nelius, qui cum eius seruis erat à Rubrio, quasi in præsidio, ad auferendam mulierem collocatus
" occiditur: serui nonnulli vulnerātur: ipse Rubrius in turba sauciatur. iste, qui sua cupiditate tan- audiret.
" tos tumultus concitatos *videret, cupere aliqua euolare, si posset. Postridie manè homines in con-

cionem veniunt:quærunt,quid optimũ factu sit: pro se quisque,vt in quoque erat auctoritatis plurimum,ad populu loquebatur:inuẽtus est nemo,cuius nõ hæc & sententia esset, & oratio: non esse metuendũ, si istius nefarium scelus Lãpsaceni vlti vi, manúque essent, ne Senatus populúsque R. in eã ciuitatem animaduertendũ putaret: quòd si hoc iure Legati populi R. in socios, nationésque exteras vterẽtur,vt pudicitiã liberorum seruare ab eorũ libidine tutã non liceret :quiduis esse perpeti satius,quàm in tanta vi,atque acerbitate versari. Hæc quũ omnes sentirẽt,& quum in eam rationem pro suo quisque sensu,ac dolore loqueretur:omnes ad eam domũ,in qua iste diuersabatur, profecti sunt.cædere ianuã saxis,instare ferro,ligna & sarmẽta circundare,ignẽ subiicere cœperũt. tũ ciuẽs R.qui Lampsaci negotiabãtur,concurrũt:orant Lãpsacenos vt grauius apud eos nomen Legationis, quàm iniuria Legati putaretur:sese intelligere, hominem illum esse impurũ, ac nefarium:sed quoniã nec perfecisset quod conatus esset,neque futurus esset Lampsaci postea,leuius eorum peccatum fore,si homini scelerato pepercissent,quàm si legato non pepercissent.

Tantos tumultus concitatos videret. Quomodo videret,qui non aderat: An Videret,pro Accepisset, posuit:an potius Audiret legendum est? quod mihi quidem verisimilius videtur.

Pro suo quisque sensu ac dolore. Id est pro eo ac indignè quisq; & grauiter ferebat. Similiter in Orat. Pro Sex. Roscio, Hæc ego pro meipso, & animi mei sensu ac dolore pronuntio.

Ignem subiicere. Antiquus codex,impressi veteres nonnulli, Ignémque subiicere. quam lectionem quũ propter librorum auctoritatem,& cõpositionis numerorúmque concinnitatem elegãtiorem iudicarem,recipere tandẽ alia de causa minimè dubitaui, quòd viderem eam Iulio Rufiniano doctissimo viro placuisse.

Sic iste multo sceleratior,& nequior,quàm ille Adrianus,aliquanto etiã fœlicior fuit. ille,quòd eius auaritiam ciues R. ferre non potuerant, Vticæ domi suæ viuus exustus est:idque ita illi merito accidisse existimatum est,vt lætarentur omnes, neque vlla animaduersio cõstitueretur. hic sociorum ambustus incendio,tamen ex illa flamma, periculóque euolauit: neque adhuc causam vllam excogitare potuit, quamobrem cõmiserit,aut quid euenerit,vt in tantum periculũ veniret. Non enim potest dicere,Quũ seditionem sedare vellem,quũ frumentum imperarem,quũ stipendiũ cogerem,quũ aliquid denique Reip. causa gererẽ,quòd acrius imperaui,quòd animaduerti,quòd minatus sum. Quæ si diceret:tamẽ ignosci nõ oporteret,si nimis atrociter imperãdo sociis,in tãtum adductus periculũ videretur. Nunc, quũ ipse causam illius tumultus neque verã dicere, neque falsam cõfingere audeat: homo autem ordinis sui frugalissimus,qui tum Accensus C. Neroni fuit, P. Tettius hæc eadem se Lampsaci cognosse dixerit, vir omnibus rebus ornatissimus C. Varro,qui tum in Asia Tribunus militum fuit,hæc eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare,quin istum fortuna non tam ex illo periculo eripere voluerit,quàm ad vestrum iudicium reseruare:nisi verò illud dicet,quod & in testimonio Tettii priore actione interpellauit Hortensius. quo tempore quidem signi satis dedit,siquid esset,quod posset dicere, se tacere non posse:vt, quàm diu in cæteris rebus tacuerit,scire omnes possemus,nihil habuisse quod diceret.

Quàm ille Adrianus. Hunc postea disertè Prætorẽ appellat libro Accusat. v, pag. 526. quod quidem propter Asconii dubitationem dicimus. De hoc autem Adriano sic scribit Valerius Max. libro nono, Quum Adrianus ciues R. qui Vticæ consistebãt,sordido imperio vexasset,iccircóque ab his viu' esset exustus:nec quæstio vlla in vrbe hac de re habita,nec querela versata est. Et Florus in Epitome, C. inquit, Fabius in Africa propter crudelitatẽ & auaritiã in Prætorio suo viuus exustus est.

Sociorum ambustus incendio. Ambustus,semiustulatus, ἡμίφλεκτος, flamma circunuentus & obsessus.

Causam ullam excogitare. Id est, Defensionem aliquam falsam comminisci atque confingere.

Quamobrem commiserit, aut quid euenerit. Nihil muto. sed si quis vetus liber scriptum ita haberet, Quamobrem euenerit,aut quid commiserit:eam lectionem lubentissimo animo reciperem.

Quæ si diceret. Ordo igitur loci superioris hic fuit, Non enim potuit dicere, quod quum seditionem,&c. acrius imperaui,acrius animaduerti,&c.

Accensus C. Neroni fuit. Accẽsus, inquit, Varro ab acciẽdo dictus est,quòd is quoque(itẽ vt Præco) quos Magistratus iuberet,acciebat. à quo non abhorrẽt Ciceronis verba in Epist. ad Q. Fratrem, His rebus nuper Cn. Octauius iucundissimus fuit:apud quem primus lictor qui fuit,tacuit Accensus. quoties quisque voluit dixit,& quam voluit diu. Præconũ enĩ id munus fuisse, nemini ignotum est. Sed in prouinciis & in exercitu Asconius scribit Accensum fuisse nomen ordinis,& promotionis in militia. & hoc ipsum ex Varronis verbis intelligitur, apud Noniũ Marcellũ. Honestiorem quidem cæteris Apparitoribus fuisse Accensum,alter in eadem Epistola locus nõ obscurè significat,quem hìc subiiciã, Accensus sit eo etiã numero,quo eũ maiores nostri esse voluerunt,qui hoc nõ in beneficii loco,sed in laboris ac muneris nõ temerè,nisi libertis suis,deferebãt: quibus illi quidem nõ multo secus,ac seruis imperabãt. Declarat etiã hoc ipsum locus Verrinæ quintæ, pag. 375: ex quo,quæ ad hunc pertinebũt,assumi licebit. Atque hæc quidẽ de Accensis dicta sint. ex qui-

bus illud intelligi volumus, multū inter Apparitoris & Accensi verba interesse. quod qui anteà tradiderit, reperi adhuc neminē. Apparitores enim, verbū generale est, cóque omnes, qui Magistratui apparere solent eiúsque imperio præsto esse, intelligūtur, veluti Scribæ, Accensi, Interpretes, Lictores, Viatores, Precones, quod veterū auctoritate scriptorū confirmandum est. De Scribis quidem minimè obscurū est, quū in hac ipsa Orat. pag. 391, posteaquā sic loquutus est, Tu ex pecunia publica H-S tredecies Scribā tuum permissu tuo quū abstulisse fateare, &c. quatuor versib' interiectis ita scribat, In eadē ciuitate apparitori tuo esse cócessū, vt H-S vno nomine tredecies auferret. Itē pag. 390, Tuus Apparitor parua mercede populi conductus, de aratorū bonis prædabitur? quum paulo antè Scribā apertè nominasset. Sed cum hoc ipsum, tum verò vnde hoc nomē inuenerint declarat in Cluentiana his verbis, Quid sibi autē illi Scribæ, quid Lictores, quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video, volūt? De Interpretibus testis est Epistola ad Thermū, lib. XIII, cuius initium est Quum mihi. in qua quū Marcilium patrem Interpretē suū nominasset, ad extremū sic scribit, Ego cum anteà studiosè commendabā Marcilium, tum multo nunc studiosius, quòd in longa apparitione singularem eius fidē cognoui. De Lictoribus autem Epist. 1, ad Q. Fratrem, Sit Lictor non suæ, sed tuæ lenitatis Apparitor, maioráque præferāt fasces illi ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Et apud Gellium lib. II cap. II, ex libro Quadrigarii, Posteaquam Lictor ille qui apparebat, citò intellexit, Maximum Proconsulem descendere iussit.

Quandiu in cæteris rebus tacuerint. Pag. 552.

Hoc tum dixit, Philodamū & eius filium à C. Nerone esse damnatos. de quo ne multa differam, CICERO. tantùm dico, sequutum id esse Neronem, & eius cōsilium, quòd Cornelium lictorem occisum esse 186 constaret, putasse non oportere esse, ne in vlciscenda quidem iniuria, cuiquā hominis occidendi potestatem. in quo video Neronis iudicio nō te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse cædis. Verùm ista damnatio tamē cuiusmodi fuit? Audite quæso Iudices, & aliquādo misereminì sociorū, & ostēdite aliquid his in vestra fide præsidii esse oportere. quòd toti Asiæ iure occisus videbatur istius ille verbo Lictor, reuera minister improbissimæ cupiditatis: pertimuit iste, ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur. Rogat & orat Dolabellā, vt de sua prouincia decedat, ad Neronē proficiscatur: se demōstrat incolumem esse nō posse, si Philodamo viuere, atque aliquando Romā venire licuisset. Commotus est Dolabella: fecit id, quod multi reprehenderunt, vt exercitū, prouinciam, bellum relinqueret, & in Asiam hominis nequissimi causa, in alienā prouinciam proficisceretur. Posteaquam ad Neronem venit, cōtendit ab eo, vt Philodami causam cognosceret. venerat ipse qui esset in consilio, & primus sententiā diceret: adduxerat etiam Præfectos, & Tribunos militares suos, quos Nero omnes in consilium vocauit: erat in consilio etiam æquissimus Iudex ipse Verres: erant nonnulli togati creditores Græcorū: quibus ad exigēdas pecunias improbissimi cuiusque Legati plurimū prodest gratia. Ille miser defensorem reperire neminem poterat: quis enim esset aut togatus, qui Dolabellæ gratia: aut Græcus, qui eiusdem vi, & imperio non moueretur?

Cn. Nerone. Error librarii, pro, à C. Nerone.

Esse damnatos. Eóque apparere malam causam non Verrem, sed Philodamos habuisse.

Neronis iudicio liberaretur. Quòd hæc cædis absolutio, cōprobatio esse videret causæ, cur esset facta.

Quod multi reprehenderunt. Imperatoribus iniussu Senatus de prouincia decedere non licebat: vt constat ex Orat. in Pisonem, his verbis, Gabinius eduxit exercitum è Syria. qui licuit extra prouinciam? Et apud Liuiū, libro Decadis III nono, Q. Fabii in Senatu sententia refertur, vt P. Scipio, quòd de prouincia decesserit iniussu Senatus, reuocaretur: ageretúrque cum Tribunis pleb. vt de imperio ei abrogando ferrent ad Populum.

Venerat ipse, qui primus sententiam diceret Ipse Dolabella. & obserua, in aliena prouincia, alterius prouinciæ Prætores, primos sententiam in Prætoris consilio dixisse.

Accusator autē apponitur ciuis Romanus* de creditoribus Lampsacenorū: qui, si dixisset quod CICERO. iste iussisset, per eiusdem istius Lictores à populo pecuniā posset exigere. Quū hæc omnia tanta cō 187 tentione, tantis copiis agerentur, quū illum miserū multi accusarent, nemo defenderet: quūmque *et ex vr.l. Dolabella cum suis præfectis pugnaret in cōsilio, Verres fortunas agi suas diceret: idem testimonium diceret: idem esset in consilio: idem accusatorem parasset: hæc quū omnia fierent: & quū hominem constaret occisum: tamen tanta vis istius iniuriæ, tanta in isto improbitas putabatur, vt de Philodamo, amplius, pronunciaretur. Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus, quid huius lachrymas, & *cōcursiones proferam? quid C. Neronis, viri optimi, atque innocentissi- *concursationes mi, nonnullis in rebus animū nimis timidum, atque demissum? qui, in illa re quid facere potuerit, non habebat: nisi fortè id, quod omnes tum desiderabant, vt ageret eā rem sine Verre, & Dolabella. quicquid esset sine his actū, omnes probarent. tum verò quod pronunciatū est, non per Neronem iudicatū, sed per Dolabellā ereptum existimabatur: condemnatur enim perpaucis sententiis Philodamus, & eius filius. adest, instat, vrget Dolabella, vt quamprimum securi feriantur, quo quam-

„ minimè multi ex illis de istius nefario scelere audire possent. Constituitur in foro Laodiceæ spe-
„ ctaculum acerbum,& miserū,& graue toti Asiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad sup-
„ plicium, ex altera parte filius: ille quòd pudicitiam liberorum, hic quòd vitam patris famámque
„ sororis* defenderet. flebat vterque non de suo supplicio,sed pater de filii morte,de patris filius.

Ciuis R. de creditoribus. Asconius,Et ex creditoribus.

Fortunas agi suas. Dixi suprà,Fortunas nō modò pro opibus,sed pro capite & existimatione,tum hoc loco,tum aliis præterea compluribus vsurpari.

Et quum hominem constaret. Quæ omnia Philodami causam magnoperè lædebant.

Amplius pronuntiaretur. Sensus est,Tametsi multa Philodami causæ aduersarētur,etiam illud accederet,quòd,quia occisum hominem constaret,aperta causa videretur,non tamen prima actione condemnarunt:sed fecerunt,quod in obscuris causis fieri solebat,vt causam ampliarent,& non liquere responderent. Sed oratoriè hæc dicuntur,quū in optimam partem accipi hæc posset amplia tio:quam satis constet,etiam tum fieri à plerisque bonis viris solitam, quum reus condemnandus videretur:sed leuiter,de capite cuiusquam iudicare nollent. vt ex Orat. pro Cæcina intelligitur.

Lachrymæ & concursiones. Corrigendū putarem Concursationes:quo verbo tum vtimur,quū vehemens aliquod studium significamus,& frequentem itionem ac reditionem: vt prima ad Lentulum Epistola, Libonis & Hypsæi non obscura concursatio & contentio. Sed Concursiones dicimus earum rerū quæ inter se cōfligantur: vt quum Cicero scribit Epicurū sensisse ex atomorum concursione natum esse mundum:aut quum ait,vitandas esse crebas vocalium Concursiones.

Ex illis. Philodamis,patre,& filio.

Famámque sororis defenderet. Alii Defenderat:quos magis sequor.

CICERO. 188 „ Quid lachrymarum ipsum Neronem putatis profudisse,quem fletum totius Asiæ fuisse, quem
„ luctum & gemitum Lampsacenorū,securi esse percussos homines innocentes,nobiles, socios po-
„ puli R. atque amicos, propter hominis flagitiosissimi singularem nequitiam , atque improbissi-
„ mam cupiditatem? Nemo iam Dolabella neque tui, neque tuorum liberūm, quos tu miseros in
„ egestate,atque in solitudine reliquisti, misereri potest. Verrésne tibi tanti fuit,vt eius libidinē ho-
„ minum innocentûm sanguine lui velles? iccircóne exercitum,atque hostem relinquebas,vt tu avi,
„ & crudelitate istius hominis improbissimi pericula subleuares? quòd enim eū tibi Quæstoris in
„ locum constitueras,iccirco tibi amicum in perpetuum fore putasti?ne sciebas,ab eo Cn.Carbonē
„ COS. cuius reuera Quæstor fuit,non modo relictum, sed etiam spoliatū auxiliis,nefariè oppugna-
„ tum,& proditum? Expertus igitur es istius perfidiam tum,cum se ad inimicos tuos contulit, cum
„ in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit, cum rationes ad AErariū nisi damnato te
„ referre noluit. Tantæne tuæ Verres,libidines erunt,vt eas capere, ac sustinere non prouinciæ po-
„ puli R. non nationes exteræ possint? túne quod videris,quod audieris,quod concupieris,quod co-
„ gitaris, nisi id ad nutum tuum præsto fuerit,nisi libidini tuæ cupiditatique paruerit,immittentur
„ homines?expugnabuntur domus? ciuitates non modò pacatæ, verumetiam sociorum, atque ami-
„ corum ad vim,atque ad arma confugient,vt ab se,atque ab liberis suis Legati populi R.scelus, at-
„ que libidinem propulsare possint?

Nemo iam Dolabella. Asconius profert hunc locum in Diuinationem hoc modo,Iam iam Dolabella neque me tui,neque tuorum liberûm miseret.Itáque etiam scriptum apud Quintilianum reperio,lib.1 x,cap.1,in antiquis scilicet impressis:nam postea nōnulli typographi legēdum hoc loco aliter putarunt:sicut in Asconio quidam etiam correxerant.

Hominum innocētûm sanguine lui velles. Nō Expiari significat,vt pag.158,hoc eodē libro,Multorúmque innocentium sanguine istius supplicio luendus est. Sed Abstergi ac deleri,vt nullum eius criminis vestigium relinquatur. quasi diceret,Tegi,aut velari.

Spoliatum auxiliis,nefariè oppugnatum. Hoc amplius omnes propè alii,Spoliatū auxiliis,pecunia nefariè oppugnatū. quod verbum sumptum est ex eorum libris,qui glossam Asconii sub verbo, Auxilis,subscripserant.

Nisi damnato te referre noluit. Nam & expēsa Dolabellæ multa retulit,quæ ille nō acceperat:& plus à Dolabella acceperat quàm in tabulas accepti retulisset,vt infrà 298. Sed hoc absēs & exul Dolabella redarguere nō poterat. Hoc est quod dicit pag. 388, Iterum gessit hæreditariam Quæsturam cum Dolabella,magnam pecuniam auertit,sed eius rationem cum damnatione Dolabellæ permi scuit. Et vide paulo infrà 297.

Non modò pacatæ. Nō modò quibuscū bellum nullū est,sed etiā pacis ac belli societas cōtracta est.

CICERO. 189 „ Nam quæro abs te, circunsessus ne sis Lampsaci: cœperítne domum, in qua diuersabare, illa
„ multitudo incēdere: voluerintne Legatum populi R. comburere viuum Lampsaceni. negare non
„ potes: habeo enim testimonium tuum,quod apud Neronem dixisti: habeo quas ad eundem literas
„ misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio. TESTIMONIVM C. VERRIS IN ARTE-

MIDORVM. NON MVLTO POST IN DOMVM. Bellúmne populo R. Lampsaceni ciues facere conabâtur? deficere ab imperio ac nomine nostro volebant? video enim, & ex iis, quæ legi, & audiui, intelligo: in qua ciuitate non modò Legatus populi R. circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publicè satisfactũ sit, ei ciuitati bellum indici, atque inferri solere. Quæ fuit igitur causa, cur cuncta ciuitas Lampsacenorum de concione, quemadmodum tute scribis, domum tuam concurreret? tu enim neque in literis, quas Neroni mittis: neque in testimonio causam tanti tumultus ostendis vllam. obsessum te dicis: ignem allatum, sarmenta circundata, lictorem tuum occisum esse dicis: prodeundi tibi in publicum potestatem factam negas: causam huius tanti terroris occultas. nam si quam Rubrius iniuriam suo nomine, ac non impulsu tuo, & tua cupiditate fecisset: de tui comitis iniuria questũ ad te potius, quàm te oppugnatum venirent. Quum igitur, quæ causa illius tumultus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse celarit: nónne causam hanc, quam nos proposuimus, tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas perpetua confirmat? 40.

Hic interpono, Recita de literis ad Neronem missis. Literas C. Verris ad Neronem.
Lampsacenæ ciuitas conabatur.
volebant.
Legatus p. R. nõ modo circum.

Testimonium tuum. In libro Asconii, Testimonium publicum tuum. Sed Testimonium publicum dicitur ciuitatum & populorum, vt infrà 337, 343: & alibi frequenter.

Non multò pòst in domum. Ex iis quæ sequuntur satis constat, recitatas esse cum testimonio literas. Ex quo adducor in opinionem verba hæc esse non testimoni, sed literarũ. & eo magis, quòd quum testimonia recitantur, inseri similes particulæ non solent. Quæ quum ita sint, deesse hæc suspicor, Recita de literis ad Neronẽ missis. LITERAS C. VERRIS AD NERONEM. NON MVLTO POST, &c. Nam etsi postea recitatæ denuò sunt, satis tamen apparet, non hoc ipsum caput de obsessione, sed de iis in quos à Verre culpa collata est, recitatum esse.

Lampsaceni ciues conabantur. Omnes ad vnũ libri veteres, Lampsaci ciuitas f. conabatur? Et postea, Volebat? Quod cur mutari debuerit causam esse nullam opinor.

in qua ciuitate non modo Legatus populi R circumsessus. Videtur esse legendum, Legatus populi R. non modò circumsessus. Hæc enim locutio, quæ à Cicerone pro Non dico, crebrò vsurpâtur, de eo detrahit quod ipsi proximè adiunctum est. Detrahit autem vt apparet, non de Legati persona, sed de verbo Circumsessus.

Nisi publicè satisfactum sit. Nisi decreto publico tradiri ad pœnam sint culpæ auctores. vt in L. Minutio, & L. Manlio cõtingit, qui M. Amylio Lepido, C Flaminio COSS. quòd Legatos Carthaginẽses pulsasse dicebantur, iussu M. Claudii Pr. Vr. per Feciales traditi sunt Legatis, & Carthaginem auecti. Liuius lib. Decadis quartæ octauo. Et Florus in Epit. lib. XV, Quum, inquit, Legatos Apolloniatium ad Senatum missos quidam iuuenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatibus.

Huic homini parcetis igitur Iudices? cuius tanta peccata sunt; vt ii quibus iniurias fecerit, neque legitimum tempus expectarè ad vlciscendum, neque vim tantam doloris in posterum differre potuerint. Circũsessus es. à quibus? à Lampsacenis: barbaris homminibus credo, aut iis, qui populi R. nomen contemnerent: imò verò ab hominibus & natura, & consuetudine, & disciplina lenissimis: porrò autem populi R. conditione sociis, fortuna seruis, voluntate supplicibus: vt perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas iniuriæ, tanta vis sceleris fuisset, vt Lampsaceni moriendũ sibi potius, quàm perpetiendum putarent, nunquam illos in eum locum progressuros fuisse, vt vehementius odio libidinis tuæ, quàm metu Legationis mouerétur. Nolite per deos immortales cogere socios, atque exteras nationes hoc vti perfugio, quo, nisi vos vindicatis, vtentur necessariò. 42. Lampsacenos in istum nunquã vlla res mitigasset, nisi eum pœnas Romæ daturum credidissent. etsi talem acceperant iniuriam, quam nulla lege satis dignè persequi poterant: tamen incommoda sua vestris committere legibus, & iudiciis, quàm dolori suo permittere maluerunt. Tu mihi, quum circumsessus à tam illustri ciuitate sis propter tuum scelus, atque flagitium: quum coegeris homines miseros, & calamitosos, quasi desperatis nostris legibus, & iudiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere: quum te in oppidis, & ciuitatibus amicorum non Legatum populi R. sed tyrannum libidinosum, crudelémque præbueris: quum apud exteras nationes Imperii, nominísque nostri famam tuis probris, flagitiisque violaris: quum te ex ferro amicorum populi R. eripueris, atque è flamma sociorum euolaris: hic tibi perfugium speras futurum? erras. vt huc incideres, non vt hîc conquiesceres, illi te viuum exire passi sunt.

190

populum R. contem.

Legitimum tempus expectare. Quod est legitimum tempus accusandi comites magistratuum? Opinor, ad ipsos Magistratus, dum in prouincia cum imperio versantur. Nam Accusationis tertio, Quæstores, inquit, Legatos, Præfectos suos, Tribunos multi missos fecerũt, & de prouincia decedere iusserunt. Et Liuius auctor est, Locrenses, qui de Q. Pleminii, Scipionis Legati, iniuriis ad Senatum questum venerãt, à Q Fabio cos. interrogatos detulissentne eas querelas ad P. Scipionẽ. Sed erat Magistratus tum improbus, Dolabella Prætor. Magistratus igitur vitio, eas tũ iniurias vlcisci non poterant. Quod erat igitur tempus legitimum? Accepto successore, vt scribit Asconius. ita

puto: nisi si de prouincia, qui iniurias fecissent, statim decederent. Tum enim Romã deferri solere querimonias ex eo coniicio, quod suprà dixit, Se demõstrat incolumẽ esse non posse, si Philodamo viuere, & aliquãdo Romam venire licuisset. Et hac ipsa pagina, Lampsacenos in istum nunquam vlla res mitigasset, nisi cum pœnas Romæ daturum credidissent.

Qui populi R. nomen contemnerent. Veteres & Aldini libri, Qui populum R. contemnerent. quod sine antiqui auctoritate codicis immutare non ausim.

Quo nisi vos vindicatis. QVO ad vtrumque refertur: & ad VTENTVR, & ad VINDICATIS: vt sit, Nisi vos liberetis, atque asseratis ab hoc perfugii genere: nisi illud periculum à vobis propulsetis, eo vtentur necessariò. Vindicetis tamen apertius legeretur.

Vestris committere legibus. Vetus codex, Nostris: vt modò paulo infrà, Quasi desperatis nostris legibus. Lectionem tamen vulgatam non improbo. Quæ verò inter Committere & Permittere differentia sit, alibi dictum est,

Tu mihi quum circumsessus. Mihi redundat, figura dicendi & Græcis & Latinis vsurpata. Terentius in Phormione.

Qui mihi vbi ad vxores ventum est, tum fiunt senes. Cicero extrema hac Oratione, Is mihi etiam queritur. & alibi frequentissimè.

CICERO. 191 Et ais, iudicium esse factũ, te iniuria circũsessum esse Lampsaci, quòd Philodamus cum filio cõdemnatus sit. quid, si doceo, si planum facio, teste homine nequam, verum ad hanc rem tamen idoneo (te ipso inquam teste docebo) te huius circunsessionis tuæ causam & culpam in alios *transtulisse, neque in eos, quos tu *insimularis, esse animaduersum? iam nihil te indiciũ Neronis adiuuat. Recita quas ad Neronem literas misit. EPISTOLA C. VERRIS AD NERONEM. THEMISTAGORAS ET THESSALVS. Themistagoram, & Thessalum scribit populum concitasse: quem populum? qui te circũsedit, qui te viuũ comburere conatus est. vbi hos persequeris? vbi accusas? vbi defendis ius, nomẽnque Legati? in Philodami iudicio dices id actum. cedo mihi ipsius Verris testimonium. videamus quid idem iste iuratus dixerit. Recita. AB ACCVSATORE *ROGATVS RESPONDIT: IN HOC IVDICIO NON PERSEQVI, SIBI IN ANIMO ESSE ALIO TEMPORE PERSEQVI. Quid igitur te iuuat Neronis iudicium? quid Philodami damnatio? Legatus quum esses circunsessus: quũmque, quemadmodum tute ad Neronem scripsisti, populo R. communique causæ Legatorum facta esset iniuria insignis, non es persecutus. dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. quod fuit id tempus? quando es persequutus? cur imminuisti ius Legationis? cur causam populi R. deseruisti, ac prodidisti? cur iniurias tuas coniunctas quum publicis reliquisti?

*contulisse, l. *insimularas, l. *interrogatus, l.

In alios transtulisse Malim Contulisse: vt est in libro Asconii.

Quos tu insimularis. Insimularas, libri veteres, quod non improbo.

Cur imminuisti ius Legationis. Huius criminis, quo se is obstringit (quemadmodũ notat Asconius) qui ius potestatis alicuius imminuit, mentio fit apud Liuiũ libro IV: vbi de Mamerco AEmylio loquitur, qui Censuram Dictator annuam & semestrem fecerat, quũ antea quinquẽnalis esset. Censores, inquit, ægrè passi, Mamercum quòd Magistratum populi R. minuisset, tribu mouerunt, octuplicatóque censu ærarium fecerunt. ob eámque ipsam causam præterea legimus, Q. Fabium Maximum quum esset Consul, patrem suum in equo ad se venientem iussisse descendere.

Ab accusatore rogatus. Liber Asconii, Interrogatus. sed nihil muto.

Cur iniurias tuas coniunctas quum publicis reliquisti. Subauditur, Inultas. vt pro Cæcina, 589, Nunc verò quis est, qui aut vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere?

CICERO. 192 Nõnne te ad senatum causam deferre, non de tam atrocibus iniuriis cõqueri, non eos homines qui populum *concitarent, Consulum literis euocandos curare oportuit? nuper M. Aurelio Scauro postulante, quòd is Ephesi se Quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus è fano Dianæ seruum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret: Pericles Ephesius homo nobilissimus Romã euocatus est, quòd auctor iniuriæ illius fuisse argueretur. tu, si te Legatum ita Lampsaci tractatum esse Senatum docuisses, vt tui comites vulnerarẽtur, lictor occideretur, ipse circunsessus penè incenderere, eius autem rei duces, & auctores, & principes fuisse, quos scribis, Themistagoram & Thessalum: quis non cõmoueretur? quis non ex iniuria, quæ tibi esset facta, sibi prouideret? quis non in ea re causam tuam, periculum commune agi arbitraretur? Etenim nomen Legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis, atque improbissimæ cupiditatis. accipite nunc auaritiæ propemodum in suo genere non leuius. Milesios nauem poposcit, quæ eum præsidii causa Myndum prosequeretur. illi statim myoparonem egregium de sua classe, ornatum, atque armatum dederunt. Hoc præsidio Myndum profectus est. nam quid Milesiis lanæ publicæ abstulerit, item de sumptu in aduẽtum, de cõtumeliis, & iniuriis in Magistratum Milesium, tametsi dici tum

*concitarant.

» verè, tum grauiter, & vehementer potest, tamen dicere pretermittam, eáque omnia testibus integra reseruabo. Illud quod neque taceri vllo modo potest, neque dici pro dignitate, cognoscite.

Qui populum concitarent. Corrige, Concitarant.

Inter hostium tela. In libris Asconii error est hoc loco, quem, quum Asconium corrigerem, notare prætermisi. Quod enim ita scriptum est, Quum de Magistratu dicat, non Legato, & falsũ est: de Verris enim Legatione loquitur: & illa duo verba NON LEGATO præter manuscriptum & Aldi librum adiecta sunt. Legendum autem ita potius arbitramur, Quum de Magistratus Legato dicat. Prætorum enim Legatos à Legatis belli, pacis, & fœderum distinguit. quorum quæ sit differentia facile intellectu est.

Nomen Legati eiusmodi esse debet. In hanc sententiam idem in Oratione de Harusp Resp. Sic enim sentio, ius Legatorũ, cùm hominum præsidio munitum sit, tum etiam diuino iure esse vallatum. & notum est vetus prouerbium, [illegible].

Milesiis lanæ publicæ abstuleris. Miletus ciuitas est Asiæ, vbi tinguntur lanæ optimæ: inquit Seruius Gram. in illud Vergilii, Quamuis Milesia magno Vellera mutentur.

» Milites remigésque Miletum Myndo pedibus reuerti iubet ipse myoparonem pulcherrimum de decem Milesiorum nauibus electum, L. Magio, & L. *Rabio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper Senatus in hostium numero censuit habendos. hoc illi nauigio ad omnes populi R. hostes vsque ab Dianio, *quod in Hispania est, ad Sinopem, *quæ in Ponto est, nauigauerũt. O dii immortales, incredibilem auaritiam, singularémque audaciam. nauem tu de classe populi R. quam tibi Milesia ciuitas, vt te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? si te magnitudo maleficii, si te hominum existimatio non mouebat, ne illud quidem cogitabas, huius improbissimi furti, *huius adeo nefariæ prædæ tam illustrem, ac tam nobilem ciuitatem testem futuram? an, quia tum Cn. Dolabella in eum quiei myoparoni præfuerat, Milesiisque rem gestam renuntiarat, animaduertere tuo rogatu conatus est: renuntiationémque eius, quæ erat in publicas literas relata illorum legibus, tolli iusserat: iccirco te ex hoc crimine elapsum esse arbitrabare? multum te ista fefellit opinio, & quidem multis in locis: semper enim existimasti, & maximè in Sicilia, satis cautum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in literas publicas vetuisses, aut, quod relatum esset tolli coegisses. hoc quàm nihil sit, tametsi ex multis Siciliæ ciuitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa ciuitate cognosce. Sunt illi quidem dicto audiẽtes, quandiu adsunt ii qui imperant. simulac discesserunt, non solum illud perscribunt quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt, cur non tum in literas relatum sit.

CICERO. 193

*Fannio l.
*Verumque sumptum videtur ex Asconio.
*fine l.

Magio & L. Rabio, qui Myndi habitabant. Liber Asconii, L. Magio & L. Fannio. quos à Mariano exercitu ad Mithridatem transfugisse dicit, & ad Sertorium legatos, de societate belli aduersus Romanos, ab eodem missos esse. Appianus autem L. Mummii & L. Fannii mẽtionem facit in Mithridatico, quos cum Sertorio in Hispania scribit fuisse, & ad Mithridatem profectos, ei, vt cum Sertorio belli societatem coiret, persuasisse. Nunc verum sit verius, difficile est dicere: tametsi, quum eos Myndi Cicero habitasse dicat, verisimilior Asconii sententia videatur, qui egisse illos apud Mithridatem scribit. Est enim Myndus Cariæ oppidũ, item vt Miletus. Cariam autem Mithridatis in regno fuisse, & eo deuicto in populi R. imperium subactam, notum est ex historia. Scribit autẽ Plutarchus similiter in Sertorio, & hic ipse in Orat. pro Lege Manil. Mithridatem Legatos ad Sertorium misisse.

Quos nuper Senatus. Quos Senatus hostes iudicarat, ii more maiorum ita puniebantur, vt nudorum hominum ceruix furcæ insereretur, corpus virgis ad necem cæderetur.

Vsque ab Dianio quod in Hispania est, ad Sinopem, quæ in Ponto est. Potest hoc totum augẽdi causa de industria positum ab Oratore videri. suspicari tamen posset aliquis hæc verba, Quod in Hispania est, & illa, Quæ in Ponto est, sumpta ex eius libro fuisse, qui notam Asconii in suum librum transtulerat. hæc enim illius ferè verba sunt.

Huius adeo nefariæ. Omnes, opinor, alii, Siue adeo. quod quamobrẽ mutari debuerit, nõ intelligo. Ver. V, pag. 354. Qua ad Apronii quæstum, siue adeo qua ad istius ingentem prædam &c.

» Manent istæ literæ Mileti: manent, & dum erit illa ciuitas, manebunt: decem enim naues iussu L. Murenæ populus Milesius ex pecunia vectigali populi R. fecerat, sicut pro sua quæque parte Asiæ cæteræ ciuitates. Quamobrem vnum ex decem non prædonum repentino aduentu, sed Legati latrocinio, non vi tempestatis, sed hac horribili tempestate sociorum amissam, in literas publicas retulerunt. sunt Romæ Legati Milesii, homines nobilissimi, ac principes ciuitatis: qui tametsi mensem Februarium *& Consulum designatorum nomen *expectant, tamen hoc tantum facinus non modò negare interrogati, sed ne producti quidem reticere poterunt. dicent inquam & religione adducti, & legum domesticarum metu, quid illo myoparone factum sit. ostendent C. Verrem in ea classe, quæ cõtra piratas ædificata sit, piratam ipsum consceleratum fuisse. *C. Malleolo Quæstore

CICERO. 194

*expectant & l.
*extimescant l.
*Desit fortasse

» Cn. Dolabellæ occiso, duas sibi hæreditates venisse arbitratus est, vnam Quæstoriæ procurationis » (nam à Dolabella statim Proquæstore iussus est esse) alteram tutelæ: nam quũ pupilli Malleoli tu- » tor esset, in bona eius impetum fecit: nam Malleolus in prouinciam sic copiose profectus erat, vt » domi prorsus nihil relinqueret. Præterea pecunias occuparat apud populos, & syngraphas fecerat: » argenti optimi cælati grande pondus secum tulerat (nam ille quoque sodalis istius erat in hoc mor » bo, & cupiditate) grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formosos ho- » mines reliquit. iste, quod argenti placuit, inuasit: quæ mãcipia voluit, abduxit: vina, cæteráque, quæ » in Asia facillimè comparantur, quæ ille reliquerat, asportauit: reliqua vendidit, pecuniam exegit. 91.

Iussit L. Murenæ. Qui in bello Mithridatico L. Syllæ legatus in Asia fuerat: pater L. Murenæ quẽ Cicero defendit.

Consulum designatorum nomen expectant. Malim, Extimescunt: quod verbum sua ætate in multis codicibus fuisse declarat Asconius. Sed vtrunque retinere non inutile fuerit, ita tamen vt alterum, scilicet EXPECTANT, post illa verba MENSEM FEBRVARIVM: alterum postremo loco reponatur. vt sit, Mensem Februarium expectant, & Consulum designatorum nomen extimescunt.

C. Malleolo Quæstore. Abrupta oratio videtur, & carere transitione, qua frequenter vti nouorum in criminum expositione Cicero consueuit.

Alteram tutelæ. Criminose, Hæreditatem tutelæ dixit, quasi bonorum, quæ in tutela essent. itáque illud conueniet, quod statim infert, Nam quum p. M. t. e. in bona eius impetum fecit.

Nam Malleolus. Eò pertinet, Potuit impetum facere continuò post patris mortem. Erant enim bona Malleoli non Romæ, sed in prouincia.

Pecunias occuparat apud populos. Occupare pecuniam alicui, vel apud aliquem, veteribus, opinor, idem significabat, quod dare fœnori. deriuatáque locutio videtur ex eo, quòd fœnerata pecunia otiosæ opponitur, quasi quæ in cõmodo domini, quæstúque faciendo occupata sit. Cicero pro Flacco, Pecuniã adolescentulo grandi fœnore, fiducia tamen accepta, occupauisti. Iurisconsulti autem exerceri pecuniam, & otiosam relinqui frequenter pro contrariis vsurpant.

Syngraphas fecerat. Syngrapha, siue Syngraphus, (vtrúmque enim dicimus) tabella est, in qua perscripta est pactio vtriusque obsignata paciscentis manu. Eius cum apud Demosthenem varia exempla sunt, tum apud Plautum hoc insigne, in Asinaria. DIABOLVS adolescens,

Agedum, istum ostende, quem conscripsisti syngraphum. *conscripsti*
Inter me & amicam, & lenam. leges pellege.
PARASITVS. Diabolus Nicocli filius, Cleretæ *Diabolus Cleretæ, Nicocli filius*
Lenæ dedit dono argenti viginti minas, *mnas*
Philænium vt secum esset noctes & dies
Hunc annũ totũ. Et quæ sequuntur.

Syngraphas autẽ tantũ in Græcia fieri consuesse reperio. nam Romæ pactiones eiusmodi in accepti & expensi codices referebãtur: quũ syngraphæ in tabella certa, id est quæ data opera pararetur, neque aliud quicquã cõtineret, perscriberẽtur. Cuius rei exemplũ est in Epistola vlt. lib. Ep. ad Atticũ quarti, Nam quũ inter Memmiũ & Domitiũ facta esset pactio, & quum ea pactio firmari posset aut stipulatione aut scriptura, scripturã Domitius maluit. itaque in codices accepti & expensi multorum argentariorũ relata est. Atque hæc ipsa est (nisi vehementer me animus fallit) obligatio, quam nominibus fieri solitam Iustinianus scribit. de qua breuiter Iuris studiosorum gratia nobis explicandum est. Olim, inquit Iustin. scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur. hæc ille. Nomen autem esse quodcunque in codicem refertur, inscripto eius cui vel expensum vel acceptum fertur, nomine, docuimus alibi non vno loco. Principio igitur intelligendum est, veteres siue quòd pecuniam suam ferè apud argentarios haberent, siue quod fidem (de qua dicemus in Maniliana pag. 634) ita colerent, plerunque quam pecuniam alicui aut assignabant, aut soluebãt, eam ab argentariis, curare cõsueuisse: quod cum ex sexcentis Plauti locis, tum verò ex his Donati verbis facilè intellectu est, Tunc, inquit, in foro & de mensæ scriptura, magis quam ex arca domóque vel cista pecunia numerabatur. argẽtarius itaque nomẽ illud, id est articulum (vt nunc loquimur) hoc modo in codicem referebat: Sestertiũ quadringẽta, Memmii nomine Cn. Domitio Calendis proximis debebuntur. atque hoc Perscribi vulgò dicebatur: vt apud Terentium in Phormione,

Sed transi rursus ad forum, atque illud mihi
Argentum iube rursum rescribi Phormio.
PHORMIO. Quod? an ego perscripsi porrò illis quibus debui.

Quem locum Donatus explicans, Rescribi, inquit, id est reddi, seu per mensæ scripturam dari. Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura, Rescribere dicebant pro Renumerare. Rescribi ergo est per scripturam, id est de mensæ scriptura dari. vnde hodie additur chirographis, Domo ex arca sua, vel Ex mensæ scriptura. Ex quibus Imperatoris verba facilè, opinor, intelligẽ

tur, quum ait, Olim scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur. Eiúsque, vt dixi, exemplum extat in illa ad Atticum Epistola, his verbis, Hæc pactio non verbis (id est non stipulatione, ac testibus præsentibus) sed nominibus & perscriptionibus multorū quū esse facta diceretur, prolata à Memmio est. Perscriptiones enim argentariorum significat, qui quadringenta H-S Domitio se Memmii nomine debere in suis tabulis perscripserant. Apud Senecam verò lib. de Beneficiis III, Quidam, inquit, nolunt nomina secū fieri, nec interponi pararios, nec signatores aduocari, nec chirographū dare. Et libro III, Ille per plurium tabulas nomina interpositis parariis facit. De eodem genere obligationis alter quoque Ciceronis locus intelligendus est in lib. de Off. III, Emit homo cupidus & locuples tanti quanti voluit Pythius, & emit instructos. nomina facit, negotium conficit. His enim verbis, opinor, significat curasse Cannium, vt pecunia Pythio apud argentariū perscriberetur, eique de mensæ scriptura vt Donatus loquitur, numeraretur. Atque hæc quidem de syngraphis & iis obligationibus quæ nominatim fieri dicebantur. Inter Chirographū autem & Syngrapham hoc interesse scribit Asconius, quòd in chirographis tantum ea scribūtur quæ gesta sunt: in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit. Est enim Chirographum generale nomen, quo syngrapha etiam continetur. Sed syngraphis cautio datur quasi creditarum pecuniarum. qua de causa facilè falsum in eas referri potest, si creditas pecunias, quæ tamen creditæ non sunt, perscribatur: quum chirographis aut facti obligatio contineatur, vt apud Senecā lib. Declamationum I, aut acceptilatio, vt in exemplis quæ ex Donato protulimus. Quod Cicero significans modò criminosè dixit in Malleolū, Syngraphas fecerat. Et in Verrem pag. 425, Inanes syngraphas persequebatur. Et in Orat. de Harusp. Respons. Brogitarum putabo regem, si habuerit vnde tibi soluat quod ei per syngrapham promisisti.

Nam ille quoque sodalis. Sensus est, Nam ille, vt in cæteris rebus, sic in auaritia sodalis istius erat. Nō est obscura sentētia, nec huius nostræ explanationis indigebat. sed ne quis vocem Sodalis ad pronomen Ille referendam putaret, propterea cautionem adhibui lectoribus non ingeniosissimis.

Facillimè comparantur. Id est Paruo pretio, vel, quæ vendi non multò poterant: vt illud ex contrario, Reliqua vendidit quæ vendi magno pretio poterant.

Quum ad H-S X X quinquies redegisse constaret: vt Romam rediit, nullam literam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit: seruos artifices pupilli quum haberet domi, circumpedes autem homines formosos, & literatos, suos esse dicebat, se emisse. Quum sæpius mater, & auia pueri postularent vti, si non redderet pecuniam, nec rationem daret, diceret saltem, quantum pecuniæ Malleoli deportasset: multis efflagitatus aliquādo dixt, H-S decies: deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono seruo H-S sexcenta millia, accepta pupillo Malleolo retulit. Quomodo ex decies H-S sexcenta sint facta, quomodo D C eodem modo quadrarint (vt illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua H-S sexcenta facta) quomodo Chrysogono expensa lata sint, cur id nomen infimum, in lituráque sit, vos existimabitis. tamen H-S sexcenta millia quū accepta retulisset, H-S quinque millia soluta nō sunt. Homines, posteaquā reus factus est, alii redditi, alii etiam nunc retinentur: peculia omniū, vicariique retinentur. Hæc est istius præclara tutela. en cui tuos liberos cōmittas, en memoria mortui sodalis, en metus viuorum existimationis. Quum tibi se tota Asia spoliandam ac vexandam tradidisset, quum tibi exposita esset omnis ad prædandū Pamphilia: cōtentus his tam opimis rebus nō fuisti? manus à tutela, manus à pupillo, manus à sodalis filio abstinere non potuisti? Iam te non Siculi, non aratores (vt dictitas) circumueniunt: non ii, qui decretis, edictísque tuis in re concitati, infestique sunt: Malleolus à me productus, & mater eius atque auia: quæ miseræ, flentes, euersum à te puerum patriis bonis esse dixerunt.

CICERO. 195

H-S vicies quinquies

quingenta.

est, & l.

Quū ad H-S X X quinquies. Corrige sic, H-S vicies quinquies. De quibus notis fusissimè in Orat. pro [illegible] Q. Roscio explanauimus. Redacta summa ad nostratis pecuniæ rationem, aureorum efficiet sexaginta duo millia, & præterea quingentos.

Circumpedes autem homines formosos. Pueros fuisse puto, non qui à pedibus alibi dicuntur, sed qui dominis semper præsto essent: quales sunt, quos nostra lingua appellant Pages.

Aliquando dixit H-S decies. Aureorum viginti quinque millia.

In codicis extrema cera. Cur in extrema cera, qui veterum tabularum rationem tenent, existimare poterunt. Asconius extremam ceram, vltimam tabulā interpretatur: quomodo Plautus ceras quatuor, pro quatuor tabulas dixit in Curcul. Noui ædepol nomē. nā mihi istoc nomine Dū scribo, expleui totas ceras quatuor. Sed aliud est, opinor, quod apud Suetonium legimus, In ima cera scribere. Locus est in vita Cæsaris, Nouissimo testamento tres instituit hæredes sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, &c. Pedū ex dodrāte: reliquos in ima cera. Nam In ima cera scribere dici puto, quum non leuiter presso, vt vestigia appareant, sed altius impresso stylo vt vix deleri possit, scribitur: quod intelligi opinor ex his verbis Hieronymi quæ subiiciam ex Epist.

ad Chrysogonum, Ita nostræ es necessitudinis penitus oblitus, vt illam Epistolam, quam in corde Christianorum scriptã Apostolus refert, non patua litura, sed imis, vt aiunt, ceris eraseris. Alios igitur hæredes in ima cera Cæsar scripserat, ne facilè delerentur. An potius Ima, infima significat? vt apud Iustinianum, libro Institutionum secundo, capite De pupillari substitutione, vbi de superiore & inferiore testamenti tabularum parte mentio fit: quum testatori Imperator suadet, si vereatur vt substitutus instituto insidias faciat, substitutionem in inferiori tabularũ parte scribat, eámque complicatam, ne legi possit, suo lino suáque cera consignet.

In flagitiosa litura. Scriptam antea videri vult integram summam fuisse, aut certe H-S decies. sed postea correxisse, & pro Decies, scripsisse Sexies. Et In litura, locutio vulgata, pro In cera interlita. vt infrà 266.

Expensa seruo Chrysogono. Quæ seruo meo Chrysogono sexcenta data, & expensa sunt in Asia, ea à pupillo Malleolo, id est ex Malleoli nummis illi expensa sunt. ei ego debeo. Nam acceptum referre alicui, aliud nihil est quàm in tabulas referre, id est scribere se ab aliquo accepisse. vt Expensum ferre alicui, scribere se ei dedisse & appendisse. Sed quum dicitur hoc loco, Expensa Chrysogono, non subauditur Tulit, aut Retulit. sed sensus est, vt dixi, Ea quæ data & expensa sunt, pupilli nomine illi expensa sunt, egóque accepi, & habeo.

H-S sexcenta millia. Coronatorum quindecim millia.

Quomodo ex decies H-S sexcenta sint facta Corruptas, opinor, tabulas fuisse significat. quod ita factum fuisse coniicimus, vt pro DECIES scripserit SEXIES.

Eodem modo quadrantes. Dempta reliqua quadringenta intelligere videtur Asconius, & eorum rationem relatam. quod mihi non fit verisimile. Sed quòd tam aptè quadrantes & perfectas habeat summas, ex eo furti suspicionem facere conatur.

Quomodo Chrysogono expensa lata sunt Quum scriptũ aliter fuisset. quomodo? difficilis coniectura est. sed tamẽ si diuinationi locus est, Chrysopoli à se acceptũ Verres retulisse potuit. Est enim Chrysopolis Asiæ ciuitas: & in Asia hæc gesta sunt.

H-S quinque millia soluta non sunt Magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens: vt mihi suspicionem faciat, non Quinque, sed Quingenta potius legendum esse.

Vicariique retinentur. Vicarius, dicitur in alterius serui peculio, seruus. Ordinarium autem Iurisconsulti, Vicarii dominum appellant.

Productus & mater. Corrige, Productus est, & mater, vt in Aldino, & aliis.

CICERO. Quid expectas? an dum ab inferis ille Malleolus existat, atque abs te officia tutelæ, sodalitatis, 94.
196 familiaritatisque flagitet? ipsum putato adesse. homo auarissime & spurcissime, redde bona sodalis filio, si non, quæ abstulisti: at, quæ confessus es. Cur cogis sodalis filium hanc primam in foro vocem cum dolore & querimonia emittere? cur sodalis vxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui contra te testimonium dicere? cur pudẽtissimas, lectissimásque fœminas in tantum virorum conuentum insolitas, inuitásque prodire cogis? Recita omnium testimonia. TESTIMONIVM MATRIS ET AVIAE. Proquæstore verò quomodo iste commune Milyadum vexa- 95.
rit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiámque totam frumento imperando, æstimando hac sua, quam tum primum excogitauit, Siciliensi æstimatione, afflixerit, nõ est necesse demonstrare verbis. hoc scitote, his nominibus, quæ res per eum gestæ sunt, quũ iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellæ H S ad tricies litem esse æstimatam. quæ omnia, etiã si voluntate Dolabellæ fiebant, per istum omnia tamen gerebantur. Consistã in vno nomine: multa sunt ex eodem 96.
genere. Recita DE LITIBVS AESTIMATIS CN. DOLABELLAE PR. POPVLO R. PECVNIAS REDACTAE. QVOD A COMMVNI MILYADVM. Te hæc coegisse, te æstimasse, tibi pecuniã numeratã esse dico: eadémque vi, & iniuria quũ pecunias maximas cogeres, per omnes partes prouinciæ te, tanquam aliquam calamitosam tempestatem, pestémque, peruasisse demonstro.

Commune Milyadum. Figura Græca. τὸ κοινὸν Μιλυάδων: pro, Respublica, vel Ciuitas Milyadum. Est autem Milyas, Ptolemæo auctore, Carbaliæ ciuitas, quæ est in Pamphylia.

Frumento imperando, æstimando. Nam Quæstorum frumẽtaria erat procuratio propria: vt in Orat. de Harusp. Responsis. Imperabatur autem præter decumas frumentum, quod emptum dicebatur. Sumebatur etiam in cellam Magistratuum, quod AEstimatum appellabant. de quo vide quæ dixi pag. 393.

Quæ res per eum gestæ sunt. Hoc totum vsque ad verbum Exigeret, parenthesi concludito: & HIS NOMINIBVS, pro HIS INQVAM NOMINIBVS dictum putato.

Per istum omnia tamen. Vetus, Per istum tamen omnia: quæ lectio paulo concinnior videtur

CICERO. Itaque M. Scaurus qui Cn Dolabellam accusauit, istum in sua potestate ac ditione tenuit. Ho- 97.
197 mo adolescens, quũ istius in inquirendo multa furta, ac flagitia cognosceret, fecit peritè, & callidè,

volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit: ab homine, quæ voluit, in Dolabellam abstulit, istum testem produxit: dixit iste, quæ velle accusatorem putauit. Quo ex genere mihi testium qui cum isto furati sunt, si vti voluissem, magna copia fuisset, qui, vt se periculo litium, coniunctione criminum liberarent, quò ego vellem, descensuros pollicebantur. eorum ego voluntatem omnium repudiaui: non modo proditori, sed ne perfugæ quidem locus in meis castris cuiquam fuit. Forsitã meliores illi accusatores habendi sunt qui hæc omnia fecerunt: sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem maximè laudari volo. Rationes ad AErarium, antequã Dolabella condemnatus est, no audet referre. impetrat à Senatu vt dies sibi prorogaretur, quòd tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret: perinde quasi exscribendi potestatem nõ haberet. solus est hic qui nunquã rationes ad AErarium referat. Audistis Quæstoriam rationem tribus versiculis relatam: Legationis, nonnisi condemnato, & eiecto eo qui posset reprehendere: nunc denique Præturæ, quam ex s. c. statim referre debuit, vsque ad hoc tempus non retulit. Quæstorem se in Senatu expectare dixit. perinde quasi non, vt Quæstor sine Prætore posset referre, vt tu Hortensi, vt omnes, eodem modo sine Quæstore Prætor. Dixit, idem Dolabellam impetrasse. omen magis Patribus Conscriptis, quàm causa placuit. probauerunt.

Coniunctione criminum. Fatendo se criminum participes fuisse, & pollicendo se indices futuros.

Legationis, nonnisi c. & e. eo qui posset reprehendere. Imperfecta oratio. Græci hanc figuram ἀνανταπόδοτον appellant. Subaudiendum videtur, Ratio relata est. vt sit, Legationis relatio relata est. vt continuò pòst, Nunc denique Præturæ. vbi subaudiẽdum, Rationem audiamus. Nam verbum AVDISTIS, ad vtrunque referre, nulla ratio est.

Quæstorem se in senatu. Asconii interpretatio postulare videtur vt Quæstores, multitudinis numero reponamus. duos enim dicit, Lilybætanum scilicet, & Syracusanum.

Sine Prætore posset referre. Alii omnes, Posset rationem referre.

Omen magis quàm causa placuit. Ex hoc, inquit, Dolabellæ exemplo, ominati sunt exitum fore huiusce iudicii similem qui fuerat Dolabellæ, quem antè damnatum & eiectum dixit. Et CAVSA, pro Excusatio: vt suprà ostendi.

Verum Quæstores quoque iampridem venerunt: cur non retulisti? illarum rationum ex ea fece Legationis, Quæstoriæque tuæ procurationis illa sunt nomina, quæ Dolabellæ necessariò sunt æstimata. EX LITIBVS AESTIMATIS DOLABELLAE PR. ET PROPR. quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quàm Verres illi expensum tulerit, H-S quingenta triginta quinque millia: & quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quàm iste in suis tabulis habuit, H-S ducenta triginta duo millia: & quod plus frumenti fecit accepisse istũ, H-S decies & octingenta millia, quod tu homo castissimus aliud in tabulis habebas. hinc illæ extraordinariæ pecuniæ, quas nullo duce, tamen aliqua ex particula inuestigamus, redundarunt. hinc ratio cũm Q. & Cn. Posthumiis, Curtiis multis nominibus, quorum in tabulis iste habet nullum. hinc H-S quaterdecies P. Tadio numerata Athenis: testibus planum faciam. Hinc empta apertissimè Prætura: nisi forte id etiam dubium est quomodo iste Prætor factus sit. Homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione præclara, aut denique (id quod leuissimum est) assiduitate, qui ante Quæsturam cum meretricibus lenonibúsque vixisset, Quæsturam ita gessisset, quemadmodum cognouistis, Romæ post Quæsturam illam nefariam vix triduum constitisset, absens non in obliuione iacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset: is repente, vt Romam venit, gratis Prætor factus est. alia porrò pecunia, ne accusaretur, data.

CICERO.

Quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quàm Verres illi expensum tulerit. Id est, Quod Dolabella minus in suis tabulis scripserit se à Verre accepisse, q̃ Verres in suis scripsit, se ei dedisse. vt infrà 159.

H-S Quingenta triginta quinque millia. Scutatorum quinque millia, & prætereа octingentos.

H-S decies, & octingenta millia. Scutatorum quadraginta quinque millia.

Et quod plus. Tollenda coniunctio ET, tum ex hoc loco, tum ex eo qui proximè sequitur: auctore codice manuscripto.

Aliud in tabulis habebas. Non intelligo quid velit. præsertim quum dicat ALIVD. Aperta autem erit oratio, & cum superiore conueniens, si eo sublato, verba ita cõmutemus, Quòd plus frumenti fecit accepisse istum, quàm tu homo castissimus in tabulis habebas, H-S decies & octingenta millia.

Extraordinariæ pecuniæ. Hoc quid sit, explicatum est in Orat. pro Q. Roscio pag. 93.

H-S quater decies. Scutatorum centum millia. Q. autem, non P. appellat, pag. 425. Fuit tamen & P. Tadius illius in Sicilia legatus, 243, & 513.

Quomodo iste Prætor factus sit. Cognosce ex pag. 433.

Assiduitate. Assiduitas dicebatur eorum qui honoris & officii causa aliquem obseruabant, & affectabantur. quæ quidem obseruatio Magistratũ petentibus, testimonio erat amicorũ copiæ & multitudinis. Itaque Q. Frater in libro de Petit. Cõsulatus, Habes, inquit, aliquot collegia, prætereа stu-

dio dicendi conciliatos plurimos adoleſcentulos,quotidianam aſſiduitatem & frequentiã. Et multo pòſt quaſi ad extremum, Hominum nobilium voluntas,adoleſcentulorum frequentia, eorum qui abs te defenſi ſunt,aſſiduitas,ex municipiis multitudo eorum quos tua cauſa veniſſe appareat.

Ne accuſaretur. Ambitus.pag.433.

CICERO. 199 Cui ſit data,nihil ad me, nihil ad rem pertinere arbitror: datam quidem eſſe, tum inter omnes recenti negotio facilè conſtabat. Homo ſtultiſſime & amentiſſime,tabulas quum conficeres,& quũ extraordinaria pecunia crimen ſubterfugere velles:ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare,ſi,quibus pecuniam credebas,iis expenſum non ferres,neque in tuas tabulas vllum nomen referres,quũ tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent?quid proderat tibi te expenſum illis non tuliſſe?an tuis ſolis tabulis te cauſam dicturum exiſtimaſti? Verum ad illam iam veniamus præclaram Præturam,criminàque ea quæ notiora ſunt his qui adſunt,quàm nobis,qui meditati ad dicẽdum paratique venimus.in quibus,non dubito quin offenſionem negligẽtiæ vitare, atque effugere non poſſim.multi enim ita dicent,De illo nihil dixit, in quo ego interfui:illam iniuriam non attigit quæ mihi, aut quæ amico meo facta eſt: quib' ego in rebus interfui.His omnibus,qui iſtius iniurias norunt, hoc eſt populo R. vniuerſo,me vehementer excuſatum volo,non negligentia mea fore vt multa prætercam, ſed quòd alia teſtibus integra reſeruari velim, multa autem propter rationem breuitatis, ac temporis prætermittenda exiſtimem. Fatebor etiam illud inuitus,me prorſus, quum iſte punctum temporis nullum vacuum peccato præterire paſſus ſit,omnia quæ ab iſto commiſſa ſunt, non potuiſſe cognoſcere. Quapropter ita me de Præturæ criminibus auditote,vt ex vtroque genere,& iuris dicendi,& ſartorum tectorum exigendorum,ea poſtuletis quæ maximè digna ſunt eo reo,cui paruum ac mediocre obiici nihil oporteat.

Ex utroque genere,& iuris dicundi,& ſartorum tectorum. Prætores in ſuffragiis fiebant,Populíque ſuffragio deſignabantur.poſtea ſortiebantur inter ſe prouincias:alius præerat iuri dicũdo, alius quæſtioni de pecuniis repetundis, alius de ſicariis, alius de peculatu, alius item de aliis criminibus cognoſcebat.Cui verò ſorte obuenerat vt iuri dicundo præeſſet,Prætor is vrbanus dicebatur.Cicero in Orat.pro Muræna,Quid:in ipſa Prætura nihilne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem interfuiſſe? huius ſors ea fuit quam omnes tui neceſſarii tibi optabamus, Iurisdicũdi. Et paulo pòſt,Quid tua ſors?triſtis,atrox,quæſtio peculatus.ex altera parte,lacrymarum & ſqualoris: ex altera,plena catenarum atque iudicum.Errat igitur Budæus (quod pace ſummi viri dixerim)qui eundem & iuridicundo,& alicuius criminis quæſtioni Prætorem in Vrbe præfuiſſe affirmat.Diuerſa quippe & diuerſorũ Prætorũ hæc munera atque officia fuerunt.Nõ fuit anno ſequenti M.Metellus vrbis Prætor,ſed Quæſitor.143.Aurelius Cotta eo anno(teſte Aſconio) Vrbis Prætor fuit.Non eſt hoc anno M.Glabrio,ſed M.Mummius,360. Non erat Iunius qui præfuit in cauſa Cluentii, ſed C. Verres. Prætor enim ſeniorũ iuniorúmq; centuriis renũtiatus, ſortè, inquit Cicero,nactus eſt vrbanæ prouinciæ,vt ius in Vrbe diceret,pag 502.Eius autem iuriſdictionis duas reperio partes,alteram in iudiciis dandis,alteram in decernendo.neque enim de rebus ipſe cõtrouerſis, niſi de certis,iudicabat: ſed aut Iudices,priuatos homines,aut Recuperatores dabat,qui ex ea formula quã ipſe iis præſcribebat,inter litigatores ſententiã ferebant.de qua formula multis antea in locis,pluribus verbis cõmemorauimus. De iis præterea rebus quas ante iudicium conſtitutas tranſactáſque eſſe oportet,ius dicebat:veluti,vter in poſſeſſione ſit,vt ſatiſdetur iudicatum ſolui,in integrum reſtituat,interdicat: quæ omnia propriè Decreti appellatione continentur,& generaliter Iuriſdictionis,quemadmodũ ex eo intelligitur quod hic ipſe ſcribit pag.210, vbi ait non eſſe veritum C.Verrem poſcere ob ius dicendum à M. Octauio pecuniam, cui bonorum poſſeſſionem ademerat. At verò ſarctorum tectorum exigendorum procuratio propria eſt Cenſorum: quemadmodum ex innumeris Liuii locis intelligitur. Interdum tamen eam Senatus aut Conſulibus, aut Prætori mandabat,quod in C. Verris Prætura vſuuenit.Quam ob cauſam de vtraque hac illius adminiſtratione dicturus eſt,iure dicundo videlicet,& ſarctis tectis exigendis.

CICERO. 200 Nam vt Prætor factus eſt,qui auſpicato à Chelidone ſurrexiſſet,ſortem nactus eſt vrbanæ prouinciæ, magis ex ſua & Chelidonis, quàm ex populi R. voluntate. qui principio qualis in edicto conſtituendo fuerit,cognoſcite. P.Annius Aſellus mortuus eſt C.Sacerdote Prætore. is quum haberet vnicam filiam,neque cenſus eſſet:quod eum natura hortabatur,lex nulla prohibebat,fecit,vt filiam bonis ſuis hæredem inſtitueret.hæres erat filia:faciebant omnia cum pupilla,legis æquitas, voluntas patris,edicta Prætorum,conſuetudo iuris eius quod erat tum,quum Aſellus eſt mortuus iſte Prætor deſignatus(vtrum admonitus, an tẽtatus,an qua eſt iſte ſagacitate in his rebus, ſine duce vllo,ſine indice peruenerit ad hanc improbitatem,neſcio:vos tantum hominis audaciam,amẽtiámque cognoſcite)appellat hæredem L.Annium,qui erat inſtitutus ſecundum filiam:non enim mihi perſuadetur, iſtum ab illo prius appellatum. dicit ſe poſſe ei condonare edicto hæreditatem:

docet hominem, quid possit fieri. illi bona res, huic vendibilis videbatur. iste tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillæ matrem summittebat: malebat pecuniam accipere, ne quid noui ediceret, quàm vt hoc edictum tam improbum, & inhumanum interponeret. Tutores, pecuniam Prætori si pupillæ nomine dedissent, grandem præsertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant: simul & istum fore tam improbum non arbitrabantur. sæpe appellati, pernegauerunt. Iste ad arbitrium eius, cui condonarat hæreditatem ereptam liberis, quàm æquum edictum scripserit, quæso cognoscite. QVVM INTELLIGAM LEGEM VOCONIAM.

Qualis in edicto constituendo fuerit. Creati Prætores priusquã ius dicerent, vt cuique notum esset, quẽadmodum anno suo ius dicturi essent, solebant in albo edicta constituere, atque proponere, quæ ab edicendo, id est antè denuntiando, ac prædicendo dicta sunt: quasi tanto antè populo denuntiarent, quæ essent in iure dicendo obseruaturi. Hoc autem inito Magistratu, habita concione, & iurati in leges, faciebant. Cic. de finib. II, Quid enim mereri velis iam, quum Magistratum inieris, & in concionem ascenderis (est enim tibi edicendum, quæ sis obseruaturus in iure dicendo: & fortasse etiam si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis, & de teipso dices more maiorum) quid mercatis igitur, vt te dicas, in eo Magistratu omnia voluptatis causa facturum esse?

P. Annius Asellus. Lege Voconia, qui census esset, vetabatur mulierem suis bonis hæredem instituere. Fecit testamentum Annius non census. Filiam scripsit hæredem, lege nulla prohibente. Eam hæreditatem Verres designatus Prætor, vt Annii filiæ adimeret, atque in hæredem substitutũ trãsferret, edicto denuntiauit, se mulieribus quæ hæredes siue à censis, siue à non censis factæ essent, nõ daturum possessionem. Id illi iure Prætorio licebat. Verùm in eo peccatum est, quòd etiam in tempus præteritum edictum valere voluit, quum satis constet, leges id iuris tantum statuere, quo post eas leges populus vtatur.

Neque census esset. Neque enim aliter licuisset. Qui verò Censi dicerentur, Asconius exponit. Gellius autem primæ classis homines, qui Classici dicebantur, referre scribit solitos C & XXV millia æris, ampliúsve: infra classem autem appellatos, secundæ classis, cæterarúmque omnium classium: qui minore summa æris quàm suprà dixi, censerentur.

Institutus secundum filiam. Id est, filiæ substitutus.

Quid possit fieri. Ita videlicet scribi edictum posse, vt in præteritum tempus regrediatur, eáque testamenta rescindat, quæ ante Verris annum facta essent.

Illi bona res. Alludit ad mercatorum consuetudinem, qui, si mercem bonam viderint, facilè ad emendum adducuntur: si vendant, & res vẽdibilis videatur, de aliis emptoribus cogitant, quo pluris vendant. Itaque etsi emptorem L. Annium reperiebat Verres, experiendum tamen aliíne vendere pluris posset, existimauit.

Quum intelligam legem Voconiam. Hãc legem, latã Scipione & Philippo COSS. suasisse se annos LXX natum gloriatur Cato apud Ciceronẽ, in eo libro, qui ipsius nomine inscriptus est: extántque nonnulla ipsius Orationis verba apud Gelliũ lib. XVII, cap. V. Et Augustinus lib. de Ciuit. Dei III, Lata, inquit, etiam est lex Voconia, Nequis hæredem fœminam faceret, nec vnicam filiã. Ex quo adducor in suspicionem mendum esse apud Florum, in Epit. lib. XLI, quà sic scribit, Q. Volumnius Saxa legem tulit, nequis hæredem mulierem institueret: suasit legem M. Cato. extat Oratio eius. Voconius enim pro Volumnius legendum videtur. Huius legis mentionem quoque Cicero facit in libro De finibus II, cuius verba, quòd ad hunc locum magnopere pertinent, subiiciam, Memini, inquit, me adesse P. Sestio Rufo, quum is ad amicos rem ita deferret, se esse hæredem Q. Fabio Gallo, cuius in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, vt omnis hæreditas ad filiam perueniret. Id Sestilius factum negabat. poterat autem impune: quis enim redargueret? nemo nostrum negabat. erátque verisimilius, hunc mentiri, cuius interesset, quàm illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam, se in legem Voconiam iuratum contra eum facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adolescentes, sed & multi amplissimi viri: quorum nemo censuit plus fidei dandum, quàm posset ad eam lege Voconia peruenire. Item aliquanto pòst, Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hæreditatem reddas suæ filiæ, nec vsquam id scripserit, vt scripsit Fabius, nec cuiquam dixerit, quid facias? tu quidem reddes, &c. Alterius etiam Voconiæ legis mentio fit in libris nostris ciuilibus, qua continebatur, ne plus legatis, quàm hæreditatibus auferretur.

Quis vnquam crederet Verrem mulierum aduersarium futurum? an ideo aliquid contra mu- CICERO.
lieres fecit, ne totum edictũ ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur? Cupiditati hominum ait 201
se obuiam ire. quis potius non modò his tẽporibus, sed etiam apud maiores nostros, quis tã remo qui
tus fuit à cupiditate? dic quæso cætera: delectat enim me hominis grauitas, sciẽtia iuris, auctoritas.
QVI AB A. POSHVMIO, Q. FVLVIO CENSORIBVS POSTVE EA FECIT, FECERIT.

» Fecit,fecerit?quis vnquam edixit isto modo?quis vnquam eius rei fraudem,aut periculum proposuit edicto,quæ neque post edictum,neque ante edictum prouideri potuit?Iure,legibus,auctoritate omnium qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat non improbum, non inofficiosum, non inhumanum. quod si ita fecisset,tamen post illius mortem nihil de testamẽto illius noui iuris constitui oporteret. Voconia lex te videlicet delectabat:imitatus esses illum ipsum C.Voconium, qui lege sua hæreditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri: sanxit in posterũ, qui post eos Censores census esset,nequis hæredem virginem,nóve mulierem faceret.In lege Voconia non est, Fecit,fecerit:neque in vlla præteritum tempus reprehenditur,nisi eius rei,quæ sua sponte scelerata ac nefaria est, vt, etiam si lex non esset, magnopere vitanda fuerit. Atque in his rebus multa videmus ita sancta esse legibus,vt antè facta in iudicium non vocentur. Cornelia, testamentaria, nummaria, cæteræ complures, in quibus non ius aliquod nouum populo constituitur, sed sancitur vt quod semper malum facinus fuerit,eius quæstio ad populum pertineat ex certo tempore.

Quid potius? Sequens interrogatio satis ostendit, Quis potius, legendum esse. Subaudiendum est autem,Cupiditati hominum occurrit.Et est aperta ironia.

Fecit,fecerit. Apparet ex integra disputatione,prius verbum,præteriti temporis: posterius autem futuri vim & significationem habere.Et hac locutione de industria vsus est,vt ambiguitatem vitaret,quæ in posteriore verbo inesse poterat. Cuius rei exemplum est apud Gelliũ,lib. XVII. Legis, inquit, veteris Atiniæ verba sunt, Quod surreptum erit,eius rei æterna auctoritas esto. Quis aliud putet in hisce verbis,quàm de tempore tantùm futuro,legem loqui?Sed Q. Scæuola patrem suum, & Brutum, & Maniliũ viros apprimè doctos,quæsisse ait, dubitasséque,vtrúmne in pòst facta modò furta lex valeret, an etiam in antè facta: quoniam QVOD surreptum erit, vtrunque tempus videretur ostendere,tam præteritum,quàm futurum.

Eius rei fraudem. Id est pœnam.Nam veteres,vt ait Vlpianus,Fraudẽ pro pœna ponere solebant.

Quæ neque post edictum. Omnes,opinor,ante Florentinorum librorum editionem, Quod neque. Et sic ferè loquutus est in Oratione pro Cæcina pag.588,Quod est grauius,& cuius rei causa maximè iudicia constituta sunt,id iam mala consuetudine dissolutum est.

Noui iuris. Neque enim posterioribus legibus, sed quæ ante testamentum factæ sunt, testamentũ rescindi potest.

Quæ sua sponte scelerata. Itaque in omnibus ferè publicorum iudiciorum legibus, etiam præteritum tempus reprehenditur. vt in Orat. pro Cluentio, Quiue in Senatu sententiam dixit, dixerit: qui eorum coiit,coierit:conuenit,conuenerit:qui venenum malum fecit,fecerit, &c. Sunt autẽ sua sponte scelerata, quæ non ciuili, sed gentium iure malefacta existimantur. de quibus Vlpianus sic scribit in l.Probrum,D.de Verb.sign. Probra quædam natura turpia sunt,quædã ciuiliter,& quasi more ciuitatis:vtputa furtum, adulterium, natura turpe est: enimuero tutelæ dãnari, hoc non natura probrum est,sed more ciuitatis.nec enim natura probrum est,quod potest etiam in hominem idoneum incidere. Hæc ille: quæ tamen quemadmodum intelligi debeant, non dispicio: quũ præsertim non minus quis idoneus furti quàm tutelæ damnari possit. Ac mea quidem sententia hac de re iudicare difficile est: quum satis constet varia gentium ac populorum iudicia in peccatis sceleribúsque appellandis perpetuò fuisse:neque vllum scelus tam nefarium apud quosdam existimetur,vt non apud alios in vitiorum numerum non adscribatur. quod ex ea libidine præsertim perspicitur,quæ contra naturam pugnare meritò à Platone dicitur,quam tamen apud plerásque gentes pro vitio habitam non esse Xenophon in Republica Lacedemoniorum testatur.

Cornelia, testamentaria, nummaria, cæteræ complures. Subaudi SVNT.quanquam ita interpunctus legitur hic locus,vt de tribus legibus loqui videatur:quũ contrà, vtranque legem & testamentariã scilicet,& nummariam,Cornelias ab auctore appellatas esse constet.de quibus cognosce ex capite,Ad legem Corneliam de falsis,libro Digestorum XLVIII.

Eius quæstio ad populum pertineat. Quæ res hanc varietatem induxit, vt in hac lege vsitata formula legislator non vteretur, nimirum propter pœnæ atrocitatem, quæ iudicio populi continetur. Solus enim Populus in ciuem R. verberibus & securi animaduertendi potestatẽ habebat.qua de causa in hac lege Cornelia,&,vt ipse inquit,in aliis compluribus,quibus nõ erat Quæsitor certus constitutus, qui de iis criminibus cognosceret, non erat scriptum Fecit,fecerit:sed tantummodò Fecerit: vt antea acta in illud Populi vehementissimum grauissimúmque iudicium non vocarentur. Quo in numero fortasse illa etiam lex fuit, qua sanctum erat, siquis ius ciuitatis ac libertatis imminueret. Nam eius quoque rei quæstio ad populum pertinebat. id est non erat vllus Prætor, eius criminis cognitioni, lege populi constitutus: quemadmodum ex hac ipsa Oratione perspicuè intelligitur,pag.160.Nam ita hunc locum interpretari,vt simpliciter hoc significet,Eius publicum

iudicium sit constitutum: nulla ratio est:quum Cicero planissimè demonstret,aliorum publicorũ iudiciorum quibus Quæsitores præsunt,aliam esse,atque horum,rationem. In illis enim vsitatam esse formulã Fecit,Fecerit:in his tantummodo futurum tempus comprehendi. Præterea si hoc verum esset,idem quoque de cæteris omnibus publicis iudiciis dici posset,eorum videlicet criminum quæstionem ad populum pertinere.quod falsum esse ex hoc vno loco cognosces,quem subiiciã. In Oratione igitur in Verrẽ quinta,de pecuniarum repet.iudicio loquens,ita scribit,Quò confugient socii? quem implorabunt?ad Senatum deuenient, qui de Verre supplicium sumat?nõ est vsitatum, non Senatorium. ad populum R. confugient? facilis est causa populi. legem enim sociorum causa iussisse,& ei legi custodes ac vindices præposuisse dicet. Quòd si earũ rerum quæstio ad populum pertineat, quarum rerum iudicium lege lata constituit, priuatarum etiam rerum, & pecuniæ iudicium,ad populum pertinere dicetur.Et si publica iudicia ea dicuntur quæ à populo lege certa constituta sunt: omnia certe quæ priuata iudicia dicimus, publica quoque nominanda sunt, quum ea lege populi R. constituta sint.vnde Lege agere nõ modò lictor dicitur in causis capitalibus,sed etiã hæres,& creditor,& quiuis denique litigator Lege agere dicitur.Sed quæ sit Publicorum iudiciorũ definitio,ex contrarii,id est Priuatorum iudiciorum definitione(quam certissimam docendi,ac disputandi normam semper existimaui) nullo negotio intelligemus: de qua, quia idoneo loco satis explicauimus,disputandum hoc loco nõ arbitramur, ne vel lectorum ingeniis diffidere, vel otio & literis abuti velle videamur.Illud quod ad hunc locum vel maximè pertinet non prætermittemus, præter eas causas quarum lege lata quæstio ad populum pertinebat, licuisse Tribunis pleb. iudiciũ populi omnibus de rebus constituere,& cuiuis ciui diem ad populum dicere, vt de eo quæstio exerceretur.cuius rei cum alibi pleraque exempla suppeditant, tum verò apud Valerium Maxi. lib.I v, cap.de pudicitia.

„ De iure vero ciuili siquis noui quid instituit, omnia quæ antè acta sunt, rata esse patitur. Cedo CICERO.
„ mihi leges Atinias,Furias,Fussias,ipsam, vt dixi, Voconiam, omnes præterea de iure ciuili:hoc re-
„ peries in omnibus statui ius, quo post eam legem populus vtatur. Qui plurimum tribuunt edicto,
„ Prætoris edictum legem annuam dicunt esse.tu edicto plus complecteris, quàm lege.Si finem edi-
„ cto Prætoris afferunt Calendæ Ianuarii,cur non initium quoque edicti nascitur à Calendis Ianua-
„ rii?an in eum annũ progredi nemo poterit edicto, quo Prætor alius futurus est:in illum, quo alius
„ Prætor fuit,regredietur?ac si hoc iuris nõ vnius causa hominis edixisses,cautius composuisses. Seri
„ bis, Siquis hæredem fecit, fecerit.quid,si plus legarit,quàm ad hæredem,hæredésve perueniat,quod
„ per legem Voconiam ei,qui census sit,licet?cur hoc,quum in eodem genere sit, non caues? quia non
„ generis, sed hominis causam verbis amplecteris: vt facile appareat, te pretio esse commotum. At-
„ que hoc si in posterum edixisses, minus esset nefarium,tamen esset improbum. sed tum vituperari
„ posset, in dubium venire non posset: nemo enim committeret. nunc est eiusmodi edictum, vt qui-
„ uis intelligat, non populo esse scriptum, sed P. Annii secundis hæredibus. Itaque quum à te caput
„ illud tam multis verbis mercenario procemio esset ornatum: ecquis est inuentus postea Prætor,
„ qui illud idem ediceret: non modo nemo edixit, sed ne metuit quidem quisquam nequis ediceret:
„ nam post te Prætorem multi testamenta eodem modo fecerunt, in his nuper Annia ea de multorũ
„ propinquorum sententia,pecuniosa mulier,quòd censa non erat,testamẽto fecit hæredem filiam.

Rata esse patitur. Asconius, Patietur? vt quasi per indignationem,& interrogatiuè dici videatur. Mihi cur optimum & apertissimum sensum, contra veterum omnium librorum auctoritatem immutemus,causa nulla videtur.

Furias,Fussias. Fussiarũ legum aliàs mentionẽ fieri non memini. Quinetiã in libro Asconii non Fussias,sed Fusias legimus. Constat autẽ veteres pro FVRIIS, Fusiis dixisse,& pro Valeriis, Valesiis. Tulit autem C.Furius legem de testamẽtis,vt scribit Cicero in Orat.pro C.Balbo. vt aliquis suspicari possit,annotationem docti cuiusdam hominis eam fuisse, qui in suo codice variam lectionem, vt mos est, annotarat, quæ postea in contextum inducta est. nam quæ lex Fusia Caninia, de seruis testamẽto manumittendis in Pandectis appellatur,eam legẽ Vlpianus in Titulis Furiã appellauit.

Qui plurimum tribuunt edicto. Tanto verò edictis Prætoriis leges præstant, quanto populi maiestas & amplitudo,vnius Magistratus,qui in ipsius manu ac potestate est,iuri ac potestati antecellit.

Plus amplecteris quàm lege. Legis enim vis in posterum, non in præteritum tempus valet. cuius dicti frequens est mentio apud Iurisconsultos.

Si finem edicto Prætoris. Apud Quintilianum libro v,immutatus ordo est,hoc modo,Si finem Prætoris edicto:& pro Nascitur,scriptum est Nascatur.Nihil affirmo.sed hanc tamen scripturæ varietatem testatam relinquere volui,vt studiosi cum antiquis codicibus eam conferre possint.

Ei qui census sit,licet? Rectè, Qui census sit: non vt in aliis omnibus, Qui census non sit. quod huius loci sensum fœdissimè deprauabat. Vetabat enim Voconius, mulieres à censis hæredes in-

ſtitui,niſi in hac ſingulari cauſa, ſi plus eſſet in legatis, quàm in hæreditate. Tum enim cenſis mulieres hæredes inſtituere permittebat. At de non cenſis, neque hoc, neque ſuperiori capite quicquam ſanxerat. Quærit igitur, quum prius illud legis Voconiæ caput, etiam in non cenſis valere Verres voluerit, id eſt nequis omnino ſiue cenſus,ſiue non cenſus mulierem hæredem inſtituat: quid iuris,ſi is non cenſus filiam hæredem inſtituerit,qui plus legatis ademerit,quàm in hæreditate reliquerit? Nam hoc ſine dubio Verres in edicto etiam cauiſſet, ſi generis rationem habuiſſet, non hominis: id eſt ſi generatim ius dicere voluiſſet de mulierum hæreditatibus, non de ſola L. Annii hæreditate.

In eodem genere ſit. Hæreditatum videlicet,quæ ad mulieres deferuntur.

Atque hoc ſi in poſterum. Atque pro Atqui:vt alibi frequenter. Senſus eſt, Si edixiſſes te nõ daturum poſſeſſionem ei filiæ quæ illo caſu inſtituta hæres eſſet,quo caſu lege Voconia permiſſum erat mulieres inſtituere, nimirum quũ plus legatum eſt,quàm in hæreditate relictum: improbũ illud quidem(neque enim vſque eò reiiciendæ ſunt filiæ à parentum hæreditatibus)ſed tamen minus nefarium quam nunc eſt,fuiſſet. Quum enim de eo nihil caueris, committent multi vt ita filias inſtituant,quum legatis hæreditatem penè inanẽ reliquerint: propterea quòd id licere tuo edicto putabũt quod lege Voconia permiſſum erat. Inutile autem & irritum erit omnium teſtamentum.

Sed non uituperari. Tantum vituperari, corrigendum ex antiquo libro,ſentẽtia vulgatam lectionem manifeſtò repudiante.

Nuper Annia ea de mulierum. Diſtingue ſic,vt poſt vocem Annia,puncti notam adſcribas.

CICERO. » Itaque hoc magnum iudicium hominum de iſtius ſingulari improbitate,quod Verres ſua ſpõ-
203 » te inſtituiſſet, id neminem metuiſſe nequis reperiretur qui iſtius inſtitutum ſequi vellet: ſolus e-
» nim tu inuentus es cui non ſatis fuerit corrigere voluntates viuorum, niſi etiam reſcinderes mor-
» tuorum. Tu ipſe ex Sicilienſi edicto hoc ſuſtuliſti: voluiſti, ex improuiſo ſiquæ res natæ eſſent, ex
» vrbano edicto decernere. quam poſtea tu tibi defenſionẽ relinquebas,in ea maximè offendiſti,quũ
» tuam auctoritatem tute ipſe edicto prouinciali repudiabas. atque ego non dubito quin vt mihi, 112.
» cui filia maximè cordi eſt, res hæc acerba videatur,atque indigna,ſic vnicuique veſtrum,qui ſimi-
» li ſenſu, atque indulgentia filiarum commouemini. quid enim natura nobis iucundius, quid cha-
» rius eſſe voluit? quid eſt dignius, in quo omnis noſtra diligentia, indulgentiáque conſumatur? bo- 113.
» mo importuniſſime,cur tantam iniuriam P. Annio mortuo feciſti? cur hunc dolorem cineri eius,
» atque oſſibus inuſſiſti, vt liberis eius bona patria, voluntate patris, iure,legibus tradita, eriperes,&
» cui tibi eſſet commodum condonares? quibuſcum viui bona noſtra partimur, iis Prætor adimere
» nobis mortuis bona, fortunáſque poterit? Nec petitionem,inquit, nec poſſeſſionem dabo. Eripies
» igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non ſolum fortunæ,ſed etiam ingenuitatis?
» Miramur ad arma contra iſtum hominem Lampſacenos iſſe? miramur iſtum de prouincia dece-
» dentem clàm Syracuſis profugiſſe? nos ſi alienam vicem pro noſtra iniuria doleremus, veſtigium
» iſtius in foro eſſet relictum? Pater dat filiæ: prohibes. leges ſinunt: tamen te interponis. 114.

ENDANCI. *Itaque hoc magnum iudicium hominum.* Subaudiendum, E S T, aut fortaſſe etiam adſcribendum.

Ex Sicilienſi edicto. Nam in prouinciis quoque Prætores edicta cõſtituebant,quæ,ſi ex vrbanis deſcripta eſſent, Tranſlatitia dicebantur.

Quam poſtea tu tibi defenſionem. Opinor, aduerſus eorum accuſationem qui edictum reprehenderent quòd in præteritum tempus conſtitutum eſſet. quaſi dicat, Læſiſti te ipſe primus, aliiſque præterea viam idipſum faciendi demonſtraſti, quũ caput illud ex vrbano edicto tuo ſuſtuliſti. In quo etiam notanda agnominatio eſt, In defenſione offendere.

Acerba uideatur. Siquid iſtius in ea commiſſum eſſet.

Noſtra diligentia indulgentiáque. Indulgentia ſæpe in bonam partem,pro beneuolentia & charitate: vt illud eiuſdem in Orat. poſtquam rediit, Liberi mei propter indulgentiam meam mihi vita ſunt mea chariores. Bene autem diligentiam coniunxit cum indulgẽtia,quum iis tantùm in rebus quæ diliguntur,charæque habentur,ſoleat adhiberi diligentia: quæ ipſa etiam à Diligendo reperiſſe appellationem videtur.

Nec petitionem,inquit,nec poſſeſſionem. Vtræque enim à Prætore poſtulari ſolebant: Prætor ex edicto dabat, id eſt ex iis cauſis,quibus de cauſis daturum ſe in edicto denuntiarat.

Togam prætextam? Detrahes ornamenta non ſ.f.ſed etiam ingenuitatis? Plutarchus in vita Romuli, de mulieribus Romanis loquens, φορεῖν δὲ καὶ παῖδας αὐτῶν τὴν καλουμένην βοῦλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὅμοιον πομφόλυγι περιδέραιόν τι, καὶ περιπόρφυρον.

Lampſacenos iſſe? Pag. 184.

Syracuſis profugiſſe. Hoc alibi dici non memini.

Si alienam uicem pro noſtra iniuria doleremus. Sic omnes quos vidi libri. Budæus in Cõm. vocem In-

iuria, studiose omisisse videtur. quasi dictum esset, æquè ac nostram vicem. [illegible]

In foro esset relictum? Sic valdè arridet. alii tamen omnes cum negatione, Non esset relictum: & sine interrogandi nota, quos Budæus secutus videtur.

De suis bonis ita dat, vt ab iure non abeat: quid habes quod reprehendas? nihil, opinor. At ego CICERO.
concedo: prohibe, si potes, si habes qui te audiat, si potest tibi dicto audiens esse quisquam. eripias tu 204
voluntatem mortuis? bona viuis? ius omnibus? hoc populus R. non manu vindicasset, nisi te huic
tempori, atque huic iudicio reseruasset? Posteaquam ius Prætorium constitutum est, semper hoc
iure vsi sumus, si tabulæ testamenti non proferrentur, tum vti proximum quenque potissimum hæ-
redem esse oporteret: ~~si is intestatò mortuus esset~~, ita secundum eum possessio daretur. Quare hoc Tolle hoc totum
sit æquissimum, facile est docere: sed in re tam vsitata, satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, Si is i. m. esset.
& hoc vetus edictum, trãslatitiúmque esse. Cognoscite aliud hominis in re vetere edictũ nouum:
& simul, dum est vnde ius ciuile discatur, adolescentes ei in disciplinam tradite. mirum est homi-
nis ingenium, mira prudentia. Minutius quidam mortuus est ante istum Prætorem. eius testamen-
tum erat nullum: lege hæreditas ad gentem Minutiam veniebat. si habuisset iste edictum, quod an-
te istum, & postea omnes habuerunt: possessio Minutiæ genti esset data. Siquis testamento se hære-
dem esse arbitraretur, quod tum non extaret, lege ageret in hæreditatem, aut, pro præde litis vindi- natat opinor,
ciarum quum satis accepisset, sponsionem faceret. ita de hæreditate certaret. Hoc opinor iure & ma- nox Lini.
iores nostri, & nos semper vsi sumus. videte vt hoc iste correxerit. componit edictum iis verbis, vt
quiuis intelligere possit, vnius hominis causa conscriptum esse: tantum quòd hominem non no-
minat: causam quidem totam perscribit: ius, consuetudinem, æquitatem, edicta omnium negligit.

Non manu vindicasset. Asconio videtur confusa locutio, & NON particula redundare. Ego, quid va-
ceat nihil video: modò cum interrogatione locus legatur, vt in omnibus legitur: vt quiuis potest in-
telligere.

Vti proximum quenque potissimum. In aliis deerat vox PROXIMVM. sed hanc scripturam cum sensus ipse, tum etiam Asconii liber confirmat.

Vti prox. q. potissimum hæredẽ esse oporteret, si is intestato mortuus esset, ita secundum eũ possessio daretur. Demiror tam crassum mendum & tam manifestum, tamen vsque ad hoc tempus neminem animaduertisse. Quis est enim qui non videat nullum his verbis subesse sensum, non magis, quàm in delyrantis somniis? Nam vt ita legeretur, Ac si is intestato mortuus esset, tamen IS pronomen quò referretur, verbum nullum haberet. Quis est porrò, qui vel cursim Asconium inspexerit, qui non apertissimè perspicere possit, totum hoc SI IS INTESTATO MORTVVS ESSET, sumptum ex eius libro fuisse, in quo pro AC SI, vel VT SI IS int. m. esset, legitur, ETSI intestatò m. esset: annotante videlicet atque interpretante ea verba quæ sunt auctoris, Hæredem esse oporteret. propterea quòd idem obseruatum est, eo casu quum tabulæ testamenti non proferuntur, ac si intestatò aliquis decessisset. Si autem intestatò aliquis decessisset, agnatus proximus lege XII tab. hæreditatem habebat: ac proinde ei bonorum possessio à Prætore dabatur. qua de re hæc sunt Vlpiani verba, in Titulis, Intestati datur bonorum possessio per septem gradus: primo gradu liberis: secundo legitimis hæredibus, &c. Legitimos autem hæredes appellat ex lege XII tab. constitutos, quam idem Vlpianus paulo suprà commemorat, Ac si intestatus moritur cui suus extabit hæres, nec agnatus proximus familiam habeto. Id est nisi liberi sint, habeto. nisi forte particula Nec ante Extabit reponẽda sit. Exterminemus igitur ac remoueamus, quantũ quidẽ ingenio contẽdere possumus, hæc prodigia ac portenta mendorum, quæ præclara huius excellentissimi scriptoris monimenta ad hunc vsque diem fœdè ac turpiter contaminarunt. itáque hunc locum posthac scriptum impressúmque videamus, Vti proximum quenque potissimùm hæredem esse oporteret: ita secundum eum possessio daretur. Simile mendum in Orat. pro Muræna natum est ex glossa sub verbo Superstitibus subscripta. quum enim ita scriptum esset, Vtrisque superstitibus: subscripsit aliquis Præsentibus. quod verbum postea cum auctoris verbis contextum esse apparet ex Seruii comment. in III AEneid. Superstes, inquit, præsentem significat. vt Cicero in Murænian, Vtrisque superstitibus, id est præsentibus.

Potissimum heredem. Quomodo Potissimũ, quum is tantùm qui proximus est, ad hæreditatem vocetur? Potissimum igitur, non nomen, sed aduerbium est. vt in Offic. Vt si nautæ certarent, quis potissimùm gubernaret.

Hæredem esse oporteret. Perinde ac si intestatò mortuus esset.

Lege hæreditas. Legem intelligit XII tabularum: vnde etiam Legitima hæreditas dicitur à Iurisconsultis: & hæredes, tutorésque Legitimi. Verba legis sunt, Proximus agnatus familiam habeto,

Quod tum non extaret. Non alienum fuerit instituto nostro, quod in iuuandis optimis scriptoribus magna ex parte consumitur, exponere hoc loco quid mihi in mentem venerit, quærenti in libris Pandectarum, Iurisconsultorum in hac quæstione sententiam. Offendi enim titulum cuiusdam tractatus (in quo Pauli Iurisconsulti responsum traditur, non longum, libro XXXVII) quem vna vocula mutilatũ esse arbitror. Quum enim aperte Pauli verba ad huiuscemodi causas pertineant, in quibus tabulæ testamenti non extant (absurdum est autem eo loco quærere, si extent, quid dici oporteat, quod aliis tam multis titulis abunde commõstratum est) omissa tamen vna particula legitur, Si tabulæ testamenti extabunt: quum ex contrario legendum esse videatur, Si non extabunt.

Lege ageret in hæreditatem. Id est, Experiretur possétne à Prætore, tanquam hæres, bonorum possessionem impetrare. Nam bonorum possessionem significari, & locus aperte ostendit, & Asconius ipse demonstrat. Lege autem agere aliud nihil est, quàm actionem aliquam intendere, quæ ex legibus XII tab. à Iurisprudentibus constituta est: quæ ideo Legis actiones appellabãtur, vt scribit Pomponius l. II. de Orig. Iuris. Plinius lib. VII, L. Papyrius Prætor, secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedit. Ex quo apparet de possessione controuersiam fuisse. Valerius Max. lib. VII, C. Piso, inquit, Præfectus vrbis Terentio patri exhæredati bonorum defuncti filii possessionem dedit, hæredésque lege agere passus non est.

Aut pro præde litis vindiciarum quum satis accepisset. Si, inquit, bonorum possessionem impetrare non posset, ipsam hæreditatem peteret, & actionem ex testamento intenderet, sponsionémque faceret, se ni sua hæreditas esset, certam pecuniam daturum: posteaquam à possessore prædes seu sponsores accepisset, nihil illum in bonis hæreditariis deterius facturum. Hoc idem manifestissime à Paulo Iurisconsulto traditur, libro Sententiarum I, cap. XI, Quoties, inquit, hæreditas petitur, satisdatio iure desideratur: (id est vt possessor det prædes se nihil deterius facturum) etsi satisdatio non detur, in petitorem hæreditas transfertur. Si petitor satisdare noluerit, penes possessorem possessio remanet: in pari enim causa potior est possessor. id est, vt interpres admonuit, Qui petit hæreditatem, postulat vt possessor det prædes: si non dederit, possessio petitori traditur. à quo ipso similiter prædes petuntur: quòd si recusarit, possessori hæreditas relinquitur. De Spõsione late diximus in Oratione pro Quintio. De Prædibus hoc loco Asconius. Cur autem Prædes litis vindiciarũ appellet, equidem coniectura assequi non possum. Nam quum Vindiciæ possessionem significent, quæ datur pendente iudicio, vt notum est omnibus ex Liuii historia de Virginio, quam (quia nota & peruulgata est) non commemoro: datæ sint autem vindiciæ, siue possessio agnato proximo, neque in hac ex testamento actione lis de possessione vlla sit, aut fuerit, prædes vindiciarum cur dicantur, perspicuum est: litis vindiciarum, obscurum esse arbitror. Nam eum qui possidet, suæ possessionis, vel suarum vindiciarum nomine prædes dare iustum est, qui rem in exitum iudicii sartam tectam suo periculo præstent: quod etiam ex Pauli Sententiis demonstrauimus: at litis vindiciarum, quæ nulla est, prædes dari non possunt. Ex quo adeo in suspicionem veni, verbum LITIS otiosum esse ac superuacaneum, inductúmque ab eo fuisse qui, quum ab Asconio, quæ lis esset vindiciarum explicari videret, verbum quoque illud à Cicerone positum arbitratus est: quum de lite non alio consilio (mea quidem opinione) loquatur Asconius, nisi vt verbi VINDICIAE quæ vis ac sensus esset, clarius explicaret. Similéque mendum in Plutarchi Vitis irrepsisse nuper animaduertimus. nam in vita Camilli sic legitur, πρῶτον μὲν οὖν ἔδοξε σημεῖον γενέσθαι κακοῦ μεγάλου τελευτῆς, Ἰουλίου μονὸς ὁ τοῦ τιμητοῦ πάθει. Nam ex Liuio intelligitur C. Iulium Censorem mortuum esse, & vocem τελευτῆς, non ad ἰουλίου, sed ad κακοῦ respicere: vt sit sensus, Primum signum magni mali aduẽtantis, fuit mors C. Iulii Censoris. Quod qui non intellexerat, μόνος significari in margine scripserat: quam vocem postea imperitus aliquis in contextum induxit.

Aut pro præde satis accepisset: Id est, Quod ad prædem & securitatem attineret, contentus esset, vel, Pro eo nomine quo præs dari deberet, idoneum accepisset. denique sententia ex Pauli verbis quæ suprà scripsimus, facilis & aperta est.

Causam quidem totam perscribit. id est, Conditionem eius totam complectitur à quo erat pecunia corruptus. vt libro Accusat. V, Quia pertimuerat adolescens, quòd eandem suam causam videbat esse. Et pro M. Marcello, Vehementer angebar quum viderem virum talem, qui in eadem causa in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna.

CICERO. " EX EDICTO VRBANO. SI DE HAEREDITATE AMBIGITVR: SI POSSESSOR
205 " SPONSIONEM NON FACIET Iam quid id ad Prætorem, vter possessor sit? nónne id quæri oportet, vtrũ possessoré esse oporteat? ergo quia possessor est, nõ moues possessione: si possessor non esset, nõ dares: nusquã enim scribis, neq; tu aliud quicquã edicto amplecteris, nisi eã causã, pro qua pecuniã acceperas. Iã hoc ridiculũ est. SI DE HAEREDITATE AMBIGETVR, ET TABVLAE

TESTAMENTI OBSIGNATAE NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR: SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HAEREDITATEM DABO. Hoc translatitiũ est. sequi illud oportet: si tabulæ testamenti non proferentur. quid ait? se ei daturum qui se dicat hæredem esse. quid ergo interest proferantur, néc ne? si protulerit, vno signo vt sit minus, quàm ex lege oportet: non des possessionem; si omnino tabulas nõ proferet, dabis. quid nunc dicam? neminem vnquam postea alium edixisse? valde sit mirum, neminem fuisse qui istius se similem dici vellet. ipse in Siciliensi edicto hoc non habet: exegerat enim iam mercedem: Item, vt illo edicto, de quo ante dixi: in Sicilia de hæreditatum possessionibus dandis, edixit idem, quod omnes Romæ præter istum. EX EDICTO SICILIENSI. DE HAEREDITATE AMBIGETVR.

Si possessor sponsionem non faciet. Possessorem iniquissimè appellat etiam eum qui tenet, & vt Asconii verbis vtar, qui bonis incubat: denique quem Iurisconsulti pro possessore possidere dicunt, id est alio iure nullo, nisi quia possidet. Id enim hæc verba ostendunt, Ergo quia possessor est, non moues possessione: si possessor non esset, non dares.

Sponsionem non faciet. Quid tum postea? Scilicet, Corruptor Verris bona possidebat, ob eam caussam in edicto scripsit, possessorem sponsionem non facturum. In quo dupliciter corruptoris caussam iuuit. nam & pro possessore illum habuit, qui mala fide possidebat: & sponsionem ei remisit. Qua re aut verum hæredem coegit hæreditatẽ relinquere: aut, si persequi vellet, sponsionem solum facere: in quo periculum adibat manifestissimum, si possessor improbus aut testamentum falsum proferret, aut testes corruptos produceret: præsertim apud Prætorem iniquum.

Si de hæreditate ambigetur, si possessor sponsionem non faciet. Obscurus locus, quem Asconius conatur illustrare, adhibita distinctione post vocem POSSESSOR, quasi verbũ EST subaudiri oporteat. Quod si verum est, multa antè in hoc capite fuisse necesse est.

Item ut illo edicto. Post verbum Dixi, ascribe notã membri, quod Græci [illegible] appellant: eritque hic sensus, Idem edixit in Sicilia de hæreditatum possessionibus dandis, quod omnes Romæ præter istum: similiter atque illo edicto, de quo ante dixi. Edictum autem significat de mulierum hæreditatibus.

At per deos immortales quid est quod de hoc dici possit? iterũ enim iam quæro abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierum hæreditatibus: nũc in hoc, de hæreditatum possessionibus, cur ea capita in edictum prouinciale transferre nolueris: vtrum, digniores homines existimasti eos, qui habitabant in prouincia, quàm nos qui æquo iure vteremur: an aliud Romæ æquũ est, aliud in Sicilia? non enim hoc potest hoc loco dici, multa esse in prouinciis aliter edicenda, nõ de hæreditatum quidem possessionibus, non de mulierum hæreditatibus: nam vtroque genere video non modo cæteros, sed teipsum totidem verbis edixisse, quot verbis edici Romæ solet. quæ Romæ magna cum infamia, pretio accepto edixeras, ea sola te, ne gratis in prouincia malè audires, ex edicto Siciliensi sustulisse video. & quũ edictum totum eorum arbitratu, quãdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto ius ad vtilitatem suam nundinarentur: tum verò in Magistratu contra illud edictum suum sine vlla religione decernebat. Itaque L. Piso multos codices impleuit earum rerum in quibus ita intercessit, quòd iste aliter, atque vt edixerat, decreuisset. quod vos oblitos esse non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto Prætore solitus sit conuenire. quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. sed eo leuiores istius iniuriæ videbátur, quòd erat in æquitate, prudentiáque Pisonis paratissimum perfugium, quo, sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines vterentur. CICERO. 206

Qui æquo iure uteremur. Inepta sententia. Repone Vterentur. locus erit facilis, & expeditus hoc sensu, Digniores qui vterentur æquo iure: id est iusto, & recto.

L. Piso multos codices impleuit. Etenim & Prætor Prætori, & Consul Consuli, & par denique omnis potestas pari, item vt superior inferiori intercedebat. Cicero de legib. III, Par maiórve potestas plus valeto. Hunc autem L. Pisonem ius inter peregrinos dixisse arbitror. Nam C. Verres inter ciues ius reddebat. In libro Commentariorum Cæsaris de bello ciuili III, similiter M. Cælii Prætoris mentio fit, qui initio Magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonii Prætoris vrbani sellam collocauit: & siquis appellauisset, fore auxilio pollicebatur. Apud Valerium Max. lib. VII, cap. VII, appellatus Mamercus Consul Cn. Orestis Prætoris vrb. decretum rescidit.

Nam quæso redite in memoriam Iudices, quæ libido istius in iure dicendo fuerit, quæ varietas decretorum, quæ nundinatio, quàm inanes domus eorum omnium, qui de iure ciuili consuli solẽt, quàm plena, atque referta Chelidonis: à qua muliere, quũ erat ad eum ventũ, & in aurem eius insusurratum, aliàs reuocabat eos, inter quos iam decreuerat, decretúmque mutabat: aliàs inter alios contrarium sine vlla religione decernebat, ac proximis paulo antè decreuerat. Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inueniebantur ex dolore: quorum alii, vt audistis, negabant mirandum esse, CICERO. 207

I.iiii.

ius tam nequam esse Verrinum. alii etiam frigidiores erant: sed quia stomachabantur, ridiculi vi-
debantur esse, quum Sacerdotem execrabantur qui Verrem tam nequam reliquisset. Quæ ego non
commemorarem (neque enim perfacetè dicta, neque porrò hac seueritate digna sunt) nisi vos illud
vellem recordari, istius nequitiam & iniquitatem tum in ore vulgi, atque in communibus prouer-
biis esse versatam. In plebem vero Romanam vtrum superbiam prius memorem, an crudelita- 122.
tem? sine dubio crudelitas grauior est, atque atrocior. Oblitosne igitur hos putatis esse quemadmo-
dum sit iste solitus virgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam Tribunus pl. in concione
egit, quū eum quem virgis iste ceciderat, in prospectum populi R. produxit. cuius rei cognoscendæ
faciam vobis suo tempore potestatem. Superbia verò qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum is 123.
tenuissimum quenque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit. P. Trebonius viros
bonos, & honestos complures fecit hæredes: in his fecit suum libertum. is A. Trebonium fratrem
habuerat proscriptum. ei quum cautum vellet, scripsit vt hæredes iurarent se curaturos vt ex sua
cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum perueniret.

Ridiculi uidebantur. Ridiculi, faceti, qui risum mouent. vt illud alibi, Facie magis, quàm facetiis ridiculum.

Ius tam nequam esse Verrinum. Cornelius Tacitus in Oratore quasi frigidius dictum reprehendit. Sed Quintilianus excusat, quòd in aliorum persona hoc dicatur, & quasi pro testimonio positum esse videatur. Ius autem liquorem dicit, in quo verrina caro decocta est.

Sacerdotem execrabantur. Ludit ex ambiguo. Sacerdotes enim suem sacrificabant. At C. Sacerdoti Prætori Verres successit.

Virgis plebem R. concidere. Quod lex Portia vetabat. Cicero pro C. Rabirio. Sallustius in Catilin.

Liberum esse nunquam duxerit. Minus eis detulerit, quàm liberis: seruorum loco habuerit. Sic libro Epist. ad Att. I, Quanquam ille pastor Idæus Menelaum solum contempserit: hic non Paris tam Menelaum, quàm Agamemnonem liberum non putauit.

Viros bonos & honestos. Quomodo Bonos? quum à quo summum beneficium acceperint, eius aspernentur voluntatem. An quibus de causis factum id putat Asconius? An potius bonos appellat, & honestos, solius iudicium testatoris spectans: vt eius voluntatem commendatiorem reddat?

Ei quum cautum vellet. Quum id quod ei relinquebat, prouidere vellet vt certum & extra periculum positum esset.

Ne minus dimidium. Vetus locutio, in qua Quàm particula subauditur. Eadem vsum reperio Liuium libro III, tertiæ Decadis, Ex quingentis septuaginta qui in præsidio fuerūt, minus dimidium ferrum faméque absumpsit. Et libro X, Cædes in eo prælio minor, quàm victoria fuit: nō plus quinque millia occisa, minus dimidium eius hominum captum est. Et Plautus non vno loco.

CICERO. Libertus iurat: cæteri hæredes adeunt ad Verrem: docent, non oportere se iurare facturos esse
280 quod contra legem Corneliam esset, quæ proscriptum iuuari vetat: impetrant vt ne iurent. dat his
possessionem. Id ego non reprehendo: etenim erat iniquum homini proscripto, egenti, de fraternis
bonis quicquam dari: & ille libertus, nisi ex testamento patroni iurasset, scelus se facturum arbitra-
batur. Itaque ei Verres possessionem hæreditatis negat se daturum, ne posset patronum suum pro- 124.
scriptum iuuare: simul vt esset pœna, quòd alterius patroni testamento obtemperasset. Das posses-
sionem ei qui non iurauit. concedo: prætorium est. adimis tu ei qui iurauit: quo exemplo? proscri-
ptum iuuat: lex est: pœna est. quid ad eum qui ius dicit? vtrum reprehendis quòd patronum iuuabat
eum qui tum in miseriis erat: an quòd alterius patroni mortui voluntatem cōseruabat, à quo sum-
mum beneficium acceperat? vtrum horū reprehendis? & hoc tum de sella vir optimus dixit, Equiti
R. tam locupleti libertinus sit homo hæres? O modestū ordinem, quòd illinc viuus surrexit. Pos-
sum sexcenta decreta proferre, in quibus, vt ego pecuniam non dicam intercessisse, ipsa decretorum
nouitas iniquitásque declarat. Verum vt ex vno de cæteris coniecturam facere possitis, id quod
priore actione cognostis, audite. C. Sulpitius Olympius fuit. is mortuus est C. Sacerdote Prætore, 125.
nescio an antè, quàm Verres Præturam petere cœperit. fecit hæredem M. Octauium Ligurē. Ligur
hæreditatem adiit, possedit Sacerdote Prætore sine vlla controuersia.

Contra legem Corneliam. A L. Cornelio Sylla latam.

Erat iniquum. Hæc dicuntur ἐν ἤθει, vt contumeliam Verris ostendat. quasi diceret, non magnum scelus facturum fuisse C. Verrem, si contra legem Corneliā homini afflicto & inopi, ex fraternis bonis partem aliquam impertiret. Est igitur ironia, quasi non id fecerit Verres inquitate rei permotus quæ magna non erat, sed superbia & fastidio potius in homines tenues, & paruis opibus ac facultatibus præditos.

Et ille libertus. Vetus, At ille libertus: quod probo.

Patronum suum proscriptum. Apparet hunc seruum fuisse communem amborum fratrum, & ab vtroque manumissum.

Adimis tu ei qui iurauit? quo exemplo? Sensus est non obscurus, vt mihi quidem videtur. Concedit enim Prætori qui iuri dicũdo præest, decretum interponere, & in causis ciuilibus ac priuatis ius dicere. veluti dare bonorum possessionem. Negat autem eius officio contineri, vt pœnã in eum statuat qui in legem publici iudicii commiserit. quemadmodũ suprà dixi, Quæsitorum hoc munus fuisse, qui de causis capitis cum consilio iudicabant. & apparet nõ ita multo pòst, pag. 221, qua Verri crimini dat, quòd iudicium in Prætura publicum exercuerit. Sed Asconius ita hunc locum interpretatur, quasi non IVRAVIT, in præterito: sed IVRABIT, in futuri temporis significatione scriptum inuenerit. vt sit, Adimis tu ei qui iurabit? quod ego quemadmodũ illi in mentem venerit, coniectura assequi non possum.

Proscriptum iuuat. Obiectio Verris, absurda. Quapropter Cicero sic refert, Lex est, quæ capite sanxit, siquis proscriptum iuuet. Si in legem cõmisit, ea lege quæstio constituatur: & Quæsitor ei legi præpositus, de ea re cum consilio quærat. Nam ad eum Prætorem qui nactus est sortem vrbanæ prouinciæ, vt ius diceret, huiusce rei cognitio non pertinet.

Modestum ordinem. Omnes alii, O modestum ordinem: & sic emenda. Rapit Verrem in inuidiam Libertinorum.

Possum sexcẽta decreta proferre. Alii omnes libri Sexaginta: quorũ auctoritatem eleuat primùm cõsuetudo Ciceronis, qui pro Multa, consueuit ponere Sexcenta: deinde Donati auctoritas, qui in illud Terentii, Sexcentas dicas scribito, sic inquit, Perspicere hinc licet consuetudinem vtriusque sermonis. nã Apollodorus μυρίας dixit, pro Multis. Et vt apud Græcos μυρία, ita apud nos Sexcenta dicere pro Multis, vsitatum est. Cicero, Sexcenta possum decreta proferre. Hæc Donatus.

Postcaquam Verres Magistratum iniit: ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat, Sulpitij patroni filia sextam partem hæreditatis ab Ligure petere cœpit. Ligur non aderat. L. frater eius causam agebat: aderãt amici, propinqui. Dicebat iste, nisi cum muliere decideretur, in possessioné se ire iussurum. L. Gellius causam Liguris defendebat: docebat, edictum eius non oportere ad eas hæreditates valere, quæ ante eum Prætorem venissent: si hoc tum fuisset edictũ, fortasse Ligurem hæreditatem aditurum non fuisse. Æqua postulatio, summa hominum auctoritas pretio superabatur. venit Romam Ligur: non dubitabat quin, si ipse Verrem conuenisset, æquitate causæ, & auctoritate sua commouere hominem posset: domum ad eum venit: rem demonstrat: quàm pridem sibi hæreditas venisset, docet: quod facilè in causa æquissima homini ingenioso fuit, multa quæ quemuis mouere possẽt, dixit: ad extremum petere cœpit ne vsque eò suã auctoritatem despiceret, gratiámque contemneret, vt se tanta iniuria afficeret. Homo Ligurem accusare cœpit, qui in re aduentitia, atque hæreditaria tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoque rationem ducere: multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. non possum illa planius commemorare, quàm ipsum Ligurem pro testimonio dicere audistis. Quid enim Verres? vtrum ne his quidem testibus credetur, an hæc ad rem non pertinent? non M. Octauio? non L. Liguri? quis nobis credet? cui nos? quid est Verres, quod planum fieri testibus possit, si hoc non fit? an id quod dicunt, leue est? CICERO. 209

Sulpitij patroni filia. Eius filia qui patronus fuerat defuncti filii.

Suam quoque rationem ducere. Vetus loquutio, pro qua nunc dicimus, habere sui rationem. hic ipse lib. Epist. ad Att. VIII, Inde suscepto bello, quum pacis conditiones ad te afferri viderem, duxi rationem meam, quam tibi facilè me probaturum arbitrabar.

Canibus suis quos circa se haberet. Canes opinor, item vt libro V, ob eam causam appellat, quòd indagare omnia & odorari solerent, siquid vsquam peruestigare prædæ possent.

Nihil leuius, quàm Prætorem vrbis hoc iuris in suo Magistratu cõstituere, omnibus iis quibus hæreditas venerit, cohæredé Prætorem esse oportere. an verò dubitamus quo ore iste cæteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine: quo ore homines rusticanos ex municipiis, quo denique ore, quos nunquam liberos putauit, libertinos homines solitus sit appellare, qui ob ius dicendum M. Octauium Ligurem, hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis, poscere pecuniam non dubitarit? In sartis tectis verò quemadmodum sese gesserit, quid ego dicam? dixerunt qui senserunt. sunt alii qui dicant. notæ res, ac manifestæ prolatæ sunt, & proferuntur. dixit C. Fannius Eques R. frater germanus Q. Titinii iudicis tui, tibi se pecuniã dedisse. Recita testimonium C. Fannii. Nolite C. Fannio dicenti credere: noli inquã tu Q. Titini C. Fannio fratri tuo credere: dicit enim rem incredibilem, C. Verrem insimulat auaritiæ, & audaciæ: quæ vitia videntur in quemuis potius, quàm in istum cõuenire. dixit Q. Tadius, homo familiarissimus patris istius, non alienus à matris eius genere, & nomine: tabulas protulit, quibus pecuniã se dedisse ostendit. Recita nomina Q. Tadii. Recita testimonium Q. Tadii. Ne tabulis quidem Q. Tadii, nec testimonio credetur. quid igitur in iudiciis sequemur? quid est aliud, omnibus omnia peccata & maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestissimorum testimoniis, & virorum bonorum tabu- CICERO. 210

lis non credere? Nam quid ego de quotidiano sermone, querimoniáque populi R. loquar? de istius 129
impudentissimo furto, seu potius nouo, ac singulari latrocinio?

Quos nunquam liberos putauit, libertinos homines solitus sit appellare. Veteres, Quos nunquam liberos homines duxerit, solitus sit app. in quo mendum est manifestissimum.

Qui ob ius dicendum. Notetur locus, ex quo illud intelligitur, Iurisdictionis verbo, etiam dationem possessionis contineri.

Nam quid ego. Quidã libri, Iam quid ego. Sed Nã, pro Iam vsurpat Cicero crebris sermonibus.

CICERO. 218 Ausum esse in æde Castoris, celeberrimo, clarissimóque monimẽto, quod templum in oculis, quotidianóque aspectu populi R. est positum, quò sæpenumero Senatus cõuocatur, quò maximarum rerum frequẽtissimæ quotidie aduocationes fiunt, in eo loco, in sermone hominum audaciæ suæ monimentum æternum relinquere. AEdem Castoris Iudices, P. Iunius habuit tuendam, L. Sylla, Q. Metello *Consulibus. is mortuus est: reliquit pupillum paruum filium. quum L. Octauius, C. Aurelius COSS. ædes sacras locauissent, neq; potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii Prætores quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, & M. Cesius: factum est s. c. quibus de sartis tectis cognitum & iudicatũ non esset, vti C. Verres, P. Celius Prætores cognoscerẽt, & iudicarent. qua potestate iste permissa, vt ex C. Fannio, & ex Q. Tadio cognouistis, *veruntamen quũ esset omnibus in rebus apertissimè impudẽtissiméque prædatus, hoc voluit clarissimum relinquere indicium latrociniorum suorum, de quo non audire aliquando, sed videre quotidie possemus. quæsiuit quis ædem Castoris sartam tectã deberet tradere. Iunium ipsum mortuum esse sciebat: scire volebat ad quem illa res pertineret. audit pupillum esse filium. homo, qui semper ita palàm dictitasset, pupillos, & pupillas certissimam prædam esse Prætoribus, optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat. monimentum illa amplitudine, illo opere quanuis sartum tectum, integrúmque esset, tamen aliquid se inuenturum in quo moliri, prædarique posset, arbitrabatur. L. Rabonio ædem Castoris tradi oportebat. is casu pupilli Iunii tutor erat testamento patris. cum eo sine vllo intertrimento conuenerat iam quemadmodum traderetur.

*consulibus L. ... CESS.
*narat
*tum verò hoc

In æde Castoris. AEdem Castoris votam bello Latino, A. Posthumio Dictatore, filius eius Duumuir, ad idipsum creatus, dedicauit. Auctor Liuius libro II. Eam postea L. Metellus Dalmaticus manubiis suis ornauit. pag. 220. Et in Orat. pro Scauro apud Asconiũ, L. ipse Metellus auus huius, sanctissimos deos illo constituisse in templo videtur in vestro conspectu Iudices, vt salutem à vobis nepotis sui deprecarentur. Erát autem in ipso foro, celeberrimo in loco Prætorii, locati Castor & Pollux: vt ipse scribit Verrina quinta extrema, pag. 567, Vósque omnium rerum forensiũ, consiliorum maximorum, legum iudiciorúmque arbitri, celeberrimo in loco Prætorii locati Castor & Pollux. Sed quum geminis fratribus ædes in foro esset cõstituta, solius tamen Castoris nomine vocabatur. auctor Suetonius.

Aduocationes fiunt. Aduocatur consilium, in quo de maximis rebus deliberatur.

L. Sylla Q. Metello COSS. Error manifestus. Fuerunt enim hi Consules annos abhinc decem plus minus. Reponendum ergo sine controuersia, CESS. id est Censoribus, vt in duobus libris manuscriptis.

Ineptia manifesta. fuerunt enim hi censores nunquam. relinquendũ ergo sine controversia cos. i. consulibus, vt in omnibus libris impressis.

Aurelius COSS. Anno ante Verrem Prætorem.

Veruntamen quum esset. Satis constat vocem VERVNTAMEN otiosam esse, eámque etiam à nonnullis libris abesse. Sed tamen ita lõgum verbum temerè in hunc incidisse locum, difficile est credere. Aperiam igitur quod mihi in mentem venit, vt alii eruditiores melioribus argumentis id aut confirmare, aut repudiare possint. Solet Cicero CVM & TVM frequenter cõiungere: interdum etiam adiuncta particula VERO, quæ vim verborum auget. Prætermissum igitur fuisse suspicor à scriptore TVM VERO: eóque in margine postea repositum: sed ea tamen nota qua plerique vti solent, linea videlicet imposita, hunc in modum, tũ verò. vt alius non suo loco verbum illud reponens, Tamen verò, ad extremum etiam Veruntamen scribendum putarit. Quamobrem ita legendum ac restituendum potius arbitramur, vt ex Q. Tadio cognouistis, quũ esset omnibus in rebus apertissimè impudentissiméque prædatus, tum verò hoc voluit c. r. i. l. s.

In sinum delatum. Vltro sibi oblatum, quum minimè expectaret. Sinum enim dicit, vt ostendat non quæsitum, sed receptum.

In quo moliri. Moliri dicimur in re difficili & laboriosa, quasi molem mouere. Vsus igitur hoc loco est eo verbo, quasi furandi difficultatem in opere tam integro ac tam perfecto significans. vt paulo pòst, Tu Verres hic quod moliare, nihil habes. Et pag. 220, Dubitamus quid iste in hostium præda molitus sit.

AEdem Castoris tradi. Per pupillum.

Sine vllo intertrimento. Intertrimẽtum vtriusque partis damnum incommodúmque significat. auctor Asconius. Cuius rei causam declarat ex vi verbi Varro De lingua Lat. IV, his verbis, Detri-

mentum, ait, à detritu: quòd ea quæ trita, minoris sunt pretii. Ab eadem mente Intertrimentum: ab eo quòd duo quæ inter se trita, etiam deminuta sunt.

Iste ad se Rabonium vocat: quærit ecquid sit quod à pupillo traditum nō sit quod exigi debeat. CICERO. 212
quum ille id, quod erat, diceret, facilem pupillo traditionem esse, signa, & dona comparere omnia, ipsum templum omni opere esse integrum: indignū isti videri cœpit, ex tanta æde, tantóque opere se non opimum præda, præsertim à pupillo, discedere. Venit ipse in ædem Castoris: cōsiderat templum: videt vndique tectum, pulcherrimè laqueatum: præterea cætera noua, atque integra: versat se: quærit quid agat. dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos: Tū Verres, hic quod moliare nihil habes: nisi fortè vis ad perpendiculū columnas exigere. Homo omnium rerum imperitus, quærit quid sit, ad perpendiculū. dicunt ei, ferè nullam esse columnam, quæ ad perpendiculum esse possit. Iam me hercule, inquit, sic agamus: columnæ ad perpēdiculum exigantur. Rabonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tātum columnarū traditur, perpendiculi mentio fit nulla: & qui non putaret sibi expedire ita accipere, ne eodē modo reddendum esset: negat id sibi deberi, negat oportere exigi. Iste Raboniū quiescere iubet: & simul ei nonnullā spē societatis ostendit hominem modesti, & minimè pertinacē facilè coercet: columnas ita se exacturum esse cōfirmat. noua res, atque improuisa pupilli calamitas nūtiatur statim C. Mustio vitrico pupilli, qui nuper est mortuus: M. Iunio patruo, P. Potitio tutori, homini frugalissimo. Hi rem ad virum primariū, summo officio, ac virtute præditum M. Marcellū, qui erat pupilli tutor, deferūt.

Facilem pupillo traditionem. Difficilis traditio est, quum multa desunt: facilis ergo, vbi quod desit, [redacted] nihil ferè est.

Liguri dixerat esse. Pag. 209.

Iam me hercule. Omnes manuscripti, & impressi veteres, Nā me hercule. quod qui immutarunt, fortasse hanc particulam confirmandi vim significationémque habere ignorarunt.

Venit ad Verrē M. Marcellus: petit ab eo pro sua fide, ac diligentia pluribus verbis, ne per sum- CICERO. 213
mam iniuriam pupillum Iuniū fortunis patriis conetur euertere. Iste, qui iam spe, & opinione prædam illam deuorasset, neque vlla æquitate orationis, neque auctoritate M. Marcelli cōmotus est: itaque, quemadmodum ostendisset, se id exacturum esse respondit. Quū sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos viderent, apud quem nō ius, non æquitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici voluntas, non cuiusquam auctoritas pro pretio, non gratia valeret: statuunt id sibi optimum esse factu, quod cuiuis venisset in mentem: petere auxilium à Chelidone, quæ isto Prætore non modò in iure ciuili, priuatorúmque omnium controuersiis populo R. præfuit, verumetiam in his sartis tectis dominata est. Venit ad Chelidonem C. Mustius Eques R. publicanus, homo cū primis honestus: venit M. Iunius patruus pueri, frugalissimus homo, & castissim⁹: venit homo summo honore, pudore, & summo officio, spectatissimus ordinis sui P. Potitius tutor. O multis acerbam, ô miseram, atque indignā Præturam tuam. vt mittā cætera, quo tandem pudore tales viros, quo dolore meretricis domū venisse arbitramini? qui nulla cōditione istam turpitudinem subissent, nisi officii, necessitudinísque ratio coegisset. Veniunt, vt dico, ad Chelidonem. domus erat plena: noua iura, noua decreta, noua iudicia petebātur, Mihi det possessionem, mihi ne adimat: in me iudiciū ne det: mihi bona addicat. alii nummos numerabant: alii tabulas obsignabāt. domus erat nō meretricio cōuentu, sed Prætoria turba referta.

Priuatorúmque omnium controuersiis. Nominatim, Priuatorum cōtrouersias. quoniam Magistratus à priuato in ius (quemadmodum ex Gellio intelligimus) vocari non poterat: nisi qui vocationem aut prehensionem nō habebat. vt Quæstores, Tribuni AErarii, AEdiles, quos etiam ad Prætorem vocatos idem demonstrat. At Magistratus à Magistratu poterat. ita puto: sed Magistratū aut ius emisse, aut ad Chelidonem venisse, non putauit dici oportere. De Magistratibus autem quos iudicio persequi licebat, sic scribit Vlpianus, lib. Pandectarum XLVII, sub tit. De iniuriis, Siquid igitur per iniuriam fecerit Magistratus, vel quasi priuatus, vel fiducia Magistratus, iniuriarū potest conueniri. Sed vtrum deposito Magistratu: an verò quandiu est in Magistratu? Sed verius est, si is magistratus est qui sine fraude in ius vocari non potest: expectādum esse quoad Magistratu abeat. Quòd si ex minoribus Magistratibus erit, id est qui sine imperio, aut sine potestate sunt Magistratus, & in ipso Magistratu posse eos conueniri. Hæc ille. Magistratus autem minores appellat, qui neque vocationem, vt dixi: neque prehensionem habebant: & non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis iudicia exercebant.

Sartis tectis dominata est. Asconius legit, Sartis tectísque dominata est: additámque esse particulam ait, vt plenum esset dictum. Ego Sartis tectísque, cum coniunctione legisse puto Asconium: scripsisséque Ciceronem: vt clausula finis hexametri vitaretur.

In me iudicium ne det, mihi bona addicat. Quid sit Iudicium dare, alibi ostendimus. At Bona addicere, condonare est ex edicto, & ea pro imperio alicui permittere, veluti quum Q. Annio P. Asellii bona

Verres dedit, quòd is filiam hæredem instituisset.

Tabulas obsignabant. Tabulas Verris annulis suis obsignabant, in quibus scriptum erat, eos Verri pecuniam debere. Hinc Tabulis obsignatis agere: de quo alibi diximus.

CICERO. Simul ac potestas primùm data est, adeunt hi quos dixi: loquitur Mustius: rem demonstrat: pe-
214 tit auxilium: pecuniam pollicetur. Respōdit illa, vt meretrix, non inhumanè: libenter ait se esse fa-
cturam, & se cum isto diligenter sermocinaturā: reuerti iubet. tum discedunt. Postridie reuertun-
tur. negat illa posse hominem exorari, permagnam eum dicere ex illa re pecuniam confici posse.
Vereor nequis fortè de populo, qui priori actione non affuit, hæc, quia propter insignem turpitu- 138
dinem sunt incredibilia, fingi à me arbitretur. ea vos antea Iudices cognouistis. Dixit iuratus P.
Potitius tutor pupilli Iunii, dixit M. Iunius tutor, & patruus. Mustius dixisset, si viueret: sed pro
Mustio, recenti re de Mustio auditum dixit L. Domitius: qui quū sciret me ex Mustio viuo audis-
se, quòd eo sum vsus plurimum (etenim *id iudicium, quod propè omnium fortunarū suarum C.
Mustius habuit, me vno defendēte vicit) quū hoc, vt dico, sciret L. Domitius me scire, ad eum res
omnes Mustiū solitum esse deferre: tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit: aliò responsionem
suam deriuauit. tantus in adolescente clarissimo, ac principe iuuentutis pudor fuit, vt aliquandiu, 139
quum à me premeretur, omnia potius respōderet, quàm Chelidonem nominaret. primò necessa-
rios istius ad eum allegatos esse dicebat: deinde aliquando coactus Chelidonem nominauit. Non
te pudet Verres, eius mulieris arbitratu gessisse Præturam, quam L. Domitius ab se nominari vix
sibi honestum esse arbitrabatur? Reiecti à Chelidone, capiunt consilium necessarium, vt susci- 140
piant ipsi negotium. cum Rabonio tutore, quod erat vix H-S quadraginta millium, transigunt H-S
ducentis millibus.

Pecuniam confici posse. Pupillum, vt ab ea controuersia liberetur, grandem pecuniam daturum.

De Mustio auditum. Asconius alio quodam loco, Veteres, inquit, etiam de auditione testimonium dicebant. quod etiam ex Orat. pro Q. Roscio intelligitur.

Etenim id iudicium. Omnes veteres, Etenim iudicium. quam scripturam, quia liber vetus Asconii confirmat, immutare non ausim.

Vt suscipiant ipsi negotium. Reficiendarum columnarum.

Quod erat H-S quadraginta millium. Quod minus mille aureis perfici poterat, transigunt H-S ducentis millibus, id est quinque millibus aureorum. Erat enim faber Rabonius.

CICERO. Refert ad istum rem Rabonius: vt sibi videbatur, satis grandem pecuniam, & satis impudētem
215 esse. iste, qui aliquanto plus cogitasset, malè accipit verbis Raboniū, negat eum sibi illa decisione
satisfacere posse. ne multa, locaturum se esse cōfirmat. tutores hæc nesciunt: quod actum erat cum
Rabonio, putant id esse certissimū: nullam maiorem pupillo metuunt calamitatem. iste verò non
procrastinat: locare incipit non proscripta, neque edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis Ro-
manis, Foro ornato. Itaque renuntiat Rabonius illam decisionem tutoribus: accurrunt tamen ad
tempus tutores: digitum tollit Iunius patruus. isti color immutatus est: vultus, oratio, mens deni-
que excidit: quid ageret, cœpit cogitare. Si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe
quem ipse apposuisset, sibi nullam prædam esse. itaque excogitat: quid? nihil ingeniosè, nihil quod
quisquam possit dicere improbè, vel callidè: nihil ab isto tectum, nihil veteratoriū expectaueritis:
omnia aperta, omnia perspicua reperientur, impudentia, amentia, audacia. Si pupillo opus redimi- 141
tur, mihi præda de manibus eripitur. Quod est igitur remedium? quod? ne liceat pupillo redimere.
vbi illa consuetudo in bonis, prædibus, prædiisque vendendis omnium Consulum, Censorū, Præ-
torum, Quæstorum denique, vt optima conditione sit is, cuia res sit, cuium periculum? excludit
eum solum, cui propè dicam soli potestatem factā esse oportebat: quid enim quisquam ad meam
pecuniam me inuito aspirat? quid accedit? locatur opus id quod ex mea pecunia reficiatur. ego me
refecturum esse dico.

Nullam maiorem pupillo. Quàm si columnæ arbitrio C. Verris reficiendæ locentur.

Ludis ipsis R. De ludis Romanis dictum est priore actione.

Renuntiat Rabonius illam decisionem tutoribus. Hoc eodem modo dictum est, vt illud actione priore pag. 142, Renuntiata est tota cōductio. id est vt in Asconio, ex antiquo libro, restitui, Irritā nuntiat.

Digitum tollit. Mos in auctionibus. Qui licebatur in turba, digitum tollebat. sic Verrina v, pag. 315, Vtrum est æquius eum qui manu quæsierat, an eum qui digito licitus sit, possidere. Hanc etiam Festus consuetudinem notat, quum ait, Manceps est, quisquis à populo aliquid emit, conducitve: quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse.

Si opus pupillo redimeretur. A tutoribus, Id est si pupillus ipse reciperet se columnas refecturum.

Si res abiret ab eo mancipe. Mancipes ergo, non tantùm Publicanorum principes dicebantur, sed omnino quicunque aliquid in auctionibus emebant.

Improbè uel callidè. Alii omnes, Verum callidè. in quo mendum est apertissimum.

Præda de manibus eripitur. Sperabat enim ab eo se partem pecuniæ maximã recepturum, cui pretio quammaximo imperato, opus illud addixisset.

In bonis, prædibus, prædiisque uendendis. Vellem in huius loci interpretatione possem vel non nominare Asconium, vel eum honorificentius appellare. Sed quoniam nostram sententiam confirmare, nisi recepta opinione infirmata, non possumus: quod meum officium est, quódque mihi ab initio has partes suscipiẽti propositum fuit, faciam, vt omnia liberè exponam. in quo tamen à me, vt æquum est, omnia cautè pedetentímque dicentur, vt neque ratio mei officii neglecta, neque illius singularis auctoritas læsa esse videatur. Satis constat agere hoc loco Ciceronem de locatione publicorum operum, doceréque Iudices, cum cui propè soli reficiendi quod tuendum redemerãt, potestatem factam oportuit, ab eo tamen negotio iniquitate Verris exclusum esse. Quum igitur magis magísque facti indignitatẽ intelligi ac perspici vellet, veterem omnium Cõsulum, Censorum, Prætorũ, Quæstorúmque consuetudinẽ ostendit, vt ex ea facilius quàm longè ab æquitate Verres discesserit, appareat. Consuetudinẽ autẽ esse ait, vt in operibus locãdis (quæ ipsa etiã Bona dicuntur eorũ qui redemerũt, vt ex eo apparet quod cõtinuò sequitur, Scilicet ni Prætor in mea bona quos voles, immittes) in quibus & prædes & prædia dantur à conductoribus, optima conditione sit is, pluráque ei concedantur, miniméque summo iure cum eo agatur, cuia res est redempta, & cuium periculum est, siquid vitii cõtigerit. Ex quibus intelligi volumus, quod ait BONIS VENDENDIS, perinde accipiendum esse, quasi dixisset, Locãdis. vt quemadmodum Redimere pro Conducere dicimus, & Redemptor pro Conductor, ita Vendere pro Locare dicendũ sit, & opus faciendum alicui tradere. Bona autem, vt modò dixi, res ipsæ conductæ dicantur, quasi ipsius redemptoris factæ sint. vnde ait, Cuia res sit, Et continuo pòst, In mea bona. Prædibus verò & Prædiis dictũ in sexto casu intelligatur, quasi dixisset, Datis vel appositis prædibus & prædiis. Hæc interpretatio ita perspicua, itáque ad ipsa Ciceronis verba mihi quidem accõmodata videtur esse, vt aliam qui quærat, neminem futurum existimem. Videamus tamen Asconii auctoritas quid valere in præiudicata opinione debeat. Bona, inquit, prædia, dicuntur bona satisdationibus obnoxia. Et paulo pòst, Bona prædia res fideiussorum dicuntur. Quid? in his verbis, Consuetudo in bonis, prædibus, prædiisque vendendis: referrine nomen Bonis ad illud tertium PRAEDIIS, dicemus? Ex Asconii quidem sententia, non dubitanter affirmabimus. vt etiam vera eorum esse opinio videatur, à quibus annotatum fuisse vidimus, Bona ex Asconii sententia substãtiuum esse, Prædia verò adiectiuum: quasi verò vocem Prædia, vsquam adiectiuè positam videamus. quanquam vt maximè posita sit, quorsum tamen proximum illud Prædibus, pertinebit? Quod si BONIS adiectiuum est, tantúmne igitur ad Prædiis referendum erit, ac non etiam ad Prædibus? Sed hæc omitto. Satius enim videtur esse, de loci sententia dicere. Quæ fuit mens Asconii, quum putaret de prædiũ & fideiussorum agris, bonisque vendendis, Oratorẽ agere? vbi tandem de D. Bruti prædiis auctione vendendis, vlla suspicio est? Atque vt fuisse concedam, tamen ecquid ad propositum pertinet, in bonis fideiussorum vendendis, optima esse conditione an redemptores, an fideiussores? neque enim satis intelligo vtrum ad hos an ad illos potius illud referendum existimet, CVIA RES SIT: CVIVM periculum. Sed nimis multa fortasse, præsertim in ea re quæ sine controuersia planior est, quàm vt longæ disputationis indigeat.

» Probatio futura est tua, qui locas: prædibus & prædiis populo cautũ est. etsi non putas cautum: CICERO.
» scilicet tu Prætor in mea bona, quos voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere 216
» non sinas? operæpretiũ est ipsam legem cognoscere. diceris eundem cõscripsisse, qui illud edictum
» de hæreditate. EX OPERE FACIVNDO. QVAE PVPILLI IVNII. dic, dic quæso clarius.
» C. VERRES PRAET. VRBIS ADDIDIT. corrigũtur leges Censoriæ: quod enim video in mul
» tis veteribus legibus, Cn. Domitius, L. Metellus, L. Cassius, Cn. Seruilius Censores addiderũt, vult
» aliquid eiusmodi C. Verres. dic quid addidit. QVI DE L. MARTIO, M. PERPENNA CEN-
» SORIBVS REDEMERIT, SOCIVM NE ADMITTITO, NEVE EI PARTEM DATO,
» NEVE EI REDIMITO. Quid ita? ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua. ne parum lo-
» cuples esset? at erat & esset amplius, si velles, populo cautum prædibus, & prædiis. hic te si res ipsa,
» si indignitas iniuriæ tuæ non commouebat, si pupilli calamitas, propinquorum lachrymæ, D.
» Bruti, cuius prædia subierant periculum, M. Marcelli tutoris auctoritas apud te ponderis nihil ha
» bebat: ne illud quidem animaduertebas, eiusmodi fore hoc peccatum tuum quod tu neque negare
» posses (in tabulas enim retulisti) nec cum defensione aliqua confiteri. Addicitur id opus H-S DLX
» millibus, quũ tutores H-S LXXX millibus id opus ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effe-
» cturos esse clamarent. etenim quid erat operis? id quod vos vidistis.

Prædibus & prædiis populo cautum est. Id est, dati sunt sponsores, oppositáque eorũ bona & prædia pignori, ni probum & non vitiosum opus fieret. Similiter Liuius libro Decadis tertiæ secundo, vbi de captiuis redimendis actum esse in Senatu commemorat, censuisse quosdam scribit, de pri-

uato à cognatis, si velint, redimendos: quòd siquibus argentum in præsentia deesset, dandã ex AErario pecuniam mutuam, prædibúsque ac prædiis cauendum populo. Sunt autem prædes, vt scribit Varro, & Prædia à Præstando dicta, quòd ea pignori data publicentur, ni Mancupes fidẽ præstent. qui tamen locus apud Varronem corruptissimè legitur. Interdum etiam Prædes, prædia ipsa significare putant. vt in illo Philippicæ 11, Ne L. Plancus prædes suos venderet. quod tamen Asconii sententiam nulla ex parte tuetur, quum de prædum bonis vendendis suspicio nulla sit, sed tantum de operibus locandis.

tu mea bona quos voles immittes. Id est, in opus illud quod faciendum redemi. Nam vt qui conduxerunt, Redimere dicuntur: eodẽ modo quæ cõducta sunt, Redẽpta & Redẽptoris bona nominãtur.

Ex opere faciundo. quæ pupilli Iunii. Vetus, Ex opere faciundo pup. Iunii quæ. & sic puto corrigendũ.

Corriguntur leges censoriæ. Vetus liber Asconii, Censoriè. vt sit, more & exemplo Censorũ. A Censoribus autem sarctorum tectorum leges conscribebantur, quibus addere posteriores Censores nonnunquam capita quædam solebãt, quos C. Verres imitatus est. Infrà tamen Verrina v, pag. 311, Censorias leges hoc edicto commutatas dicit. vt nihil immutandum videatur. De lege Censoria, quæ ad Siciliæ portum pertinebat, mẽtionem facit Vlpianus in l. In lege Censoria, D. de verb. signific.

Cn. Domitius. Totus hic versiculus, Cn. Domitius, L. M. L. C. Cn. S. Censores addiderunt, grandioribus literis scribendus est. Verba enim hæc sunt capitũ, quæ vulgò à Censoribus addebantur.

Socium ne admittito, néue ei partem dato, néue ei redimito. Cœpit hic locus emendari, restituto duobus locis quod rum in impressis multis, tum etiam in Asconio deerat, pronomine EI. Quid enim sensus elici poterat, quum ita scriptum esset. Qui de Censoribus redemerit, ne redimito. sed cœpit, vt dixi, emendari: non enim planè integritati suæ restitutus est. Nos verò ex nostro libro, quod antea inchoatum erat, absoluimus. Reponimus enim quod suo loco deerat, pronomen SVM: vt posthac ita legamus, Qui de Censoribus redemerit, eum socium ne admittito. Pupillum autem intelligit: sicuti constat ex eo quod antè dixit, legem ab eo scriptam, qua pupillus exclusus est: & præcipuè ex eo quod continuò sequitur, Ne parum locuples esset, &c. Quod autem scribit, Néve ei redimito, hunc habet sensum, Ne alter verbo redimat, reuera autẽ pupillus. Superius enim dixerat, Si opus pupillo redimatur.

Subierant periculum. Alii omnes, Subierunt. sed hanc scripturam liber Asconii confirmat.

H-S D L X *millibus.* Quatuordecim millibus aureorum.

H-S L X X X *millibus.* Duobus millibus aureorum.

CICERO. 217 Omnes illæ columnæ, quas dealbatas videtis, machina apposita, nulla impensa deiectæ, eisdémque lapidibus repositæ sunt. hoc tu H-S D L X millibus locauisti. atqui in illis columnis dico esse quæ à tuo redemptore commotæ non sint, dico esse ex qua tantum tectorium vetus delitum sit, & nouum inductum. quòd si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certè nunquam AEdilitatem petiuissem. At vt videatur tamen res agi, & non eripi pupillo: SI QVID OPERIS CAVSA RESCIDERIS, REFICITO. quid erat quod rescinderet, quũ suo quenque loco lapidem reponeret? QVI REDEMERIT, SATISDET DAMNI INFECTI EI QVI A VETERE REDEMPTORE ACCEPERIT. deridet, quũ sibi ipsum iubet satisdare Raboniũ. PECVNIA PRAESENS SOLVATVR. Quib⁹ de bonis: eius qui, quòd tu H-S D L X millibus locasti, H-S L X X X millibus effecturum esse clamauit. Quibus de bonis: pupilli. cuius ætatem, & solitudinem, etiam si tutores nõ essent, defendere Prætor debuit: tutoribus defendentibus, nõ modò patrias eius fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti. HOC OPVS BONO SVO QVOQVE FACITO. Lapis aliquis cædẽdus, & apportandus fuit machina suasan illò non saxum, non materies aducta est: tantum operis in ista locatione fuit, quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt, & manupretii machinæ? Vtrum existimatis, minus operis esse, vnam columnã efficere ab integro nouam, nullo lapide rediuiuo: an quatuor illas reponere? nemo dubitat quin multo maius sit nouam facere.

vetus tectorium delitum sit. In aliis puto omnibus, Deletũ. nihil muto. Nam Delitas literas auctore Prisciano dixit M. Tullius, in Epist. ad Caluum, Tuli molestè, quòd literæ delitæ mihi antè redditæ sunt.

AEdilitatem petiuissem. AEdilibus quippe sacrarum ædium procuratio committebatur. libro 3, de Legib. & Accusat. v.

Satisdet damni infecti. Damnum infectum, inquit Caius Iurisconsultus, est damnum nondum factum, quod futurũ veremur. Est autem præcisa locutio. subauditur enim Nomine. Satisdare ergo dãni infecti est, cauere datis fideiussorib⁹ se damnũ, siquod accidat, ei cuius intererit, præstaturum.

Hoc opus bono suo quoque. Alii omnes, in queis Asconius, Bonum suo cuique. mendosè, vt arbitror. His enim quæ posuimus, orationis verbis, eius accommodata videtur interpretatio: vt sit sensus, Hoc opus bona quaque re, ac materie facito.

Lapis aliquis cædendus & apportandus fuit machina sua an illò, &c. Dele notam interrogationis. & puta dictum pro consuetudine loquendi, directò, nullo verso aut mutato verbo. vt si diceret, Quam vim istius fuisse legis existimatis, qua iubetur opus bona quaque re fieri? Parui aliquot lapides cædendi fuerunt, & machina supernè tollendi, atque in suũ locum deportãdi. Hoc est vniuersum opus quod fecit Rabonius. nam quod sequitur, An illò, &c. sic emẽdo, vt in Aldino & aliis impressis ac manuscriptis omnibus, NAM ILLO, sine interrogandi nota. Differũt enim Saxum & Lapis: vt omnes norunt. Ideo ait, Lapidem aliquem cædendum fuisse, & supernè machina tollendum, ac deportandum. At saxa maiora nulla neque opus fuisse, neque aduecta esse. Et addit MACHINA SVA, quia data opera machinam à fabro certam fieri oportebat.

Paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt. Argumentum ex consequentibus, Quoniam parua sit merces, parum quoque operis esse factum. Nam quod sequitur, VTRVM EXISTIMATIS, hoc ideirco subiunxit, vt ostenderet paruam fuisse mercedem, ex eo quòd pro opere multo maiore, perexigua tamen pecunia soluta est: nempe mille scutati. Mercedes tamen in aliis corruptè legitur.

Manupretij machinæ. Manupretium quid sit, opinor, cum ex Asconio, tum ex his Valerii verbis intelligetur, quæ sunt in eius Oratione apud Liuiũ, Decadis quartæ libro quarto, Sed in purpura quæ teritur, absumitur, iniustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video: in auro verò, in quo præter manus pretium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? Item ex illo Alpheni Iurisconsulti, libro Pande. XIX. Quoad opus lapidis erit, pro lapide & manus pretio dominus redemptori in pedes singulos septena dabit. item ex illo Plauti in Menæhmo.

ANCILLA, Obsecro mi Menæhme inaures da mihi,
Faciunda pondo duum numũm stalagmina,
Vt te lubenter videam, quom ad nos veneris.
MENAEH. Fiat. cedo aurũ: ego manupretium dabo.

Sensus est igitur, Nihil opus fuit illo capite legis, quo iubetur vt opus bona materie fiat. Nam materies nulla noua aduecta est. vsi sunt iisdem lapidibus, quos tantummodo renouarunt, (quemadmodum paulò pòst ait, Totum opus ex rediuiuis constitutum est) itaque sumptus duntaxat factus est in fabrorum operas, eásque perpaucas, & manus pretium eius machinæ quam ille data opera fecit. nõ enim materiei machinæ ratiò ducenda est, quæ ad Fabrum redit, sed manupretii tantùm. Quæ quum ita sint, sine dubio corrigendum, vt in aliis omnibus, Manupretium, in recto casu, vt sit, Quantum abstulit mercedis manupretium machinæ.

Verum existimatis. Hæc eò pertinent, vt quàm exiguus factus sit sumptus, intelligatur.

Lapide rediuiuo. Rediuiui lapides dicuntur, qui sumpti ex ædificio vetere, deintegro cæduntur, nouámque formam, quasi in vitam reuocati, recipiunt, vt esse propè alii lapides videantur.

Ostendam, in ædibus priuatis, longa difficilique vectura, columnas singulas ad impluuium H-S XL millibus non minus magnas locatas. Sed ineptũ est de tã perspicua istius impudentia pluribus verbis disputare, præsertim quũ iste apertè tota lege omniũ sermonẽ, atque existimationẽ contempserit, qui etiã ad extremũ cõscripserit, REDIVIVA SIBI HABETO. Quasi quicquã rediuiui ex opere illo tolleretur, ac nõ totũ opus ex rediuiuis cõstitueretur. At enim pupillo redimi nõ licebat, nõ necesse erat rẽ ad ipsum peruenire, poterat aliquis ad id negotiũ de populo accedere. Omnes exclusi sunt nõ minus apertè, q̃ pupillus. diẽ præstituit operi faciundo Cal. Dec. locat circiter Idus Sept. angustiis temporis excludũtur omnes. Quid ergo? Rabonius istã diem quomodo assequitur? Nemo Rabonio molestus est, neque Cal. Dec. neque Nonis, neque Idibus. denique aliquãto in prouinciã iste proficiscitur prius quàm opus effectũ est. Posteaquã reus factus est, primò negabat opus in acceptũ referre posse. Quũ instaret Rabonius, in me causam cõferebat, quòd tum codicem obsignassem. Petit à me Rabonius, & amicos allegat: facilè impetrat. Iste, quid ageret, nesciebat. si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionum habiturum: Rabonium porrò intelligebat rem totam esse patefacturum: tametsi quid poterat esse apertius, quàm nunc est, vt vno minus teste haberet Rabonio? opus in acceptum retulit quadriennio post, quàm diem operi dixerat. hac conditione, si quis de populo redemptor accessisset, quum die cæteros redemptores exclusisset, tum in eius arbitrium ac potestatem venire nolebat, qui sibi ereptam prædam arbitraretur.

CICERO. 218

H-S quadragenis millibus. Mille coronatis.

At enim pupillo redimi non licebat. Legendũ, vt in Aldino, & aliis omnibus, At enim si pupillo. quanquam leue est hoc mendum, aliud si nullum esset. nõ enim cohæret oratio cum iis quæ antecedunt. Quorsum enim pronomen IPSVM referendum dicemus? Ad Rabonium quidem pertinere, nõ est dubium. Sed eius, nisi duabus antè paginis, nullum verbum factum est, quò sine controuersia, non est verisimile Oratorem tam longè suam orationem retulisse. Deesse igitur perexiguũ quiddam apparet, in quo Rabonii mentio fiebat.

De populo accedere. Hoc interrogatiuè legendum putat Asconius. Ex quo illum credibile est, pau.

lo aliter hunc legisse locum, hoc, opinor, modo, Num necesse erat rem ad ipsum peruenire? nõ poterat aliquis ad hoc negotium de Populo accedere?

Nemo Rabonio molestus est, neque Calendis Decemb. neque Nonis, neque Idibus. Subtilissimè locum hunc interpretatus erat Asconius: quemadmodũ quidem ex eius verborum vestigiis suspicari possumus. Sed verba propè omnia in iis quidem libris quos vidimus, interciderunt. Hanc tamen illorum fuisse sententiam suspicamur, Religiosis diebus vim cuiquam fieri non licebat. Idcirco Calendas & Idus nominauit, quum diceret Rabonio molestum neminem fuisse. Nam Idus Ioui, Calendæ Iunoni dicatæ sunt. Nonas tamen, qui dies feriatus nõ erat, etiam nominauit: opinor, per occasionem inductus aliorum similitudine dierum solennium. tametsi hæc ex ipsa actionis ratione, ac pronuntiationis, per irrisionẽ dici, satis intelligi posse arbitratur Asconius. Sed de actione iudicare ipsi aut perquam difficulter, aut nullo prorsus modo possumus. Historiam quidem, ex Macrobii Saturnalium primo, breuiter explicauimus.

Negabat opus in acceptum referre posse. Quid si, Referri? sed in hoc vis nulla est. Illud potius imprimis obseruandum est, referri in accepti tabulas non tantùm pecunias, verumetiam opera, si quæ deberentur, moris fuisse.

Codicem obsignassem. Notum est quod suprà declarauit Asconius, moris fuisse, vt accusator omnia clausa rei obsignaret.

Amicos allegat. Qui à me contendant vt codicis potestatem faciam.

Aliquid defensionum. Rectius, puto, legatur, vt in lib. Asconii, Aliquid defensionis. Defensionem autem intelligit aduersus eorum accusationem, qui dicerent, quum opus à Rabonio non esset sua die perfectum, eum tamen non exegisse.

Hac conditione si quis de populo Redemptor accessisset. Ex hoc loco iandiu conor sensum aliquem eruerẽ, sed adhuc non possum. ita mihi obscurus est, ac reconditus. nam quod affert Asconius difficultatem mihi potius augere, quàm tollere videtur. Quòd enim verba hæc, QVI SIBI ereptam prædam arbitraretur, ad Rabonium referri putat oportere, hoc falsum esse intelligitur ex eo, quòd neque si quis alius ad hanc redemptionem accessisset, in Rabonii potestatem venisset: neque hæc verba intelligi de alio videntur posse, quàm de illo ipso, ad quem eadem propè verba pertinẽt quibus paulo antè vsus est, SI OPVS pupillo redimitur, mihi præda de manib' eripitur. Deinde quæ subiicit argumenta, quibus doceat ad Verrem pecuniam peruenisse, apparet manifestissimè ad illud ipsum probandum pertinere, quod in extremo dixerat. Ex quibus arbitrari profectò cogimur, deprauatum esse locum, itáque restitui posse vt sic legatur, Hac cõditione quiuis de populo redemptor accessisset: sed quũ die cæteros redemptores exclusisset, tum in eius arbitrium ac potestatem venire nemo volebat, qui sibi ereptam prædam arbitraretur. hoc sensu, Si hanc conditionẽ operi dixisset, vt quadriẽnio pòst, eius operis ratio exigeretur, quiuis de populo redemptor accessisset: sed duæ aliis omnibus res obstabant. primum angustiæ temporis. nam Verres die cæteros excluserat. sic enim Accusat. tertio loquitur, pag. 315, Exiguam diem præfinire operi, quo cæteros ab negotio excluderes: quum ipse in tuo redemptore nullam certam diem obseruares. Deinde, vt suprà dixit, probatio futura erat Verris. idcirco nemo eum de opere suo arbitrari ac iudicare volebat, qui bolum illum, quem iste iam spe atque animo deuorarat, sibi quasi è faucibus ereptum arbitraretur. Significat autem pupilli pecuniam, quam ei pro opere faciundo imperaturus esset.

Quum die cæteros exclusisset. Verres, scilicet. quod tamen falsum esset, si nihil immutaremus. nam si quadriennium præstituisset, neminem exclusisset.

Venire nolebat. Vetus liber Asconii, Volebat. in quo sensus nullus est. Meã tamen coniecturam etiam adiuuat.

CICERO. 219 l. Non enim argumentamur,

» Nam quid argumentamur, quò ista pecunia peruenerit? fecit iste indicium. Primùm quũ vehe » mentius cum eo D. Brutus contenderet, qui de sua pecunia H-S [illegible] millia numerauit: quod iam » iste ferre non poterat: opere addicto, prædibus acceptis, de H-S DLX millibus remisit D. Bruto H-S » CX millia. hoc, si aliena res esset, certè facere non potuisset. Deinde nummi numerati sunt Corni » ficio: quem scribam suum fuisse, negare non potest. Postremò ipsius Rabonii tabulæ prædã illam » istius fuisse clamant. Recita nomina Rabonii. Hic etiam priore actione Q. Hortensius pupillum » Iunium venisse prætextatum in vestrum cõspectum, & testes secum, patruo testimonium dicente, » questus est: & me populariter agere, atque inuidiam commouere, quòd puerum producerem, cla » mitauit. Quid erat Hortensi tandem in illo puero populare? quid inuidiosum? Gracchi credo, aut » Saturnini, aut alicuius hominis eiusmodi produxeram filium, vt nomine ipso, & memoria patris » animos imperitæ multitudinis concitarem. P. Iunii erat hominis de plebe Romana, filius: quem » pater moriens tum tutoribus, & propinquis, tum legibus, tum æquitati Magistratuũ, tum iudiciis » vestris commendãdum putauit. Hic istius scelerata locatione, nefarióque latrocinio, bonis patriis » fortunisque omnibus spoliatus, venit in iudiciũ: si nihil aliud, saltem vt eum, cuius opera ipse mul

tos annos est in sordibus, paulo tamen obsoletius vestitum videret. Itaque tibi Hortensi, non illius ætas, sed causa: non vestitus, sed fortuna popularis videbatur.

Nam quod argumentamur. Omnes libri veteres, Nónne argumentamur. in quo mendum manifestum est. Scriptum fuisse opinor, Non enim. sed ea nota, quæ peruulgata est, vt litera .n. inter duo puncta collocetur. Quod si liber aliquis antiquus nostrā hanc cōfirmaret, lubentius eā reciperem.

Nam quid argumentamur. Quorsum hæc? vt hoc confirmet quod modò dixit, Hanc fuisse Verri prædam propositam,

Fecit iste iudicium. Placet sic, Fecit ipse iudicium: vt in aliis omnibus.

D. Brutus contenderet. Vt aliquid pupillo redimeretur. Apertè autem id contendisse illū dicit, quippe Verris consilium & technam intelligentem.

Numerauit. Rabonio scilicet. idque ex lege, quæ præsentem pecuniam solui iubebat.

Quod iam iste ferre non poterat. In libro Asconii, Referre. quod quemadmodum conuenire possit, non dispicio. Horum autem verborum sensus est huiusmodi, Quoniam tantam Bruti contentionem diutius ferre non poterat, opere addicto Rabonio H-S I.Ↄ L X millibus, prædibus acceptis ab eodem Rabonio, remisit, &c.

H-S L X millibus. Scutatis mille & quingentis.

Rabonii tabulæ. Scripserat Rabonius, addictam sibi à C. Verre pecuniam, numeratam non esse.

Pupillum Iunium & prætextatum. Nam prætexta pueri toga ad annum ætatis XVII vtebantur: quo anno puram sumebant, quæ Virilis dicebatur.

Populariter agere. Id est, seditiose, & inuidiose in ordinem Senatorium.

Gracchi & Saturnini. Non exponimus historiam, quam vnicuique notam esse arbitramur. vide Appianum lib. de bellis ciuil. lib. I, Florū in Epit. & Plutarchum in Gracchorum vita.

Paulo tamen obsoletius. Paulo tandem, apertius legeretur, hoc sensu, Qui antea splendidè magnificéque vestiebatur. Erat enim Verres attratus in iudicio cum liberis & cognatis, vt erat consuetudo. Quanquam TAMEN, pro Tandē frequenter à Cicerone vsurpari suprà docuimus. Et Obsoletius vestiri, antiqua locutio est, pro Detritam & sordidam vestem induere. vt in Rulliana II, Vestitus obsoletior. & apud Liuiū libro 27, vbi de M. Liuio loquitur, Erat, inquit, veste obsoleta, capillóque & barba promissa.

Neque te tam cōmouebat, quòd ille cū toga prætexta, quàm quòd sine bulla venerat: vestitus e- CICERO.
nim neminem cōmouebat is, quē illi mos, & ius ingenuitatis dabat: quod ornamentū pueritiæ pa- 220
ter dederat, indiciū, atque insigne fortunæ, hoc ab isto prædone ereptum esse, grauiter & acerbe ho
mines ferebant. Neque erant hæ lacrymæ populares magis, quàm nostræ, quàm tuæ Q. Hortensi, 153
quàm borum, qui sentētiam laturi sunt: ideo quòd communis est causa, commune periculū: com-
muni præsidio talis improbitas, tanquam aliquod incendiū, restinguenda est: habemus enim libe-
ros paruos: incertum est, quàm longa nostrū cuiusque vita futura sit: consulere viui ac prospicere
debemus, vt illorū solitudo, & pueritia quamfirmissimo præsidio munita sit. quis est enim, qui tue-
ri possit liberûm nostrorum pueritiam contra improbitatem Magistratuum? mater credo. scilicet
magno præsidio fuit Anniæ pupillæ mater fœmina primaria Iminus, illa deos hominésque im-
plorante, iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit. tutorésne defenderent? perfacilè verò apud
istiusmodi Prætorem, à quo M. Marcelli tutoris in causa pupilli Iunii & oratio, & voluntas, & au-
ctoritas repudiata est. Quæremus etiā, quid iste in vltima Phrygia, quid in extremis Pampbyliæ
partibus fecerit? qualis in bello prædonum prædo ipse fuerit, qui in foro populi R. pirata nefarius 154
reperiatur? dubitamus, quid iste in hostiū præda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli
manubiis fecerit, qui maiore pecunia quatuor columnas dealbandas, quàm ille omnes ædificādas
locauerit? expectemus, quid dicant ex Sicilia testes? quis vnquam templum illud aspexit, quin aua-
ritiæ tuæ, quin iniuriæ, quin audaciæ testis esset?

Sine bulla venerat. Aurea bulla ornamentum puerorum erat ingenuorum, quorum patres equo meruissent, in cordis figuram formata, quam ante pectus gestabant. de qua Macrobius pluribus verbis commemorat libro Saturn. primo: Plutarchus in Romulo, & Plinius libro XXXIII. Titus quidem Liuius libro Decadis III sexto, sic scribit, Aurum, argentum, æs signatum omnes Senatores crastina die in publicum conferamus: ita vt annulos sibi quisque & coniugi, & liberis, & filio bullam, relinquant.

Ius ingenuitas dabat. Prætexta.

Quod ornamentum. Bullam auream.

In vltima Phrygia, quid in vltimis Pamphyliæ partibus. In his regionibus Legatus, & Proquæstore Cn. Dolabellæ Consuli fuerat.

In foro populi R. Furtum in æde Castoris factum significat, quam paulo antè in foro fuisse do-

m.i.

cuimus. Eodem modo scribit in libro sequenti pag. 229, Quum videret in foro latrocinia Praeturae, &c.

CICERO. *Templum illud.* Haec dicis manu aedem Castoris ostendens.

221 Quis à signo Vertumni in circum maximũ venit, quin is in vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur? quam tu viam thensarũ, atque pompae eiusmodi exegisti, vt tu ipse illà ire non audeas. Te putet quisquam, quũ ab Italia freto disiunctus esses, sociis temperasse, qui aedem Castoris testem furtorũ tuorũ esse volueris, quam populus R. quotidie, Iudices etiam tum, quũ de te sententiam ferrent, viderẽt? Atque etiam iudiciũ in Praetura publicũ exercuit: nõ enim praetereundum est ne id quidem. petita multa est apud istum Praetorem à Q. Opimio, qui adductus est in iudicium
re quod l. verbo, quòd, quũ esset Tribunus pleb. intercessisset contra legem Corneliã, quòd in Tribunatu dixisset cõtra alicuius hominis nobilis voluntatẽ. de quo iudicio si velim dicere omnia, multi appel
ut leuissime dicam, arrogantes l. lãdi laedendique sunt: quod mihi non est necesse. tantũ dicã, paucos homines arrogantes hoc adiutore Q. Opimium, per ludum, & iocum fortunis omnibus euertisse. Is mihi etiam queritur, quòd à nobis IX solis diebus prima actio sui iudicii transacta sit, quũ apud ipsum tribus horis Q. Opimius Senator populi R. bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit. Cuius propter indignitatem iudicii, saepissimè est actum in Senatu, vt genus hoc totum mulctarũ, ac iudiciorum eiusmodi tolleretur. Iam verò in bonis Q. Opimii vendẽdis quas iste praedas, quàm apertè, quàm improbè fecerit, longum est dicere. Hoc dico, nisi vobis id hominum honestissimorũ tabulis planum fecero, fingi à me hoc totum temporis causa putatote.

A signo Vertumni. Hic praeesse creditus est contrahendis permutandisque rebus: vnde Vertumni nomen reperisse arbitror. non quò mentes hominum & cogitationes verteret, vt nonnulli putãt, sed quia vertendis rebus praeesset. Sed de Vertumni signo, quod in vico Thusco fuisse traditur, extat elegia Propertii perelegans, in lib. Elegiarũ IIII: quam vide omnino. Ex vico autem Thusco in circum maximũ, vbi ludi cõmittebantur, iter est: quod (quia per illud iter deferri dii in thensis solebant, in quorum honorem ludi dabantur, quemadmodum ex lib. Accusa. quinto intelligimus) AEdiles curabant, quibus commissa erat ludorum procuratio. Significat igitur Verrem, quum AEdilis esset, quaestum ex eius viae curatione fecisse. Fieri autem quaestus poterat à viarum curatoribus, quum aut ne quis viam facere cogeretur pecuniam dabat, aut id quod factũ esset, ne improbaretur. Idem libro Accusat. V, Omnésque dii qui vehiculis thensarum solennes coetus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quaestum, non ad religionum dignitatem faciendum exigendúmque curauit.

Eiusmodi exegisti. Quum ei AEdilitatem gerenti ludorum procuratio cõmissa esset. Nam de AEdilitate hunc locum interpretari cogimur: quanuis nusquam eius mentionem faciat.

Freto disiunctus. Freto interfusi maris, quo Sicilia olim Italiae cohaerens auulsa est. quod quàm latũ sit Thucydides exponit, initio libri sexti, his verbis, Σικελίας γὰρ περίπλους μέν ἐστιν ὁλκάδι οὐ πολλῷ τινι ἔλασσον ἢ ὀκτὼ ἡμερῶν. καὶ τοσαύτη οὖσα, ἐν εἰκοσισταδίῳ μάλιστα μέτρῳ τῆς θαλάσσης διείργεται τὸ μὴ ἤπειρος εἶναι.

Atque etiam. Atque etiam pro Atqui, vt alibi frequẽter. Accusat autem Verrem, quòd quũ Praetor vrbanam prouinciã sortitus esset, iurique dicundo praeesset, quae prouincia à capitalibus quaestionibus seiuncta omnino est, quaestioni tamen lege Cornelia constitutae praefuisset. quod à nostris iuris studiosis diligenter obseruari velim, qui de I. Imperium tanta contentione disputant: quum apertè cõstet, Quaesitorũ merum Imperium fuisse, atque à Iurisdictione planè disiunctum: Praetoris verò vrbani mixtum fuisse, & in sola iuris dicundi prouincia constitutum.

Petita multa est. Ea videlicet, quae lege Cornelia constituta fuerat: si quis eam legem migrasset. Antea tamen quum quis Magistratus multam irrogaret, eius multae certatio ad populum erat: vt ex libro III, de Legib. intelligitur, Oratione pro Cluentio, & aliis locis innumeris. Vnde autem deductum hoc nomen sit, valdè obscurum puto: quum Sabinum, non Latinum esse vocabulum, Varro, auctore Gellio, testetur.

Adductus est in iudicium verbo. Id est, nullo argumẽto, nullis probationibus. Similiter in Orat. pro Sex. Roscio, De quibus quoniam verbo arguis, verbo satis est negare. & infrà Oratione proxima, pag. 261, Itaque tantùm verbo posuit: Sacerdote Praetore, Stheniũ literas publicas corrupisse. Nisi fortè sic postea scribendum est, vt duos ab hinc annos suspicatus eram, & modò quosdã libros Lutetiae & Florentiae multis ab hinc annis impressos scriptũ habere reperio, Re quod in Tribunatu.

Paucos homines arrogantes. Non est omittendũ sine causa quod, hoc amplius, in lib. Asconii reperio, neque ab hac sententia alienum est, Paucos homines, vt leuissimè dicam, arrogantes.

CICERO. Iam qui ex calamitate Senatoris populi R. quũ Praetor iudicio eius praefuisset, spolia domum
222 suam referre, & manubias detrahere conatus sit: is vllã ab sese calamitatem poterit deprecari? nam
est l. de subsortitione illa Iuniana iudicum nihil dico. Quid enim? contra tabulas, quas tu protulisti audeam dicere? difficile est: non enim me tua solum & Iudicum auctoritas, sed etiam annulus aureus

Scribæ tui deterret. Non dicam id, quod probare difficile est: hoc dicam, quod ostendam: Multos ex te viros primarios audisse, quū diceres, ignosci tibi oportere, quòd falsum codicem protulleris: nam qua inuidia C. Iunius cõflagrarat, ea nisi prouidisses, tibi ipsi tum pereundum fuisse. Hoc modo iste sibi, & saluti suæ prospicere didicit, referẽdo in tabulas & priuatas & publicas quod gestum non esset, tollẽdo quod esset, & semper aliquid demendo, mutãdo, curando ne litura appareat, interpolando: eò enim vsque progreditur, vt ne defensionem quidem maleficiorũ suorum sine aliis maleficiis reperire posset. eiusdem modi sortitionem homo amentissimus suorum quoque Iudicũ fore putauit per sodalẽ suũ Q. Curtiũ Iudicem quæstionis: cui nisi ego vi populi, & hominũ clamore atque cõuitio restitissem, ex hac decuria nostra, cuius mihi copiã quam largissimè factam oportebat, erepta esset facultas bonorum, cum is annuerat: in suũ consilium sine causa subsortiebatur.

Desideratur quippiam.

Detrahere conatus sit. Omnes libri veteres, Conatus est. quod sine causa immutare non ausim.

Tabulas quas prouidisti. In Oppianici iudicio subsortitione factã, dicebatur Iuni⁹, Prætor eius quæstionis, alios qui Iudices eius consilii non essent, ad explendam damnationem supposuisse. Id vehementer confirmatum est auctoritate prolati codicis C. Verris, Prætoris vrbani, in quo scripta inueniebantur aliorum iudicum nomina, quàm qui Oppianicũm damnassent. Solebant enim nomina selectorum iudicum à Prætore vrbano consignari, & vbique haberi, vt ex illo constat quod est pag. 141, Libelli nominũ vestrorum, consiliique huius in manibus erant omniũ. Itaque in Oratione pro Cluentio, Multa, inquit, à C. Iunio petita est, quòd C. Verres, Prætor vrbanus homo sanctus & diligens subsortitionem eius, in suo codice non haberet.

Annulus aureus. Vide infrà lib. I I I, pag. 591.

Interpolando. Renouando ceram, ne litura lacunáve appareat. Interpolare, inquit Nonius, est immittere & interponere, & nouam formam è vetere fingere, & est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quæque, quasi in nouam speciem mutant. Plautus in Amphitryone, Illic homo me interpolabit, meúmque os finget denuo. Hæc Nonius. Apud Plautũ autem de Mercurio Sosia loquitur, quum illum de pugnorum vi ac pondere prædicantem audisset.

Reperire posset. Omnes alii, Reperire possit. quod non puto immutandum.

Eiusdem modi sortitionem. Asconii liber, Eiusmodi subsortitionem. Vtrum legamus, non magni referre arbitror. Etsi enim de subsortitione loquatur, sortitionem tamen pro subsortitione poni, alio loco docuimus.

Per sodalem suum Q. Curtium. Sodales dicũtur eiusdem imperii prouincialis ministri, & adiutores. vt suprà 194, Nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo. vt huius Q. Curtii sodalem fuisse, dum Cn. Dolabellæ vel Legatus, vel Proquæstor esset, appareat. Nam pag. 198, sic scribit, Hinc ratio cum Q. & Cn. Posthumiis, Curtiis, multis nominibus, &c.

Ex hac decuria nostra. Hoc anno Senatum iudicasse, cõstat ex initio huius & superioris Orationis. In Senatu autem trecentos fuisse Iudices ex censu constitutos, docet Celius in Epist. lib. V I I I, Plutarchus in Gracchorũ vita, & Plinius lib. XXXIII, itémque Florus in Epit. lib. LX. Legebantur autẽ annorũ non minus XXXV, vt scribit Suetonius in Augusto. Iam in prima & quinta Philippica tres fuisse Senatorum Iudicum Decurias Cicero declarat. Asconius autem hoc loco inter Cẽturias & Decurias hoc tantùm interesse scribit, quòd hæ honestiorũ, illæ inferiorum dicerẽtur. Ex quo adductus sum in opinionem, Decurias ex eo dictas, quòd decies decem cõtinerent. vt siue Centurias, siue Decurias dicamus, nihil intersit. itaque Asconius in extremo commentario in Pisonianam, Centurias tantùm posuit, quũ etiã de Senatoribus loqueretur. Põpeius, inquit, tulit, vt amplissimo ex censu ex centuriis aliter quàm antea, lecti Iudices, æquè tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent. Singulis autem decuriis per vices annua vacatio erat: vt eodem loco Suetonius ostendit. Quum igitur constituta esset quæstio, qui Quæsitor erat, ex ea decuria ex qua Iudices conscribi oportebat, Iudices deligebat: deinde in vrnam mittebat, vt ex sortitione legitimus ac necessarius numerus confici posset. Sed Asconius sic locum interpretatur, Ex decuria nostra, vt sit, Ex ordine nostro, nempe Senatorio. In quo vis nulla est. tametsi hoc probabilius esset, si alii ordines iudicarent, nimirum Equites, aut etiam Tribuni Aerarii. Tum enim decuriæ Senatoriæ nomine, ordo Senatorius intelligeretur. sed vt dixi nihil interest. Nam vt ordinem modò designet, tamen ex certa decuria delecti fuerant. hoc tamen animaduersione dignum est in Asconio, Equitũ centurias dici & Tribunorum æris, Senatorum autem decurias.

Cuius mihi copiam quam largissimè factam. Liber Asconii, Cuius mihi potestatem largissimam fieri.

Cum is annuerat. Ex eodem libro sine cõtrouersia sic restitui oportet, Cum iis quos iste annuerat. Desiderari autem nihil arbitror. In aliis quidem impressis, sic legitur, Facultas eorum, quos iste annuerat. sed ita vt dixi corrigendum est.

Accusationis in C. Verrem liber

SECVNDVS

QVARTVS ORATIO VII.

223 MVLTA mihi necessario Iudices, prætermittenda sunt, vt possim aliquo modo de iis rebus, quæ meæ fidei commissæ sunt, dicere. recepi enim causam Siciliæ: ea me ad hoc negotiũ prouincia attraxit. Ego tamen hóc onere suscepto, & recepta causa Siciliensi, amplexus animo sum aliquãto amplius: suscepi enim causam totius ordinis: suscepi causam populi R. quòd putabã tum denique rectè iudicari posse, si non modò reus improbus adduceretur, sed etiam diligẽs, & firmus accusator ad iudicium veniret. Quo mihi maturius ad Siciliæ causam veniẽdum est, relictis cæteris eius furtis, ac flagitiis, vt & viribus quàm integerrimis agere: & ad dicendum temporis satis habere possim. Atque adeò antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de prouinciæ dignitate, vetustate, vtilitate dicenda: etiam cùm omniũ sociorum prouinciarúmque rationẽ diligenter habere debetis, tum præcipuè Siciliæ Iudices, plurimis iustissimísque de causis. primùm quòd omniũ nationũ exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidémque populi R. applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperii est, Prouincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quàm præclarum esset exteris gentibus imperare.

aliquando l.

[redacted] COMMENTARII.

Vt possim aliquo modo. Aliquando, omnes propè alii. & ita sine controuersia corrigendum.

Hoc onere suscepto, & recepta causa Siciliensi. Inter Suscipere & Recipere quid intersit, cognosce ex Asconii commentariis in Diuinat: & suprà pag. 120.

Causam totius ordinis. Senatorii, qui iudiciorum infamia laborat, 144, & 136.

Diligens & firmus accusator. Non pueri & quadruplatores, qui soli hoc tempore accusant, 119.

Atque adeò antequam. Laudat narrationem istã, vt numerosè scriptam in Oratore, his verbis, Adhibẽda est, inquit, numerosa oratio, si aut laudandũ est aliquid ornatius, vt nos in Accusationis secundo, de Siciliæ laude diximus. Opportunè autẽ, qui Siciliæ calamitatẽ expositurus est, initio florentem illius statum exponit: vt ex vtriusque status cõparatione acerbior ea calamitas, magísque luctuosa videatur.

Princeps Sicilia. Prima fuit Siciliæ ciuitas Messana: quæ, quòd ab Hierone Syracusanorũ duce, qui postea Rex fuit, oppugnaretur, partim à Carthaginẽsibus, partim à Romanis auxilium petiit, missóque Appio Claudio vrbem tradidit: Carthaginensium duce, quem in arcem iam ante aduentum Appii receperant, ex vrbe expulso. Polybius.

Prouincia est appellata. Subacta Italia, Romani primam omnium Siciliã aggressi sunt. auctores Polybius, Diodorus, & alii. Eámque sub imperium suum redactã, primã (vt ait Cicero) Prouinciæ nomine appellarũt. quo verbo procul victam regionem, vt Festus putat, significabãt. Ex quo aliæ item regiones omnes, quæ extra Italiã populi R. imperio parerẽt, prouinciæ appellatæ sunt: duntaxat in quas Magistratus à populo cum imperio mitterentur, qui in iis ius dicerent. Nam aliæ, in quib' ius dicere Magistratibus populi R. nõ licebat, Liberæ dicebãtur: & Liberari prouinciæ, quæ suo iuri, suisque legibus relinquebantur.

Semel in amicitiam nostram venissent. Capta Messana, & Hierone Syracusis pulso ac fugato, M. Valerius & M. Octacilius COSS. missi in Siciliã fuerũt. quorum aduentu pleræque Syracusanorum ciuitates ad Romanos defecerunt. ipséque adeò Hiero, quem Consules in amicitiam, percusso fœdere receperunt: pacto etiam inito, vt deinceps Syracusani, socii atque amici populi R. appellarẽtur. Polybius.

CICERO. Sola fuit ea fide, beneuolentiáque erga populum R. vt ciuitates eius insulæ, quæ semel in amici-
224 tiam nostram venissent, nunquam postea deficerent: pleræque autem, & maximè illustres in amicitiã perpetuò manerent. Itaque maioribus in Africã ex hac prouincia gradus imperii factus est:

L. nostram

neque enim tam facilè opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud & rei frumentariæ subsidiũ, & receptaculum classibus nostris pateret. Quare P. Africanus Carthagine deleta, Siculorũ vrbes signis, monimẽtísque pulcherrimis exornauit: vt, quos victoria populi R. maximè lætari arbitrabatur, apud eos monimenta victoriæ plurima collocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem cæteri Siculi perspexerunt, non solùm sociis in eo bello cõsuluit, verumetiam superatis hostibus temperauit. vrbem pulcherrimam Syracusas

quæ cum manu munitissima esset, tum loci natura terra, ac mari claudebatur, quã vi, consilióque cepisset, non solùm incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, vt esset idem monimẽtum victoriæ, mansuetudinis, continentiæ, quũ homines viderent, & quid expugnasset, & quibus pepercisset, & quæ reliquisset. tantum ille honorem Siciliæ habendũ putauit, vt ne hostium quidem vrbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur. Itaque ad omnes res Sicilia prouincia semper vsi sumus: vt, quicquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostræ conditum putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus esse putaret, non vltrò pollicita est? quando id, quod imperaretur, recusauit? Itaque ille M. Cato sapiens cellam penariam Reipub. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit.

In Africam ex hac prouincia gradus imperij factus est. Pulsis ex Sicilia Pœnis, pacatáque prouincia populus R. duce Attilio Regulo, primum in Africam belli terrorem conuertit, & paucis diebus Clypeam ciuitatem maritimam, itémque amplius c c c castella subiugauit.

Maioribus in Africam. Nonnulli alii, Maioribus nostris. & sic puto emendandum.

Classibus nostris pateret. Immutatio temporis, Pateret, pro Patuisset: quæ frequentissimè tum ab hoc, tum ab aliis veteribus vsurpatur.

Exornaui. Hæc ipse fusius libro v. pag. 446.

M. Marcellus. Pag. 470.

Superatis hostibus temperauit. Pro Ab hostibus, vetustè positum, vt suprà 221, Te putet quisquam sociis temperasse. Et infrà 229, Si cuiquam denique vlla in re vnquam temperauerit, vt ei vos quoque temperetis.

Loci natura. Syracusarum situm & descriptionem cognosce, pag. 469.

Vi consilióque cepisset. Captæ sunt à M. Marcello Syracusæ noctu, opera & cõsilio trãsfugæ cuiusdam, à quo illi nuntiatum est, diem festum Dianæ in vrbe per triduum agi: & quòd alia in obsidione deessent, vino largius epulas celebrari. Liuius.

Hostium vrbem. Syracusas.

Ex sociorum insula. Sicilia.

Cellam penariam. In hanc eandem sententiam luculenter Strabo lib. Geog. v i, his verbis, τὴν δὲ τῆς χώρας ἀρετὴν θρυλουμένην ὑπὸ πάντων, οὐδὲν χείρω τῆς ἰταλίας ἀποφαινόντων, τί δεῖ λέγειν; σίτῳ δὲ καὶ μέλιτι, καὶ κρόκῳ καὶ ἄλλοις τισὶ καὶ κρείττω φαίη. πρόσεστι δὲ καὶ τὸ ἐγγὺς εἶναι. καθάπερ γὰρ μέρος τι τῆς ἰταλίας ἡ νῆσος. καὶ ἐπιχορηγεῖ τῇ ῥώμῃ, καθάπερ ἐκ τῶν ἰταλικῶν ἀγρῶν ἕκαστα ἀπόνως καὶ ἀπραγμόνως. ἢ δὲ καὶ καλοῦσιν αὐτὴν ταμιεῖον τῆς ῥώμης. κομίζεται γὰρ τὰ γινόμενα πάντα, πλὴν ὀλίγων τῶν αὐτόθι ἀναλισκομένων, οὐχ οἱ καρποὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ βοσκήματα, καὶ δέρματα, καὶ ἔρια, καὶ τὰ τοιαῦτα id est, Regionem verò quã omnes tantopere celebrant, atque Italia ipsa nihilo deteriorem esse prædicãt, quid attinet cõmemorare? nam à frumento sanè ac melle, & croco, aliísque præterea frugibus, possit aliquis melius Italico Siculum solum dicere. Huc accedit vicinitas locorũ atque propinquitas. Est enim quasi pars quædã Italiæ hæc insula, quæ Romæ res singulas, quasi ex ipsis Italiæ prædiis prolixè ac nullo labore suppeditat. Qua de causa vrbis eam Romæ cellam penariam nonnulli nominant. quum scilicet omnia quæ ibi nascuntur, eò comportentur, paucis exceptis, quæ ab incolis consumuntur. qualia hæc sunt, non fructus modò, sed & pecora, & coria, & lanæ, & quæ sunt generis eiusdem.

Nos verò experti sumus, Italico maximo difficillimóque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro AErario illo maiorũ vetere ac referto fuisse: nam sine vllo sumptu nostro coriis, tunicis, frumentóque suppeditato, maximos exercitus nostros vestiuit, aluit, armauit. Quid, illa, quæ forsitan ne sentimus quidẽ Iudices, quanta sunt, quòd multis locupletioribus ciuibus vtimur: quòd habent propinquam, fidelem, fructuosámque prouinciam, quò facilè excurrant, vbi libenter negotium gerant: quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu, compendióque dimittit, partim retinet, vt arare, vt pascere, vt negotiari libeat, vt deniq; sedes, ac domiciliũ collocare: quod commodum non mediocrè populi R. est: tantum ciuium R. numerum, tam propè ab domo, tam bonis fructuosísque rebus detineri. Et quoniam quasi quædam prædia populi R. sunt vectigalia nostra, atque prouinciæ: quemadmodum propinquis vos vestris prædiis maximè delectamini, sic populo R. iucunda suburbanitas est huiusce prouinciæ. Iam verò hominum ipsorum Iudices ea patientia, virtus, frugalitásque est, vt proximè ad nostram disciplinam illam veterem, non hanc, quæ nunc increbruit, videantur accedere. nihil cæterorũ simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: contra summus labor in publicis, priuatísque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Sic porrò nostros homines diligunt, vt his solis neque publicanus, neque negotiator odio sit. Mãgistratuum autem nostrorum iniurias ita multorum tulerũt, vt nunquam ante hoc tempus ad aram legum præsidiúmque vestrum publico consilio confugerent.

Italico maximo difficillimóque bello. Causam huius fuisse belli scribunt Appianus, Liuius, & alii, nõ impetratam a S. P. Q. R. ciuitatem, cuius magno studio Italici omnes tenebãtur. ob eámque causam defecisse omne Latium, Picenum, Hetruriã, Campaniam, & omnem propè Italiã. bellúmque sibi

m.iii.

calamitosum & exitiale, populo R. intulisse. fractos enim à Carbone Lucanos, à Sylla Samnites, à Catone Hetruscos, à Gabinio Marsos, à Cn. Pompeio Strabone euersum Asculum fuisse.

Non pro penaria cella, sed pro AErario. Non modò commeatum, sed etiam pecuniam suppeditasse.

Quæ forsitan ne sentimus. Nonnulli veteres, Quod forsitan: vt hic locus τῷ πρώτῳ legatur. ex quo non ineptus elicitur sensus. Receptam tamen lectionem retineo, quam & manuscripti codicis & Asconii auctoritas confirmat.

Quò facilè excurrant. Mercatores.

Negotium gerant. Negotiatores, id est decumani, aratores, pecuarii, cæterique publicani, ac vectigalium redemptores.

Nunc increbruit. Quam nunc suscepit vita hominum, consuetudóque communis.

Cæterorum simile Græcorum. Qui otio & cessatione delectantur. 181. Sic in Orat. pro Sestio, Græculum se atque otiosum putari voluit.

Neque Publicanis neque negotiator. Publicani nomine, & pecuarii, & portitores intelliguntur. Erant hi omnes, propter vectigalium rationem, omnibus odio exteris nationibus.

Neque negotiator. Id est, Alius negotiator, præter publicanos: veluti aratores, argentarii, Senatores, quibus liberæ Legationes ad negotia obeunda, decernuntur.

Ad aram legum. Aristoteles libro Rhethoricæ III, scribit Archytam Tarentinum in rebus dissimillimis similitudinem posuisse: quū diceret Iudicem & aram idem esse: quòd ad hæc ambo, qui iniuria affecti sunt, confugiant, petentes, vt suas iniurias vlciscantur. ὅμοιον, inquit, Ἀρχύτας ἔφη ταὐτὸν εἶναι διαιτητὴν καὶ βωμὸν, ἐπ' ἄμφω γὰρ τὸ ἀδικούμενον καταφεύγει.

Consilio confugerent. Confugerint, opinor, rectius legeretur.

CICERO, Tametsi & illum annum pertulerāt, qui sic eos afflixerat vt salui esse non possent, nisi C. Mar-
226 cellus quasi aliquo fato venisset, vt bis ex eadem familia salus Siciliæ cōstitueretur, postquam M.
L' & postea M. Antonii infinitum illud imperium senserant. sic à maioribus suis acceperant, tanta populi R. in
Siculos esse beneficia, vt etiam iniurias nostrorum hominum perferendas putarent. In neminem 9
ciuitates ante hunc testimonium publicè dixerunt. Hunc denique ipsum pertulissent, si humano
modo, si vsitato more, si denique vno aliquo in genere peccasset. Sed quū perferre nō possent luxuriem, crudelitatem, auaritiam, superbiam, quū omnia sua commoda, iura, beneficia Senatus, populique R. vnius scelere, ac libidine perdidissent: hoc statuerunt, aut istius iniurias per vos vlcisci, & persequi: aut, si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliúmque ferretis, vrbes, ac sedes suas relinquere, quandoquidem iam antè istius iniuriis exagitati reliquissent. Hoc consilio à L. Metello
Legationes vniuersæ petiuerunt, vt quamprimum isti succederet: hoc animo toties apud patronos 10
de suis miseriis deplorarunt: hoc commoti dolore postulata Consulibus, quæ non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt: fecerunt etiam, vt me, cuius fidem, continentiámque cognouerant, propè de vitæ meæ statu, dolore, ac lacrymis suis deducerent, vt ego istum accusarem, à quo mea longissimè ratio voluntásque abhorrebat. quāquam in hac causa multo plureis partes
mihi defensionis, quàm accusationis suscepisse videor. Postremo homines ex tota prouincia no- 11
bilissimi, primique, publicè priuatimque venerunt: grauissima, atque honestissima quæque ciuitas vehementissimè suas iniurias persecuta est.

C Marcellus. Successor M. Lepidi, Siciliæ Prætoris.

Postquam M. Antonij. Deprauatus locus, relicta nulla, aut perquam obscura sententia. Quum enim ET particula alterā item geminā desideret, vt quū dicimus, Et hoc pertulerāt, & illud senserāt: deest tamen quæ illi priori comitetur, Tametsi & illum annum. sed hoc mendum non difficile est corrigere. Extat enim apud Asconium & hoc loco, & in Diuinationis commentariis vera lectio: in quibus non Postquam M. Antonii, sed hoc quidem loco, ET POSTEA M. ANTONII: in Diuinatione verò, ET POST, scriptum habebat meus manuscriptus, & Aldi liber. De Antonio porrò scribit Asconius, nec vno loco. Infinitum autem eius imperium Tullius appellat, quòd ei Senatus æquum imperium in omnibus prouinciis cum Proconsulibus, vsque ad quinquagesimum miliarium à mari decreuerat. vt scribit Velleius Paterculus posteriore volumine.

Sic à maioribus. Desiderari videtur, Scilicet. vt sit, Scilicet, sic à maioribus acceperāt. Affirmationem enim plerunque significat. quod eo probabilibus videtur, quia sæpe in antiquis libris notam inuenio, pūctū ad ſ literā, pro Scilicet, hoc modo ſ. quæ nota prætermitti à librario facilè potuit.

Beneficia Senatus. Vt legibus Hieronis vterentur Regis Siciliæ. Victis hostibus nouæ leges à populo R. per decem Legatos mittebantur.

Apud patronos. Marcellos, Scipiones, Metellos.

In istum crimina. Id est Criminationes.

Cognouerant. In Quæstura, quam Pæduceo Prætore Lilybæi gesserat.

Plures partes defensionis. Quum scilicet vnum accusem, multos defendam. 113, 197.

» At quemadmodū Iudices, venerunt? videor enim mihi liberiùs apud vos iam pro Siculis loqui CICERO. 227
» debere, quàm forsitan ipsi velint: saluti enim eorū potius consulā, quàm voluntati. Ecquem existi-
» matis vnquā vlla in prouincia reum, absentem, contra inquisitionē accusatoris, tantis opibus, tan-
» tā cupiditate esse defensum? Quæstores vtriusque prouinciæ, qui isto Prætore fuerāt, cum fascibus
» mihi præsto fuerunt. Hi porrò qui successerunt, vehementer istius cupidi, liberaliter ex istius ciba- 12
» riis tractati, non minus acres contra me fuerunt. Videte quid potuerit, qui quatuor in prouincia
» Quæstores studiosissimos defensores, propugnatoresque habuerit: Prætorem verò cohortémque
» totam sic studiosam, vt facilè appareret, non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant, quàm
» Verrem ipsum, qui plenus decesserat, prouinciam fuisse. Minari Siculis, si decreuissent Legationem,
» quæ contra istum diceret: minari, si qui essent profecti: aliis, si laudarent, benignissimè promittere:
» grauissimos priuatarum rerum testes, quibus nos præsentibus denūtiauimus, eos vi, custodiisque
» retinere. Quæ quū omnia facta sint, tamen vnam solam scitote esse ciuitatem Mamertinā, quæ pu- 13
» blicè Legatos, qui istum laudarēt, miserit. Eius autem Legationis principē ciuitatis nobilissimum
» C. Heium iuratum dicere audistis, isti nauem onerariam maximā Messanæ esse publicè coactis o-
» peris ædificatam. Idémque Mamertinorum Legatus, istius laudator, nō solum istum bona sua, ve-
» rumetiam sacra, deósque penates à maioribus traditos, ex ædibus suis eripuisse dixit.

Quemadmodum venerunt. Quàm animosè, quàm nullis minis deterriti.

Ipsi velint. Reformidantes L. Metelli Prætoris Siciliæ, & Verris amicissimi animū offendere.

Saluti consulam. Potius habebo rationem, quid illis subsidio, quàm quid terrori esse possit.

Cum fascibus mihi præsto fuerunt. Habuerūt enim Quæstores quoque suos lictores, prætextā togam, & reliqua Magistratus insignia: quemadmodū ex Orat. pro Plancio intelligitur. Nā, inquit, simul-ac me Dyrrachiū attigisse audiuit (de Plancio loquitur, Quæstore tum Macedoniæ) statim ad me lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est. Etsi autē alii, qui Verris Quæstoribus successissent, essent in prouincia: deponere tamen suos fasces prius quàm in vrbē ingrederentur, nullis Magistratibus mos erat.

Non tam illis Siciliam. Acerbè in Metellum, & Metelli comites. vt si diceret, Illa prouincia, quā non administrationis causa, sed prædæ & quæstus gratia postulastis, vnde pleni atque opimi decederetis, non tam fuit Sicilia, quàm Verris opes ac facultates conciliatæ annis superioribus.

Si decreuissent Legationem. De hoc more mittendarum Legationum, cognosce ex commentariis in Verr. I I, pag. 138.

Præsentibus denūtiauimus. Testimonia. Et sic loquutum video Quintilianum libro Inst. v, Et quoniā, inquit, duo genera sunt testium, aut voluntariorū, aut eorum quibus Iudex in publicis iudiciis lege denuntiare solet, &c. Perrarò tamen Denuntiare præcisè dicitur: sed Denuntiare testimoniū.

Legationis. Pag. 418, 484, 420.

» Præclara laudatio, quū duabus in rebus Legatorum vna opera consumitur, in laudando, atque CICERO.
» repetendo. Atque ea ipsa ciuitas qua ratione illi amica sit, dicetur certo loco: reperietis enim, quæ 228
» causæ beneuolētiæ sint Mamertinis erga istū, eas ipsas causas satis iustas esse dānationis. Alia ciui-
» tas nulla Iudices, publico cōsilio laudat. Vis illa summi imperii tantū potuit apud perpaucos ho- 14
» mines, nō ciuitates, vt aut leuissimi quidā ex miserrimis, desertissimisque oppidis inuenirētur, qui
» iniussu Populi, ac Senatus proficiscerētur, aut ii qui cōtra istum Legatos decreuerāt, & testimoniū
» publicū, mandatáque acceperāt, vi ac metu retinerentur. Quod ego in paucis tamen vsu venisse nō
» molestè fero, quo reliquæ tot, & tantæ, & tā graues ciuitates, tota deniq; Sicilia plus auctoritatis a-
» pud vos haberet, quū videretis nulla vi retineri, nullo periculo prohiberi posse quominus experi-
» rentur ecquid apud vos querimoniæ valerent antiquissimorum, fidelissimorúmque sociorū. Nam
» quod fortasse non nemo vestrum audierit, istum à Syracusanis publicè laudari, id tametsi priore 15
» Actione ex Heraclii Syracusani testimonio, cuiusmodi esset, cognouistis: tamē vobis alio loco, vt
» se tota res habeat, quod ad eam ciuitatem attinet, demonstrabitur: intelligetis enim nullis homini-
» bus quenquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, esse, & fuisse. at enim istum soli Siculi perse-
» quuntur, ciues R. qui in Sicilia negotiātur, defendunt, diligunt, saluum esse cupiunt. Primùm, si ita
» esset, tamen vos in quæstione de pecuniis repetundis, quæ sociorum causa constituta est, lege iudi-
» ciόque sociali, sociorum querimonias audire oporteret.

Proficiscerentur. Laudaturi Verrem.

Qui contra istum Legatos decr. Senatores videlicet Siciliæ ciuitatum, qui ipsi Legati mitterentur.

Alio loco. Libro Accusat. I I I, pag. 479.

» Sed intelligere potuistis priore actione ciues R. ex Sicilia plurimos, honestissimos, maximis CICERO. 16
» de rebus, & quas ipsi accepissent iniurias, & quas scirent aliis esse factas, pro testimonio dicere. Ego 229
» hoc, quod intelligo Iudices, sic confirmo. videor mihi gratum fecisse Siculis, quòd eorum iniurias
» meo labore, inimicitias periculo sim persequutus. nō minus hoc gratum me nostris ciuibus intel-

ligo fecisse,qui hoc existimant,iuris,libertatis,rerũ,fortunarúmque suarum salutem in istius damnatione consistere.quapropter de istius Prætura Siciliensi,nõ recuso,quin ita me audiatis,vt si cuiquam generi hominum,siue Siculorum,siue nostrorũ ciuium,siue cuiquam ordini,siue aratorum, siue pecuariorum,siue mercatorum probatus sit, si non horũ omnium communis hostis, prædóque fuerit,si cuiquam denique vlla in re vnquam temperauerit,'vt vos quoque temperetis.Qui,simul atque ei sorte prouincia Sicilia obuenit,statim Romæ,& ad Vrbem,antequã proficisceretur, quærere ipse secum,& cogitare cum suis cœpit, quibusnam rebus in ea prouincia maximam vno anno pecuniam facere posset.nolebat in agendo discere (tametsi nõ prouinciæ rudis erat, & tyro) sed in Siciliam paratus ad prædam,meditatúsque venire cupiebat.O præclarè cõiectum à vulgo 18
'quid iste in l. in illam prouinciam omen communis famæ,atque sermonis,quũ ex nomine istius,'quid in prouincia facturus esset,perridiculi homines augurabantur.Etenim quis dubitare posset,quũ istius in Quæstura fugã,& furtũ recognosceret:quũ in Legatione,oppidorũ,fanorúmq; spoliationes cogitaret:quũ videret in foro latrocinia Præturæ,qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset?

[redacted] *Quod intelligo.* De vtroque genere hominum,& nostrorum,& Siculorum.

Vt vos quoque temperetis. Pro Vt vos,scribendum putarem EI VOS. nam VT particula bis posita sententiam relinquit inchoatam, & imperfectam.

[redacted] *Statim Romæ & ad vrbem.* Ex hoc loco coniecturam capimus,dissimilem fuisse Consulũ & Prætorum rationem in sortiendis cõparandísve prouinciis. Nam Consules adhuc designati, & antequam Magistratũ inirent,sibi decretas prouincias aut sortiebãtur,aut suo ipsi arbitratu inter se cõparabãt.quemadmodũ ex Orat.de Prouinc.Cons.Sallustio in Iugurtha,& innumeris Liuii locis facilè intellectu est. At Prætores, qui modò Vrbani Magistratus erãt,eas prouincias in quas cum imperio exirent,quo tempore,opinor,Magistratu abibant,sortiri cõsueuerãt. Ad vrbem autẽ quid significet,dixi pag.152. Meam cõiecturam etiã hoc adiuuat,quòd lib.Epist.ad Att.I, Epist. Accepi, ita scribit,Prouincias Prætores nondum sortiti sunt.quũ illam Epistolam VI Cal.Feb.scribat.

Vno anno. Quærit Asconius,cur vno anno.Respõdemus,quia Prætoriæ prouinciæ sunt annuæ: & quia diuinare Verres non poterat,fore vt sibi non succedente Arrio,prorogaretur prouincia.

Non prouinciæ rudis. Quæstor videlicet,& Legatus didicerat in Achaia,Asia,Pamphylia,&c.

Ex nomine istius. Sic scilicet,Verres,ô Verres,prouinciã,& inanem relinques.Nam ipsa quoque hominum nomina in omen vertebãt:adeò vt ne dux quidem eligeretur nominis ominosi. Liuius Decadis III,lib.VIII,Sed illi primum non Atrium Vmbrium Semilixam,nominis etiam abominandi ducem,sed Decium Iubellium Tribunum mil.sequuti sunt.

Quid in prouincia facturus esset. Priscianus lib.VIII, Quid iste in prouincia.quod mihi videtur ad Tullianæ orationis genus propius accedere.

CICERO. 230 Atque vt intelligatis eum Romæ quæsisse non modo genera furãdi,sed etiam nomina:certissimum accipite argumentũ, quo facilius de singulari eius impudentia existimare possitis. Quo die 19
'euertendam l. Siciliam tetigit(videte,satísne paratus ex illo omine vrbano ad'euertendam prouinciam venerit) statim Messana literas Halesim mittit,quas ego istũ in Italia scripsisse arbitror.nam simul atque è naui egressus est,dedit operã vt Halesinus ad se Dio continuò veniret,se de hæreditate velle cognoscere,quæ eius filio à propinquo homine Apollodoro Laphirone venisset.eã erat Iudices,pergrandis pecunia. Hic est Dio Iudices,nũc beneficio Q.Metelli ciuis R.fact⁹: de quo multis viris primariis testibus,multorúmque tabulis vobis priore actione satisfactũ est, H-S ꝑdecies numeratũ esse, vt eam causam,in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse,isto cognoscente obtineret:præterea greges nobilissimarũ equarum abactos:argẽti,vestísque stragulæ,domi quod fuerit,esse direptum:ita H-S ꝑdecies Q.Dionẽ, quòd hæreditas ei obuenisset, nullã aliam ob causam perdidisse. Quid?hæc hæreditas quo Prætore Dionis filio venerat?eodẽ quo P.Annii Senatoris filiæ: eodem quo M.Liguri Senatori,C.Sacerdote Prætore.quid?tũ nemo molest⁹ Dioni fuerat?nõ plus quàm Liguri Sacerdote Prætore.quid?ad Verrem quis detulit?nemo:nisi fortè existimatis ei quadruplatores ad fretum præsto fuisse.ab vrbem quum esset,audiuit,Dioni cuidam Siculo permagnam venisse hæreditatem: hæredem statuas iussum esse in foro ponere: nisi posuisset, Veneri Erycinæ esse multatum.tametsi positæ essent ex testamento:putabat tamen,quoniam Veneris nomen esset,causam pecuniæ se reperturum.

[redacted] *Ad euertendam prouinciam.* Legendum apparet, Ad euerrendam.

Halesinus Dio. Vide pag.166.

H-S vndecies numeratum. De hoc genere dicendi cognosce pag.167.

P.Annii Senatoris. Pag.200.

M.Liguri Senatori. Pag.208.

CICERO. 231 'Erycinum l. Itaque apponit qui petat Veneri Erycinæ illã hæreditatem.non enim Quæstor petit(vt est consuetudo)is qui'Erycum montem obtinebat.petit Neuius Turpio, quidã istius excursor & emissa-

rius, homo omnium ex illo conuentu quadruplatorũ deterrimus, C. Sacerdote Prætore condemnatus iniuriarum. etenim erat eiusmodi causa, vt ipse Prætor quum quæreret calumniatorem, paulo tamen consideratiorem reperire non posset. hunc hominem Veneri absoluit, sibi condemnat. maluit videlicet homines peccare, quàm deos: se potius à Dione, quod non licebat, quàm Venerem, quod nó debebatur, auferre. Quid ego nũc hic Sex. Pompeii Chlori testimonium recitem, qui causam egit Dionis: qui omnibus rebus interfuit: hominis honestissimi, tametsi ciuis R. virtutis causa iandiu est, tamẽ omnium Siculorum primi, ac nobilissimi: quid ipsius Q. Cæcilii Dionis, hominis probatissimi, ac prudentissimi: quid L. Vetecilii Liguris, T. Manlii, L. Caleni: quorum omnium testimoniis de hac Dionis pecunia confirmatum est. Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, iam antè cognosse. quid: Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius hæc cognouit, quàm tu Hortensi, qui Romæ fuisti, ad quẽ Dio confugit: qui de Dionis iniuriis grauissimè per literas cum Verre questus es: noua tibi hæc sunt, & inopinata: nunc primum hoc aures tuæ crimen accipiunt? nihil de Dione, nihil de socru tua, fœmina primaria, Seruilia, vetere Dionis hospita audisti? nónne multa mei testes, quæ tu scis nesciunt? nónne te mihi testem in hoc crimine eripuit non istius innocentia, sed legis exceptio?

Conuentu quadruplatorum. Quadruplatores qui dicantur, cognosce ex Asconio in Diuinationem.

vt est consuetudo. Erat hæc Quæstorum procuratio, vt quæ Reipub. commissa essent, exquirerẽt. eáque de causa iure dicendo conuentus circuirent, quemadmodum docet Suetonius in Cæsare, & perspicitur in Diuinatione pag. 129, de Quæstore Cæcilio Siciliam iuris dicendi causa obeunte. Et Varro, Quæstores, inquit, à quærendo, qui conquirerent publicas pecunias.

Qui Erycum montem obtinebat. Asconius, Erycinum. & sic emenda: vel vt Virgilius, Plinius, & alii, Erycem.

Hunc hominem. Vetus, Hic hominem. quæ lectio probabilior videtur.

Ac prudentissimi. Vetus, Pudentissimi. quod magis arridet.

Lucullus qui tum in Macedonia fuit. Quo tempore in Asiam proconsul ad bellum Mithridaticũ profectus est. Nam Proconsulari imperio Macedoniæ præfuisse Lucullum non reperio.

TESTIMONIA M. LVCVLLI, CHLORI, DIONIS. Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis sinu in prouinciam profectus esset, Veneris nomine quæsisse videtur? Accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam. Sosippus & Epicrates fratres sunt Agyrinenses. Horum pater ab hinc duos & xx annos est mortuus. In cuius testamento quodam loco, si commissum quid esset, multa erat Veneri. Ipsos xx annos, quum tot interea Prætores, tot Quæstores, tot calumniatores in prouincia fuissent, hæreditas ab his Veneris nomine petita non est. Causam Verres cognoscit: per Volcatiũ pecuniã accepit, fere è ad H-S CCCC millia ab duobus fratribus. Multòrum testimonium audistis antea: vicerunt Agyrinenses fratres, ita vt egentes inanésque discederent. At enim ad Verrem pecunia ista non peruenit. Quæ est ista defensio: vtrum, asseueratur in hoc, an tentatur? mihi enim noua res est. Verres calumniatores apponebat: Verres adesse iubebat: Verres cognoscebat: Verres iudicabat: pecuniæ maximæ dabãtur qui dabant, causas obtinebant. tu mihi ita defendas, Non est ista Verri numerata pecunia. adiuuo te, mei quoque testes idẽ dicũt: Volcatio dicũt sese dedisse. quæ vis erat Volcatio tãta, vt H-S CCCC millia duobus hominibus auferret? ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, vnam libellam dedisset? veniat nunc, experiatur: tecto recipiet nemo. At ego amplius dico. H-S quadringenties accepisse te arguo contra leges: nego, tibi ipsi vllum nummum esse numeratum: sed quũ ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata pecuniæ dabantur, non erat quærendum cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur.

CICERO. 232

Recita test.

ipso vigesimo anno.

Et quis l.

Testimonia M. Luculli. Deesse videtur verbum Recita: vt aliis in locis innumeris.

Si commissum quid esset. Contrà quàm testamento cautum erat.

Multa erat. Hæreditas ad Venerem transferebatur.

Ipsos viginti annos. Sine dubio probabilior Asconii lectio, Ipso vigesimo anno. vt etiã ad extremũ negatio tollatur. petitam enim hæreditatem fuisse apparet, ex eo quòd scribit causam à Verre fuisse cognitam.

Petita est. Quasi existente conditione, quum voluntati testatoris non esset obtemperatum.

Non peruenit. Sed ad Volcatium.

Asseueratur in hoc, an tentatur. Vtrum seriò id dicunt, vt defendant, an experiuntur si possint ea ratione defendere. Nam Asseuerare pro serio dicere, & pro eo quod Græci σπουδάζειν dicunt, Latinè vsurpamus. Hic ipse in Bruto, Bella ironia, si iocaremur: sin asseueramus, vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quàm si testimonium diceremus. Plato in Gorgia, Εἰπέ μοι ὦ Χαιρεφῶν, σπουδάζει ταῦτα Σωκράτης, ἢ παίζει; Et in Phædro, Δοκῶ σοι παίζειν, καὶ οὐχὶ ἐσπουδακέναι;

Verres calumniatores. Apud Aquilam Romanũ, hoc modo, Verres calumniatorem apponebat,

Verres de causa cognoscebat, Verres pronunciabat. quod ex memoria promptum apparet,& minus diligenter perscriptum.

Quæ ius erat. Quo iure,aut quo verò imperio auferebat.

H-S CCCC millia. Coronatorum quadraginta millia.

Et quis volatio. Omnes libri veteres,Et quis.quo modo quidem acrior efficitur oratio.

Vnum libellum. Dixi in Orat.pro Q.Roscio.

H-S quadringentis. De hoc dictum est Actione prima extrema.

CICERO. » Comites illi tui delecti,manus erãt tuæ:præfecti,scribæ,medici,accẽsi,haruspices,præcones,ma-
213 » nus erant tuæ:quo quisq; te maximè cognatione,affinitate,necessitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm si centum cohortes fugitiuorum fuissent,tua manus sine controuersia fuit. quicquid ab horum quopiam captũ est, id non modò tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est.nam si hanc defensionẽ probabitis,Non accepit ipse:licet omnia de pecuniis repetundis iudicia tollatis: nemo vnquã tam reus, tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit vti. etenim quũ Verres vtatur, quis erit vnquam posthac reus tam perditus,qui non ad Q.Mutii innocentiam referatur,si cum isto conferatur? Neque nunc tam mihi isti Verrem defendere videntur, quàm in Verre defensionis tentare rationem.Qua de re Iudices,vobis magnopere prouidendum est. pertinet hoc ad summam Reip. & ad existimationem ordinis,salutémque sociorum.Si enim innocentes existimari volumus,non solum nos abstinentes,sed etiam nostros comites præstare debemus. Primum omnium opera tanta danda est,vt eos nobiscum ducamus,qui nostræ famæ, capitíque consulant. deinde si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit, vt vindicemus:missos faciamus,semper ita viuamus, vt rationem reddendam nobis arbitremur. Africani est hoc,hominis liberalissimi. veruntamen ea liberalitas est probanda,quæ sine periculo existimationis est,vt in illo fuit.

Quo quisque te maximè. Apud Aquilam Romanum locum hunc sic scriptum reperio,Comites illi delecti manus erant tuæ: vt quisque te familiaritate attigerat, ita maximè manus tua putabatur. Quod etsi decurtatum & mutilum esse cõstat (reliqua enim ad ipsius propositum vel maximè pertinebant:sed librarius in his verbis,Manus erant tuæ: quæ secundo loco posita erant, hallucinatus est) præbet tamen existimandi copiam, non Quo maximè Aquilam scripsisse, quod verbum insolitum atque inusitatum est:sed Vt maximè:quod & particulæ insequenti ITA MAXIME respondet: & ad loquendi consuetudinem propius accedit.

Nemo unquam tam reus,tam nocens. Prius TAM abest à libro manuscripto: vt sic legamus, Nemo vnquam reus tam nocens.quod valdè probo.

Q.Mutii. In Diuinatione,pag.130.

In Verre defensionis tentare rationem. Odiosè in Verris defensores, quasi qui iisdem,quibus C. Verres, criminibus affines, in eo defendendo experiantur num aliquem sibi ex similitudine causæ defensionem comparare possint. Vrget Iudices commemoratione incommodorum quæ sine dubio consecutura sunt,si hæc Verris defensio admittatur.

Opera tanta danda est. Vox TANTA,non est dubium quin aut aurium scriptoris, aut eius qui dictabat pronuntiationis, vitio in hunc locum irrepserit: ex quo sine controuersia tollenda & inducenda est.

Spes amicitiæ. Spes quam in eorum erga nos amicitia posueramus,fore vt pro ea amicitia existimationi nostræ consulerent. vt paucis pòst versibus, Ego iampridem ab eo,cui meam existimationem charam fore arbitror. Similis spes Ciceronem fefellit in Asiæ Proconsulatu,vt in Epist.1.lib. VII,ad Att.Nam ἐν παρέργῳ volo te hoc scire, omnia illa prima, quæ etiam tu literis in cælum ferebas, πάρεργα fuerunt.Quàm non est facilis virtus,quàm verò difficilis eius diuturna simulatio.

Missos faciamus. Idem libro proximo,pag.366,Quæstores,Legatos,Præfectos suos,&c.

Liberalissimi. Id est,ad bene de omnibus merendum promptissimi, maximáque voluntate cuiuis gratificandi præditi.

CICERO. » Quum ab eo quidam vetus assectator ex numero amicorum non impetraret,vt se Præfectum in
234 » Africam duceret,& id ferret molestè, Noli,inquit,mirari, si tu à me hoc non impetras: ego iampridem ab eo,cui meam existimationem charam fore arbitror,peto,vt mecũ præfectus proficiscatur, & adhuc impetrare non possum. Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salui esse volumus, vt eant nobiscum in prouinciam, quàm hoc illis in beneficii loco deferendum. sed tu,quum & tuos amicos in prouinciam quasi in prædam inuitabas, ac cum illis, ac per eos prædabare,& eos in concione annulis aureis donabas: non statuebas,tibi non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddẽdam? Quum hos sibi quæstus constituisset magnos,atque vberes ex iis causis quas ipse instituerat in consilio, hoc est cum sua cohorte, cognoscere: tum infinitũ genus inuenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam. Dubium nemini est quin omnes om-

„ nium pecuniæ positæ sint in eorum potestate, qui iudicia dant, & eorum, qui iudicant: quin nemo „ nostrum possit ædes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, si, quũ hæc à quopiam vestrũ „ petita sunt, Prætor improbus, cui nemo ᶠinterdicere possit, det quem velit iudicem: iudex nequam & „ leuis, quod Prætor iusserit, iudicet. si vero illud quoque accedet, vt Prætor in ea verba iudicium det, „ vt vel Octauius Balbus iudex, homo & iuris & officii peritissimus, non possit aliter iudicare: ᵍSit e„ iusmodi L. Octauius iudex. esto. si apparet fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure eum P. Ser„ uilii esse, neque is fundus Q. Catulo restituetur: non necesse erit L. Octauio iudici, cogere P. Seruiliũ „ Q. Catulo fundum restituere, ʰaut condemnare eum, quem non oporteat?

ᶠintercedere l.

ᵍsit eiusmodi L. OCTA. IV. ESTO. SI A P. F. C. quo de agitur. ex iure Quiritium

Vetus assectator. Qui iampridem illius, in prouinciis, comes esse consueuerat.

In beneficii loco deferendum. In hanc rationem de Q. Fuffidio sic loquitur in Epistola ad Brutum, lib. Ep. XIII, Et fuit in Cilicia mecum Tribunus mil. quo in munere ita se tractauit, vt accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse.

In concione annulis aureis. Vide infrà 391. 392.

In consilio, hoc est cum sua cohorte. Prætores in prouinciis Legatorum suorum, & negotiatorum ciuiũ Ro. opera vtebantur in iudiciis. Cohortem in consilium aduocare legibus non licebat. itaque Oratione seq. pag. 378, Metellum ex sua cohorte iudices nullos dedisse affirmat. Veruntamen quia nõ In consilio cognoscere dicere solemus, sed Cum consilio, vt constat ex locis innumeris: corrigendum potius sic putarem, vt Concilio per c legeremus: vt significet conuentum, qui quò conciliũ indictum vadimoniáque promissa essẽt, agebatur. Liuius lib. XXXI, Siculorum ciuitatibus, Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium. Prætor R. conuentus agit. eò imperio euocati conueniunt. excelso in suggestu superba iura reddentem, stipatum lictoribus vident: virgæ tergo, secures ceruicibus imminent, & quotannis alium atque alium dominum sortiuntur.

Quas ipse instituerat cognoscere. Non enim causas solebat Prætor cognoscere, nisi certas: vt quæ ad Remp. pertinebant. qualis erat Dionis, & duorum fratrum.

Qui iudicia dant. Prætorum.

Qui iudicant. Priuatorum hominum, qui iudices à Prætore dabantur.

A quopiam uestrum. Nostrum, postulabat tenor orationis. sed Vestrum dixit, quo facilius iniuriæ suæ commemoratione Iudices commouerentur.

Interdicere possit. Intercedere legendum, & ex sensu apparet, & ex Asconio. Hoc enim ob eam causam dictum est, vt ab vrbanis Prætoribus Prouinciales distingueret. Vrbanis enim, & Tribuni pl. & pares denique omnes, maioresque potestates intercedere poterant.

Non possit aliter iudicare. Inconsequens locutio, quod vitium orationis Græci ἀνακόλουθον appellant: & nonnunquam in hoc ipso auctore reperitur. Subauditur autem, Quanto deterior erit reorũ conditio? Sed cur Octauius aliter iudicare non poterit? quia priuatis hominibus ius facere non licet: sed necesse habent, ex eo iure quod illis à Prætore datum est, sententiam dicere: neque ab ea formula, vel tantulum eis discedere permittitur.

Sit eiusmodi L. Octauius. Sensum in hac verborum interpunctione non video. Legendum sic arbitrarer, Sit eiusmodi. subaudi, iudicium: vel iuris à Prætore dati formula, L. OCTAVIVS BALBVS IVDEX ESTO, SI APPARET, &c. Hanc autem fuisse iudiciorum formulam, diximus in Orat. pro Q. Roscio

Quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij esse. Antiquus liber, Ex iure quũm. Qui hanc notam ignorarunt, partim Equum, vt in aliis propè omnibus impressis, & manu scriptis, posuerunt: partim, vt in hoc, Eum. Ego hanc notam sic interpretor, vt significet Quiritiũ. Formula autem hæc erat actionum, vt ex Valerio Floro intelligimus: cuius quæ fuerit sententia delarat Vlpianus, in eo libello qui Tituli Vlpiani inscriptus est, & nuper in lucẽ editus. verba eius subscribemus, vt quærendi labore studiosos leuemus, Qui tantùm in bonis, nõ etiam ex iure Quiritium seruum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis autem alicuius seruus est, velut hoc modo: si ciuis R. à ciue R. seruum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. nam quandiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est: ex iure Quiritium autem venditoris est. Ex quibus verbis alius Ciceronis locus intelligitur, ex lib. Epist. XIII, Eius frater, inquit, nuper mortuus est. nullam omnino arbitrabamur de ea hæreditate controuersiam eum habiturum. & est hodie in bonis. Significat enim nondum in iure cessionem esse factam: adisse tamen hæreditatem. nam, vt idem Vlpianus scribit, hæreditas in iure ceditur, & antequã adeatur, & postquam adita fuerit.

Q. Catulo restituetur. Subaudiendum, TVM damnetur Seruilius. Et scribenda hæc sunt eatenus, literis paulo grandioribus. Ponit autem Q. Catulum petitorem: & P. Seruilium reum ac possessorẽ fundi: quem Prætor, licet Seruilii esse appareat, Q. tamen Catulo restitui iubet.

Non necesse erit. At ei adimet, cuius esse apparuit. Ostendit vim potestatis Prætoriæ in prouinciis:

cuius quamuis iniquo & iniusto imperio, necesse tamen habeant iudices obtemperare. magnámque habet hæc fictio commonstrandæ iniquitatis & iniuriæ facultatem. Dicit enim, Si hoc in vrbe fieret, neque intercedi posset, indignissimum omnibus videretur. Atqui in Sicilia factũ est, vbi ne hiscere quidem quisquam audebat, vbi nemo poterat intercedere. Nam etiã in Vrbe Iudices ad eam Prætoris formulam astringerentur, nisi aut Tribuni aut par, maiórue alia potestas appellaretur. Ex iure enim à Prætore dicto, ac præscripto priuati homines iudicabant: neque tantulũ ab ea formula discedere poterant. adeo vt si vndeuiginti apertè deberentur, & viginti petita essent, in eáque viginti ius à Prætore compositum fuisset, iudici nihil aliud nisi cõdemnare petitorem liceret, quemadmodum in Oratione pro Q. Roscio docuimus. Nam quũ iudicibus sine Magistratus permissu, neque absoluere, neque condemnare liceat: (alioqui enim ius illis facere liceret, quæ potestas solis Magistratibus permissa est) non debet illis, quũ de condemnando Prætor loquitur, absoluere permitti. itaque quum ad restituendum fundum L. Octauius iudex datus sit, non autem ad eundem ei cuius erit, adiudicandum, necesse erit L. Octauio P. Seruilium cogere Q. Catulo fundum restituere: eúmque, quem æquo iure non oporteat, condemnare.

Aut condemnare. Obscurus, &, vt mea fert opinio, malè affectus locus: qui tamen parua immutatione facta commodissimè sanari poterit, si pro AVT, ET particulam reponamus: quam sensus ipse flagitat.

CICERO. 235 Eiusdemmodi totum ius Prætorium, eiusdemmodi omnis res iudiciaria fuit in Sicilia per triennium Verre Prætore. decreta eiusmodi, SI NON ACCIPIT QVOD TE DEBERE DICIS, ACCVSES, SI PETIT, DVCAS. C. Fusicium duci iussit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. iudicia huiusmodi, *QVI CIVES R. ERANT, *SICVLI ESSENT, TVM SI EORVM LEGIBVS DARI OPORTERET. QVI SICVLI SI CIVES R. ESSENT. Verum vt totum genus amplectamini iudiciorum, prius iura Siculorũ, deinde istius instituta cognoscite. Siculi hoc iure sunt, vt, quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo, non eiusdem ciuitatis, vt de eo Prætor Iudices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem Legatorum sententia statuit, quam legem Siculi Rupiliam vocant: sortiatur. Quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, Senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur, quũ alternæ ciuitates reiectæ sunt. Quod ciuis Romanus à Siculo petit, Siculus iudex datur. quod Siculus à ciue R. ciuis R. datur. cæterarum rerum selecti Iudices ex ciuium R. conuentu proponi solent. inter aratores & decumanos lege frumentaria quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt. Hæc omnia isto Prætore non modo perturbata, sed plane & Siculis, & ciuibus R. erepta sunt. Primum suæ leges, quod ciuis cum ciue ageret, aut eum Iudicem, quem commodum erat, præconem, haruspicem, medicum suum dabat, aut, si legibus erat iudicium constitutum, & ad ciuem suum iudicem venerant, liberè ciui iudicare non licebat. 34. 35.

*deest quiddam. Hæc non sunt grandiorib. literis scribenda. *Si cerni.

Si non accipit. Creditor.

Te debere dicis. Tu debitor. *Si petit.* Actor.

Ducas. In ius. vt infrà lib. Accus. III, pag. 374, Eductus est Apronius. Eduxit vir primarius C. Gallius Senator.

Duci iussit. In ius.

Iudicia eiusmodi. Deesse iniqui iudicii formulam satis ex ipsa re existimari potest. Quod enim sequitur, verba ipsa cõtinet Oratoris deprauata & mutila, quæ literis grandioribus scribi non oportet. Ex iis sanè quæ sequũtur, & ex Donato in Phormione, paucis immutatis, ita hæc verba intelligẽda esse constat: Qui ciues R. erant, dabantur Iudices, si Siculi essent rei, quũ Siculos eorũ legibus dari oporteret. qui Siculi, si ciues R. essent. Nam paucis versibus interiectis, Quod ciuis, inquit, Romanus à Siculo petit, Siculus Iudex datur: quod Siculus à ciue R. ciuis R. datur. Donatus in illud Terentii, Hic in noxia est: ille ad defendendam causam adest: Quũ ille est, hic præsto est: tradunt operas mutuas: Huic loco, inquit, reddidit Cicero illum locum in Verrinis, Qui ciues, &c. nam subauditur ad Qui ciues R. erant, Iudices dabantur: ad Si Siculi essent, subauditur Rei. deest autẽ hoc loco SI, quam alii omnes libri retinuerunt. vt sit, Si Siculi essent, &c.

De decem Legatorum. Moris erat, decem in eam regionem Legatos mittere, quæ paulo antè in imperium ditionémque populi R. venerat, qui eius iura & Remp. cõstituerẽt. exempla facile est cuilibet apud Liuium inuenire. Hunc autem P. Rupilium non publicanum in Sicilia fuisse, sed operam publicanis dedisse, posteáque Cõsulem fuisse Valerius Max. lib. VI, memoriæ prodidit. apud quem tamen non Rupilius, sed Rutilius corruptè legitur: de quo vide Asconium.

Alternæ ciuitates reiectæ sunt. Quum petitor ciuitatem rei, reus contrà petitoris ciuitatem iudicem recusasset.

Ex ciuium R. conuentu. Conuentus ex Equitibus R. constabat, qui in prouinciis negotiabantur, & à Prætore in consilium aduocabantur. vnde Conuentum seu Forum agere Prætor eadem in re dicebatur. vt infrà, 498.

Quod Siculus à ciue R. Priscianus lib. VII, hunc locum citans, Ciui scribit, non Ciue. Et paulo pòst, Primùm suæ leges, quod ciuis cum ciui ageret. Sic enim, inquit, veteres codices habent, quos imperitia quorundam corrumpit, mutantium scripturas.

Primum suæ leges. Subaudi Perturbatæ & ereptæ sunt. vt mihi pro AVT EVM, legendum potius esse videatur AVT ENIM, & post AGERET, nota puncti distinguenda oratio.

Iudicium constitutum. Iudices certi constituti, quos à Prætore dari oporteret.

Edictum enim hominis cognoscite, quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem: Si quis perperam iudicasset, se cogniturum: quum cognosset, animaduersurum. idque quum faciebat, nemo dubitat quin quum iudex alium de suo iudicio putet iudicaturum, seque in eo capitis peri- CICERO. 236
34. culum aditurum, voluntatem spectet eius, quem statim de capite suo putet iudicaturũ. Selecti è conuentu, aut propositi ex negotiatoribus iudices, nulli. Hæc copia, quam dico, iudicum, cohors nõ Q. Scæuolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. Cuiusmodi cohortem putatis hoc principe fuisse? sicuti videtis edictum. SI QVID PERPERAM IVDICARIT SENATVS. Eum quoque ostendam, siquando sit datus coactu istius, quod non senserit, iudicasse. Ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi quum nihil intererat istius. lege Hieronica iudicia plurimarum controuersiarum sublata vno nomine omnia. de conuentu, ac negotiatoribus nulli iudices. Quantam potesta- *ind. constituta plurimarum*
35. tem habuerit, videtis: quas res gesserit, cognoscite. Heraclius est Hieronis filius Syracusanus, homo in primis domi suæ nobilis, & ante hunc Prætorem vel pecuniosissimus Syracusanorũ, nunc nulla alia calamitate, nisi istius auaritia, atque iniuria pauperrimus. huic hæreditas facilè ad H·S tricies venit testamento propinqui sui Heraclii: plena domus cælati argẽti optimi, multæque stragulæ vestis, pretiosissimorúmque mãcipiorum. quibus in rebus istius cupiditates, & insaniam quis ignorat? erat in sermone res, magnam Heraclio pecuniam venisse, non solùm Heraclium diuitem, sed etiam ornatum supellectili, argento, veste, mancipiis futurum.

Nemo dubitat. Omnes alii, Dubitabat. corruptè, vt cuiuis apparet.

Non Q. Scæuolæ. Facetè Q. Scæuolæ meminit, quem alibi diximus, abstinẽter prouinciam rexisse: ex quo etiam qualis illius comitatus fuerit, facile intellectu est. Dabantur, inquit, ex cohorte iudices. at ex qua cohorte? non Q. Scæuolæ, sed C. Verris. quasi ex solo ipsius nomine, qualis ipsius comitatus fuerit, existimari posset.

Sicuti videtis edictum. Mihi totus hic locus valde suspectus est. sententia etiam obscura & incerta. Quare eum aliis explicandum relinquo.

Iudicia plurimarum controuersiarum sublata. Sensum ne hoc quidem loco video, nisi absurdum. Lex enim Hieronica, Siculorum erat, qua lege non tollebantur, sed constituebantur iudicia. vt legendum potius videatur, Lege Hieronica iudicia plurimarum controuersiarum constituta: sublata vno nomine omnia. & SVBLATA, à C. Verre. Nam hoc quoque verbum Constituta similiter video prætermissum olim à scriptoribus fuisse Verrina II, pag. 153, hoc loco, Constat inter omnes, post hæc constituta iudicia, quibus nunc vtimur, &c. quod tamen ex Asconii libro postea restitutum est.

Facile ad H-S tricies. Facilè, sine dubio, sine controuersia. Terentius in Andria,

Facilè hìc plus mali est, quàm illic boni.

H-S Tricies. Septuaginta quinque millia aureorum.

36. Audit hæc etiam Verres: & primò, illo suo leuiore artificio Heraclium aggredi conatur, vt CICERO.
eum roget inspicienda quæ nõ reddat: deinde à quibusdam Syracusanis admonetur. hi autem qui- 237
dam erant affines istius, quorum vxores iste nũquam alienas existimauit, Cleomenes & Æschrio: qui quantum apud istum, & quàm turpi de causa potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis. hi, vt dico, hominem admonent, rem esse præclaram, refertam omnibus rebus: ipsum autem Heraclium hominem esse maiorem natu, non promptissimum: & eum, præter Marcellos, patronũ, quem iure suo adire, aut appellare posset, habere neminem: esse in eo testamento, quo ille hæres esset, scriptum, vt statuas in palæstra deberet ponere. faciemus vt palæstritæ negent ex testamento esse posi-
37. tas: petant hæreditatem, quòd eam palæstræ commisisse dicant. Placuit ratio Verri: nam hoc ani- *commissam esse dicant.*
mo prouidebat: quum tanta hæreditas in controuersiam venisset, iudicióque peteretur, fieri nõ posse vt sine præda ipse discederet. approbat consilium: auctor est vt quamprimum agere incipiãt, hominémque id ætatis minimè litigiosum quantumultuosissimè adoriantur. Scribitur Heraclio dica. Primo mirantur omnes improbitatem calumniæ. deinde, qui istum nossent, partim suspicabãtur, partim planè videbant adiectum esse oculum hæreditati. Interea dies aduenit, quo die sese ex instituto, ac lege Rupilia dicas sortiturum Syracusis iste edixerat: paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. tum eũ docet Heraclius non posse eo die sortiri, quòd lex Rupilia vetaret diebus XXX sortiri dicam, quibus scripta esset.

Leuiore artificio. Non tam apposito, neque vsitato.

Affines istius. Affines sunt, aut quorum propinquam aliquis in vxorem duxit, aut qui aliorum ip-

ſi propinquam duxerunt. Significat autem Verri cum illorum vxoribus ſtupri conſuetudinem interceſſiſſe. Itaque quaſi Verris propinquæ illorum vxores fuiſſet, ita affines iſtos illius appellat. ſimiliter pag. 260, Agathinum ita obſeruabat, vt aliquem affinem ac propinquum.

Non promptiſſimum. Hebetiorem, tardiorem, hominem minimè malum.

Præter Marcellos. Communes patronos Siciliæ: non ſingulares, ac proprios Heraclii.

Iure ſuo. Pro ſua virili parte: quum Siculus eſſet, & Marcelli patroni Siciliæ.

In palæſtra. Palæſtra, locus in vrbibus Græciæ quamplurimis, vbi in curſu & luctatione, aliiſque varius ludis adoleſcentes exercebantur.

Palæſtræ commiſiſſe. Lego, Commiſſam eſſe. vt libro ſuperiore pag. 166. Eſt autem Commiſſa hæreditas, quæ conditione exiſtente debetur ei, cui ſub ea conditione relicta eſt.

Heraclio dicam. Dicam Latinè dixit, Syracuſanorum linguam exprimens. Similiter apud Terentium, Dicam impingere: quod ego non Actionem intédere, vt Budæus, ſed ad iudicium vocare, cur interpreter, facilè explicabo, nec ita multo pòſt.

Adiectum eſſe oculum. Galli eleganter, *Qu'il auoit aſſiege de l'oeil*, quam obſederat oculo. hoc eſt, Notarat & deſignarat oculis ad prædam. In Orat. pro lege Agraria, hoc eodem verbo vſus eſt, An vos, inquit, aliter exiſtimabatis, quũ ad omnia noſtra pauci homines cupiditatis oculos adiecíſſent, nõ eos in primis id acturos? Græce dicimus ἐποφθαλμιᾶν.

Paratus. Id eſt meditatus, quemadmodum prima omnium educeretur.

CICERO. 238 Dies XXX nondum fuerant. ſperabat Heraclius, ſi illum diẽ effugiſſet, ante alteram ſortitionem Q. Arrium, quem prouincia tum maximè expectabat, ſucceſſurum. iſte omnibus iudiciis diem diſtulit, & eam diem conſtituit, vt hanc Heraclii dicam ſortiri poſt dies XXX ex lege poſſet. Poſteaquam ea dies venit, iſte incipit ſimulare ſe velle ſortiri, Heraclius cum aduocatis adit, & poſtulat, vt ſibi cum palæſtritis, hoc eſt cum populo Syracuſano, æquo iure diſceptare liceat. aduerſarii poſtulant, vt in eam rem Iudices dentur ex iis ciuitatibus, quæ in id forum conuenirent, electi qui Verri viderentur. Heraclius contra, vt Iudices è lege Rupilia dentur, vt ab inſtitutis ſuperiorum, ab auctoritate Senatus, ab iure omnium Siculorum ne recedatur. Quid ego iſtius in iure dicẽdo libidinem demonſtrem? quis veſtrum non ex vrbana iuriſdictione cognouit? quis vnquam iſto Prætore Chelidone inuita lege agere potuit? non iſtum, vt non neminem, prouincia corrupit: idem fuit, qui Romæ. Quum id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, ius eſſe certum Siculis, inter ſe quo iure certarent, legem eſſe Rupiliam, quam prætor Rupilius ex S.C. de decem Legatorum ſententia dediſſet: hoc omnes ſemper in Sicilia Conſules Prætoréſque ſeruaſſe: negauit ſe Iudices è lege Rupilia ſortiturum: quinque Iudices, quos cómodum ipſi fuit, dedit. Quid huic homini facias? quod ſupplicium dignum libidini eius inuenies?

Aequo iure. Non vt alibi nonnunquam, æquabili & non vario iure: ſed æquo & honeſto iudicio. Hoc autem Heraclius poſtulabat, quòd ſatis intelligeret, daturum Verrem quos ipſi commodum eſſet, Iudices: non ex lege Rupilia, & æquo iure ſortiturum. ſic infrà, 327, Nympho, quum ſe vellet æquo iudicio defendere, iſte viros optimos Recuperatores dat. Et Aſconius in Orationẽ habitam in toga candida, quũ Cicero dixiſſet, Quem enim clientem habere poteſt is qui in ſua ciuitate cum peregrino negauit ſe iudicio æquo certare poſſe? Antoniũs, inquit, appellauit Tribunos, iurauitque ſe ideo recuſare, quòd æquo iure vti non poſſet.

E lege Rupilia dentur. Sortitò.

Lege agere. Iudicio experiri.

Iudices citari. Erant in iudiciis præcones, qui tũ Iudices, tũ actores & reos, tum etiã teſtes citabant.

CICERO. 239 Præſcriptum tibi quum eſſet homo deterrime, & impudẽtiſſime, quemadmodum inter Siculos Iudices dares: quum Imperatoris populi R. auctoritas, Legatorum decem ſummorum hominum dignitas, S.C. intercederet, cuius conſulto P. Rupilius Prætor ex Legatorum ſententia leges in Sicilia conſtituerat: quũ omnes ante te Prætores Rupilias leges in cæteris rebus, & in iudiciis maximè obſeruaſſent: tu auſus es pro nihilo præ tua præda tot res ſãctiſſimas ducere? tibi nulla lex fuit, nulla religio, nullus exiſtimationis pudor nullus iudicii metus, nullius apud te grauis auctoritas, nullum exemplum quod ſequi velles? Verum, vt inſtitui dicere, quinque iudicibus nulla lege, nullo inſtituto, nulla religione, nulla ſorte, ex libidine iſtius datis, non qui cauſam cognoſcerent, ſed qui, quod imperatum eſſet, iudicarent: eo die nihil actum eſt; adeſſe iubentur poſtridie. Heraclius interea quũ omnes inſidias à Prætore fortunis ſuis fieri videret, capit conſilium de amicorum, & propinquorum ſententia, non adeſſe ad iudicium: itaque Syracuſis illa nocte profugit. Iſte poſtero die manè, quũ multo maturius, quàm vnquam antea, ſurrexiſſet, Iudices citari iubet: vbi comperit Heraclium non adeſſe, cogere incipit eos vt abſentẽ Heracliũ condemnarent. illi eum cõmonefaciunt, vt, ſi ei videatur, vtatur inſtituto ſuo, nec cogat ante horam decimam de abſente ſecundũ præſentẽ iudicare. impetrant. interea ſanè perturbatus & ipſe, & eius amici, & conſiliarii, moleſtè ferre cœ-

perunt, Heraclium profugisse: putabant absentis damnationem, præsertim tantæ pecuniæ, multo inuidiosiorem fore, quàm si præsens damnatus esset. eò accedebat quòd iudices è lege Rupilia dati nó erant, multo etiã rem turpiorem, & iniquiorem visum iri intelligebãt. itaque hoc dũ corrigere vult, apertior eius cupiditas, improbitásque facta est: nam illis quinque iudicibus vti sese negat.

Multo maturius quam unquam antea. Vide Verrina VII, pag. 497.

Instituto suo. Consuetudine Syracusanorum.

Horam decimam. Accipe horam inæqualem: vt sæpe monui.

Iubet id, quod initio è lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heracliũ, & eos, qui dicam scripserãt: atque Iudices è lege Rupilia velle sortiri. quod ab eo pridie, quũ multis lacrymis eum oraret, atque obsecraret Heraclius, impetrare nõ potuerat: id ei postera die venit in mentem, è lege Rupilia sortiri dicas oportere. educit ex vrna tres. iis, vt absentem Heraclium condemnent, imperat: itaque condemnant. Quæ (malum) ista fuit amentia? ecquãdo te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? petatur hæreditas ea, quæ nulla debetur, in prædam Prætoris? interponatur nomen ciuitatis? imponatur honestæ ciuitati turpissima persona calumniæ? neque hoc solum, sed ita res agatur, vt ne simulatio quidem æquitatis vlla adhibeatur? nam per deos immortales, quid interest, vtrum Prætor imperet, vique cogat aliquem de suis bonis omnibus decedere: an huiusmodi iudicium det, quo iudicio indicta causa fortunis omnibus euerti necesse sit? Profecto enim negare nõ potes, te ex lege Rupilia sortiri iudicium debuisse, quum præsertim Heraclius id postularet. sin illud dices, te ab Heraclii volũtate, ab lege recessisse: ipse te impedies, ipse tu tua defensione implicabere: quare enim primum ille ipse adesse noluit, quum ex eo numero iudices haberet, quos postularat? deinde tu cur post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, vtriusque dederas volũtate: deinde cæteras dicas omnes illo foro M. Posthumius Quæstor sortitus est: hanc solam tu illo conuentu reperiere sortitus. Ergo, inquiet aliquis, donauit populo Syracusano illam hæreditatem.

Atque iudices. Atque se Iudices, omnes libri veteres quos valde sequor.

Sortiri dicas oportere. Ex hoc loco apparet, Dicam non Actionem significare, sed Iudicium. Iudiciũ verò Iudices ipsos: vt sæpe Legatio Legatos. vnde postulare Iudiciũ, pro postulare Iudices: vt in illo, quem modò protuli, 327, Nympho quũ se vellet æquo iudicio defendere, iste viros optimos Recuperatores dat: id est, æquis Iudicibus vti, eorúmque præsidio ius suũ tueri, Iudices dat ex cohorte sua nequissimos. Itaque paucis pòst versibus, & Sortiri iudicium, & Sortiri dicam eádem in re perspicuè posuit. Et suprà 235, iudicium constitutum, pro Iudices constituti. item 316, O præclarum iudicium, id est O præclari Iudices. quod contrà tamen Budæus existimauit.

Nulla debetur. Pro, Nõ debetur. Terentius in Eunucho, Memini. tametsi nullus moneas: Plautus in Asinaria, Quem in tonstrinam iusseram venire, is nullus venit.

Turpissima persona calumniæ. Translatum ex fabulis, pro Turpissimæ partes. id est, turpissima procuratio, vel negotium mandatur.

Cæteras dicas omnes illo foro M. Posthumius Quæstor sortitus est. Nam Quæstores mandato Prætorum iure dicendo conuentus circumibant. Suetonius.

Primum, si id confiteri uelim, tamen istum condemnetis necesse est: neque enim permissum est, vt impunè nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. verùm ex ista reperietis hæreditate ita istum prædatum, vt perpauca occultè fecerit: populum quidem Syracusanum in maximam inuidiã sua infamia, alieno præmio peruenisse: paucos Syracusanos, eos qui se nunc publicæ laudationis causa venisse dicunt, & tunc participes prædæ fuisse, & nunc nõ ad istius laudationem, sed ad communem litium æstimationem venisse. Posteaquam damnatus est absens: non solum illius hæreditatis, de qua ambigebatur, quæ erat HS tricies, sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclii, quæ non minor erat pecunia, palæstræ Syracusanorum, hoc est Syracusanis, possessio traditur. Quæ est ista Prætura? eripis hæreditatem, quæ venerat à propinquo, venerat testamento, venerat legibus: quæ bona is qui testamentum fecit, huic Heraclio antè aliquanto, quàm est mortuus, omnia vtenda ac possidenda tradiderat: cuius hæreditatis, quum ille aliquanto ante te Prætorem esset mortuus, controuersia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verum esto, eripe hæreditatem propinquis, da palæstritis: prædare in bonis alienis nomine ciuitatis: euerte leges, testamenta, voluntates mortuorum, iura viuorum: num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit? qui simul ac profugit: quàm impudenter, quàm palàm, quàm acerbè, dii immortales, illa bona direpta sunt: quàm illa res calamitosa Heraclio, quæstuosa Verri, turpis Syracusanis, miseranda omnibus videbatur.

Alieno præmio. Palæstritarum. Nam hi soli diripiendæ hæreditatis participes fuerunt. 479.

Ad communem litium æstimationem. Id est, vt quemadmodum Verri, ita & ipsis hoc iudicio lites æstimentur. In lege de pecuniis repetũdis hoc fuisse caput Cicero declarat, in Orat. pro Rabirio Posth.

Deinde vt in curia Syracusis, quem locum illi Buleuterium vocant, honestissimo loco,& apud CICERO.
illos clarissimo,sub illius ipsius M. Marcelli, qui cum Syracusanis locum eum eripere belli ac vi- 244
ctoriæ lege posset,conseruauit & reddidit,statua ex ære facta,ibi inauratam isti, & alteram filio sta-
tuam posuerint: vt dum istius hominis memoria maneret, Senatus Syracusanus sine lacrymis &
51. gemitu in curia esse non posset. per eosdem istius iniuriarum, furtorum, vxorúmque socios
istius imperio Syracusis Marcellea tolluntur maximo gemitu, luctúque ciuitatis: quem illi diem
festum cum recentibus beneficiis M. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, familiæ
Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithridates in Asia, quũ eam prouinciam totam
occupasset, Mutia non sustulit. hostis,& hostis in cæteris rebus nimis ferus & immanis, tamen ho
norem hominis deorum religione consecratum violare noluit. tu *Syracusanis vnum diem fe- *Syracusanos
52. stum Marcellis impertiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, vt cæteros dies festos agere possent. at
verò præclarum diem reposuisti, Verrea vt agerẽt, & vt ad eum diem, quæ sacris, epulisque opus
essent, in cõplures annos locarentur.*Iam in tanta istius impudẽtia remittendum aliquid videtur, *T. Sed iam
ne omnia cõtendamus, ne omnia cum dolore agere videamur: nam me dies, vox, latera deficiant,
si hoc nunc vociferare velim, quàm miserum indignúmque sit, istius nomine apud eos diem fe-
stum esse, qui sese istius opera funditus extinctos esse arbitrentur. O Verrea præclara, *quoquam *Quonam.n.accessisti
si accessisti, quò non attuleris tecum istum diem.

Marcellea. Marcellea, festus erat dies, quem Syracusani in M. Marcelli honorem & memoriam sacris epulisque celebrabant.

Mithridates in Asia. De Mithridate cognosce ex commentariis in Pompeianam.

Mutia. Quæ Asiani, in Q. Mutii Scæuolæ, qui abstinẽter prouinciã rexerat, honorẽ instituerãt.

Nimis ferus & immanis. Pag. 630, in Pompeiana.

Syracusanis unum diem. Syracusanos, in quarto casu, postulat Latini sermonis consuetudo.

Locarentur. Vt certi homines certo pretio reciperent, se, quæ opus essent, ad diem omnia daturos, paratáque habituros.

Iam in ista. Vetus, Sed iam in ista. valdè placet.

Quoquam si accessisti. Aliquis elicitur sensus. sed si, Quónam enim accessisti, legeremus, multò cõcinnior sententia videretur.

Etenim quam tu domum, quam vrbem adiisti, quod fanum denique, quod non euersum, atque CICERO.
extersum reliqueris: Quare appellentur sane ista Verrea, quæ non ex nomine, sed ex *manibus, na- 245
53. turáque tua constituta esse videantur. quàm facile serpat iniuria,& peccandi consuetudo quàm nõ *moribus
facilè reprimatur, videte Iudices. Bidis oppidũ est tenue sanè, non longè à Syracusis. huius lon-
gè primus ciuitatis est Epicrates quidam. Huic hæreditas H-S quingentorum millium venerat à
muliere quadam propinqua, atque ita propinqua vt ea, etiam si intestata esset mortua, Epicratem
Bidinorum legibus hæredem esse oporteret. Recens Syracusana erat illa res, quam ante demon-
straui, de Heraclio Syracusano, qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hæreditas. Huic quoque
54. Epicrati venerat, vt dixi, hæreditas. cogitare cœperunt eius inimici, nihilo minus eodem Prætore
hunc euerti bonis posse, quo Heraclius esset euersus. rem occultè instituunt, ad Verrem per eius in-
terpretes deferunt: ita causa componitur, vt item palæstritæ Bidenses peterent ab Epicrate hære-
ditatem, quemadmodum palæstritæ Syracusani ab Heraclio petissent. Nunquam vos Prætorem
tam palæstricum vidistis. verum ita palæstritas defendebat, vt ab illis ipse vnctior discederet. *qui
statim quum præsensisset, iubet cuidam suorum amicorum numerari H-S LXXX. res occultari sa-
55. tis non *posse. Per quendam eorum qui *interfuerat, fit Epicrates certior. primo negligere & con- *potest L.
temnere cœpit, quòd causa prorsus quod dubitari posset, nihil habebat. deinde quum de Heraclio *interfuerant L.
cogitaret,& istius libidinem nosset: commodissimum putauit esse, de prouincia clàm abire: itáque
fecit: profectus est Rhegium.

Euersum atque extersum. A verbo Euerro deductum. alludit enim ad Verreorum vocem, quasi præclarè Verrea vbiq; celebrata sint, euersis videlicet, atque exinanitis domibus, fanisq; omnibus.

Sed ex manibus, naturáque tua. Vehementer assentior eruditissimo viro Ioanni Lucanio, vt nõ Manibus, sed MORIBVS legatur. tametsi omnes quos vidi, libri dissentiant.

H-S quingentorum millium. Duodecim millium aureorum,& prætera quingentorum.

Tam palæstricum. Qui tantopere palæstræ se negotiis interponeret. alii Palæstritã, sed nihil muto.

Vnctior discederet. Iocus ex consuetudine palæstritarum, qui oleo inungebantur. Nam pecunia inungi Verrem solitum significat.

Qui statim. Deesse aliquid apparet. præsertim ex eo quod mox dicet, Per aliquem eorum, qui interfuerant. Ex quo coniectura ducor, certos homines, qui se amicos Epicratis fingerent, transegisse Epicratis nomine cum Verre duobus millibus aureorum, vt à molestia litium liberaretur.

HS LXXX. Aureorum duo millia.

Non posse. Omnes libri veteres, Non potest. nihilo meliore sententia.sed dum integer locus restituatur,illorum auctoritatem sequendam arbitrarer.

Interfuerat. Liber manuscriptus, Interfuerant.numero multitudinis.quod magis placet.Interfuerant autem,in illa Verris & aliorum transactione.

CICERO 246 Quod vbi *auditum: æstuare illi qui dederant pecuniam:putare nihil agi posse absente Epicrate: nam Heraclius tamen affuerat: quum primum dati sunt iudices. de hoc qui, antequam in ius aditum esset, antequam denique mentio controuersiæ facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse. Homines Rhegium proficiscuntur: Epicratem conueniunt: demonstrant id quod ille sciebat, se H-S LXXX dedisse: rogant eum vt id quod ab ipsis abisset pecuniæ, curet: ab sese caueat, quemadmodum velit:de illa hæreditate cum Epicrate neminem esse acturum. Epicrates homines multis verbis malè à se acceptos dimisit. Redeunt illi Rhegio Syracusas: queri cum multis, ita vt fit, incipiunt: sese H-S LXXX nummûm frustra dedisse.res percrebruit:in ore, atque sermone omnium cœpit esse. Verres refert *illam suam Syracusanam: ait sese velle de illis H-S LXXX cognoscere: aduocat multos:dicunt Bidini Volcatio se dedisse:illud non addunt,iussu istius. Volcatium vocat: pecuniam referri imperat. Volcatius animo æquissimo nummos affert, qui nihil amitteret. reddit inspectantibus multis: Bidini nummos auferunt. Dicet aliquis:Quid ergo in hoc Verrem reprehendis? qui non modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse. Attendite: iam intelligetis hanc pecuniam, qua via modo uisa est exire ab isto, eadem semita reuertisse. quid enim *debuit Prætor, cum consilio re cognita, quum comperisset suum comitem, iuris, decreti, iudicii corrumpendi causa,qua in re ipsius Prætoris caput,existimatióque ageretur, pecuniam accepisse: Bidinos autem contra Prætoris famam,ac fortunas dedisse,*non & in eum,qui accepisset,animaduertisse,& in eos qui dedissent?

l. auditum est · rationem illam · non [redacted] · narat

[redacted] *Vbi auditum.* Omnes alii,Auditum est.quod non puto immutandum.

Heraclius tamen affuerat. Sine dubio syncerior hæc scriptura est, & multo quàm alia cōcinnior, in qua non TAMEN,sed TVM legimus.

Rhegium. Vrbem in margine Italiæ sitam,à qua Sicilia auulsa est.

H-S LXXX. Vt eum ab omni molestia liberarent.

Ab sese caueat. Exigat ab illis talem cautionem, quam ipsi commodum erit. se paratos quauis cautione repromittere, neminem eo nomine amplius petiturum. vide Orationē pro Quintio, & pro Q. Roscio.

Refert illam suam Syracusanam. Mutilatus locus, quem etiam qui SVMMAM pro SVAM reposuerunt, fœdius deprauarunt. Legendum arbitror, Refert se ad rationem illam suam: vel Refert rationem illam suam:hoc sensu,Syracusis culpam suam in generum contulerat: nunc idem facere instituit:quum in Volcatium deriuare hoc crimen voluit.

Quid enim debuit Prætor. Ordo est,Quid?debuit Prætor non animaduertisse, quum comperisset &c.Sed apertior esset sententia,si ita legeretur,Quid enim?non debuit Prætor,&c. animaduertisse? vt particula NON quæ posteriore loco posita est,priore loco reponatur.

ita est. ~~[illegible]~~ iam in Gryphianis minima forma editis 1555.

CICERO 247 Tu,qui institueras in eos animaduertere, qui perperam iudicassent: quod sæpe per imprudentiam fit:hos pateris impunè discedere,qui ob tuum decretum,ob tuum iudiciū pecuniam aut dandam,aut accipiendam putarant? Volcatius idem apud te postea fuit:Eques R. tanta accepta ignominia. Nam quid est turpius ingenuo, quid minus libero dignum, quàm in conuentu maximo cogi à Magistratu furtum reddere? qui si eo animo esset,quo non modò Eques R. sed quiuis liber debet esse: aspicere te postea non potuisset: inimicus, hostis esset tanta contumelia accepta, nisi tecum collusisset,& tuæ potius existimationi seruisset, quàm suæ. qui quàm tibi amicus non modò tum fuerit quandiu tecum in prouincia fuit, verumetiam nunc sit, quum iam à cæteris amicis sis relictus:& tu intelligis,& nos existimare possumus.An hoc solum argumentum est, nihil isto imprudente factū,quòd Volcatius ei non succensuit?quòd iste nec in Volcatium,nec in Bidinos animaduertit?Est magnum argumentum,verùm illud maximum, quòd illis ipsis Bidinis,quibus iratus esse debuit, vt à quibus comperit, quòd iure agere cum Epicrate nihil possent, etiam si adesset, idcirco suum decretum pecunia esse tentatum: his inquam ipsis non modo illam hæreditatem, quæ Epicrati venerat,sed,vt in Heraclio Syracusano,item in hoc,paulo etiam atrocius,quòd Epicrates appellatus omnino non erat,bona patria, fortunásque eius Bidinis tradidit: ostendit enim nouo modo,siquis quid ab absente peteret,se auditurum.

[redacted] *Collusisset.* Colludere dicuntur,qui quod in speciem ex animo facere videntur,id simulatè & fictè agunt inter se,aliorum sensibus illudentes.

Succensuit. Ob tantam acceptam contumeliam.

Pecunia esse tentatum. Periculum illos facere voluisse,num ob iniquè decernendum Verres pecu-

niam acciperet.

Nouo modo. Contra morem maiorum, nullo exemplo.

Adeunt Bidini: petunt hæreditaté: procuratores postulant vt se ad leges suas reiiciat, aut ex lege CICERO. 248
Rupilia dicam scribi iubeat. aduersarii non audebant contradicere: exitus nullus reperiebatur. in simulant hominem fraudandi causa discessisse: postulant vt bona possidere liceat. debebat Epicrates vllum nummum nemini. amici, siquis quid peteret, iudicio secum agi passuros, iudicatum solui satisdaturos esse dicebant. Quũ omnia cõsilia frigerent, admonitu istius insimulare cœperũt, Epicratem literas publicas corrupisse: à qua suspicione ille aberat plurimum. actionem eius rei postulant. amici recusare, ne quod nouum iudicium, ne qua ipsius cognitio illo absente de existimatione eius constitueretur: & simul idem illud postulare non desistebant, vt se ad leges suas reiiceret. Iste amplam occasionem calumniæ nactus, vbi videt esse aliquid, quòd amici absenté Epicratem nollent defendere: asseuerat se eius rei in primis actionem esse daturum. Quum omnes perspicerent ad istum non modò illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, reuertisse, sed multo etiam plures eum postea nummos abstulisse: amici Epicratem defendere destiterunt. iste Epicratis bona Bidinos omnia possidere, & sibi habere iussit. ad illa H-S D millia hæreditaria accessit ipsius antiqua H-S quindecies pecunia. Verum res ab initio ita ducta est, an ad extremum ita perducta est: an ita parua est pecunia? an is homo Verres, vt hæc quæ dixi, gratis facta esse videantur? *erat
Hic nunc de miseria Siculorum Iudices audite. Et Heraclius ille Syracusanus, & hic Bidinus Epicrates expulsi bonis omnibus Romam venerunt: sordidati, maxima barba, & capillo Romæ biennium propè fuerunt.

Petunt hæreditatem. Vt quam palæstræ commissam esse dicerent.

Exitus nullus reperiebatur. Teneri se videbant, neque quemadmodum ab hac illorum defensione possent discedere, reperiebant.

Insimulant hominem. Epicratem. ex quo quàm falsa sit aliorum codicum scriptura, in quibus Homines, numero multitudinis legitur, facilè intellectu est.

Iudicatum solui satisdaturos. Quum quis fraudationis causa latitaret, neque absens iudicio defenderetur, bona eius à Prætore possideri iubebantur. Data possessione, si defenderet ipse, aut à procuratore defendi cœpisset, iudicatum solui satisdabat. de qua satisdatione in Orato. pro Quintio explicauimus.

Omnia consilia. Sic liber manuscriptus Alii codices, Omnia iudicia. quod perspicuè falsum est.

Literas publicas corrupisse. Quidam Corripuisse: non rectè opinor. Nam de hoc quoque crimine mentio fit pag. 260.

Verum res ab initio. Omnes interrogationis notæ tollendæ, præter postremam. delendúmque etiam EST verbum, post PERDVCTA. Est autem sensus, Ex ea ratione qua in hac tota controuersia vsum esse Verrem ostẽdi, & ex magnitudine pecuniæ, & moribus Verris existimari potest, hæc vt faceret, pecuniam à Bidinis accepisse.

Quum L. Metellus in prouinciam profectus est, tum isti bene commendati cum Metello vnà CICERO. 249
proficiscuntur. Metellus simulac venit Syracusas, vtrunque rescindit, & de Epicrate, & de Heraclio. in vtriusque bonis nihil erat, quod restitui posset, nisi quòd moueri loco non poterat. fecerat hæc egregiè primo aduentu Metellus, vt omnes istius iniurias, quas modò posset, rescinderet, & irritas faceret. Heraclium restitui iusserat: *non restituebatur. quisquis erat ductus Senator Syracusanus ab Heraclio, duci iubebat: itaque permulti ducti sunt. Epicrates quidem continuò restitutus est. alia iudicia Lilybæi, alia Agrigenti, alia Panormi restituta sunt. cẽsus, qui isto Prætore sunt habiti, non seruaturum se Metellus ostenderat: decumas, quas iste contra legem Hieronicam vendiderat, sese venditurum Hieronica lege dixerat. omnia erant Metelli eiusmodi, vt non tam suam Præturam gerere, quàm istius Præturam retexere videretur. Simulatque ego in Siciliam veni, mutatus est. venerat ad eum illo biduo Lætilius quidam, homo non alienus à literis: itaque eo iste tabellario semper vsus est. is epistolas complures attulerat: in his vnam domo, quæ totum immutarat hominem. repentè cœpit dicere, se omnia Verris causa velle, sibi cum eo amicitiam, cognationémque esse. Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem venisse, posteaquam tam multis eum factis, decretísque iugulasset. erãt, qui putarẽt Lætilium Legatum à Verre venisse, qui gratiam, amicitiam, cognationémque commemoraret. ex illo tempore à ciuitatibus laudationem petere, testes non solum deterrere verbis, sed etiam vi retinere cœpit. *Vi l.

Moueri loco. Nam quæ moueri potuerant, remota erant & direpta.

Non restituebatur. Laudat Metellũ, quòd eos qui sibi essent commendati, restitueret. Probabilior igitur veteris scriptura codicis, Vi restituebatur.

Senator. Qui Verre Prætore bonis expulsus esset.

Ab Heraclio. Etenim propter illam commendationem aliquid apud Metellum ponderis eius habebat oratio.

Multi ducti sunt. In bona sua, vnde expulsi fuerant.

Census qui isto Praetore. De Censu vide in Oratione insequenti

Omnia verris causa velle. Praecisa locutio, quae plena sic effertur, Verris causa velle facere.

Erant qui putarent. Obscurè facit eius rei suspicionem, quam affirmare liquidò non audet.

CICERO. 250 Quòd ego nisi meo aduentu illius conatus aliquantulum repressissem, & apud Siculos nō Metelli, sed Glabrionis literis, ac lege pugnassem: tam multos huc euocare non potuissem. Verùm, quod institui dicere, miserias cognoscite Siculorum. Heraclius ille, & Epicrates longè mihi obuiā cum suis omnibus processerunt: venienti Syracusas egerūt gratias flentes: Romam decedere mecum cupierunt. quòd erant mihi oppida complura etiam reliqua, quae adire vellem: constitui cum hominibus, quo die mihi Messanae praesto essent. eò mihi nuntium miserunt, se à Praetore retineri. quibus ego testimonium denuntiaui, quorum nomina edidi Metello, cupidissimi veniendi, maximis iniuriis affecti, adhuc nō venerunt. hoc iure sunt socii, vt iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat. Iam Heraclii Centuripini optimi, nobilissimique adolescentis, testimonium audistis: à quo H-S C millia per calumniam malitiámque petita sunt. iste poenis, compromissisque interpositis, H-S C C C extorquenda curauit: quódque iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quòd ciuis Centuripinus inter duos ciues iudicasset, id irritum iussit esse, eúmque iudicem falsum iudicasse iudicauit: in Senatu ne esset: locis, commodisque publicis vti vetuit: siquis eum pulsasset, edixit sese iudicium iniuriarum non daturum. quicquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum, ipsi autem nullius actionem rei sese daturum: quae istius auctoritas tantum valuit, vt neque illum pulsaret quisquam, quū Praetor in prouincia sua verbo permitteret, re hortaretur: neque quisquam ab eo quicquam peteret, quum istae calumniae licentiam, sua auctoritate praebuisset.

+ dedisset Gr.

Glabrionis literis. Qui Romae Quaestor repetundarum iudicium exercebat, mihíque in Siciliam inquirendi causa proficiscenti, literas, potestatémq; & quaerendi & exscribendi omnia permiserat.

H-S C millia. Mirum est plus esse in compromisso, quàm in controuersia. Quod si C C millia reponamus, dimidium in compromisso numerabimus. quod multo verisimilius esse arbitror.

Calumniam. Vt qui nihil deberet, iudicio tamen vexaretur.

Poenis compromissisque. Compromissum dicitur certa pecunia, ab vtroque litigatore mutuo promissa, ni Arbitri sententiae pareant.

C C millia. Aureorum quinque millia. Nam C millia (vt dixi) non placet.

C C C millia. Aureorum septem millia, & praeterea quingentos.

CICERO. 251 Ignominia autem illa grauis tandiu in illo homine fuit, quandiu iste in prouincia mansit. Hoc iniecto metu iudicibus, nouo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis esse in Sicilia nisi ad nutū istius iudicatam? verum id solum videtur esse actum, quod est tamen actum, vt Heraclio pecunia eriperetur: an etiam illud, in quo praeda erat maxima, vt nomine iudiciorum, omnium bona, atque fortunae in istius vnius essent potestate? Iam verò in rerū capitalium quaestionibus quid ego vnāquanque rem colligam, & causam ex multis similibus ea sumā, quae maximè improbitate excellere videbuntur. Sopater quidā fuit Haliciensis, homo domi suae cum primis locuples, atque honestus. is ab inimicis suis apud C. Sacerdotē Praetorem rei capitalis quū accusatus esset, facilè eo iudicio est liberatus. huic eidem Sopatro iidem inimici, ad C. Verrē, quū is Sacerdoti successisset, eiusdem rei nomen detulerunt. res Sopatro facilis videbatur, & quòd erat innocens, & quòd Sacerdotis iudicium improbare istum ausurum non arbitrabatur. citatur reus: causa agitur Syracusis: crimina tractantur ab accusatore, ea quae erant antea non solum defensione, verum etiam iudicio dissoluta. causam Sopatri defendebat Q. Minutius Eques R. in primis splēdidus, atq; honestus, vobisque Iudices non ignotus. nihil erat in causa, quod metuendū, aut omnino quod dubitandum videretur. Interea istius libertus, & accensus idem Timarchides, qui est (id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis) rerū huiusmodi omnium transactor, & administer, ad Sopatrum venit: monet hominem ne nimis iudicio Sacerdotis, & causae confidat:

°millibus L.

Rerum capitalium. Haec tum Iudicia publica, tum Causae publicae dicūtur: in quibus reus nocens sit, an innocens quaeritur. Ergo hoc Quaestio est in publico iudicio, quod in priuato Cognitio.

Ex multis similibus. Nonnulli veteres, Ex multis millibus. quod valdè arridet.

Istius libertus, & accensus idem Timarchides. De Accenso diximus 185, & infrà 375. Qualis fuerit Timarchides ipse declarat 278.

Transactor. Interpres mercaturae iudiciorum faciendae.

CICERO. 252 Accusatores, inimicósque eius habere in animo pecuniam Praetori dare: Praetorem tamen ob salutem malle accipere: & simul malle, si fieri posset, rem iudicatam non rescindere. Sopater,

quum hoc illi improuisum, atque inopinatum accidisset, commotus est sanè, neque in præsentia Timarchidi quid responderet, habuit, nisi, se consideraturum, quid sibi de ea re esset faciendum: & simul ostendit, se in summa difficultate esse nummaria. Post ad amicos retulit. qui quũ ei fuissent auctores redimendæ salutis, ad Timarchidem venit: expositis suis difficultatibus, hominem ad
70. H-S LXXX perducit, eámque ei pecuniam numerat. Posteaquam ad causam dicendam ventum est: tum verò sine metu, sine cura omnes erant, qui Sopatrum defendebant: crimen nullum erat: res iudicata: Verres nummos acceperat. Quis posset dubitare, quidnam esset futurum? res illo die non peroratur: dimittitur iudicium. iterum ad Sopatrum Timarchides venit: ait accusatores eius multo maiorem pecuniam Prætori polliceri, quàm quantam hic dedisset: proinde, si saperet, videret quid sibi esset faciendum. Homo, quanquam erat & Siculus, & reus, hoc est & iure iniquo, & tépore aduerso: ferre tamen, atque audire diutius Timarchidem non potuit. Facite, inquit, quod vobis libet: daturus non sum amplius. idémque hoc amicis eius, & defensoribus videbatur, atque eo etiã magis, quòd iste quoquo modo se in ea quæstione præbebat, tamen in consilio habebat homines honestos è conuentu Syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant, tum, quũ esset idem hic Sopater absolutus.

H-S LXXX. Duo millia aureorum. [redacted]

Hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse, vt eodem crimine, iisdem testibus Sopa- CICERO.
71. trum condemnarent iidem homines, qui antea absoluissent. Itaque hac vna spe ad iudicium veni- 253
tur. quò posteaquam ventum est: quum in consilium frequentés conuenissent iidem qui solebant, [redacted]
& hac vna spe tota defensio Sopatri niteretur, consilii frequentia, & dignitate, & quòd erant, vt dixi, iidem qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant: cognoscite hominis apertam, ac nõ modò non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem, & audaciam. M. Petilium equitem R. quem habet in consilio, iubet operam dare, quòd rei priuatæ iudex esset. Petilius recusabat, quòd suos amicos quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret. iste, homo liberalis, negat se quenquam retinere eorum, qui Petilio vellẽt adesse: itaque discedũt omnes: nam cæteri quoque impetrant, ne retineãtur, qui se uelle dicebant alterutri eorum, qui tum illud iudicium
72. habebant, adesse. itaque iste solus cum sua coborte nequissima relinquitur. Non dubitabat Minutius, qui Sopatrum defendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam quæsiturus non esset, quum repentè iubetur dicere. respondet, ad quos? Ad me, inquit, si tibi idoneus videor, qui de homine Siculo, ac Græculo iudicem. Idoneus es, inquit: sed peruellem adessent ii, qui affuerant antea, causámque cognorant. Dic, inquit, illi adesse non possunt. nam hercule, inquit Q. Minutius, me quoque Petilius, vt sibi in consilio adessem, rogauit. & simul à subselliis abire cœ-
73. pit. Iste iratus hominem verbis vehementioribus prosequitur, atque ei grauius etiam minari cœpit, quòd in se tantum crimen inuidiámque conflarit. conflaret

Nam hercule, inquit Q. Minutius. Nam pro Atqui: cuius rei exempla proferam proxima Oratione, pag. 397. [redacted]

Minutius, qui Syracusis sic negotiaretur, vt sui iuris dignitatísque meminisset: & qui sciret, se CICERO.
ita in prouincia rem augere oportere, vt ne quid de libertate deperderet: homini, quæ visa sunt, & 254
quæ tempus illud tulit, & causa, respondit: causam sese dimisso, atque ablegato consilio defensurum negauit: itaque à subselliis discessit: idémque hoc præter Siculos cæteri Sopatri amici, aduo-
74. catique fecerunt. Iste quanquam est incredibili importunitate, & audacia, tamen subito solus destitutus pertimuit, & conturbatus est. quid ageret, quò se verteret, nesciebat. si dimisisset eo tempore quæstionem: pòst illis adhibitis, quos ablegarat, absolutum iri Sopatrum uidebat. sin autem hominem miserum, atque innocentem condemnasset, quum ipse Prætor sine consilio, reus autem sine patrono, atque aduocatis fuisset, iudiciúmque C. Sacerdotis rescidisset: inuidiam se sustinere nõ posse tantã arbitrabatur. itaque æstuabat dubitatione: versabat se in vtranque partem non solùm mente, verumetiam corpore: vt omnes qui aderant, intelligere possent, in animo eius metum, cupiditatémque pugnare. erat hominum conuentus maximus, summum silentium, summa ex-
75. pectatio, quonam esset eius cupiditas eruptura. crebrò dimittebat se accensus ad aurem Timarchides. Tum iste aliquando, Age dic, inquit. Sopatrus implorare hominum, atque deum fidem, vt cum consilio cognosceret. tum repentè iste testes citari iubet. dicit vnus, & alter breuiter: nihil interrogatur. præco, dixisse, pronuntiat. iste, quasi metueret, ne Petilius priuato illo iudicio transacto, aut dilato, cum cæteris in consilium reuerteretur, ita properans de sella exiluit, hominem innocentem, à Sacerdote absolutum, indicta causa, de sententia scribæ, medici, haruspicisque condemnauit.

Aestuabat dubitatione. Translatum à mari commoto, à quo ita iactantur naues, vt sæpe qui nauigent vertigine afficiantur. Græci *ἰλιγγιᾶν* dicunt. Plato in Protagora, ἐγὼ δὲ τι ... [illegible] [redacted]

[illegible Greek]. Loquitur Socrates, fingens se Protagoræ oratione, quasi pugilis ictu, percussum, vertigine affectum esse. sic suprà 246, AEstuare illi qui dederant pecuniam.

CICERO 255 „ Retinete, retinete hominem in ciuitate Iudices: parcite, & conseruate, vt sit qui vobiscum res iudicet, qui in Senatu sine vlla cupiditate de bello & pace sententiã ferat. tametsi minus id quidẽ nobis, minus populo R. laborandum est, qualis istius in Senatu sententia futura sit. quæ enim eius auctoritas erit? quando iste sententiam dicere audebit, aut poterit? quando autem homo tanta luxuria, atque desidia, nisi Februario mense, aspirabit in curiam? verum veniat sanè, decernat bellũ Cretensibus: liberet Byzantios: Regem appellet Ptolemæũ: quæ vult Hortensius, omnia dicat, & sentiat. minus hæc ad nos, minus ad vitæ nostræ discrimen, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent. illud, illud est capitale, illud est formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quòd iste, ex hoc iudicio si aliqua vi se eripuerit, in iudicibus sit necesse est, sententiam de capite ciuis R. ferat, sit in eius exercitu signifer, qui imperium iudiciorum tenere vult. hoc populus R. recusat, hoc ferre non potest, clamat, permittitque vobis vt, si istis hominibus delectemini, si ex hoc genere splendorem ordini, atque ornamentum curiæ constituere velitis, habeatis sanè *vobiscum istum Senatorem, istum de vobis iudicem, si vultis, habeatis. de se homines, *si qui extra istum ordinem sunt, quibus ne reiiciundi quidem amplius quàm trium iudicum præclaræ leges Corneliæ faciunt potestatem, hunc hominem tam crudelem, tam sceleratum, tam nefarium nolunt iudicare.

*vobis istum l.

De bello & pace sententiam ferat. Notetur locutio, Ferre in Senatu sententiam, pro Dicere. Nam in foro ferebantur in vrnam tabulæ, in Senatu sententiæ dicebantur.

Nisi Februario mense. Iam sæpe dictum est, Februarium mensem audiendis exterarum gentium & prouinciarum legationibus destinatum fuisse. Quare hoc puto significari, sententias Senatorũ Legatos emere solitos: Verrem eo mense venalem suam sententiam habiturum, & pretio vt in curiam veniat, facilè adductum iri.

Aspirabit ad curiam. Seruius in XII AEneid. Aspirare, inquit, apud maiores accedere significabat. Cicero, Nunquam aspirabit ad curiam. hæc ille.

Decernat bellum Cretensibus. Hoc tempore Cretenses belli societatem cum piratis aduersus populum Romanum coierant: vt ex Plutarcho intelligitur in Pompeii vita, & Liuio lib. XCVIII, & XCIX. Ergo DECERNAT BELLVM CRETENSIBVS, scilicet, vt eius belli administratio Q. Hortensio mandetur. sed Q. Metello tamen eius collegæ mandata est. Nam quũ Consules sortirẽtur, Hortensio, vt bellũ gereret cum Cretensibus, obuenit. Sed is vrbe delectatus & foro, in quo primum locum post Ciceronem obtinebat, collegæ vltro exercitum cessit, ipse in vrbe remansit. Metellus autem in Cretam missus, eam insulam cepit. hæc ex Dione.

Liberet Byzantios. Liberari dicuntur prouinciæ, quum statuitur ne amplius sint prouinciæ (vt apparet ex secunda Philippica) id est vt Romanis Magistratibus ius in iis dicere non liceat: vt ex Oratione de pro. Consul. intelligitur.

Regem appellet Ptolemæum. Regem AEgypti, qui Rex à Senatu populóque R. appellari cupiebat. De quo honore dixi in Oratione pro lege Man. Significat autẽ emptam à Rege Verris sententiã.

Quæ vult Hortensius. Qui tum Consul erit cum summo imperio.

In iudicibus sit necesse est. Tum enim Senatores soli iudicabant. Sedebat igitur in sua decuria.

In eius exercitu. Hortensium significat, quem duabus primis Orationibus sæpe dominum & regem iudiciorum appellauit.

Habeatis sanè vobiscum. Vetus, Habeatis sanè vobis. quod magis arridet.

Si qui extra. Idem, QVI extra, sine particula SI: quæ lectio vera & aperta est. nisi forte HI pro SI legamus, vt coronam populi demonstret. Equites autem dicit & Plebem.

Amplius quàm trium iudicum. Figura dicendi è Græcis fontibus deriuata. Solent enim Græci plerunque comparatiuum iungere cum secundo casu, interiecta pericula ἢ: vt [illegible Greek]. Cæsar apud Plinium in laudatione Ciceronis similem locutionem vsurpasse videtur, Omnium triumphorum lauream adepte maiorem. Quod Linacer dictũ putat pro omni triumpho. tametsi mihi quidem ablatiuus Laurea subaudiẽdus potius videtur. vt hic locus Liuii ex lib. Decadis tertiæ secundo, propius ad hanc dicendi figuram accedere videatur, Qui vbi, quà cuique proximũ fuit, decurrere: (loquitur de Annibalis exercitu) eo magis Romanis subita atque improuisa res fuit, quòd orta ex lacu nebula, campo, quam montibus densior, sederat. Nam ordo est, Nebula sederat campo: densior quàm montibus. pro Densior montibus.

Leges Corneliæ. Sylla rerum potitus, multas in Plebis & Equitum odium leges tulit: de quibus in Diuinatione diximus. In his hanc fuisse apparet, ne in reiiciendis iudicibus, amplius quàm tres iudices reiiciendi potestatẽ haberent. Asconius in Orat. pro Milone, lege Pompeia quindecim reii-

ei licuisse in Milonis causa, & iudicio de vi ac de ambitu testatur: quinos scilicet ex singulis ordinibus, Equitibus, Senatoribus, & Tribunis ærariis.

Etenim si illud est tam flagitiosum (quod mihi omnium rerum turpissimum, maximéque ne- CICERO.
farium videtur) ob rem iudicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem, & religio- 256
nem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum, à quo pecuniam ob absoluendum acceperis, condemnare, vt ne prædonum quidem Prætor in fide retinenda consuetudinem conseruaret? scelus est, accipere ab reo: quanto magis, ab accusatore? quanto etiam sceleratius, ab vtroque? Fidem quum proposuisses venalem in prouincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam maioré dedit. concedo, forsitan aliquis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. quum vero fidem, ac religioné tuam alteri addictam pecunia accepta habueris, pòst eandem aduersariis tradideris maiore pecunia: vtrunque falles: & trades, cui voles: & ei, quem fefelleris, ne pecuniam quidem reddes: quem mihi tu Bulbum, quem Stalenum, quod vnquam huiusmodi monstrum, aut prodigium audiuimus, aut vidimus, qui quum reo transigat, pòst cum accusatore decidat: honestos homines, qui causam norint, ableget, consilióque dimittat, ipse solus reum absolutum, à quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniámque non reddat? hunc hominem iudicum numero habebimus? hic alteram decuriam Senatoriam iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? huic iudicialis tabella committetur? quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si visum erit, notabit. quid enim horum se negat fecisse? illud videlicet vnum, quod necesse est, pecuniam accepisse. quid ni iste neget? at Eques R. qui Sopatrum defendit, qui omnibus eius consiliis, rebúsque interfuit, Q. Minutius iuratus dicit pecuniam datam, iuratus dicit Timarchidem dixisse, maiorem ab accusatoribus pecuniam dari.

Addictam fidem. Translatum ab auctionibus verbum: quasi Verres similiter plus numeranti fidem suam manciparet, quemadmodum in auctionibus pluris licitanti res addicitur.

Prædonum consuetudinem. Qui vitam iis non adimunt, qui eam certo pretio redemerunt. Cicero libro de Officiis secundo, Cuius, inquit, iustitiæ tanta vis est, vt nec illi quidé, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere. nam qui eorum cuipiam, qui vnà latrocinantur, furatur aliquid, aut clàm eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem qui archipirata dicitur, nisi æquabiliter prædã dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur. Polybius lib. VI, [illegible]

Quem Bulbum, quem Stalenum. Hi duo iudices in Oppianici iudicio turpiter, & auarè versati, pœnas legibus & iudicio dederunt. Staienum tamen legitur in libro de Clar. Orat.

Alteram decuriam Senatoriam. Alteram, id est secundam. Tres autem decurias siue centurias fuisse iudicum Senatorum, apparet ex Philippica prima, & quinta, & Epistola Celii lib. VIII. Sed de decuriis diximus in eius Orationis fine quæ huic antecedit.

Obtinebit. Sedebitne iudex in secunda decuria Senatorum.

Sanguine notabit. Capitis eos ciues, quos ei commodum erit, condemnabit.

Quid ni iste neget. Quum id ei maximè sit aduersarium.

Dicent hoc Siculi omnes, dicent omnes Halicienses, dicet etiam prætextatus Sopatri filius: qui CICERO.
ab isto homine crudelissimo, patre innocentissimo, pecuniáque patria priuatus est. Verùm si de pe 257
cunia testibus planum facere non possem, illud negare posses, aut nunc negabis, te consilio tuo dimisso, viris primariis, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant, tibique esse solebant, remotis, de re iudicata iudicasse? téque eum, quem C. Sacerdos adhibito consilio, causa cognita absoluisset, eundem remoto consilio, causa incognita condemnasse? quum hæc confessus eris, quæ in foro palàm Syracusis, in ore, atque oculis prouinciæ gesta sunt: negato sanè si voles, pecuniam accepisse: reperies, credo, aliquem, qui, quum hæc, quæ palàm gesta sunt, videat, quærat quid tu occultè egeris: aut qui dubitet, vtrum malit meis testibus, an tuis defensoribus credere. Dixi iam antea, me non omnia istius, quæ in hoc genere essent, enumeraturum: sed electurum ea, quæ maximè excellerent. Accipite nunc aliud eius facinus nobile, & multis locis sæpe commemoratum, & eiusmodi, vt in vno omnia maleficia inesse videantur: attendite enim diligenter: inuenietis id facinus natum à cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectũ, atque conclusum. Sthenius est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis propter summam virtutem, summámque nobilitatem, nunc propter summam calamitatem, atque istius insignem iniuriam omnibus notus. huius hospitio Verres quum esset vsus, & quum apud eum non modò Thermis sæpenumero fuisset, sed etiam habitasset: domo eius omnia abstulit, quæ paulò magis animum cuiuspiam, aut oculos possent commouere.

Quæ palam gesta sunt. Dimissos & remotos Iudices.

Vt in uno omnia. In hoc vno, vel In eo vno, rectius putarem.

O iudices egreg. Pecuniámne ob condemnationem acceperis.

CICERO. 258 Etenim Sthenius ab adolescentia paulo studiosius hæc comparabat, supellectilem ex ære elegantiorem & Deliacam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis: quæ, quum esset in Asia adolescens, studiose, vt dixi, comparabat, non tam suæ delectationis causa, quàm ad inuitationes aduentúsque nostrorum hominum, suorum amicorum, atque hospitum. Quæ postea quam iste omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo, ferebat Sthenius vt poterat, tangebatur tamen animi dolore necessario, quòd domum 84
eius exornatam, atque instructam, ferè iam iste reddiderat nudam, atque inanem. veruntamen dolorem suum nemini impartiebat: Prætoris iniurias tacitè, hospitis placidè ferendas arbitrabatur. Interea cupiditate iste illa sua nota, atque apud omnes peruulgata, quum signa quædam pulcherri- 85
ma, atque antiquissima Thermis in publico posita vidisset, adamauit: à Sthenio petere cœpit, vt ad ea tollenda operam suam profiteretur, séque adiuuaret. Sthenius verò nó solùm negauit, sed etiam ostendit id fieri nullo modo posse, vt signa antiquissima, monimenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum incolumi illa ciuitate, imperióque populi R. tollerentur. Etenim, vt simul P. Africani 86
quoque humanitatem cognoscatis, oppidum Himeram Carthaginenses quondam ceperant, quod fuerat in primis Siciliæ clarum & ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo R. arbitraretur, bello confecto socios sua per nostram victoriam recuperare: Siculis omnibus Carthagine capta, quæ potuit, restituenda curauit.

Alia rogando, Gratia: vt Poscendo, imperio: Sumendo, precario: vt pag. 260.

Profiteretur. Polliceretur.

CICERO. 259 Himera deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant in eiusdem agri finibus, neque longè ab oppido antiquo. hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, quum illa maiorum ornamenta in eorum oppido collocabantur. erant signa ex ære 87
complura: in his mira pulchritudine ipsa Himera in muliebrem figuram, habitúmque formata, ex oppidi nomine, & fluminis: erat etiá Stesichori poetæ statua, senilis, incurua, cum libro, summo, vt putát, artificio facta ab eo, qui fuit Himeræ, sed est, & fuit tota in Græcia summo propter ingenium honore & nomine. hæc iste ad insaniá cócupierat. etiam, quod penè præterii, capella quædam ea quidem mira, vt etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possumus, scitè facta & venustè. hæc & alia Scipio nó negligenter abiecerat, vt homo intelligens Verres auferre posset: sed Thermitanis restituerat: non quo ipse hortos, aut suburbanum, aut locum omnino, vbi ea poneret, nullum haberet: sed si domum abstulisset, non diu Scipionis appellarentur, sed eorum, ad quoscunque ipsius morte venissent: nunc iis locis posita sunt, vt mihi semper Scipionis fore videantur, itáque dicantur. Hæc quú iste posceret, ageretúrque ea res in Senatu, Sthenius vehementissi- 88
me restitit, multáque, vt in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemorauit: vrbem relinquere Thermitanos esse honestius, quàm pati tolli ex vrbe monimenta maiorum, spolia hostium, beneficia clarissimi viri, indicia societatis populi R. atque amicitiæ. commoti animi sunt omnium. repertus est nemo, quin mori diceret satius esse.

Stesichori poetæ. Hunc scribit Suidas tricesima septima olympiade vixisse, mortuum verò sexta & quinquagesima, libros scripsisse Dorica lingua [illegible]. Inde autem appellatum [illegible] id est, quòd primus cithara saltare instituit: prius enim Tisiam dictum fuisse. De Stesichoro Socrates in Phædro sic loquitur, [illegible] id est, Iis qui in loquendo peccarunt vetus est expiatio, quam Homerus quidem nó intellexit, sed Stesichorus. Oculis enim orbatus ob Helenæ vituperationem, id nó ignorauit sicuti Homerus. sed quú musicus esset, causámque nosset, cótinuò scripsit,

~~Non verus sermo ille fuit, non vlla parata~~
~~Nauis, & ad magnæ nó venit mœnia Troiæ.~~ Et quum vniuersam recantationem absoluisset, continuò visum recepit.

Vt putant. Quòd ii soli signorum studio capiuntur, qui artificii excellentiam norût, vt ab se omnem eiusmodi suspicionem remoueat, sæpe in hisce Orationibus harum se rerum rudem & imperitum profitetur. vt modò de capella, & infrà pag. 470, Quo non facilè quicquam dixerim me vidisse pulchrius. tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quàm multa vidi. & pag. 426. & alibi sæpe.

Ab eo qui fuit Himeræ. Sculptorem aliquem insignem significat: mihi tamé ignotum. Plinius Himeræi sculptoris, quod sciam, non meminit.

Ea quidem miræ. Mirè aduerbium est, & ad Scitè refertur. vt sit Mire scitè & venustè.

Itaque hoc adhuc oppidum Verres inuenit propè solùm in orbe terrarum, vnde nihil eiusmodi signum de publico per vim, nihil occultè, nihil imperio, nihil gratia, nihil [a]pretio posset auferre. veruntamen hasce eius cupiditates exponam alio loco: nunc ad Sthenium reuertar. Itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat, domo eius emigrat, atque adeò exit: nam iam antè migrarat. cum autem inimicissimi Sthenii domum suam statim inuitant, vt animum eius in Sthenium inflammarent, ementiēdo aliquid, & crimināndo. hi autem erant inimici, Agathinus homo nobilis, & Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam Agathini eius filiā, de qua iste audierat: itaque ad generū Agathini migrare maluit. Vna nox intercesserat, quū iste Dorotheum sic diligebat, vt diceres omnia inter eos esse communia: Agathinum ita obseruabat, vt aliquem affinem ac propinquum. Contemnere etiam signum illud Himeræ iam videbatur, quòd eum multo magis figura & liniamenta hospitæ delectabāt. Itaque hortari homines cœpit, vt aliquid Sthenio periculi crearent, criminisque cōfingerent. dicebant se illi nihil habere, quod dicerent. tum iste his apertè ostendit, & confirmauit, eos in Sthenium quicquid vellent dicerent, simul atque ad se detulissent, probaturos. ita illi non procrastinant: Sthenium statim educunt: aiunt ab eo literas publicas esse corruptas.

CICERO. 260

[a] L' precario

Nihil pretio. Vetus codex, Precario. quod magis placet.

Emigrat atque adeò exit. Quid interest inter Exire, & Emigrare? Emigrare seu Migrare dicitur, qui ex eo loco in quo habitabat relictis vasis discedit. quod opinor hic Plauti locus ostēdit in Menæhmis, vbi Menæhmū viri fratrem vxor surrepti Menæhmi noctu cum palla ad meretricem profectum apud patrem insimulat

SENEX, Vbi habitas insanissime?

MENAEHMVS. Tún senex ais habitare me in illisce ædibus? SE. Tu negas?

ME. Nego hercle verò: imò si non hæc eluderet, neget.

VXOR. Nisi ex quo nocte emigrasti. SE. Concede hoc filia.

Quid tu ais? non hinc emigrasti? ME. Quem in locum? aut quamobrem obsecro?

Similiter Verr. VII, pag. 499, emigrare Verres ex Prætorio dicitur, quum in lucum quendā Syracusis proximum, ad aliquot dies animi causa diuertit: quum scilicet eò non omnia sua vasa exportasset. Exire verò eum apparet, qui quum alibi iam diuersaretur, nondum tamen ex priore hospitio vniuersa sua vasa exportarat. Tum igitur quum deportat, exire dicitur. Sed hæc seruatur perraro differētia. Nam & locum qui mutat, & qui vasa exportat, migrare, & commigrare, & emigrare dicitur. vt modò quod sequitur, Ad generum Agathini migrare maluit.

Omnia inter eos esse communia. Etiam Dorothei vxorem. hoc significat.

Aliquem affinem. Quasi socerum, & cuius cum filia rem habuisset. vide suprà 237.

Statim educunt. In ius. vt pag. 235.

Sthenius postulat, vt secū sui ciues agant de literis publicis corruptis, eiúsque rei legibus Thermitanorum actio sit: quū Senatus populúsque R. Thermitanis, quòd semper in amicitia, fidéque mansissent, vrbes, agros, legésq; suas reddidisset: Publiúsque Rupilius postea leges ita Siculis ex S. C. de decem Legatorum sententia dedisset, vt ciues inter se legibus suis agerent: idémque hoc habuerit Verres ipse in edicto, vt de his omnibus causis se ad leges reiiceret. Iste, homo omniū æquissimus, atque à cupiditate omnium remotissimus, se cogniturum esse confirmat: paratū ad causam dicendam venire hora octaua iubet. Non erat obscurum, quid homo improbus, ac nefarius cogitaret: neque enim ipse satis occultarat, nec mulier tacere poterat. intellectum est [b]id ipsum agere, vt, quū Sthenium sine vllo argumēto, ac sine teste damnasset, tum homo nefarius de homine nobili, atque id ætatis, suóque hospite virgis suppliciū crudelissimè sumeret. quod quū esset perspicuum: de amicorum hospitúmque suorum sententia, Thermis Sthenius Romam profugit: hyemi fluctibúsque sese committere maluit, quàm non istam cōmunem Siculorum tempestatem, calamitatémque vitare. Iste homo certus, & diligens ad horam octauam præsto est: Sthenium citari iubet: quem posteaquā videt nō adesse, dolore ardere, atque iracundia furere cœpit: Venerios in domum Sthenii mittere: equites circum agros eius, villásque dimittere. itaque quū expectat quidnam sibi certi afferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discessit. Postridie manè descendit: Agathinum ad sese vocat: iubet eum de literis publicis in absentem Sthenium dicere. erat eiusmodi causa, vt ille ne sine aduersario quidem apud inimicū iudicem reperire posset, quid diceret. itaque tantum verbo posuit: Sacerdote Prætore Stenium literas publicas corrupisse.

CICERO. 261

[b] L' istum

De his omnibus causis. Id est, has omnes ob causas.

Hora octaua Diei.

Mulier tacere. Callidama.

Id ipsum agere. Omnes alii, Id istum. quod sine causa non arbitror immutandum.

Hyemi fluctibúsque. Freto Siculo.

Homo ortus. Qui à præstituto tempore non recederet.

Venerius in domum Sthenii. Venerii, viatores erant in Sicilia, dicti à Venere Erycina: qui Magistratibus populi R. quasi apparitorum loco ac numero esse solebant.

CICERO. 261
Vix ille hoc dixerat, quũ iste pronũtiat, Sthenium literas publicas corrupisse videri: & hæc præ
terea addidit homo Venerius nouo modo, nullo exẽplo, ob eam rem H-S quingenties Veneri Ery
cinæ de Sthenii bonis exacturum: bonáque eius statim cœpit vẽdere: & vendidisset, si tantulũ mo-
ræ fuisset, quo minus ei pecunia illa numeraretur. ea posteaquam numerata est, contentus hac ini- 94
quitate non fuit: palàm de sella, ac tribunali pronũtiat, siquis absentem Stheniũ rei capitalis reum
facere vellet, sese eius nomen recepturum: & simul, vt ad causam accederet, noménque deferret, A-
gathinum nouũ affinem, atque hospitem cœpit hortari. tum ille clarè, omnibus audientibus, sese
id non esse facturum, neque se vsque eò Sthenio esse inimicum, vt eum rei capitalis affinem esse di-
ceret. Hic tum repentè Pacilius quidam, homo egens, & leuis, accedit: ait, si liceret, nomen absentis
deferre se velle. iste verò, & licere, & fieri solere, & se recepturũ: itáque defertur. edicit statim, vt Cal.
Dec. adsit Sthenius Syracusis. hic, qui Romã venisset, satísque fœliciter anni iam aduerso tempore 95
nauigasset, omniáque habuisset æquiora, & placabiliora, quàm animũ Prætoris, atque hospitis: rem
ad amicos suos detulit. quæ vt erant acerba, atque indigna, sic videbantur omnibus. Itaque in Se-
natu continuò Cn. Lentulus, & Lucullus COSS. faciunt mentionẽ, placere statui, si Patribus Con
scriptis videretur, ne absentes homines in prouinciis rei fierẽt rerum capitalium: causam Sthenii
totam, & istius crudelitatem, & iniquitatem Senatum docent.

Corrupisse videri. Illud animaduersione dignũ est hoc loco, morem fuisse iudicibus, ita pronuntiare sententiam, vt non fecisse aliquem liquidò dicerẽt, sed fecisse videri. similiter pag. 45, Fecisse videri pronuntiant. & in Orat. pro Cæcina, 614, Iste uester testis, qui ausus est dicere fecisse videri eum, de quo, &c. Et lib. Acad. quæst. 11, Quam rationem, inquit, maiorum etiam cõprobat diligentia: qui primùm iurare ex sui animi sententia quemque voluerunt: deinde ita teneri, si sciens falleret, quòd inscientia multa versaretur in vita: tum qui testimonium diceret, vt Arbitrari se diceret etiam quod ipse vidisset: quæque iurati iudices cognouissent, vt ea non esse facta, sed vt videri pronuntiarent.

Homo Venerius. Pius & religiosus in Venerem. Illum enim Erycinæ Veneri condemnabat.

H-S quingenties. Sine dubio maior hæc summa est, quàm verisimile sit, partẽ dũtaxat Sthenii bonorũ fuisse. Efficit enim nostratis pecuniæ duodecies cẽtena quinquaginta millia aureorũ. Legendũ potius arbitrarer, Quingẽta: vt aut vox Millia subaudiatur, aut quũ hæc nota H-S scripta esset, prætermissa sit. quæ summa est duodecim millium aureorum, & præterea quingentorum. quanta ex Epicratis bonis fuisse dicitur.

Cn. Lentulus & Lucullus COSS. In recensione Cõsulum Cn. Lentuli collegam reperio L. Gellium: itémque in Orat. pro Balbo, nõ vno loco. ex quo in suspicionem incidi, pro L. Gellius suppositum hoc loco fuisse Lucullus. quam suspicionem etiã hoc adiuuat, quòd quũ priorem Consulem cum prænomine posuerit, verisimilius est alterum sine prænomine Lucium non reliquisse. Et profectò ita est, vt L. Lucullus hoc tempore in Asia bellũ aduersus regem Mithridatem administraret.

CICERO. 263
Aderat in Senatu Verres pater istius, & flẽs vnumquenque Senatorem rogabat, vt filio suo par
ceret: neque tamen multum proficiebat: erat enim summa voluntas Senatus. itaque sententiæ dice
bantur, quum Sthenius absẽns reus factus esset, de absente iudiciũ nullum fieri placere: & siquod
esset factum, id ratum esse non placere. Eo die transigi nihil potuit, quòd & id temporis erat, & ille 96
pater istius inuenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. postea senex Verres defensores,
atque hospites omnes Sthenii conuenit: rogat eos, atque orat, ne oppugnent filium suum, de Sthe-
nio ne laborent: confirmat his, curaturum se esse, nequid ei per filium suum noceretur, se homines
certos eius rei causa in Siciliam & terra, & mari missurum. & erat spatiũ dierum ferè triginta ante
Cal. Dec. quo iste, vt Syracusis Sthenius adesset, edixerat. Cõmouentur amici Sthenii: sperant fo- 97
re, vt patris literis, nuntiisque filius ab incœpto furore reuocetur. in Senatu postea causa non agi-
tur. Veniunt ad istum domestici nuntii, literásque à patre afferunt ante Cal. Dec. quum isti etiam
tum de Sthenio integra tota res esset: eodémque ei tempore de eadem re literæ complures à multis
eius amicis, ac necessariis afferũtur. Hic iste, qui præ cupiditate neque officii sui, neque periculi, ne-
que pietatis, neque humanitatis rationem habuisset vnquam, neque in eo, quod monebatur, aucto-
ritatem patris, nec in eo, quod rogabatur, voluntatem anteponendam putauit libidini suæ. Mane 98
Cal. Dec. vt edixerat, Sthenium citari iubet. Si abs te istam rem parens tuus alicuius amici rogatu,
benignitate, aut ambitione inductus petisset: gratissima tamẽ apud te volũtas patris esse debuisset.

Erat summa voluntas Senatus. Antiqua loquutio, pro, lubẽtissimis animis assentiebãtur. sic lib. Epi. ad Att. 1, Iudices habemus quos volumus, summa accusatoris voluntate.

Transigi nihil potuit. Senatusconsultum perscribi non potuit.

Dicendo tempus consumerent. Senatusconsultum ante exortum aut post occasum solis factum, ratum non erat. Itaque si qui Senatusconsultum, quominus fieret, impedire vellent, dicendo tempus consumebat. Licebat enim Senatori & qua de re vellet, & quandiu vellet, dicere. Atque hoc Diem tollere, & Diem eximere veteres appellabant. Gellius, Valerius, Plutarchus.

Neque officii sui. Quod in eo Magistratu sustinebat.

Neque periculi. Ne amitteret existimationem.

Neque pietatis. In patrem.

Humanitatis. In amicos.

Ambitione inductus petisset. Ambitio modò studium gratiæ & fauoris conciliandi significat, vt infrà, pag. 280, Quisquam dubitabit, quin tu istam inuidiam non ambitionis, neque beneficiorũ collocandorum, sed pecuniæ conciliandæ causa susceperis. Et 264, Officii potius in socios, quàm ambitionis in ciues rationem duxerit. Sic Epist. prima ad Q. Fratrem, Præsertim quum mores ad nimiam lenitatem atque ambitionem incubuerint. Græci τὸ δημοκοπεῖν dicunt, gratiam & beneuolentiam aucupari, & qui ita ambitiosi sunt δημοκόπους appellant: ipsam ambitionem, δημοκοπίαν.

> Quum verò abs te tui capitis causa peteret, hominésque certos domo misisset, hique eo tempore ad te venissent, quum tibi in integro tota res esset: ne tum quidem te potuit si non pietatis, at salutis tuæ ratio ad officium, sanitatemque reducere? Citat reum: non respondet. citat accusatorem (attendite quæso: videte, quantoperè istius amentiæ fortuna ipsa aduersata sit: & simul videte, quis Sthenii causam casus adiuuerit) citatus accusator M. Pacilius nescio quo casu non respondit, non affuit. si præsens Sthenius reus esset factus, si manifesto in maleficio teneretur: tamẽ, quũ accusator non adesset, Stheniũ condemnari non oporteret. etenim, si posset reus absente accusatore damnari, non ego à Vibone Veliã paruulo nauigio inter fugitiuorũ, ac prædonum, ac tua tela venissem: quo tempore omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis, ob eã causam, ne tu ex reis eximerere, si ego nõ affuissem ad diem. Quod igitur erat in tuo iudicio optatissimũ, me, quũ citatus essem, non adesse: cur Sthenio non putasti prodesse oportere, quum eius accusator non affuisset? Itaque fecit vt exitus principio simillimus reperiretur. quem absentem reũ fecerat, eum absente accusatore condemnat. Nuntiabatur illi primis illis temporibus id, quod pater quoque ad eum pluribus verbis scripserat, agitatam rem esse in Senatu, etiam in concione Tribunum pleb. de causa Sthenii M. Palicanum esse questum. postremò me ipsum apud collegium hoc Tribunorum pleb. quum eorum omnium edicto non liceret quenquam Romæ esse qui rei capitalis condemnatus esset, egisse causam Sthenii. CICERO. 264

A Vibone veliam. Vibo vrbs est sita in agro Brutio, qua è Sicilia Cicero rediens, Veliam Lucaniæ oppidum nauigio peruenit. Nauigium enim festinanti commodius erat magna naue.

Si ego non affuissem ad diem. Quum ad iudiciũ Prætor venisset, si accusator à præcone citatus, non responderet, rei nomen de reorum numero eximebatur. Asconius in Orat. pro Cornelio, Postero die quũ P. Cassius assedisset, & citati accusatores non adessent, exemptũ nomen est de reis Cornelii.

> Quum rem ita exposuissem, quemadmodum nunc apud vos, docuissémque hanc damnationem duci non oportere, Tribunos pleb. hoc statuisse, idque omnium sententia pronuntiatum esse, Non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romæ esse. quũ hæc ad istum afferrentur: timuit aliquando, & cõmotus est: vertit stilum in tabulis suis: quo facto causam omnem euertit suam: nihil enim sibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione posset. nam si ita defenderet, Reci pi nomen absentis licet, hoc fieri in prouincia nulla lex vetat: mala & improba defensione, verùm aliqua tamen vti videretur. Postremò illo desperatissimo perfugio vti posset, se imprudentem fecisse, existimasse id licere. quanquam hæc perditissima defensio est: tamen aliquid dici videretur. tollit ex tabulis id quod erat, & facit corãm delatũ esse. Hic videte, in quot laqueos se induerit, quorum ex nullo se vnquam expediret. Primum ipse in Sicilia sæpe, & palàm de loco superiore dixerat, & in sermone multis demonstrarat, licere nomen recipere absentis, se exemplo fecisse id quod fecisset. hæc eum dictitasse priore actione, & Sex. Pompeius Chlorus dixit, de cuius virtute antea commemoraui, & Cn. Pompeius Theodotus, homo Cn. Pompeii clarissimi viri iudicio plurimis maximisque in rebus probatissimus, & omnium existimatione ornatissimus: & Possides Matro Solentinus, homo summa nobilitate, existimatione, virtute: & hac actione quàm voletis multi dicent, & qui ex isto ipso audierint, viri primarii nostri ordinis: & alii qui interfuerint, quũ absentis nomen reciperetur. deinde Romæ quum res esset acta in Senatu, omnes istius amici, in his etiam pater eius, hoc defendebat licere fieri: sæpe esse factum: istum, quod fecisset, aliorum exemplo, institutóque fecisse. CICERO. 265

Damnationem duci non oportere. Sthenium pro damnato habere non oportere.

Vertit stilum. Superiore parte stili quod scriptũ erat, induxit. Vsus est Horatius in 1 Sermonum, Sæpe stilum vertas, iterum quæ digna legi sunt, Scripturus.

In quos laqueos se induerit. Græca locutio, ἐνδύεσθαι ἑαυτὸν, & συνδύειν, pro Implicare, & Irretire. Similiter in Lucullo, Philo, vt docuit Antiochus, in idipsum se induit, quod timebat. Et paulo infrà, Videte vt dum expedire sese vult, induat. item pag. 517.

CICERO. 266 Dicit præterea testimonium tota Sicilia: quæ in communibus postulatis ciuitatum omnium 103
Consulibus edidit, rogare, atque orare Patres Conscriptos, vt statuerent, ne absentium nomina reciperentur. Qua de re Cn. Lentulum patronum Siciliæ, clarissimum adolescentem, dicere audistis: Siculos, quum se causam, quæ pro his sibi in Senatu agenda esset, docerent, de Sthenii calamitate questos esse, proptérque hanc iniuriam, quæ Sthenio facta esset, eos statuisse, vt quod dico postularetur. Quæ quum ita essent: tantáne amentia præditus, atque audacia fuisti, vt in re tam clara, tam 104
testata, tam abs te ipso peruulgata, tabulas publicas corrumpere auderes? at quemadmodum corrupisti? nónne ita, vt omnibus nobis tacentibus ipsæ te tuæ tabulæ cõdemnare possent? quæso, codicem circumfer, ostende. videtísne totum hoc nomen, coràm vbi facit delatum, esse in litura? quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? quid à nobis Iudices expectatis argumenta huius criminis? nihil dicimus: tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas, atque interlitas esse clamãt.
Ex istis etiam tu rebus effugere te posse confidis, quum te nos non opinione dubia, sed tuis vesti- 105
giis persequamur, quæ tu in tabulis publicis expressa, ac recentia reliquisti? Is mihi etiam Sthe-
indicauit, nium literas publicas corrupisse causa incognita *iudicauit, qui defendere non potuerit se *non ex
l. narrat. ipsius Sthenii nomine literas publicas *corrupisse. Videte porrò aliam dementiã: videte vt, dum
l. non corrup. expedire sese vult, induat. Cognitorem ascribit Sthenio: quem? cognatũ aliquem, aut propinquem? non: Thermitanum aliquem honestum hominem, ac nobilem? ne id quidem.

In communibus postulatis. Quæ à Legatis prouinciarũ scripta Consulibus edebantur mense Februario, vt de iis in Senatu ageretur.

Dicere audistis. Priore actione, pro testimonio.

Circumfer. Scribam alloquitur, cui literas dederat, vt suprà cognouimus, recitandas.

Iudicauit. Iudicabit, opinor, paulo venustius legeretur.

Non ex ipsius. In veteribus nonnullis, NON particula meliore loco posita videtur, inter Publicas, & Corrupisse.

Cognitorem ascribit. Cognitor præsentis dicitur, qui Procurator absentis. Dixi in Diuinatione, & alibi frequenter.

CICERO. 267 At Siculum, in quo aliquis splendor dignitásque esset? minimè: quid igitur? ciuem Romanum. 106
cui hoc probari potest: quum esset Sthenius ciuitatis suæ nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitiis, quũ præterea tota Sicilia multum auctoritate, & gratia posset: inuenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret? hoc probabitis? an ipse ciuem Romanum maluit? cedo, cui Siculo, quum is reus fieret, ciuis Romanus cognitor factus vnquam sit. omnium Prætorum li-
ante te teras, qui *antè fuerunt, profer, explica: si vnũ inueneris, ego hoc tibi, quemadmodum in tabulis scriptum habes, ita gestum esse cõcedam. At credo Sthenius hoc sibi amplum esse putauit, eligere è ci- 107
uium Romanorum numero, ex amicorum atque hospitum suorum copia quem cognitorem daret. quem delegit? quis in tabulis scriptus est C. Claudius C. filius Palatina. non quæro, quis hic sit Claudius, quàm splendidus, quàm honestus, quàm idoneus, propter cuius auctoritatem & dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum consuetudine discederet, & ciuem Romanum cognitorem daret. nihil horum quæro: fortasse enim Sthenius nõ splendorem hominis, sed familiaritatem secutus est. quid si omnium mortaliũ Sthenio nemo inimicior, quàm hic C. Claudius, tum semper, tum in his ipsis rebus, & temporibus fuit? si de literis corruptis contrauenit? si contrà omni ratione pugnauit? vtrum potius, pro Sthenio inimicum cognitorem esse factũ, an te in Sthenii periculum
inimici eius nomine abusum esse credemus? Ac nequis fortè dubitet, cuiusmodi totum sit nego- 108
tium: tametsi iandudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse confido, tamen paululum etiam attendite.

Prætorum literas. In quibus acta iudiciorum describi consueuerant.

Qui antè fuerunt. Rectius putarem, Ante te: vt alibi plerunque.

Scriptum habes. Ciuem R. homini Siculo cognitorem fuisse.

Palatina. Præcisè in sexto casu, pro Ex tribu Palatina. Et vide Ascon. in II Verrinam.

Si de literis corruptis contrauenit. Si acerrimum se aduersarium in illa causa præbuit.

CICERO. 168 Videtis illum subcrispo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, vt sibi ipse peracutus esse videatur? qui tabulas tenet, qui scribit, qui monet, qui proximus est? is est C. Clodius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, cõfector negotiorum, prope collega Timarchidi numerabatur: nunc ob-
in... tinebat eum locum, vt vix Apronio illi de familiaritate concedere *videatur, & qui se non Timar-
qui chidis, sed ipsius Verris collegam, & socium esse dicebat. *dubitare etiamnum potestis, quin eum 109
l. dubitare nisi, si potestis, iste potissimum ex omni numero delegerit, cui improbam personam imponeret, quem & huic in-

micissimum, & sibi amicum esse arbitraretur? Hìc vos dubitatis Iudices, tantam istius audaciã, tantam crudelitatem, tantam iniuriã vindicare? dubitatis exemplum iudicum illorum sequi, qui damnato Cn. Dolabella, damnationem Philodami Opuntii resciderunt, quòd is nõ absens reus factus esset: quæ res iniquissima & acerbissima est, sed quum ei Legatio Romam à suis ciuibus esset data? Quod illi iudices multo in leuiore causa statuerunt, æquitatem sequuti: vos id statuere in grauissima causa, præsertim aliorũ auctoritate iam confirmatũ, dubitabitis? At quem hominem C. Verres tanta, tam insigni iniuria affecisti? cuius absentis nomen recepisti? quem absentem non modò sine crimine, & sine teste, verumetiam sine accusatore damnasti? quem hominem dii immortales! non dicam amicum tuum, quod apud homines charissimũ est: non hospitem, quod sanctissimum est: nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro: nihil aliud in eo, quod reprehendi possit, inuenio, nisi quòd homo frugalissimus, atque integerrimus te hominem plenũ stupri, flagitii, sceleris domũ suam inuitauit: nisi quòd qui C. Marii, & Cn. Pompeii, C. Marcelli, L. Sisennæ, tui defensoris, cæterorúmque fortissimorũ hospes fuisset, atque esset, ad eum numerum clarissimorum hominum tuum quoque nomen ascripserit.

Peracutus esse. Contemptim nos intuens, quasi abiectos despiciens.

Timarchidi. Quem non ita multo antè interpretem mercaturæ iudiciorum faciendæ fuisse dixit: pag. 278.

Num: obtinebat. Id est, Tunc, quo tempore fuit cognitor.

Apronio illi. Ostendit Apronium, de quo mox dicet, pag. 312.

Videatur &c. Corrigendum putarem, Videretur vt.

Dubitare etiamnum potestis. Aldinus & alii, opinor, omnes, Dubitate etiam si potestis. in quo quum sensus sit optimus, non video cur quicquam immutari oporteat.

Improbam personam imponeret. Partes daret hominis improbi, & ementiti cognitoris. Translatum ex fabulis verbum.

Damnato Cn. Dolabella. Pag. 173

Quum ei Legatio. Minus iniquum videri vult, Legatum absentem in reos referri, quàm non Legatum. Legationem igitur liberam intelligit, quæ non Reipub. sed aut syngraphæ exigendæ, aut hæreditatis persequendæ, aut voti soluendi causa dabatur: vt ex libro de Legib. III intelligitur. Dabatur autem iis ferè, qui periculum aliquod iudiciorum declinare vellent.

Quare de hospitio violato, & de isto tuo nefario scelere nihil queror. hoc dico, non his, qui Sthenium norunt, hoc est nemini eorum qui in Sicilia fuerunt: nemo enim ignotat, quo hic in ciuitate sua splẽdore, qua apud omnes Siculos dignitate, atque existimatione sit. sed vt illi quoque, qui in ea prouincia non fuerũt, intelligere possint, in quo homine tu statueris exemplũ eiusmodi, quod tum propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem acerbum omnibus, atque intolerandum videretur. Estne Sthenius is, qui omnes honores domi suæ facillimè quũ adeptus esset, amplissimè ac magnificentissimè gessit? qui oppidum non maximum maximis ex pecunia sua locis communibus, monimentisque decorauit? cuius de meritis in Rempub. Thermitanorum, Siculósque vniuersos fuit ænea tabula fixa Thermis in curia: in qua publicè erat de huius beneficiis scriptum, & incisum. quæ tabula tum imperio tuo reuulsa, nunc à me tamen reportata est, vt omnes huius honores inter suos, & amplitudinem possent cognoscere. Estne hic, qui, apud Cn. Põpeium clarissimum virum quũ accusatus esset, quòd propter C. Marii familiaritatem, & hospitium contra Rempub. sensisse eum inimici & accusatores eius dicerẽt, quòd tum magis inuidioso crimine quàm vero accerseretur: ita à Cn. Pompeio absolutus est, vt in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statuerit? CICERO. 269

Exemplum eiusmodi. Exemplum est quod aliis aut imitandum, aut fugiendum proponitur. Dicit autem Crudelitatis exemplum immanitatísque naturæ, quod omnibus acerbum, & omni contentione fugiendum videri debeat. Sic in Orat pro Flacco, In hoc ego reo, ne quod perniciosum exemplum prodatur, pertimescam?

Nunc à me tamen reportata est. Reportata, in curiam. id est, refixa, restituta.

Cn. Pompeium. Nam Syllæ partes sequutus est Pompeius, à quo etiam Imperator appellatus est. Et Apud Cn. Pompeium, opinor quũ Prætor esset, & quæstionem imminutæ maiestatis exerceret

Quod tum magis. Probabilior lectio, quam tum in manuscripto, tum impressis nonnullis reperio, Quum magis inuidioso.

Ita porrò laudatus defensúsque ab omnibus Siculis, vt idem Pompeius non ab homine solùm, CICERO.
sed etiam à prouincia tota se huius absolutione inire gratiã arbitraretur? Postremò éstne hic, qui 270
& animum in Rempub. habuit eiusmodi, & tantum auctoritate apud suos ciues potuit, vt perficeret in Sicilia solus te Prætore, quod non modò Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota potuisset, vt ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico at-

tingeres, quū præsertim essent multa præclara, & tu omnia concupisses? Denique nunc vide, quid inter te, cuius nomine apud Siculos dies festi agitantur, & præclara illa Verrea celebrātur, cui statuæ Romæ stant inauratæ, à communi 'Siciliæ, quemadmodum inscriptum videmus, datæ: vide inquam, quid inter te, & hunc Siculum, qui abs te est patrono Siciliæ condemnatus, intersit. hunc ciuitates ex Sicilia permultæ testimonio suo, Legationibúsque ad eam rem missis publicè laudāt: te omnium Siculorum patronum vna Mamertina ciuitas sociā furtorū, ac flagitiorum tuorum publicè laudat, ita tamen nouo more, vt Legati lædant, Legatio laudet. Cæteræ quidem ciuitates publicè literis, Legationibus, testimoniis accusant, queruntur, arguunt: si tu absolutus sis, funditus euersas se esse arbitrantur. hôc de homine, ac de huius bonis etiam in 'Eryco monte monimentum tuorū flagitiorū, crudelitatísque posuisti: in quo Sthenii Thermitani nomen ascriptum est. Vidi argenteu Cupidinem cum lampade. quid tandem habuit argumenti, aut rationis res, quamobrem in eo potissimum Sthenianum præmium poneretur?

'Siciliæ, 'Eryce

Communi Siciliæ. Legendum putarem, A communi Siciliæ: vt libro superiori, Commune Miliadum, pro Respub. & infrà 184, Vt ii pro parte in commune Siciliæ conferrent. Græca locutio, de qua alio loco commemorauimus.

Mamertina ciuitas. Vide librum Accusat. 1 v, pag. 418, & 428.

In Eryco monte. Iam suprà diximus, Aut Erycino, vt in Asconio: aut Eryce monte legendum esse, quemadmodum & Strabo, & Virgilius, & Plinius, & alii omnes loquuti sunt.

Sthenii nomen ascriptum est. Nam scriptum & incisum est, ex Sthenii damnati bonis hoc esse donum Veneri dicatum. Exacta sunt enim H-S quingenta millia. vt pag. 262.

Quid tandem habuit argumenti. Id est, quid fuit causæ? Dolet Sthenii nomini notam infamiæ tantam, & tam diuturnam inustam. Consecratum enim religioni monimentum in perpetuum tempus manebat. Idcirco dicit, In eo potissimum: id est In sacro & religioso loco.

Sthenianum præmium. Hoc postea explicabit.

CICERO. 271 Vtrum hoc signum cupiditatis tuæ, an trophæū necessitudinis, atque hospitii, an amoris 'iudicium esse voluisti? faciunt hoc homines, quos in summa nequitia non solùm libido, & voluptas, verumetiam ipsius nequitiæ fama delectat, vt multis in locis notas, ac vestigia scelerū suorum relinqui velint. ardebat amore illius hospitæ, propter quam hospitii iura violarat. hoc non solùm sciri tum, verumetiam commemorari semper volebat. itaque ex illa ipsa re, quam accusante Agathino gesserat, Veneri potissimum deberi præmium statuit, quæ illam totam accusationem, iudiciúmque conflarat. Putarem te gratum in deos, si hoc donū Veneri non de Sthenii bonis dedisses, sed de tuis: quod facere debuisti, præsertim cum tibi illo ipso anno à Chelidone venisset hæreditas. Hic ego si hanc causam nó omnium Siculorum rogatu recepissem, si hoc à me muneris non vniuersa prouincia poposcisset: si me animus, atque amor in Rempub. existimatióque offensa nostri ordinis, ac iudiciorum non hoc facere coegisset, atque hæc vna causa fuisset, quòd amicum, atque hospitem meum Stheniū, quem ego in Quæstura mea singulariter dilexissem, de quo optimè existimassem, quē in prouincia existimationis meæ studiosissimū, cupidissimúmque cognossem, tam crudeliter, scelerate, nefariéque tractasses: tamen digna causa esset, cur inimicitias hominis improbissimi susciperem, vt hospitis salutem, fortunásque defenderem. Fecerunt hoc multi apud maiores nostros: fecit etiam nuper homo clarissimus Cn. Domitius, qui M. Syllanum Consularem virum accusauit propter Egritomari transalpini hospitis iniurias.

'iudicium

Amoris iudicium. Corrige, Indicium.

Quæ illam totam. Nam ob amorem hospitæ, cuius & vir & pater inimici erant Sthenio, recepta erat absentis à Verre & delatio & accusatio.

Existimatióque offensa. Senatus enim tum iudiciorum infamia laborabat. 114, 136, & alibi sæpe.

In Quæstura mea. Quam in Sicilia gessi, Prætore Sex. Peduceo.

M. Syllanum. Vide quæ dixi in Diuinat. 133.

CICERO. 272 Putarem me idoneū, qui exemplum sequerer humanitatis, atque officii, proponerémque spem meis hospitibus, ac necessariis, quo tutiorem vitam sese meo præsidio victuros esse arbitrarentur. Quum verò in communibus iniuriis totius prouinciæ Sthenii quoque causa contineatur: multíque vno tépore à me hospites, atque amici publicè, priuatímque defendantur: profectò vereri non debeo, nequis hoc quod facio, non existimet summi officii ratione impulsum, coactúmque suscepisse. Atque vt aliquādo de rebus ab isto cognitis, iudicatísq;, & de iudiciis datis dicere desistamus, & quoniam facta istius in his generibus infinita sunt: nos modum aliquem, & finem orationi nostræ criminibúsque faciamus: pauca ex aliis generibus sumemus. Audistis, ob ius dicendū, Q. Varium dicere, procuratores suos isti centum & triginta millia nummûm dedisse: meministis Q. Varii testimonium, rémque hanc totam C. Sacerdotis hominis ornatissimi testimonio comprobari: scitis Cn. Sertium, M. Modium Equites R. sexcentos præterea ciues R. multósque Siculos dixisse,

isti pecuniam ob ius dicundum dedisse. de quo crimine quid ego disputem, quum totum positum sit in testibus? quid porrò argumenter, qua de re dubitare nemo possit? an hoc dubitabit quisquam omnium, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictū, atque omnia decreta vendiderit? & quin ab Siculis ob decreta interponēda pecuniā acceperit, qui M. Octauium Ligurem ob ius dicundum poposcerit? quod enim est præterea genus pecuniæ cogendæ, quod præteriit? quod nō, ab omnibus aliis præteritū, excogitauit? ecquæ res apud ciuitates Siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quæstum, nundinationémque hominum traduxeris?

Centum & triginta millia. Ter mille ducentos quinquaginta aureos.

Octauium Ligurem. Verrina III, pag. 209.

Quod enim est p. g. p. cogendæ, quod præteriit? Omnes veteres & manuscripti, & impressi libri duabus illis vocibus EST, & QVOD carent. quam scripturam, quum optimam habeat sententiam, sine causa immutare non ausim.

Honos aliquis. In Senatoribus cooptandis. 274.

Potestas. In Magistratibus creandis. 277, 278.

Procuratio. In Sacerdotiis mandandis. 275.

CICERO. 273

Dicta sunt priore actione & priuatim, & publicè testimonia: Legati Cēturipini, Halesini, Catinenses, Panormitanique dixerunt, multarum præterea ciuitatū, iam verò priuatim plurimi: quorum ex testimoniis cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem vlla in ciuitate Senatorem factum esse gratis: neminem, vt leges eorum sunt, suffragiis: neminem nisi istius imperio, aut literis: atque in his omnibus Senatoribus cooptandis non modò suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret: neque census, neque ætatis, neque cætera Siculorum iura valuisse: quicunque Senator voluerit fieri, quanuis puer, quanuis indignus, quanuis ex eo loco, ex quo non liceret, si is pretio apud istum fieret idoneus vt vinceret, factum esse semper: non modò Siculorum nihil in hac re valuisse leges, sed ne ab Senatu quidē populóque R. datas. quas enim leges sociis amicisque dat is qui habet imperium à populo R. auctoritatem legum dandarum à Senatu, hæ debent & populi R. & Senatus existimari. Halesini pro multis & magnis suis maiorúmque suorum in Remp. nostram meritis, atque beneficiis, suo iure nuper L. Licinio, Q. Mutio COSS. quū haberent inter se controuersias de Senatu cooptādo, leges ab Senatu nostro petiuerūt. decreuit Senatus honorifico S.C. vt his C. Clodius Appii filius Pulcher Prætor de Senatu cooptando leges conscriberet.

Catinenses. Vtrunque reperio & Catanenses, & Catinenses. Quare nihil mutandum censeo.

Ne genera quidem. Veluti, ne ex libertinis crearentur.

Quas enim leges. Hoc dicit propter Rupilium, quem suprà ex Senatusconsulto, de decem Legatorum sententia leges Siculis dedisse ostendit.

Nuper L. Licinio, Q. Mutio COSS. Annos ab hinc XXIV. Nam vox nuper etiam de longinquo tempore frequenter. vt infrà 414, Nuper homines nobiles eiusmodi, Iudices: ecquid dico, Nuper? imò verò modò, ac planè paulo antè vidimus. &c.

CICERO. 274

C. Clodius adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorū sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit, de ætate hominum, ne quis minor triginta annis natu: de quæstu, quem qui fecisset, ne legeretur: de censu, de cæteris rebus. quæ omnia ante istum Prætorem, & nostrorū Magistratuum auctoritate, & Halesinorū summa voluntate valuerunt. ab isto & præco, qui voluit, istum ordinem pretio mercatus est: & pueri annorum senū, septenúmque denûm Senatorium nomen nundinati sunt: & quod Halesini antiquissimi & fidelissimi socii, atque amici Romæ impetrarant, vt apud se ne suffragiis quidem fieri liceret, id pretio vt fieri posset, effecit. Agrigentini de Senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent: in quibus & eadem illa sancta sunt, & hoc amplius. quū Agrigentinorum duo genera sint, vnū veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius Prætor ex S.C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum: cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent ex colonorum numero, quàm ex vetere Agrigentinorum. Iste, qui omnia iura pretio exæquasset, omniúmque rerum delectū, atque discrimen pecunia sustulisset: non modò illa, quæ erant ætatis, ordinis, quæstúsque permiscuit, sed etiam in his duobus generibus, ciuium nouorum, veterúmque delectum, ordinémque turbauit. nām quū esset ex veterum numero quidam Senator demortuus, & quū ex vtroque genere par numerus reliquus esset: veterem cooptari necesse erat legibus, vt his amplius numerus esset. quæ quum ita se res haberet, tamen ad istum venerunt emptum locum illum Senatorium non solum veteres, sed etiam noui. fit vt pretio nouus vincat, literásque à Prætore auferat.

De quæstu. Vt qui sordidū & illiberalem quæstum fecisset: veluti, qui leno, præco, histrio fuisset.

De censu. Ne quis, nisi qui certam summam in bonis haberet, Senator esset.

Colonorum. Qui ex aliis Siciliæ oppidis Agrigentum deducti fuerant.

Vetere Agrigentinorum. VETERVM legendum esse apparet, ex iis quæ & modò paulo antè dixit, & dicet paucis pòst versibus.

His amplius numerus esset. Obscura locutio & insolens, quam ita intelligi arbitror oportere, Vt numerus maior, atque amplior, siue In quo esset amplius veterum ciuium, non colonorum.

CICERO. 275 Agrigentini ad istum Legatos mittunt, qui eum leges doceant, consuetudinémque omnium annorum demonstrent, vt iste intelligeret, ei se illum locum vendidisse, cui ne commercium quidem esse oporteret. quorum oratione iste, quum pretium iam accepisset, ne tantulum quidem commotus est. Idem fecit Heracleæ: nam eò quoque colonos P. Rupilius deduxit, legésque similes de cooptando Senatu, ac de numero veterum, ac nouorum dedit. ibi non solùm iste, vt apud cæteros, pecuniam accepit, sed etiam genera veterum, ac nouorum, numerúmque permiscuit. Nolite expectare, dum omnes obeam oratione mea ciuitates: hoc vno complector crimine omnia, neminem isto Prætore Senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset. hoc idem transfero in Magistratus, curationes, sacerdotia: quibus in rebus non solùm hominũ iura, sed etiam deorum religiones immortaliũ omnes repudiauit. Syracusis lex est de religione, quæ in annos singulos Iouis sacerdotem sortitò capi iubeat: quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur. quum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res reuocatur ad sorté. perfecerat iste imperio, vt pro suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renuntiaretur. in sorte, cui imperare non poterat, expectabant homines, quidnam acturus esset. homo, id quod erat facillimum, primò vetat sortiri: iubet extra sortem Theomnastum renuntiari. negát id Syracusani per *religionem sacrorum vllo modo fieri posse, fas denique negant esse. iubet ille sibi legem legi. recitatur: in qua scriptum erat vt, quot essent renuntiati, tot in hydriam sortes conicerentur: cuius nomen exisset, vt is haberet sacerdotium. homo ingeniosus, & peracutus, Optimè, inquit.

*religiones l.

Obeam oratione mea. Vt sigillatim quid vnaquaque in ciuitate fecerit, persequar.

In tribus illis. Id est, vnus ex tribus illis.

Religionem sacrorum. Alii omnes, Religiones. quod cur immutari oporteat, non intelligo.

CICERO. 276 Nempe scriptum ita est, Quot renuntiati erunt. quot ergo sunt renuntiati? respõsum, Tres. Nunquid igitur oportet nisi tres sortes cõiici, vnam educi? Nihil. coniici iubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. Fit clamor maximus, quũ id vniuersis indignum, atque nefarium videretur. Ita Iouis illud sacerdotium amplissimum per hãc rationem Theomnasto datur. *Cephaledi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. erat eius honoris cupidus Arthenio quidam, Climachias cognomine, homo sanè locuples, & domi nobilis: sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset. Fi locus ille, atque honos, in illum annum ita deberi putabatur, vt ne Climachias quidem contradiceret. res ad istum defertur, & istius more deciditur. Toreumata sanè noua ac pretiosa auferuntur. Herodotus Romæ erat: satis putabat se ad comitia tempore venturum, si pridie venisset. iste, ne aut alio mẽse ac fas erat, comitia haberentur, aut Herodoto præsenti honos adimeretur, id quod iste non laborabat, Climachias minimè volebat, excogitat (dixi iandudum: non est homo acutior quisquam, nec fuit) excogitat inquam, quemadmodum mense illo legitimo comitia haberentur, nec tamen Herodotus adesse posset. Est consuetudo Siculorum, cæterorúmque Græcorum, quòd suos dies mensésque cõgruere volunt cum Solis Lunæque ratione, vt nonnunquã, si quid discrepet, eximãt vnum aliquem diem, aut summum, biduum ex mense: quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominãt. Item nonnunquam vno die longiorem mensem faciunt, aut biduo.

*Cephaledii

Cephaledi. Strabo libro VI, κεφαλοίδιον Siciliæ oppidulum appellat: vt fortasse Cephaledii legendum esse videatur.

Suo more deciditur. Sponsione facta certæ pecuniæ.

Toreumata. ἀπὸ τοῦ τορεύειν: dicitur propriè torno facta, itémque sculpta & cælata opera. eadem puto, quæ lingua nostra dicimus, *Taillez en bosse*.

Comitia. Quibus legi sacerdotem oportebat.

Alio mense. Quòd necessarium putabatur, vt vitaretur aduentus Herodoti.

Non est homo acutior. Hæc dicuntur εἰρωνικῶς. Dixit enim sæpe antea, nihil eum obscurè nec dissimulanter agere: neque verò quicquam obtusius, aut minus tectè fieri hac exemptione potuit.

Est consuetudo Græcorum. Græci treis in partes mensem diuidebant, earum prima ἡ ἱσταμένου dicebatur, altera ἡ ἐπὶ δέκα, tertia ἡ φθίνοντος. prima & secunda decem diebus perpetuò constabat: tertia autem ideo incerta & varia erat, quòd luna modò tardius, tum autem celerius se ostendat: quippe quæ interdum altero die post coniunctionem, interdum tertio, nónunquam quarto appareat. Quum igitur celeriùs appareret, eximebatur: quum seriùs, addebatur dies vnus, aut summum alter. Hæc ex libro Theodori Gazæ, De mensibus.

Quæ iste quum cognouisset,nouus astrologus,qui non tam cæli rationem,quàm cælati argenti CICERO.
duceret,eximi iubet non diem ex mense,sed ex anno vnum dimidiatúmque mensem: hoc modo, 277
vt quo die,verbi causa, esse oporteret Idus Ianuarias, eo die Calendas Martias proscriberet:itáque
fit omnibus recusantibus,& implorantibus. dies is erat legitimus comitiis habendis. eo modo sa-
cerdos Climachias renuntiatus est.Herodotus quũ Roma reuertitur,dies,vt ipse putabat, quinde-
cim ante comitia,offendit eũ mensem comitialẽ,comitiis iã ab hinc triginta diebus habitis. Tunc
Cephaleditani decreuerunt intercalarium XLV dies longum,vt reliqui menses in suam rationem
reuerterentur.Hoc si Romæ fieri posset,certè aliqua ratione expugnasset iste,vt dies XLV inter bi
nos ludos tollerẽtur,per quos solos iudiciũ fieri posset. Iam verò Cẽsores quemadmodũ in Sicilia
isto Prætore creati sunt,operæpretium est cognoscere: ille enim est Magistratus apud Siculos,qui
diligentissimè mandatur à populo propter hanc causam, quòd omnes Siculi ex censu quotannis
tributa conferunt, in censu habendo potestas omnis æstimationis habendæ, summæque faciun-
dæ Censori permittitur. Itaque cum populus, cui maximã fidem suarum rerum habeat, maxima
cura deligit,& propter magnitudinẽ potestatis hic Magistratus à populo summa ambitione con-
tenditur. in ea re nihil obscurè facere voluit,non in sortitione fallere,neque dies de fastis eximere:
nihil sanè vafrè,nec malitiose facere conatus est:sed,vt studia cupiditatésque bonorum,atque am-
bitiones ex omnibus ciuitatibus tolleret,quæ res euertendæ Reipub.causa solent esse,ostendit sese
in omnibus ciuitatibus Censores esse facturum.

Offendit eum mensem. Venit enim tricesimo die,quàm mẽsis comitialis Verris instituto cœperat.

Intercalarium. De Intercalatione,cognosce ex Macrobio, & argumento in orationẽ Demosthenis περὶ ἀτελείας. Intercalarium autem dixit virili genere, mensem significans interpositum, qui quadraginta quinque dierum erat. Suetonius in Iulio, Fuitque is annus quo hæc constituebantur, XV mensium,cum intercalario,qui ex consuetudine in eum annum inciderat.

Dies XLV. Intellige à ludis vorsiuis,adusque ludos Victoriæ & plæbeios.& vide 147.

In sortitione fallere. Vt in Theomnasti sacerdotio.

Dies eximere. Vt in illo Climathiæ.

Ex omnibus ciuitatibus tolleret. Hæc dicuntur ἀμοιβαῖα, quòd minus malum maiore malo cõmutarit.

Tanto mercatu Prætoris indicto, concurritur vndique ad istum Syracusas: flagrabat domus CICERO.
tota prætoria studio hominum, & cupiditate: nec mirum omnibus comitiis tot ciuitatum vnam 278
in domum reuocatis,tantáque ambitione prouinciæ totius in vno cubiculo inclusa. Exquisitis pa
làm pretiis,& licitationibus factis,describebat Censores binos in singulas ciuitates Timarchides.
is suo labore,suísque accessionibus,huius negotiĩ, atque operis molestiã cõsequebatur,vt ad istum
sine vlla solicitudine summa pecunia referretur. Iam hic Timarchides quantam pecuniã fecerit,
planè adhuc cognoscere nõ potuistis:verũtamen priore actione,quàm variè,quàm improbè præ
datus esset, multorum ex testimoniis cognouistis. Sed ne miremini qua ratione hic tantum apud
istum libertus potuerit:exponam vobis breuiter quid hominis sit:vt & istius nequitiam,qui illum
secum habuerit,eo præsertim numero,ac loco, & calamitatem prouinciæ cognoscatis. In mulie-
rum corruptelis,& in omni eiusmodi luxuria, atque nequitia mirandum in modum reperiebam
hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines,singularémque nequitiam natum, atque aptum
fuisse:inuestigare,adire, appellare, corrumpere, quiduis facere in eiusmodi rebus, quanuis callidè,
quanuis audacter, quanuis impudenter: eundem mira quædam excogitare genera furandi: nam
ipsum Verrem tantum semper auaritia hiante, atque imminenti fuisse, ingenio, & cogitatione
nulla, vt, quicquid sua sponte faciebat, item vt vos Romæ cognouistis, eripere potius quàm fal-
lere videretur.

Tot Comitiis. Quibus ii Magistratus mandabantur.

Licitationibus. Auctis subinde pretiis ab iis qui Censuras mercabantur.

Describebat. Partiebatur,partito distribuebat.

Suísque accessionibus. Accessionem hoc loco accipio pro interuentu, & interpellatione eorum qui Censuras ad eum,mercatum itabant. Coniungit enim cum eo quod dixit SVO LABORE. Quòd si pro Quæstu & compendio acciperemus,vt libro insequenti: quæ coniuncta voluit,maiorem in modum distraheremus,sensũmque meo iudicio ineptum redderemus.

Hiante atque imminenti. Sumpta translatione à coruis,aut vulturibus, qui cadaueribus imminere solent,ore & faucibus apertis.

Hæc verò eius erat ars, & malitia miranda, quòd acutissimè tota prouincia, quid cuique esset CICERO.
necesse,indagare & odorari solebat, omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare, 279
ex vtraque parte causas,voluntates perspicere,facultates & copias:quibus opus esset,metum affer- l. Hanc verò erat
re:quibus expediret,spem ostendere: accusatorum & quadruplatorũ quicquid erat, habebat in po-

testate:quod cuique negotii conflari volebat, nullo labore faciebat: istius omnia decreta, imperia, literas, peritissimè,& callidissimè venditabat:ác non solùm erat administer istius cupiditatum, verumetiam ipse sui meminerat æquè: non solùm nummos, siqui isti exciderant, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit, sed etiam voluptatum, flagitiorúmque istius ipse reliquias colligebat. Itaque in Sicilia non Athenionem (qui nullum oppidum cepit) sed Timarchidem fugitiuum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse:in Timarchidis potestate sociorum populi R. antiquissimorum, atque amicissimorum liberos, matresfamilias, bona, fortunásque omnes fuisse. Is igitur, vt dico, Timarchides, in omnes ciuitates accepto pretio Cẽsores dimisit. Comitia isto Prætore Censorum ne simulandi quidem causa fuerunt. Iam hoc impudentissimè. palàm (licebat enim videlicet legibus) singulis Censoribus denarii trecenti ad statuam Prætoris imperati sunt.
*hæc l. Censores c x x x facti sunt. pecuniam illam ob Censuram contra leges clàm dederunt, *ac dena-
*millia rium x x x i x *M palàm saluis legibus contulerunt in statuam. Primùm quò tantam pecuniam? deinde quamobrem Censores ad statuam tibi conferebant? ordo aliquis Censorum est collegium? genus aliquod hominum?

Hæc vero eius. In meo manuscripto syncerior est lectio, Huius verò. Timarchidé enim designat, quum hæc vulgata Verrem sine dubio significet.

Athenionem. Ducem in Sicilia Drepanitanorum, qui à populo R. desciuerant: & fugitiuorum, à quibus omnibus Regem se appellari iussit. Appianus in Mithrid.

Omnibus oppidis. Per omnia oppida.

Ad statuam Prætoris. Hæc fuit Magistratuum Romanorum consuetudo, vt in prouinciis quas regebant, statuas sibi ponẽdas curarent, quasi de prouincia bene meritis. Interdum etiam templa iis ædificabantur.

Denarij trecenti. In singulis denariis, quatuor sunt sestertii. quare trecenti denarii, triginta (vt nũc loquimur) scutatos aureos efficiunt.

Ac denarium. Omnes libri veteres, Hæc denaria. in quo mendum illud est peruulgatum. nam Denariûm in secundo casu legendum est, vt referatur ad millia. HAEC autem non dubito quin sit verius: vt illa inter se duo opponantur, Illam pecuniam clám dederunt: hæc denariûm millia palàm contulerunt.

Denarium x x x i x M. Quadrat summa. sed pro M litera, scribe plenè Millia. Etenim ne hac quidem nota pro Mille veteres vtebãtur. Notis autem quemadmodum scribi debeat, diximus in Oratione pro Q. Roscio. Hæc autem summa nostratis pecuniæ scutatorum efficit tria millia, & præterea nongentos.

Tantam pecuniam. Quum statui multo minore pecunia statua potuisset.

Ordo aliquis. Estne genus quoddam hominum seiunctum ab aliis ordinibus, vt quum alii ordines conferent, ipsi non conferant? nequaquam. Creantur enim, verbi gratia, ex aratoribus. Quamobrem quum sui ordinis homines, id est aratores conferebant in statuam, ipsi quoque pro sua virili parte, vtpote aratores, conferre iubebantur.

CICERO. Nam aut publicè ciuitates istos honores habent, aut generatim homines, vt aratores, vt merca-
280 tores, vt nauicularii. Censores quidem qui magis, quàm AEdiles? ob beneficium? ergo hoc fatebere, abs te petita esse: nam ero per fas? audebis dicere, te eos Magistratus hominibus beneficii, non Reipub. causa permisisse? hoc autem quũ tutè fatebere, quisquam dubitabit quin tu istam apud populos prouinciæ istius inuidiam, atque offensionem non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniæ conciliandæ causa susceperis? Itaque Censores fecerunt idem quod in nostra Repub. solent ii qui per largitionem Magistratus adepti sunt: dederunt operam vt ita potestatem gererent, vt illam lacunam rei familiaris explerent. sic census habitus est te Prætore, vt eo censu nullius ciuitatis Respub. posset administrari: nam locupletissimi cuiusque census extenuarant, tenuissimi auxerant: itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, vt, etiam si homines tacerent, res ipsa illum censum repudiaret. id quod intelligi facillimè reipsa potest. nam L. Metellus, qui, posteaquam ego inquirendi causa in Siciliam veni, repente Letilii aduentu istius non modo amicus, verumetiam cognatus factus est, is, quòd videbat istius censum stare nullo modo posse, eum censum obseruari iussit qui viro fortissimo, atque innocẽtissimo Sex. Peduceo Prætore habitus esset. Erant enim tum Censores legibus facti, delecti à suis ciuitatibus: quibus, siquid commisissent, pœnæ legibus erant constitutæ. te autem Prætore qui Censor aut legem metueret, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat: aut animaduersionem tuam, quũ id, quod abs te emerat, vendidisset?

Qui magis. Pecuniam ad statuam conferant.

Ob beneficium. Quod, abs te Censores creati, acceperant.

Ergo hoc fatebere. Sequi non videtur. Non enim qui, quòd beneficium acceperit, aliquid largitur

continuò eius postulatu à quo accepit, donat. Potest enim sua sponte grati & memoris hominis officio fungens, id largiri. Verum id significat, Verrem ob eam causam beneficium iis cõtulisse, vt pecuniam cõferrent. itaque sic interpretor, Ob beneficiũ: quod abs te eam ob causam acceperant.

Nam erepta non audebis dicere. Alii nonnulli Empta. quod perspicuè absurdum est.

Ambitionis. Demerendæ gratiæ & fauoris. vide 263.

Census habitus. Sic æstimatæ sunt cuiusque facultates.

Nullius ciuitatis Respublica posset administrari. Nam pro cuiusque facultatibus tributa singulis ciuibus imponebantur.

Letilij. Quem suprà Verris tabellarium fuisse dixit, & Roma ad Metellum complures literas attulisse.

Qui Censor. Pro Quis censor: vt sæpe aliâs. Terentius in Phormione, Qui erit rumor populi? METVERET autem, vt in manuscripto legendum omnino est.

» Teneat iam sanè meos testes Metellus: cogat alios laudare, sicut in multis conatus est: modò CICERO. 281
» hæc faciat quæ fecit: quis enim vnquam tanta à quoquam contumelia, quis tanta ignominia affe-
» ctus est? quinto quoque anno Sicilia tota cẽsetur. erat cẽsa Prætore Peduceo. quintus annus quum
» te Prætore incidisset, censa denuò est. postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri vetat:
» Censores dicit deintegro sibi creari placere: interea Peduceanum censum obseruari iubet. Hoc si
» tuus inimicus tibi fecisset, *tamen si animo æquo prouincia tulisset, inimici iudicium graue vide- *tametsi animo l.
» retur. fecit amicus recens, & cognatus voluntarius: aliter enim, si prouinciam retinere, si saluus i-
» pse in prouincia vellet esse, facere non potuit. Expectas etiam quid hi iudicent? si tibi Magistratum
» abrogasset, minore ignominia te affecisset, quàm quum ea, quæ in Magistratu gessisti, sustulit, atque
» irrita iussit esse. neque in hac re sola fuit eiusmodi, sed antequam ego in Siciliam veni, in maximis
» rebus, ac plurimis: nam & Heraclio Syracusano tuos illos palæstritas bona restituere iussit, & Epi
» crati Bidinos, & pupillo Drepanitano A. Claudiũ: &, nisi maturè Letilius in Siciliã venisset cum
» literis, minus XXX diebus Metellus totam triennii Præturam rescidisset. Et quoniam de ea pecu-
» nia quam tibi ad statuam Censores contulerunt, dixi: non mihi prætermittẽdum videtur ne illud
» quidem genus pecuniæ conciliatæ quam tu à ciuitatibus statuarum nomine coegisti. video enim
» eius pecuniæ summam esse pergrandem, ad H-S CXX millia. tantum conficitur ex testimoniis, ac
» literis ciuitatum: & iste hoc concedit, nec potest aliter dicere.

Tamen si animo æquo. Tametsi animo, habent alii libri quammulti. & sic emenda.

Graue uideretur. Magnum tibi præiudicium fieri videretur.

Pupillo Drepanitano. Sosippi Epicratis fratris filio, ex Drepano ciuitate Siciliæ. Mortuum significat Sosippum ante Metelli aduentum. Pupillos tamen numero multitudinis dixit, pag. 429, Verrina VI.

A. Claudium. Hunc libro Accusat. III, Apollonium Niconis filium Drepanitanum appellat: Qui nũc, inquit, A. Clodius vocatur. pag. 428. Ciuis R. erat factus, & in Clodiorũ familiã ascitus.

H-S CXX millia. Coronatorum tria millia.

» Quare cuiusmodi putamus esse illa quæ negat, quũ hæc tam improba sunt quæ fatetur? Quid CICERO. 282
» enim vis constitui? consumptam esse omnẽ istam pecuniã in statuis? fac ita esse: tamen hoc feren-
» dum nullo modo est, tantã ab sociis pecuniã auferri, vt omnib' in angiportis prædonis improbis-
» simi statuæ ponantur, quà vix tutò transire posse videamur. Verùm vbi tandem, aut in quibus sta-
» tuis ista tanta pecunia consumpta est? consumetur, inquies: scilicet expectemus legitimum illud
» quinquennium: si hoc interuallo non consumpserit, tum denique nomen eius de repetundis pecu-
» niis statuarum nomine deferemus. Reus est maximis plurimisque criminibus in iudicium voca-
» tus: H-S CXX millia ex hoc vno genere capta videmus. si condemnatus eris, non opinor id ages vt
» ista pecunia in quinquennio consumatur in statuis. sin absolutus eris, quis erit tam amens, qui te
» ex tot tantisque criminibus elapsum, post quinquennium statuarum nomine accersat? ita si neque
» adhuc consumpta ista pecunia est, & est perspicuum non consumptum iri: licet iam intelligamus
» inuentam esse rationem quare & iste H-S CXX millia vno genere conciliarit, & ceperit: & cæteris,
» si à vobis hoc erit comprobatum, quàm volent magnas hoc nomine pecunias capere possint, vt
» iam videamur non à pecuniis capiendis homines absterrere, sed, quũ genera quædam pecuniarum
» capiendarum *cõprobaremus, honesta nomina turpissimis rebus imponere. Etenim si C. Verres l. *comprobauerimus,
» H-S CXX millia populum, verbi gratia, Centuripinum poposcisset, eámque ab his pecuniam ab-
» stulisset: non, opinor, esset dubium quin eum, si tum id planum fieret, condemnari necesse esset.

Legitimum quinquennium. Et ex hoc loco, & ex iis qui sequuntur, intelligi potest, ad consumendam pecuniam in statuas collatam, permitti legibus quinquennium: quo præterito, neque positis statuis, accusare licere.

Comprobaremus. Vetus, Comprobauerimus. perſpicuè rectum.

CICERO. 283 » Quid ſi eundem populũ H-S CCC millia popoſcit, eáque coegit, atque abſtulit, num idcirco abſoluetur quòd aſcriptum eſt, eam pecuniam datam ſtatuarum nomine? non, opinor: niſi fortè id agimus, non vt Magiſtratibus noſtris morã accipiendi, ſed vt ſociis cauſam dãdi *auferre videamur. Quòd ſi quem ſtatuæ magnopere delectant, & ſi quis earũ honore & gloria ducitur: is hæc tamen conſtituat neceſſe eſt. Primùm auerti pecuniã domum non placere: deinde ipſarũ ſtatuarum modum quendam eſſe oportere: deinde illud certè, ab inuitis exigi non oportere. Ac de auertenda pecunia, quæro abs te, vtrum ipſæ ciuitates ſolitæ ſint ſtatuas tibi faciundas locare ei, cui poſſent optima cõditione locare: an aliquem curatorem præficere qui ſtatuis faciundis præeſſet: an tibi, an cui tu imperaſſes, adnumerare pecuniam. nam ſi per eos ſtatuæ fiebant à quibus tibi iſte honos habebatur: audio. ſin Timarchidi pecunia numerabatur: deſine, quæſo, ſimulare te, quũ in manifeſto furto tenearе, gloriæ ſtudioſum, ac monimentorum fuiſſe. Quid verò, modum ſtatuarum haberi nullum placet? atqui habeatur neceſſe eſt: etenim ſic conſiderate, Syracuſana ciuitas (vt eã potiſſimum nominem) dedit ipſi ſtatuam: eſt honos. & patri: bella hæc pietatis, & quæſtuoſa ſimulatio. & filio: ferri hoc poteſt: hunc enim puerum non oderant. Verum quoties, & quot nominibus à Syracuſanis ſtatuas auferes? vt in foro ſtatuerẽt, abſtuliſti: vt in curia, coegiſti: vt pecuniam cõferrent in eas ſtatuas quæ Romæ ponerentur, imperaſti: vt iidem darent homines aratorum nomine, dederunt: vt iidem pro parte in commune Siciliæ conferrent, etiam id contulerunt.

H-S CCC *millia.* Coronatorum ſeptem millia, ſupra quingentos.

Moram accipiendi ſ. u. ſ. c. dandi auferre videamur. Corruptus locus: quem ne ope quidem aliorum codicum reſtituere poſſumus: in quibus non MORAM, ſed MOREM per E legimus. nõ tam quòd Auferre morem, ſuſpecta mihi locutio eſt: quàm quòd probata pecuniæ exactione, præberi potius, quàm auferri cauſa dandi ſociis videatur. Quòd ſi pro Auferre, Afferre legamus, nihil erit apertius. Sæpe autem & Cauſam & Moram afferre apud Ciceronem legimus. eſt autem ſenſus, Si hoc probabimus, tantum abeſt vt auaros Magiſtratus reuocemus à cogendis pecuniis, eorúmque auaritiam tardemus, vt potius honeſta nomina quæſiſſe videamur, quibus ſocii ſine Magiſtratuum periculo pecunias conferant. Locutionum exemplum, vtriuſque vnum ex hoc ipſo afferemus. in Orat. pro Clu. Oppianicus, qui pecuniam Saſſiæ cõcupiuiſſet, domo ſibi quærendum remedium exiſtimauit ad eam moram quæ nuptiis afferebatur. In lib. de Diuinat. II, Ac mihi quidem explicandæ philoſophiæ cauſam attulit caſus grauis ciuitatis.

Hunc enim puerum non oderant. Acerbè in puerum, tanquam blandum & gratioſum Syracuſanis. id quod ad infamiam pueri pertinet. Syracuſanos enim, qui Legationem laudandi cauſa miſerant, multis locis non leuiter laceſſit.

Vt in foro ſtatuerent eas, abſtuliſti. Id eſt, extorſiſti, obtinuiſti.

Vt iidem darent. Id eſt his iidem conferrent: ſemel ordinis ſui nomine, aratorum ſcilicet: iterum pro virili parte, quum Siculi omnes communiter conferrent.

CICERO. 284 » Vna ciuitas quum tot nominibus pecuniam cõtulerit, idémque hoc ciuitates cæteræ fecerint: non res ipſa vos admonet vt putetis modum aliquem huic cupiditati conſtitui oportere? Quòd ſi hoc voluntate ſua nulla ciuitas fecit: ſi omnes imperio, metu, vi, malo adductæ tibi pecuniam ſtatuarum nomine contulerunt: per deos immortales, num cui dubium eſſe poterit quin, etiam ſi quis ſtatuerit accipere ad ſtatuas licere, idem tamen ſtatuat eripere certè non licere? Primùm igitur in hanc rem teſtem totam Siciliam citabo: quæ mihi vna voce ſtatuarum nomine magnam *pecuniam coactam eſſe demonſtrat. nam Legationes omnium ciuitatum in poſtulatis communibus, quæ ferè omnia ex tuis iniuriis nata ſunt, etiam hoc ediderunt, vt ſtatuas necui, niſi quũ is de prouincia deceſſiſſet, pollicerẽtur. Tot Prætores in Sicilia fuerunt, toties apud maiores noſtros Siculi Senatum adierunt, toties hac memoria: tamen huiuſce noui poſtulati genus, atque principium tua Prætura attulit. quid enim tam nouum non ſolùm re, ſed genere ipſo poſtulandi? nam cætera quæ ſunt in iiſdem poſtulatis, de iniuriis tuis, ſunt noua, ſed tamen nõ nouo modo poſtulantur. rogant & orant Siculi Patres Conſcriptos, vt noſtri Magiſtratus poſthac decumas lege Hieronica vendant. Tu primus contrà vendideras: *audio. ne in cellam quod imperatur, æſtiment: hoc quoque propter tuos ternos denarios nũc primùm poſtulatur: ſed genus iſtud poſtulandi non eſt nouũ. ne abſentis nomen recipiatur: ex Sthenii calamitate, & tua natum eſt iniuria. cætera non colligam.

*afferre

*L. pecuniam per vim coac.

*audio, Ne

Pecuniam coactam. In aliis omnibus, Pecuniam per vim coactam. & ſic emenda.

Poſtulatis communibus. Quæ menſe Februario edi ſolebant. Dixi iam antea, Menſe Februario audiri ſolitas legationes. vt in Epiſt. ad Lentulum, Senatus haberi Februario toto non poteſt, niſi perfectis aut reiectis Legationibus.

Audio. ne in cellam. Male interpuncta oratio locum reddit obſcurum. Senſus eſt, Audio Legatos

quum postulant, Ne prætores in cellam, &c. sic igitur scribendū, vt post Audio, distinctionis nota ponatur. Ac de hoc toto genere, modò vt Deus velit, libro insequenti fusius explicabitur.

Sunt omnia Siculorum postulata eiusmodi, vt crimina collecta in vnum te reum esse videan- CICERO.
tur. quæ tamen omnia nouas iniurias habent, sed postulationū formulas vsitatas. Hoc postulatum 385
de statuis ridiculum esse videatur ei, qui rem, sententiámque nō perspiciat: postulant enim, non vt ne cogantur statuere. quid igitur? vt ipsis ne liceat. quid est hoc? petis à me quod in tua potestate est, vt id tibi facere ne liceat: pete potius nequis te inuitū polliceri, aut facere cogat. nihil ergo, inquit: negabunt enim omnes se coegisse. si me saluum esse vis, mihi impone istam vim, vt omnino mihi ne liceat polliceri. Ex tua Prætura primùm nata est hæc postulatio. qua quū vtuntur, hoc significant, atque adeò apertè ostendunt, 'sese pecuniam metu, ac malo coactos, inuitissimos contulisse. 'sese ad statuas pecun. l.
quid, si hoc non dicant, tibi non necesse sit ipsi id confiteri? vide, & perspice qua defensione sis vsurus: iam intelliges, hoc tibi de statuis confitendum esse. mihi enim renuntiatur, ita constitui à tuis patronis hominibus ingeniosis causam tuam, & ita eos abs te institui, & doceri, vt quisque ex prouincia Sicilia grauior homo, atque honestior testimonium vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarii 'multa dixerūt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere, Inimicus est propterea quòd 'viri multa l.
arator est. itaque vno genere opinor, circunscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quòd eos infenso animo, atque inimico venisse dicatis, quia fuerit in decumis iste vehementior. Ergo aratores inimici, omnes aduersarii: nemo eorum est quin perisse te cupiat. omnino præclarè te habes, quū is ordo, atque id genus hominum, quod optimum, atque honestissimū est, à quo vno & summa Reipub. & illa prouincia maximè continetur, tibi est inimicissimum.

Formulas vsitatas. Vt præter formulā, nihil simile habeant postulationum: neque aliud quicquam sint nisi criminationes.

Vt ipsis ne liceat. Statuas Prætori antè, quàm decesserit, ponere.

Nihil ergo, inquit. Subaudi Impetraro.

Sese pecuniam. Mendum typographi. In aliis, Sese ad statuas pecuniam.

Tuis patronis. Hortensio, Sisenna, Curione, & aliis.

Multi primarij multa. Aliud mendum: in aliis libris, Multi primarii viri multa dixerunt.

Circunscribere. Modò significat Reiicere & excludere.

Omnino præclarè te habes. Præclarè tecum agitur: habes quo te oblectes. εἰρωνεία.

Summa Reipub. Summus principatus, summa rerum dominatio manet penes populum R.

Verùm esto, alio loco de aratorum animo, & iniuriis videro: nunc quod mihi abs te datur, id ac- CICERO.
cipio, eos tibi esse inimicissimos. nempe ita dicis propter decumas. cōcedo: non quæro, iure, an in- 386
iuria sint inimici. quid ergo illæ sibi statuæ Equestres inauratæ volunt, quæ populi R. oculos, animósque maximè offendūt, propter ædem Vulcani: nam scriptum esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse. si honoris causa statuam dederunt, inimici nō sunt. credamus testibus: tum enim honori tuo, nunc iam religioni suæ consulent. sin autem metu coacti dederunt, confiteare necesse est, te in prouincia pecuniam statuarum nomine per vim, ac metum coegisse. vtrum tibi commodum est, elige. Equidem libenter hoc iam crimen de statuis relinquam, vt mihi tu illud concedas quod tibi honestissimum est, aratores tibi ad statuā honoris tui causa voluntate sua contulisse. da mihi hoc: iam tibi maximam partem defensionis præcideris: non enim poteris aratores tibi iratos esse, atque inimicos dicere. O causam singularem: ò defensionem miseram, ac perditam: nolle hoc accipere reum ab accusatore, & cum reum qui Prætor in Sicilia fuerit: aratores ei statuam sua volūtate statuisse, aratores de eo bene existimare, amicos esse, saluum esse cupere. metuit ne hoc vos existimetis: obruitur enim aratorum testimoniis. Vtar eo quod datur. certè ita vobis hoc iudicandum est: eos, qui isti inimicissimi sunt, vt ipse existimari vult, ad istius honores, atque monimenta pecuniam non voluntate sua contulisse.

Propter ædem vulcani. Paulo supra comitium dedicatum à Tatio rege Sabinorum.

O causam singularem. Causa pro Excusatio: vt sæpe aliâs. Græci πρόφασιν dicunt. pro quo Cicero Speciosam causam. vt ad Att. lib. XVI, Reuersionis has speciosas causas habes.

Atque vt hoc 'tamen facillimè intelligi possit: quem voles eorum testium, quos produxero, qui CICERO.
in Sicilia testes sint, siue ciuem R. velis, siue Siculū, rogato, & eum qui tibi inimicissimus esse vide- 287
bitur, qui se spoliatum à te dicet, ecquid suo nomine in tuam statuam cōtulerit. neminem reperies 'tandem ex l.
qui neget: etenim omnes dederunt. Quenquam igitur putas dubitaturum, quin is, quem inimicissimum tibi esse oporteat, qui abs te grauissimas iniurias acceperit, pecuniā statuæ nomine dederit, vi, atque imperio adductus, non officio, ac voluntate? '& huius ego pecuniæ Iudices, quæ permagna 'at
est, impudentissiméque coacta ab inuitis, nō habui rationem, neque habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus, qui Syracusis, qui Agrigenti, qui Panormi, qui Lilybæi nego- 'sed quoniam
tiantur, esset coactum: 'quoniam intelligitis ipsius quoque cōfessione ab inuitissimis coactam 'esse. 'esse: nemo

Venio nunc ad ciuitates Siciliæ:de quibus facillimè iudicium fieri voluntatis poteſt.an etiam Siculi inuiti contulerunt?non eſt probabile:etenim ſic C.Verrem Præturam in Sicilia geſſiſſe conſtat,vt,quum vtriſque ſatiſfacere non poſſet, & Siculis,& togatis,officiũ potius in ſocios,quàm ambitionis in ciues rationem duxerit.itaque eum nõ ſolùm patronum iſtius inſulæ,ſed etiam Sotera inſcriptum vidi Syracuſis.hoc quantum eſt?ita magnum,vt Latino vno verbo exprimi non poſſit. is eſt nimirum Soter, qui ſalutem dedit. huius nomine etiam dies feſti agitantur, pulchra illa Verrea,nõ quaſi Marcellea,ſed pro Marcelleis,quæ illi iſtius iuſſu ſuſtulerunt.Huius fornix in foro Syracuſis eſt,in quo nudus filius ſtat:ipſe autem ex equo nudatam ab ſe prouinciam proſpicit.

Vt hoc tamen. Tandem, apertius legeretur: hoc ſenſu, Denique ne multis morer: hoc iam ita planiſſimum faciam.

Qui in Sicilia. Vetus liber,Qui ex Sicilia.quod verum puto.

Et huius ego pecuniæ. Rectius putarem,At huius.

Quoniam intelligitis. Suſpectus mihi locus. Legendum putarem, Sed quoniam.vt poſt Coactam eſſe,non clauderetur ſententia:ſed in fine periodi inſequentis.

Ambitionis in ciues. Potius ſpectarit quid officii ſui ratio poſtularet,quàm quemadmodũ gratiam ſibi ſuorum ciuium conciliaret.Dictum eſt de hoc vocabulo,280,263.

Sed etiam Sotera inſcriptum. Eundem Tito Flaminio tributum à Calchidenſibus honorem,ſcribit Plutarchus in eius vita:& cani ſolitum ἰὴ ὦ Τίτε σῶτερ.

CICERO. 288 Huius ſtatuæ omnibus locis erectæ ſunt,quæ hoc demõſtrare videntur,propemodum non minus multas ſtatuas iſtum poſuiſſe Syracuſis, quàm abſtuliſſe.huic etiam Romæ videmus in baſi ſtatuarum maximis literis inciſum,à communi *Sicilia datas. Quamobrem quî hoc probari poteſt,cuiquam tantos honores habitos eſſe ab inuitis?Hic tibi etiam multo magis,quàm antè in aratoribus,videndum,& conſiderandum eſt quid velis.magna res eſt. vtrum tibi Siculos publicè priuatímque amicos, an inimicos exiſtimari vis? ſi inimicos, quid te futurum eſt?quò confugies?vbi nitere? Modo aratorum honeſtiſſimorum hominũ, & locupletiſſimorum maximum numerum abs te abalienaſti.nunc de Siculis ciuitatibus quid ages?dices,tibi Siculos eſſe amicos?quî poteris? qui(quod nullo in homine antea fecerunt,vt in eum publicè teſtimonium dicerent,quum præſertim ex ea prouincia condemnati ſint cõplures qui ibi Prætores fuerunt,duo ſoli abſoluti) huc conueniunt cum literis,veniunt cum mandatis,veniũt cum teſtimoniis publicis.qui ſi te publicè laudarent,tamen id more potius ſuo,quàm merito tuo facere viderentur:hi quũ de tuis factis publicè conqueruntur,nónne hoc indicant,tantas eſſe iniurias, vt multo maluerint de ſuo more decedere, quàm de tuis moribus nõ dicere? Confitendum eſt igitur tibi neceſſariò, Siculos inimicos eſſe,qui quidem & in te grauiſſima poſtulata Conſulibus ediderunt:& me, vt hanc cauſam, ſalutiſque ſuæ defenſionem ſuſciperem,obſecrarunt.qui quum à Prætore prohiberẽtur,à quatuor Quæſtoribus impedirentur: omnium minas, atque omnia pericula præ ſalute ſua leuia duxerunt: qui priore actione ita teſtimonia grauiter, vehemẽtérque dixerunt, vt Artemonem Centuripinum Legatum, & publicè teſtem,Q.Hortenſius accuſatorem,non teſtem eſſe diceret.

*Siciliæ l.

A communi Sicilia. Corrige Siciliæ:vt dixi 270,& ſic legitur in impreſſis multis.

A quatuor Quæſtoribus. Vide 277.

CICERO. 289 Etenim quũ propter virtutem, & fidem cũ Androne homine honeſtiſſimo, & certiſſimo, tum etiam propter eloquentiã Legatus à ſuis ciuibus electus eſt,vt poſſet multas iſtius,& varias iniurias quàm apertiſſime vobis,planiſſiméque explicare.Dixerũt Haleſini,Catinenſes,Tyndaritani,Ennenſes,Herbitenſes,Agyrinenſes,Netinẽſes,Segeſtani.numerare omnes nõ eſt neceſſe.ſcitis quàm multi,& quàm multa priore actione dixerunt.nunc & illi,& reliqui dicent.omnes denique hoc in hac cauſa intelligent,hoc animo eſſe Siculos,vt,ſi in iſtũ animaduerſum nõ ſit,ſibi relinquẽdas domos,ac ſedes ſuas,& ex Sicilia decedendum,atque adeò fugiendũ eſſe arbitrentur.Hos homines tu perſuadebis,ad *honores, atque amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate ſua contuliſſe? credo,qui te in tua ciuitate incolumem eſſe nollent,ii monimenta tuæ formæ,ac nominis in ſuis ciuitatibus eſſe cupiebant.res declarauit vt cupierint.Iandudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor,vtrum ſtatuas voluerint tibi ſtatuere,an coacti ſint. De quo homine auditum eſt vnquam, quod tibi accidit, vt eius in prouincia ſtatuæ in locis publicis poſitæ,partim etiã in ædibus ſacris, per vim, per vniuerſam multitudinem deiicerentur?tot homines in Aſia nocentes,tot in Africa,tot in Hiſpania,Gallia, Sardinia, tot in ipſa Sicilia fuerunt:ecquo de homine hoc vnquam audiuimus?

*honorem l.

Ad honores atque ampl. In manuſcripto probabilior lectio, Ad honorem. nam de ſtatuarum honore loquitur.

CICERO. 290 Nouum eſt Iudices:in Siculis quidem,& in omnibus Græcis monſtri ſimile.nõ crederem hoc de ſtatuis, niſi iacentes, reuulſáſque vidiſſem: propterea quòd apud omnes Græcos hic mos eſt vt

honorem hominibus habitum in monimentis huiusmodi, nonnulla religione deorum, consecrari arbitrentur. Itaque quum Rhodii bellum illud propè soli superius cum Mithridate rege gesserint, omnésque eius copias, acerrimúmque eius impetum à mœnibus, litoribus, classibúsque suis exceperint, quũ & Regis inimici præter cæteros essent: statuam eius, quæ erat apud ipsos in celeberrimo vrbis loco, ne tum quidem in ipsis vrbis periculis attigerunt. Forsitan vix conuenire videretur: quem ipsum hominem cuperent euertere, eius effigiem, simulacrúmque seruare. sed tamen videbam, apud eos quum essem, & religionem esse quandam in his rebus à maioribus traditam, & hoc disputare: cum statua secius habuisse temporis rationem, quo posita esset: cum homine verò, quo gereret bellum, atque hostis esset. Videtis igitur consuetudinem, religionémque Græcorum, quæ monimenta hostium in bello ipso soleat defendere, eam summa in pace Prætoris populi R. statuis præsidio non fuisse. Taurominitani, quorum est ciuitas fœderata, homines quietissimi, qui maximè ab iniuriis nostrorum Magistratuum remotissimi consueuerant esse præsidio fœderis, hi tamen istius euertere statuam non dubitarunt. qua ablata, basim tamen in foro manere voluerunt, quòd grauius in istum fore putabant, si scirent homines statuam eius à Taurominitanis esse deiectam, quàm si nullam vnquam positam arbitrarentur. Tyndaritani deiecerunt in foro, & eadem de causa equum inanem reliquerunt.

Nonnulla religione deorum. Ex quo manauit opinor seruorum consuetudo, ad statuas, tanquam ad asylum confugiendi. Cuius quidem consuetudinis frequens est mentio in libris nostris ciuilibus. Quinetiam Liuius libro tertio Decadis III, Decium Magium, qui à Campanis fuerat Annibali deditus, quum Carthaginem mitteretur, tempestate delatum esse scribit Cyrenas: ibíque quũ Magius ad statuam Ptolemæi regis confugisset, deportatum esse Alexandriam ad Ptolemæum, à quo à vinculis liberatus est.

Propè soli superius. Quo L. Sylla Q. Pompeius COSS. creati sunt. Nam Mithridates quinquies bellum in Romanos instaurauit: quod à Pompeio magno tandem cõfectum est. At Superius dicit primùm illud quod fœliciter in Asia gessit, de quo Cicero in Orat. pro Pompeio, 630, Delenda est, inquit, vobis illa macula Mithridatico bello superiore suscepta: quum vna die tota Asia, tot in ciuitatibus, vno nuntio ciues R. necandos trucidãdósque denotauit. Et eadem rursus Orat. Quas Mithridates & à maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suũ regnum congesserat. Dixit autem PROPE SOLI, Romanorum fortunam dissimulans, qui eo bello magnam offensionem acceperunt. quum & L. Cassius, Asiæ Proconsul, & Manius Attilius, & Q. Oppius, Minutius Ruffus, C. Popilius exercitus haberẽt: è quibus Q. Oppius à Mithridate captus est, & Manius auctor belli suscipiendi coactus aurũ fusum & liquefactum potare. auctor Appianus. Quum autem hæc ita se habeant, haud scio qua fiducia nonnulli bene constitutum locum perturbare audeant, qui in suis libris pro SOLI SVPERIVS, hæc verba OMNIVM SAEVISSIMVM supposuerunt.

Impetum à mœnibus. Error typographi. nam Mœnibus impetum excipere dicimur, non à mœnibus. Bis autem repulsum Mithridatem Appianus auctor est.

In bello soleat defendere. Sæpius tamen accidisse constat, vt quod odium in aliquem attulissent, id in eius imaginem ac simulacrum profunderẽt. Itaque iidem ipsi Rhodii Chalcide capta, Philippi Regis Macedonum statuas deiecerunt: Athenienses verò, etiam plebiscito facto, eiusdem statuas, imagines omnes, nomináque earum, item maiorum eius virilis ac muliebris sexus omnium, sustulerũt: sicuti scribit Liuius lib. I quartæ Decadis. Appianus verò in Mithridatico, Ephesios statuas omnes Romanorum deturbasse ac comminuisse scriptum reliquit.

Quorum est ciuitas fœderata. Vide 309.

Maximè remotissimi. Maximè cum superlatiuo, vt Epist. ad Att. lib. XII, Siue hãc aberrationem à dolore delegerim, quæ maximè liberalissima, doctóque homine dignissima, laudari me etiam oportere. Et apud Liuium libro I quintæ Decadis, Parua, inquit, aut mediocris res Achæi videtur agi: ego maximè grauissimã omnium, non agíque tantum arbitror, sed quodammodo actam esse.

Leontini misera in ciuitate. Corrige, Leontinis. vt infrà 330, & alibi. Nam Leontini Leontinorum dicimus: vt Syracusæ, Puteoli.

Leontini misera in ciuitate, atque inani, tamen istius in gymnasio statua deiecta est. Nam quid ego de Syracusanis loquar, quod non est proprium Syracusanorũ, sed & illorum cõmune, & conuentus illius, ac propè totius prouinciæ? quanta illuc multitudo, quanta vis hominum conuenisse dicebatur, tum quũ statuæ sunt illius deiectæ, atque euersæ? at quo loco? celeberrimo, ac religiosissimo, ante ipsum Iouẽ, in primo aditu, vestibulóque tẽpli. quòd nisi Metellus hoc tã grauiter egisset, atque illam imperio, edictóque prohibuisset: vestigium statuarum istius in tota Sicilia nullum esset relictum. Atque ego hoc non vereor, ne quid horũ non modo impulsu, verùm omnino aduentu meo factum esse videatur. omnia ista antè facta sunt, nõ modò quàm ego Siciliam, verumetiam CICERO. 291 Leontini

quàm iste Italiam attigit Dum ego in Sicilia sum,nulla statua deiecta est. posteaquã illinc discessi, quæ sunt gesta,cognoscite. Centuripinorũ Senatus decreuit,populusque iussit, vt quæ statuæ C. Verris ipsius & patris,& filii essent,eas Quæstores demoliendas locarent:dúmque ea demolitio fieret,Senatores triginta non minus adessent.videte grauitatem ciuitatis,& dignitatem.neque eas in vrbe sua statuas esse voluerunt,quas inuiti per vim,atque imperium dedissent:neque eius hominis in quem ipsi cum grauissimo testimonio,quod nunquam antea Romam mandata legatósque misissent.& id grauius esse putauerunt,si publico cõsilio, quàm si per vim multitudinis factũ videretur.Quum hoc cõsilio statuas Cẽturipini publicè sustulissent,audit Metellus:grauiter fert:euocat ad se Centuripinũ Magistratũ,& Decemprimos:nisi restituissent statuas,vehementer iis minatur.

NOD DDOO *Istius in gymnasio.* Ordo est,In gymnasio,statua istius deiecta est.

Ante ipsum Iouem. Alii complures Ante ipsum Sepim. quo verbo cuius Dei nomen significetur, non reperio.nisi fortè Sabim,aut Serapim scribamus:quorum tamen religionem à Syracusanis cultam nusquam reperio.

Atque illam. Multitudinem.

Centuripinorum Magistratum & Decemprimos. Vide quæ dixi in Orat.pro Sex.Roscio,pag.45.

CICERO. 292 Illi ad Senatum renuntiant:statuæ,quæ istius causæ nihil prodessent,reponuntur.Hic ego aliud alii concedo: Metello homini sapienti prorsus non possum ignoscere, siquid stultè facit.quid? ille hoc putabat Verri criminosum fore,si eius statuæ essent deiectæ, quod sæpe vento, aut aliquo casu fieri solet? non erat in hoc neque crimen vllum, neque reprehensio. Ex quo igitur crimen, atque accusatio nascitur?ex hominum iudicio, & voluntate. ego,si Metellus statuas reponere Centuripinos non coegisset,hæc dicerem, Videte Iudices,quantum,& quàm acerbum dolorem sociorum,atque amicorum animis inusserint istius iniuriæ,quum Centuripinorum amicissima,& fidelissima ciuitas,quæ tantis officiis cum populo R.coniuncta est,vt nõ solùm Rempub.nostram, sed etiam in quouis homine priuato nomen ipsum Romanorum semper dilexerit, ea publico consilio, atque auctoritate iudicarit, C. Verris statuas esse in vrbe sua non oportere. Recitarem decreta Centuripinorum:laudarem illam ciuitatem:id quod verissimè possem: commemorarem decem millia ciuium Centuripinorum fortissimorum,fidelissimorùmque sociorum,eos omnes statuisse monimentum istius in sua ciuitate nullum esse oportere:hæc tum dicerem,si statuas Metellus non reposuisset.Velim quærere nunc ex ipso Metello,quidnam sua vi, & auctoritate mihi ex hac oratione præciderit.eadem opinor omnia conuenire: neque enim, si maximè statuæ deiectæ essent,eas ego vobis possem iacentes ostendere:hoc vno vterer,ciuitatem tam grauẽ statuas iudicasse C. Verris demoliendas.

NOD DDOO *Hic ego aliud alii concedo.* Centuripinis ignosco,qui tam repentè statuas stultè reposuerũt,quas publico consilio demoliendas curarant.

Sua vi & auctoritate. Quum statuas reponi iussit.

CICERO. 293 Hoc mihi Metellus non eripuit : hoc etiam addidit, vt quererer, si mihi videretur, tam iniquo iure sociis, atque amicis imperari, vt iis, ne in suis quidem beneficiis libero iudicio vti liceret: vt vos rogarem,vt coniecturam faceretis, qualem in iis rebus in me L. Metellum fuisse putaretis,in quibus rebus obesse mihi posset, quum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. Sed ego Metello non irascor:neque ei suam purgationem eripio,qua ille apud omnes vtitur, vt nihil malitiosè,neque consultò fecisse videatur.Iam igitur est ita perspicuum, vt negare non possis, nullam tibi statuam volũtate cuiusquam datam,nullam pecuniam statuarum nomine nisi vi expressam,& coactam. quo quidem in crimine non illud solùm intelligi volo,te ad statuas H-S CXX millia coegisse:sed multo etiam illud magis,quòd simul demõstrandum est quantum odium in te aratorum,quantum omnium Siculorum sit,& fuerit.in quo quæ vestra defensio futura sit, coniectura assequi non queo. Oderunt Siculi:togatorum enim causa multa feci.at hi quidem acerrimi, inimicissimique sunt.Inimicos habeo ciues R.quòd sociorum commoda, ac iura defendi. at socii in hostium numero se abs te habitos querũtur. Aratores inimici sunt propter decumas. quid? qui agros immunes liberósque arant,cur oderunt?cur Halesini?cur Centuripini?cur Segestani?cur Halicyenses?quod genus hominum,quem numerũ,quem ordinem proferre possis, qui te non oderit, siue ciuiũ R.siue Siculorũ? vt etiam si causam,cur te oderint,non possim dicere,tamen illud dicendũ putem,quem omnes mortales oderint,eum quoque vobis odio esse oportere.An hoc dicere audebis: vtrum de te aratores,vtrũ denique Siculi vniuersi bene existimẽt, ad rem id non pertinere?

NOD DDOO *Sed ego Metello non irascor.* Epitherapeusis:ne Metellum acerbius læsisse videatur.

Malitiosè. Non fecisse animo iuuandi Verris,& huius criminis extenuandi.

H-S CXX *millia.* Tria millia coronatorum.

Cur Halesini?cur Centuripini? Hæ sunt omnes sine fœdere immunes ac liberæ ciuitates.309.

Vtrum de te aratores. Vtrum,sine particula An:præter Latini sermonis consuetudinem: vt apud

Græcos πώποτ,& maximè apud Platonem. sic infrà 427, Tametsi iandudum erro, qui quæram vtrum emeris,& quomodo, & quanti emeris: quod verbo transigere possum. Valde tamé,vt verum fatear, huic loco duæ illæ voculæ AN MALE, conuenirent: neque sanè eas non deesse affirmare auderem.

Neque tu hoc dicere audebis,neque,si cupies,licebit. eripiunt tibi istam orationem contemnen- CICERO.
nendorum Siculorum,atque aratorum statuæ illæ equestres,quas tu paulo ante quàm ad Vrbem 294
168 venires,poni inscribíque iussisti,vt omnium inimicorum animos,accusatorúmque tardares: quis
enim tibi molestus esset,aut quis appellare auderet,quum videret statuas ab negotiatoribus, ab ara
toribus,à communi Sicilia: quod est aliud in illa prouincia genus humanum? nullum. ergo ab v- Siciliæ
niuersa prouincia, generatímque à singulis eius partibus non solum diligitur, sed etiam ornatur. l. hominum
Quis hunc attingere audeat? Potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorum, negotiatorũ,
Siculorúmque omnium testimonia, quũ eorum nominibus in statuarum inscriptione positis o-
mnem te sperabas inuidiam,atque infamiam tuam extinguere posse? an quorũ auctoritate tu sta- l. sperares
tuas cohonestare tuas conatus es, eorum ego dignitate accusationem meam comprobare non po-
169 tero? nisi forte,quòd apud publicanos gratiosus fuisti,in ea re spes te aliqua consolatur. quæ gratia
ne quid tibi prodesse posset,ego mea diligentia perfeci: vt etiam obesse deberet,tu tua sapientia cu-
170 rasti: etenim rem totam Iudices breuiter cognoscite. In scriptura Siciliæ Promagistro est quidã
L. Carpinatius: qui & sui quæstus causa,& fortasse quòd sociorum interesse arbitrabatur, bene penitus in istius familiaritatem sese dedit. is quũ Prætorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo vnquam discederet: in eam iam venerat familiaritatem,consuetudinémque in vendendis istius decretis,& iudiciis,transigendísque negotiis,vt propè alter Timarchides numeraretur.

Istam orationem contemnendorum Siculorum. Id est qua Siculos contemneres, si leuem & nullius momenti esse illorum existimationem diceres. Alii reposuerunt, Negotiatorum. vt sit, Istam orat. negotiatorum Siculorum. quod si sine vetusti auctoritate codicis ausi sunt, impudenter, mea quidem sententia, fecerunt.

Inscribíque iussisti. In quo,quanti eorum iudicium faceres,ostendisti.

Communi Sicilia. Corrige,Siciliæ: & vide 270.

Genus humanum. Vetus, Hominum: & sic emenda. nam suprà persæpe hoc eodem modo loquutus est.

Sperabas. Sperares,& oratio,& veterum codicum auctoritas postulat.

Tua sapientia. Calliditate,qua vsus es in literis remouendis.

In scriptura Siciliæ. Scriptura dicebatur,eorum ratio, qui pascua publica conducebant: vt exigenda à sociis suo periculo exigerent,quæ tamen Reip. repræsentabant.

Promagistro est. Magister societatis, vnus aliquis è sociis dicebatur, qui Romæ societati alicui, id est aut scripturæ,aut portorii,aut vectigalium ita præerat, vt & Decumanos quasi Senatum cogendi, & ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet: curámque omnem gereret tabularum,& rationum,quæ vndique ab iis qui operas dabant,Romam mitterentur. Hic Promagistrum in prouincia habebat, sui quasi muneris vicarium, & societati præfectum, qui etiam Magister dicebatur,vt pag. 382. Promagistro autem cõiunctim dicitur,vt Procõsule, Proprætore.

Sociorum interesse. Socios intelligit non Siculos,sed qui scripturæ societatem coierant.

Hoc erat etiam capitalior, quòd idem pecuniam iis,qui ab isto aliquid mercabãtur, fœnori da- CICERO.
bat. ea autem fœneratio erat huiusmodi Iudices, vt etiam hic quæstus huic cederet: nam quas pe- 295
cunias iis ferebat expensas quibuscum contrahebat, aut scribæ istius, aut Timarchidi, aut etiam
isti ipsi referebat acceptas. idé præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine fœne-
171 rabatur. hic primo Carpinatius, antequã in istius tantam familiaritatem peruenisset, aliquoties
ad socios literas de istius iniuriis miserat. Canuleius verò,qui in portu Syracusis operas dabat,fur-
ta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat ea,quæ sine portorio Syracusis erãt
exportata: portum autem,& scripturas eadem societas habebat. ita factum est, vt essent permulta
172 quæ ex societatis literis dicere in istum, ac proferre possemus. verùm accidit, vt Carpinatius, qui
iam cum isto summa consuetudine,præterea ratione coniunctus esset, crebras postea literas ad socios de istius summis officiis in rem communem,beneficiísque mitteret: etenim cum iste omnia quæcunque Carpinatius postulabat,facere,ac decernere solebat: tum ille etiam plura scribebat ad socios,vt,si posset,quæ antea scripserat,ea planè extingueret. ad extremum verò,quũ iste iam decedebat, eiusmodi literas ad eos misit, vt huic frequentes obuiam prodirent, gratiásque agerent: facturos esse,siquid imperasset,studiosè pollicerentur: itáque socii fecerunt: vetere instituto publicanorum,non quo istum vllo honore dignum arbitrarentur,sed quòd sua interesse putabant, se memores,gratósque existimari,gratias isti egerunt: Carpinatium sæpe ad se de eius officiis literas misisse dixerunt.

Fœnori dabat. Pag.382.

Ferebat expensa. Dixi in Orat. pro Q. Roscio,92.

Extraordinarias. In eadem,93.

Operas dabat. Societates certo pretio Romæ à Censoribus vectigalia, quæ pro exportandis rebus à Syracusanis pendebantur, conducere solebant: sociúmque aliquem in singulis prouinciæ vrbibus habere qui ea exigeret: quem paulo pòst Seruum societatis appellat. Atque is quidem operas dare dicebatur. Vnus autem tota Sicilia Promagistro erat: qui verò operas dabant, totidem, quot ciuitatum ratio postulabat.

Sine portorio. Nulla pecunia pro exportatione soluta.

CICERO. 296 Iste quũ respondisset, ea se libenter fecisse, operásque Carpinatii magnopere laudasset: dat amico suo cuidam negotium, qui tum Magister erat eius societatis, vt diligenter caueret, atque prospiceret nequid esset in literis sociorum quod contra suum caput, atque existimationem valere posset. itaque ille multitudine sociorum remota, Decumanos cõuocat: rem defert. statuunt illi, atque decernunt, vt eæ literæ, quibus existimatio C. Verris læderetur, remouerentur, operáque daretur ne ea res C. Verri fraudi esse posset. Si ostendo, hoc decreuisse Decumanos: si planum facio, hoc decreto remotas esse literas: quid expectatis amplius? possúmne rem magis iudicatam afferre? magis reũ condemnatum in iudicium adducere? at quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ii qui seueriora iudicia desiderant, arbitrentur * reos iudicare oportere: publicanorum iudicio: quos videlicet nunc populus iudices poscit: de quibus, vt eos iudices habeamus, legem ab homine nõ nostri generis, nõ ex Equestri loco profecto, sed nobilissimo promulgatam videmus. Decumani, hoc est principes, & quasi Senatores publicanorum, remouendas de medio literas cẽsuerunt. habeo ex iis qui affuerũt, quos producam, homines honestissimos, ac locupletissimos, istos principes Equestris ordinis, quorum splẽdore vel maximè istius, qui legem promulgauit, oratio, & causa * nitatur. venient in medium: dicent quid statuerint: profectò si rectè homines noui, non mentientur: literas enim communes de medio remouere potuerunt, fidem suam & religionem remouere non possunt. ergo Equites R. te suo iudicio condemnari * noluerunt.

*reo

* l. nititur

* voluerunt.

Seueriora iudicia. Quàm quæ à Senatoribus exercentur.

Reos iudicare. Corrige Res iudicare. quæ locutio apud Latinos vsitata est.

Iudices poscit. Dixi,136.153.164.

Ab homine non nostri generis. L. Aurelium Cottam Prætorem dicit: qui legem promulgarat, de iudiciis Equestri ordini restituendis. vide 136.

Nititur. Vetus, Nititur. quod probo.

Fidem suam & religionem. Quippe quæ multis iam documentis perspecta & cognita est. blanditur Decumanis.

Condemnari noluerunt. Voluerunt, legendum esse apparet vel ex eo quòd suprà dixit, At quorum iudicio condemnatum? Ergo hic sensus est, Iudicarunt te nocentem, & nisi literas remouissent, certissimè condemnatum iri.

CICERO. 297 Vos nunc, vtrum illorum iudicium, an voluntatem sequi malitis, considerate. At vide quid te amicorum tuorum studium, quid tuum consilium, quid sociorum voluntas adiuuet. dicam paulo amplius: neque enim iam vereor nequis hoc me magis accusatoriè, quàm liberè dixisse arbitretur. Si istas literas non decreto Decumanorum Magistri remouissent, tantum possem in te dicere, quantum in literis inuenissem. nũc decreto isto facto, literísque remotis, tantum mihi licet dicere, quantũ possum: tantũ iudici suspicari, quantũ velit. Dico te maximũ pondus auri, argenti, eboris purpuræ, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam Syracusis exportasse: his pro rebus, quòd portorium non esset datum, literas ad socios misisse L. Canuleium, qui in portu operas daret. Satísne magnum hoc crimen videtur? nullum, opinor, maius. quid defendet Hortensius? postulabit vt literas Canuleii proferam? crimen huiusmodi, nisi literis confirmetur, inane esse dicet? clamabo, literas remotas esse de medio, decreto sociorũ erepta mihi esse istius indicia, ac monimenta furtorum. aut hoc contendat nunquam esse factum: aut omnia tela excipiat necesse est. Negas esse factũ? placet mihi ista defensio: descendo: æqua enim conditio, æquúmque certamen proponitur. producam testes, & producam plures eodem tempore. quoniam tum quum actum est, vnà fuerunt: nunc quoque vnà sunt. quum interrogabuntur, obligentur non solum iurisiurandi, atque existimationis periculo, sed etiam communi inter se conscientia.

Vtrum illorum iudicium, ac voluntatem. Voluntas apparet in literis remouendis: in quo cupiditas dominata est: Iudicium in eo, quòd eum & nocentem, & damnandum esse cognouerunt. Est autẽ anteferendum cupiditati & voluntati iudicium. hoc igitur sequendum.

Magis accusatoriè. Magis animo infenso, & cupiditate ducto, qualis esse solet accusatorum.

Tantum possem. Tantum, hoc loco est aduerbium, pro Tantummodo: postea nomen est.

Quantum possum. Etiã quasi plus sit in literis: quippe quæ nõ extãt, vt aliquid affinxisse cõuincar.

Vestem Melitensem. Vestis Melitensis muliebris fuit, quæ fiebat Melitæ: quæ est insula satis lato ab Sicilia mari periculosóque disiuncta. vide 474. Maltam hodie appellamus. Vestem autem muliebrem fuisse docet hic locus, & pag. 300, Sed tantúmne Melitensiũ, quasi etiam amicorũ vxores ornaturus esses?

Omnia tela excipiat. Patiatur se his telis & criminibus confici.

Descendo. Quid est descendere? Honos habeatur homini doctissimo & diligentissimo Laurentio Vallæ, qui in Elegantiarum libris luculenter hoc verbum exponit his verbis, Descendere dicimur in campum, aut in certamen, non quia de loco superiore in inferiorem descendimus: sed quia de loco tuto in locum discriminis. opinor, quòd qui in loco superiore se tenet, pugnam detrectare existimatur: quem quum reliquit, & in locum æquum venit, atque descendit, mentem se pugnandi habere declarat.

Communi inter se conscientia. Nam quòd vnà quum id actum est, fuerint, conscii sunt inter se quid gestum sit. alter igitur alterius conscientia ab omni tum simulatione, tum dissimulatione reuocabitur: ne scilicet mendacii ab aliis eiusdem rei consciis coarguatur.

176. Si planum fit, hoc ita quemadmodũ dico esse factum: non poteris dicere Hortensi, nihil in istis CICERO.
fuisse literis quod Verrem læderet. non modo id non dices, sed ne illud quidem tibi dicere licebit, 298
tantum, quantum ego dicam, non fuisse. Ergo hoc vestro consilio, & gratia perfecistis, vt, quemad-
modum paulo antè dixi, & mihi summa facultas ad accusandum daretur, & iudicibus libera pote-
179. stas ad credẽdum. quod quum ita sit, nihil fingam tamen, meminero me nõ sumpsisse quem accu-
sarem, sed recepisse quos defenderem: vos ex me causam non à me prolatam, sed ad me delatam
audire oportere: me Siculis satis esse facturum, si, quæ cognoui in Sicilia, quæ accepi ab ipsis, dili-
genter exposuero: populo R. si nullius vim, nullius potentiam pertimuero: vobis, si facultatem ve-
rè, atque honestè iudicandi fide & diligentia mea fecero: mihi in eo, si ne minimum quidem de eo
180. curriculo vitæ, quod mihi semper propositum fuit, decessero. Quapropter nihil est quod metuas
nequid mecum fingam: etiam quod lætere habes: multa enim, quæ scio abs te esse commissa, quòd
aut nimium turpia, aut parum credibilia sunt, prætermittam: tantum agam de hoc toto nomine
societatis, vt verũ scire possitis, quærã, decretúmne sit. quum id inuenero, quæram remotæne sint *Ita
literæ. quum id quoque constabit, vos iam me tacito intelligetis, si illi, qui hoc istius causa decreue-
runt, equites R. nunc iidem in eum iudices essent, *istum sine dubio condemnarent, de quo literas *an non istum
eas, quæ istius furta indicarent, & ad se missas, & suo decreto remotas scirent esse. quem igitur ab iis
equitibus R. qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissimè tractati sunt, condemnari ne- *illa
cesse esset: is à vobis Iudices, *nulla vi, aut ratione absolui *potest. *potest?

Vt verum scire. Et vt verum, legi postulat oratio.

Decretúmne sit. Vt literæ remouerentur.

Istum sine dubio condemnarent. Mutilatus sine dubio locus, qui quo modo restitui possit, non dispicio: nisi fortè ante hæc verba, reponamus AN NON. Anantapodoton esse putarem, sed particulam SI, necessario iterari oporteret. at quo in loco iteranda sit, incertum.

Nulla ui aut ratione absolui potest. Frigida conclusio hæc videtur omnino: quæ, si cum interrogatione legatur, & pro Nulla, reponatur Vlla, multo futura est acrior ac vehementior.

181. Ac ne forte ea quæ remota de medio, atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita CICERO.
abditè latuisse videantur, vt hac diligentia, quam ego à me expectari maxime puto, nihil horũ in- 299
uestigari, nihil assequi potuerit: quæ consilio aliquo, aut ratione inueniri potuerunt, inuẽta sunt Iu- assequi,
dices: manifestis in rebus hominem iam teneri videbitis. Nam quòd in publicanorum causis vel passiue.
plurimum ætatis meæ versor, vehementérque illum ordinem obseruo: satis cõmodè mihi videor
180. eorum consuetudinem vsu, tractandóque cognouisse. itaque vt hoc comperi, remotas esse literas
societatis: habui rationem annorum, per quos iste in Sicilia fuisset: deinde quæsiui, quod erat in-
uentu facillimum, qui per eosdem annos Magistri istius societatis fuissent: sciebam enim hãc Ma-
gistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse, vt, quum tabulas nouo Magistro traderent,
exempla literarum ipsi habere non nollent. Itaque ad L. Vibium equitem R. virum primarium,
quem reperiebam Magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maximè quærendus erat, primum ve-
ni. sanè homini præter opinionem improuiso incidi. scrutatus sum quæ potui, & quæsiui omnia:
inueni duos solos libellos ab L. Canuleio missos sociis ex portu Syracusis, in quibus erat ratio
scripta mensium complurium, rerum exportatarum istius nomine sine portorio: itaque obsigna
182. libri ui statim. *erant hæc ex genere, quod ego maxime genus ex sociorum literis reperire cupiebam. *nec erant h
verum tantum inueni Iudices, quod apud vos quasi exempli causa proferre possem. sed tamen
quicquid erit in his libellis, quantulumcunque videbitur esse, hoc quidem certè manifestum erit.

Assequi potuerit. Assequi in patiendi significatione. vt complexa, in Orat. pro Sex. Roscio: & Experta, in Orat. pro Balbo.

Tabulas haberent. Quarum ipsi rationibus exigendis & conficiendis præerant.

Obsignaui statim. Accusatoribus, Prætoris lege atque imperio potestas dabatur, omnia quæ apud quenque ad accusationem instruendam pertinentia reperirēt, obsignādi, nequid remoueri posset.

Erant hæc. Apertius legeretur vt in vetusto libro, Nec erant hæc ex eo genere.

CICERO 300 De cæteris ex hoc coniecturam facere debebitis. Recita mihi quæso hunc primum libellum: deinde illum alterum 'libellum Canuleii. Iam nō quæro vnde C C C C amphoras mellis habueris, vnde tantam Melitensem vestē, vnde quinquaginta tricliniorum lectos, vnde tot candelabra, non inquam iam quæro vnde hæc habueris, sed quò tibi tantum opus fuerit, id quæro. mitto de melle: sed tantúmne Melitensium, quasi etiam amicorum vxores: tantum lectorum, quasi etiam omniū istorum villas ornaturus esses? Quum hæc paucorum mensium ratio in his libellis sit, facite vt vobis triennii totius veniat in mentem. sic cōtendo, ex his paruis libellis apud vnum Magistrum societatis repertis vos iam coniectura assequi posse, cuiusmodi prædo iste in illa prouincia fuerit, quàm multas cupiditates, quàm varias, quàm infinitas habuerit, quantam pecuniam non solum numeratā, verum etiā huiuscemodi in rebus positā confecerit. quæ nobis alio loco planius explicabūtur. Nūc hoc attēdite. his exportationibus, quæ recitatæ sunt, scribit H-S LX socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. pauculis igitur mēsibus, vt hi pusilli & contēpti libelli indicāt, furta Prætoris, quæ essent H-S duodecies, ex vno oppido solo exportata sunt. Cogitate nūc, quū illa sit hæc insula quæ vndique exitus maritimos habeat, quid ex cæteris locis exportatum putetis, quid Agrigento, quid Lilybæo, quid Panormo, quid Thermis, quid Halesa, quid Catina, quid ex cæteris oppidis, quid vero Messana, quem iste sibi locum maximè tutum arbitrabatur, vbi animo semper soluto, liberóque erat: quòd sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quæ aut diligentius seruanda, aut occultius exportanda erant, deportaret.

'l. Libellus Can.

Libellum Canuleij. In manuscripto, Libellus Canuleii. vt mihi grandioribus literis scribendum esse videatur, vt sæpe aliis in locis.

Quinquaginta tricliniorum lectos. Certus numerus pro incerto. In quarto Accusationis, in singula triclinia amplius triginta lectos quæsitos dicit, 439.

Quasi etiam amicorum vxores. Figura quam Græci ἔμφασιν nominant. Facit enim occultè suspicionē donata hæc esse amicorum vxoribus, quos in inuidiam conatur adducere, quippe Verris defensores. Apparet autem ex hoc loco, Melitenses vestes esse muliebres.

H-S LX. Subaudi, Millia, ex consuetudine. Id est aureos mille quingentos.

Vicesima portorij. Partem enim vicesimam earum rerū quæ exportabantur, publicani portorii & vectigalis nomine capiebant: id est quinque, in singula centum. Vnde aurum vicesimarium dicebatur, quod in ærario sanctiore ad vltimos Reip. casus seruari solitum scribit Liuius libro Decadis III, septimo.

H-S *duodecies.* Aureorum triginta millium. Insignis locus, vt qui planissimè ostendit, si sestertium sexaginta millia, sunt pars sestertium duodecies vicesima: sestertium duodecies, concisam esse loquutionē, pro Duodecies centena millia sestertium. sed non, mille ac ducenta sestertia, neutrius generis: vt Budæus putauit, qui sestertia mille sestertios continere falsò credidit. Quid enim me coget Budæus notam hanc H-S, hoc loco Sestertia potius quàm Sestertios interpretari? an quòd nō est addita vox Millia? Atqui sexcentis locis ostendimus, eam nō modo in sestertium, verum etiam in iugerum, in nummorum, in assium, in denarium, in modium, in medimnorum denique numeris subaudiri.

Quod sibi iste Mamertinos. Mamertini, ciues Messanenses dicti: quòd à Mamertinorum regione Campana eò colonia deducta sit. Polybius, Strabo, Plinius.

CICERO 301 His inuentis libellis, cæteri remoti, & diligentius sunt reconditi. nos tamen, vt omnes intelligāt hoc nos sine cupiditate agere, his ipsis libellis contenti sumus. Nunc ad sociorum tabulas accepti & expēsi (quas remouere honestè nullo modo potuerūt) & ad amicum tuum Carpinatium reuertemur. inspiciebamus Syracusis à Carpinatio cōfectas tabulas societatis, quæ significabant, multis nominibus eos homines versurā à Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent. erit vobis luce clarius Iudices, quū eos ipsos produxero, qui dederunt: intelligetis enim, illa tempora, per quæ, quū essent in periculo, pretio sese redemerunt, cum societatis tabulis non solum Consulibus, verum etiam mensibus conuenire. quū hæc maximè cognosceremus, & iam in manibus tabulas haberemus: repentè aspicimus lituras eiusmodi, quasi quædā vulnera tabularum recentia. statim suspicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos, animúmque transtulimus. erant acceptæ pecuniæ à C. Verrutio, sic tamen vt vsque alterum r, literæ constarent integræ, reliquæ omnes essent in litura. alterum, tertium, quartum, permulta erant eiusmodi nomina. quum manifesta res, 'tum flagitio-

'quum

sa tabularum, atque insignis turpido teneretur, quærere incœpimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius quicum tantæ pecuniæ rationem haberet. hærere homo, auersari, rubere, quòd lege excipiuntur tabulæ publicanorum, quo minus Romam deportentur, vt res quammaximè clara, ac testata esse posset: in ius ad Metellum Carpinatium voco, tabulásque societatis in forū defero.

Versuram à Carpinatio fecisse. Versura fieri propriè dicitur, quum creditoris conuersio quædam, & mutatio fit: id est quum quis alii vt soluat, ab alio pecuniā mutuatur. Modò Versuram facere, simpliciter significat æs alienum contrahere. Sic in Orat. pro Cælio, Tabulas qui in patris potestate est, nullas conficit. versuram nunquam omnino fecit vllam. & aliis locis innumeris.

Quum hæc maximè cognosceremus. Elegans locutio, cum emphasi momentum ipsum significās quo quid fieri dicitur. Sic libro Ep. ad Att. 11, Quum hæc maximè scriberem, ecce tibi Sebosus.

Vsque alterum r. Prius enim scriptum fuerat, A C. Verre. pòst autem, RE interlitum, & in liturā RVTIO relatum.

Tum flagitiosa. Quum, repetitum esse arbitror: & hoc loco reponēdum, vt sit, Quū flagitiosa, &c.

Fit maximus concursus hominum, &, quòd erat Carpinatii nota cum isto Prætore societas, CICERO.
ac fœneratio, summè expectabant omnes quid in tabulis contineretur. rem ad Metellum defero: 302
me tabulas perspexisse sociorum: in his tabulis magnam rationem C. Verrutii permultis nominibus esse: méque hoc perspicere ex Consulum mensiúmque ratione, hunc Verrutium neque ante aduentum C. Verris, neque post decessionem quicquam cum Carpinatio rationis habuisse. postulo, mihi respōdeat qui sit iste Verrutius, mercator, an arator, an pecuarius: in Sicilia sit, an decesserit. clamare omnes ex cōuentu, neminem vnquā ex Sicilia fuisse Verrutiū. ego instare vt mihi respōderet, vbi esset, quis esset, vnde esset: cur seruus societatis, qui tabulas confecerit, semper in Verrutii nomine certo ex loco mendosus esset. atque hæc postulabā: non quo illū cogi putarem oportere, vt ea mihi respōderet inuitus: sed vt omnibus istius furta, illius flagitiū, vtriusque audacia perspicua esse posset. Itaque illum iniuriæ metu, conscientiáque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix viuum relinquo: tabulas in foro summa hominum frequentia exscribo: adhibentur in exscribendo de conuentu viri primarii: literæ, lituræque omnes assimulatæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. hæc omnia summa cura, & diligentia recognita, & collata, & ab hominibus honestissimis obsignata sunt. si Carpinatius tum mihi respondere noluit: responde mihi nunc tu Verres, quem esse hunc tuum penè gentilem Verrutium putes.

Ac fœneratio. Quas enim pecunias Carpinatius occupabat, earum vsuræ ad Verrem pertinebāt.

Seruus societatis semper mendosus esset. Id est, Semper vitium fecisset, semper mendum commisisset. Seruum autem societatis dicit eum, qui Syracusis operam dabat societati: cúmque Magistro societatis opponit. Neque enim seruum illum fuisse putādum est: sed, vt dixi, seruum appellat qui cum Magistro conferatur.

Fieri non potest vt, quem video te Prætore in Sicilia fuisse, & quem ex ipsa ratione intelligo lo- CICERO.
cupletem fuisse, eū tu in tua prouincia non cognoris. atque adeò, hoc ne longius, aut obscurius esse 303
possit, procedite in medium, explicate descriptionem, imaginémque tabularum, vt omnes mortales istius auaritiæ non iam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. Videtis Verrutiū? videtis primas literas integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tāquam in luto demersam esse in litura? sic habent se tabulæ Iudices, vt videtis. quid expectatis? quid quæritis amplius? tu ipse Verres quid sedes? quid moraris? nam aut exhibeas nobis Verrutium necesse est, aut te esse Verrutium fateare. Laudantur oratores veteres Crassi illi, & Antonii, quòd crimina diluere dilucide, quòd copiosè reorum causas defendere solebāt. nimirum illi non ingenio solum his patronis, sed fortuna etiā præstiterunt: nemo enim tunc ita peccabat vt defensioni locum non relinqueret: nemo ita viuebat vt nulla eius vitæ pars summæ turpitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccato tenebatur, vt quū impudens fuisset in facto, tū impudentior videretur si negaret. Nunc verò quid faciat Hortensius? auaritiǽne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimúmque defendit. An ab hac eius infamia nequitiæ vestros animos in aliam partem fortitudinis cōmemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula, proferri non potest. At mores commodi. quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? At hæc sine cuiusquam malo. quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior vnquam fuit?

Descriptionem. Librum in quem translatæ rationes erant ex tabulis.

Sed ipsa cubilia. Translatio à feris sumpta, quæ in ipsis cubilibus deprehenduntur. Similis figura in Pisonem, An verò tu parum putas inuestigatas esse à nobis labes imperii tui, stragésque prouinciæ? quas quidem nos non vestigiis odorātes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, & cubilibus persecuti sumus. Et infrà 437, Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis inuenimus?

Extremam partem. Rutius.

Caudam illam. Extremitatem. Sumpta videtur translatio à bestia, cuius cauda extra cubile extãs, index est eam ibi delitescere.

Laudantur oratores. Conclusio per enumerationem: in qua breuissimè renouans memoriam eorum quæ dicta sunt, videri vult spem omnem defensionis ita Hortensio oratione sua præcisam, vt vel ipse Hortensius libenter Verris patrocinium sit abiecturus, modò liber ac solutus esset, neque iam defensionis accepta mercede teneretur. Et quoniam laudabile & honestum erat reorum patrocinium suscipere: proposita Oratorũ veterum & Hortẽsii dissimilitudine, ab hac laudis expectatione remouere conatur Hortensium. Non, inquit, si laudabiliter defendit Antonius, continuò ex Verris defensione gloriã cõsequere. Alia enim Verris, alia illorũ quos Antonius defendebat, ratio & causa est. in illorũ igitur defensione, decus & laus: in huius verò, dedecus & turpitudo versantur.

peccatu *In manifesto peccato tenebatur.* Gellius lib. XIII, cap. XIX, non Peccato, sed Peccatũ scriptum se testatur reperisse in vno atque altero antiquissimæ fidei libro Tironis, Ciceronis liberti.

At hominem flagitiosissimum, libidinosiss. nequissimúmque defendit. Similis subiectio quæ proximè sequitur, & totius loci sententia hanc scripturam comprobat: eam quæ est apud Gellium, repudiat: An hominem defendat: sic enim apud eum legitur lib. VI, cap. XVI.

Fortitudinis commemoratione. Vt animi vestri illius fortitudinis recordatione occupati, horum criminum obliuiscantur.

Magis vir. Contentione rem auget. Nam virum nequam & ignauum non contentus appellasse, addidit, Inter mulieres. acsi diceret, vel muliere ignauior. Similiter illud, Magis impura inter viros muliercula. vt si diceret, impurior meretrice, & ea meretrice quæ vel viris impudicior esset. Nam quanuis impudica mulier, retinet tamen quàm vir impudicus, plus pudoris ac verecundiæ.

CICERO. 304 In hoc homine, atque in eiusmodi causa quid facerent omnes Crassi, & Antonii? tantũ, opinor, Hortensi ad hanc causam non accederent, ne in alterius impudentia, sui pudoris existimationem amitterent. liberi enim ad causas, solutique veniebant: neque cõmittebant vt, si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur.

MDDCC *Ne in alterius impudentia.* Ne hominem apertè improbum defendendo, impudentes viderentur.

Liberi enim ad causas. Nõ iam accepta mercede patrocinii, non vendita sui pudoris existimatione.

Si impudentes in defendendo. Vult existimari ancipiti cogitatione distrahi animum Hortensii. Si defendam, impudens: si deseram, ingratus existimabor. Quæ cura nunquam Crassum & Antoniũ solicitos habuit: vt illorum dissimilis in suscipiendis causis ratio iure gloriam cõsecuta sit: quum Hortensium summa maneat turpitudo ac dedecus.

Ingrati in deserendo. Sphingem Hortensio à Verre datam, notum est omnibus mediocriter quidem eruditis. Plinius libro XXXIIII, Ciceronis dictum in Hortensium cõmemorat. Quum, inquit, orta in Verris iudicio altercatione, Hortensius diceret Ciceronis se ænigmata non intelligere: respõdit debere, quoniam sphingem domi haberet. Quintilianus libro VI, his verbis, Ex historia etiam ducere vrbanitatem, eruditum: vt Cicero fecit, quũ ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius, Non intelligo hæc ænigmata: Atqui debes, inquit, quũ Sphingẽ domi habeas. Acceperat autem ille à Verre Sphingem æneam, magnæ pecuniæ. & idem tradit Plutarchus in vita Ciceronis, & Apophthegmatis.

'Liber III.

Accusationis in C. Verrem liber

QVINTVS ORATIO VIII.

OMNES qui alterum, Iudices, nullis impulsi inimicitiis, nulla priuatim læsi iniuria, nullo præmio adducti, in iudicium Reip. causa vocant, prouidere debent non solum quid oneris in præsentia tollant, sed etiam quantum in omnem vitam negotii suscipere conẽtur. legem enim sibi ipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutúmque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt: atque eo magis, si id, vt antè dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi vtilitate communi. nam qui sibi hoc sumpsit vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat: quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus eiusmodi ciuis laudandus, ac diligendus est, qui non solum Reip. ciuem impro

bum remouet, verum etiam ſeipſum eiuſmodi fore profitetur, ac præſtat, vt ſibi non modo communi voluntate virtutis, atque officii, ſed etiam vt quadam magis neceſſaria ratione rectè ſit, honeſtéque viuendum.

COMMENTARII.

Tertius hic accuſationis liber eſt, nõ, vt vulgò inſcribitur, quintus: ſicuti à nobis initio demonſtratum eſt. Continet autem furta Verris in omni frumenti genere, in decumano, empto, & æſtimato. Hunc enim ſibi ordinem accuſationis Orator hoc libro cõſtituit. Genus cauſæ honeſtum eſt. Cõſtitutio coniecturalis, ſimplex: verſatúſne ſit in re frumẽtaria Verres auarè & incontinẽter.

Reipub. cauſa. Communi vtilitate commoti. Patrocinii tamen, non accuſationis cauſa ad hanc ſe accuſationem deſcẽdiſſe, dicit in libro de Officiis I I. Sed hoc quidem, inquit, non eſt ſæpe faciẽdum: nec vnquam niſi Reip. cauſa, vt duo Luculli: aut patrocinio, vt nos pro Siculis.

Rationem vitæ repoſcunt. Aptiſſima ſimilitudo, & mirè cõueniens. Vt qui Reip. debitor eſt, ſi aliũ debitorem rationes reddere iubeat, audiendus non ſit, niſi primùm ipſe rationes referat: eodem modo, qui ſe ſcelere aliquo obligauit, niſi priore ipſe loco pœnas luat, ab alio ſi repoſcat, minimè ferẽdus eſt. Vide Diuinat. 120.

Quis huic ignoſcat? Quid ita? an quoniã vindicandi maleficii ratio ex hoc capite ducitur, Reip. intereſſe vt maleficia vindicẽtur? quod quum generale ſit, & vniuerſum, ipſum quoque omnino accuſatorem complectitur. Et quum accuſandi voluntas hoc habeat rationis, vt aliis exemplum ſtatuatur, ſi vera eſt voluntas, ad id ſe quod procliuius eſt applicabit. Pœnæ igitur ſe primùm accuſator offerat: tum alios in crimen vocet.

Non modo communi voluntate. Pro ſua virili parte.

3. Ita hoc Iudices, ex homine clariſſimo, atque eloquentiſſimo L. Craſſo ſæpe auditum eſt, quum CICERO.
ſe nullius rei tam pœnitere diceret, quàm quòd C. Carbonem vnquam in iudicium vocauiſſet: mi 305
nus enim liberas omnium voluntates rerum habebat, & vitam ſuam pluribus, quàm vellet, obſeruari oculis arbitrabatur. atque ille iis præſidiis ingenii, fortunæque munitus, tamen hac cura continebatur, quã ſibi nondum cõfirmato conſilio, ſed ineunte ætate ſuſceperat. quominus etiã perſpicitur eorũ virtus & integritas qui ad hanc rem adoleſcentuli, quàm qui iã firmata ætate deſcendunt. illi enim, antequã potuerunt exiſtimare quanto liberior vita ſit eorum qui neminem accuſarint, gloriæ cauſa, atque oſtentationis accuſant: nos, qui iam & quid facere, & quantulum iudicare poſſemus, oſtendimus: niſi facilè cupiditates noſtras teneremus, nunquam ipſimet nobis præciderenius
4. iſtam licentiam, libertatémque viuendi. atque hoc ego plus oneris habeo, quàm qui cæteros accuſarunt: (ſi onus eſt id appellandum quod cum lætitia feras, ac voluptate) veruntamen hoc ego amplius ſuſcepi, quàm cæteri, quòd ita poſtulatur ab omnibus, vt ab iis ſe abſtineant maximè vitiis, in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem, aut rapacem accuſaris? vitanda tibi ſemper erit omnis auaritiæ ſuſpicio. maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cauendum erit ſemper ne qua in re aſperior, aut inhumanior fuiſſe videare. corruptorem? adulterum? prouidendũ diligenter ne quod in vita veſtigium libidinis appareat. omnia poſtremò quæ vindicaris in altero, tibiipſi vehementer fugienda ſunt.

Quid C. Carbonem. Cicero ad Papyrium Pætum, Epiſtola Ain' tandem? Tres, inquit, fratres fuere, P. C. M. Carbones. Publius Flacco accuſante condemnatus, fugit Marcus ex Sicilia, Caius accuſante L. Craſſo cantharidas ſumpſiſſe dicitur. is Tribunus pl. ſeditioſus, & P. Africano vim attuliſſe exiſtimatus eſt. Et in Bruto, C. Carbo propter perpetuam in populari ratione leuitatẽ morte voluntaria ſe à ſeueritate iudicum vindicauit. At de L. Craſſo in eodem libro ſic ſcribit, Accuſauit C. Carbonem eloquentiſſimum hominem admodum adoleſcens, ſummam ingenii non laudem modò, ſed etiam admirationem eſt conſequutus. In libro de Offic. I I, Nam L. quidem Craſſus, quum eſſet admodum adoleſcens, nõ aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximam laudem ex illa accuſatione nobili & glorioſa. Quot verò natus annos eã cauſam egerit, docet in eius perſona Tullius libro de Orat. I I I. Quippe, inquit, qui omniũ maturrimè ad publicas cauſas acceſſerim, annóſque natus vnum & viginti nobiliſſimum hominem & eloquentiſſimum in iudicium vocarim. Quo tamẽ loco videamus ne librarii culpam admiſerint, ac pro Vndeuiginti, Vnũ & viginti ſcripſerint. quũ ſcilicet Cornelius Tacitus in Dial. de Oratore apertè teſtetur eam tum Craſſi ætatem fuiſſe. Nonodecimo, inquit, ætatis anno L. Craſſus C. Carbonem, vno & vigeſimo Cæſar Dolabellam, altero & x x Aſinius Pollio Catonem iis orationibus inſecuti ſunt, quas hodiéque cum admiratione legimus. Memorabilis autẽ huius Craſſi fiducia fuit, qui quum ex Cõſule prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad ſpeculanda acta ſua veniſſet, non ſolùm eum inde non ſummouit, ſed inſuper locum ei in tribunali aſſignauit, nec vlla de re, niſi eo in cõſilium adbibito, cognouit. auctor Valerius. Idem ſcribit, quum accuſationem Craſſus inſtruẽret, & Carbonis ſeruus ſcrinium complura cõtinens quibus facilè

opprimi posset, ad eum attulisset vt erat signatum, cum seruo catenato ad eum remisisse.

Quid facere possemus, ostendimus. In Quæstura, qua Sex. Peduceo Prætore Siciliæ functus est.

CICERO 306 » Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferēdus est is, qui, quod in altero vitiū reprehendit, in eo ipse deprehenditur. Ego in vno homine omnia vitia, quæ possunt in homine perdito, nefarióque esse, reprehendo: nullum esse indicium libidinis, sceleris, audaciæ, quod non in vnius istius vita perspicere possitis. ego in isto reo legem hanc Iudices, mihi statuo, viuendum ita esse vt isti non modo factis, dictisque omnibus, sed etiam oris, oculorúmque illa cōtumacia, ac superbia, quā videtis, dissimillimus esse, ac semper fuisse videar. Patior non molestè Iudices, eam vitam, quæ mihi sua spōte antea iucūda fuerit, nunc iam mea lege, & conditione necessariam quoque futuram. Et in hoc homine sæpe à me quæris Hortēsi quibus inimicitiis, aut qua iniuria adductus, ad accusandum descēderim. Mitto iam rationem officii mei, necessitudinisque Siculorum: de ipsis tibi inimicitiis respondeo. an tu maiores vllas inimicitias putas esse, quàm contrarias hominum sententias, ac dissimilitudines studiorum, & voluntatum? fidem sanctissimam in vita qui putat, potest ei non inimicus esse, qui Quæstor Consulem suum, consiliis commissis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit? pudorem & pudicitiam qui colit, potest animo æquo istius quotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domesticum lenocinium videre? qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei qui fana spoliarit omnia, qui ex thensarum orbitis prædari sit ausus, inimicus nō esse qui potest? qui iure æquo omnes putat esse oportere, is tibi non infestissimus sit, quum cogitet varietatem libidinémque decretorum tuorum?

Fuisse videar. Fore, postulare videtur oratio: vt sit, Fore videar.

Mea lege & conditione. Quam mihimetipsi mea voluntate statui, atque indixi.

Necessitudinis. Quæ inter nos dum Quæsturam gererem, intercessit.

Quam contrarias hominum sent. In hanc eandem sententiam ipse in Lælio sic scribit, Dispares mores, disparia studia sequuntur. nec ob aliam causam vllam, boni improbis amici esse non possunt, nisi quòd tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorúmque distantia.

Quæstor Consulem. Pag. 169.

Consiliis commissis. Cum illo communicatis, eius fidei commissis. Nam commissa consilia alia in re alibi dicuntur.

Meretriciam disciplinam. Vitæ rationē impurā, atque impudicā, qualis doceri solet à meretricibus.

Domesticum lenocinium. Rubrii perductoris domestici.

Ex thensarum orbitis. Ex hoc & alio tertiæ Orationis loco, pag. 221, capio coniecturam, & AEdilē Verrē fuisse, & quū AEdilis viam à Vertumni signo ad circū maximū, in qua Thensæ ducebātur, exigeret, iniqua & improba ratione pecuniā coegisse. vide 567, & Asconium de Thēsis, & orbitis.

CICERO 307 » Qui sociorum iniuriis, prouinciarumque incommodis doleat, is in te nō expilatione Asiæ, vexatione Pamphyliæ, squalore & lacrymis Siciliæ concitetur? qui ciuiū R. iura, ac libertatē sanctā apud omnes haberi vult, is non tibi plus etiam, quàm inimicus, esse debeat, quum tua verbera, quū secures, quū cruces ad ciuium R. supplicia fixas recordetur? an si qua in re cōtra rem meā decresset aliquid iniuria, iure me ei inimicum esse arbitrarer: quū omnia contra omnium bonorum rem, causam, rationem, vtilitatem, voluntatémque fecerit, quæris cur ei sim inimicus, cui populus R. infestus sit? qui præsertim plus etiā, quàm pars virilis postulat, pro voluntate populi R. oneris, ac muneris suscipere debeā. Quid illa, quæ leuiora videntur esse, non cuiusuis animum possunt mouere, quòd ad tuam ipsius amicitiā, cæterorúmque omniū maiorū, atque nobilium faciliorē aditū istius habet nequitia, & audacia, quàm cuiusquā nostrum virtus, & integritas? odistis hominū nouorum industrias: despicitis eorū frugalitatē: pudorē cōtemnitis: ingeniū verò, & virtutē depressam, extinctámque cupitis: Verrē amatis. ita credo si non virtute, non industria, non innocentia, non pudore, nō pudicitia, at sermone, at literis, at humanitate eius delectamini. nihil horū est: cōtráque sunt omnia, cum summo dedecore, ac turpitudine, tum singulari stultitia, atque inhumanitate oblita. Huic homini si cuius domus patet, verum ea patere, an hiare, ac poscere aliquid videtur? hūc vestri ianitores, hunc cubicularii diligunt: hunc liberti vestri, hūc serui, ancillæque amant: hic quū venit, extra ordinem vocatur, hic solus introducitur, cæteri sæpe frugalissimi homines excluduntur.

Ciuiū R. iura ac libertatē. C. Gracchus legē tulerat, ne de capite ciuis R. iniussu populi iudicaretur.

Arbitrarer. Rectius putarem, Arbitrarere. quū præsertim continuò sequatur, Quæris: & Hortensium alloquatur.

Virtutem depressam. Ne si emerserit, suo splendore vestram illam nobilitatem obscuret. Molestè patiebatur nobilitas, populum R. nouis hominibus honores & imperia mandare. 451.

Non pudore, non pudicitia. A quibus omnibus est multò remotissimus.

Patere, an hiare. Sumpta à bestiis translatione, quæ simul cum, à quo pastum accipere consueuerunt, aspexerint, hiare solēt. Ex quo intelligi voluit, ædes nobilium, quoties ipse intrò recipiebatur, solitas esse aliquid ab eo recipere.

Ex quo intelligi potest, eos vobis esse charissimos qui ita vixerunt vt sine vestro præsidio salui esse non possint. Quid? hoc cuiquã ferendũ putas esse, nos ita viuere in pecunia tenui, vt prorsus nihil acquirere velimus, vt dignitatem nostram populique R. beneficia non copiis, sed virtute tueamur? istum rebus omnibus vndique ereptis impunè eludentem circunfluere, atque abũdare? huius argento domos vestras, huius signis, & tabulis forũ, comitiúmque ornari, præsertim quũ vos vestro marte his rebus omnibus abundetis? Verrem esse, qui vestras villas suis manubiis ornet? Verrem esse qui cum L. Mummio certet, vt plures hic sociorum vrbes, quàm ille hostium spoliasse videatur? plures hic solus villas ornamentis fanorum, quàm ille fana spoliis hostium ornasse? & is erit ob eam rem vobis charior, vt cæteri libentius suo periculo vestris cupiditatibus seruiant? verum hæc dicentur alio loco, & dicta sunt. Nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca antè erimus à vobis Iudices deprecati. Superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus: id fuit nobis gratum admodum, sed multo erit gratius, si reliqua voletis attẽdere: propterea quòd in his omnibus quæ antea dicta sunt, erat quædam ex ipsa varietate, ac nouitate rerũ, ac criminũ delectatio: nunc tractare causam instituimus frumẽtariam, quæ magnitudine iniuriæ ferè criminibus cæteris antecellit, iucunditatis in agendo, & varietatis minus habebit. Vestra autem auctoritate, & prudentia dignissimum est Iudices, in audiendo diligentiam non minus religioni tribuere, quàm voluptati. CICERO. 308

Qui ita vixerunt, vt sine præsidio. Asperè, sed subtiliter dictum. Alii certis hominibus præsidio sũt, quòd eos charos habeant. Vos verò non quo Verrem ametis, propterea estis illis præsidio: sed ideo amatis, quòd præsidii vestri indigeat. cuius vobis mercedẽ prolixè cumulatéque persoluit.

Populique Romani beneficia. Honores, quos adepti sumus, virtute potius, quàm opulentia & facultatibus ornemus.

Impunè eludentem. Lasciuientem, neminem præ se ducentem.

Forum comitiúmque. Comitium in foro fuisse, locus hic ostendit quem subiiciam ex Epistola I I libri I I I I epist. ad Atticum, Metellus tamen postulat vt sibi postero die in foro obnũtietur: nihil esse quod in campum noctu veniretur: se hora prima in comitio fore. Itaque ante diem X I. Cal. Ian. in comitium Milo de nocte venit. Plinius præterea in lib. X V, cap. X V I I I, Colitur, inquit, ficus arbor in foro ipso, ac comitio Romæ nata. Tectum autem fuisse comitium scribit Liuius decad. 3 lib. 7, eóque populum conuenire solitum apparet ex Ciceronis verbis.

Vestro Marte. Vestra sponte. Translatum ab Imperatoribus, qui suis ipsorum auspiciis & copiis bellum gerunt.

Suis manubiis. Manubiæ prædam significant de hostibus captã. Vult igitur hæc Verris furta in Siculos, quasi in hostes facta videri, & socios in loco ac numero hostium à Verre habitos fuisse.

Cum L. Mummio. Vide 178.

Non minus religioni. Non minus propter rationem officii vestri, quàm propter fructum iucunditatis & oblectationis attendere.

In hac causa frumentaria cognoscenda, hæc vobis proponite Iudices, vos de rebus fortunísque Siculorum omnium, de ciuium R. qui arant in Sicilia, bonis, de vectigalibus à maioribus traditis: de vita victúque populi R. cogniturosi quæ si magna, atque adeò maxima vobis videntur, quàm variè, & quàm copiosè dicantur, expectare nolite. Neminem vestrum præterit Iudices, omnem vtilitatem, opportunitatémque prouinciæ Siciliæ, quæ ad commoda populi R. adiuncta sit, consistere in re frumentaria maximè: in cæteris rebus adiuuamur ex illa prouincia, hac verò alimur, ac sustinemur. Ea causa tripartita Iudices erit in accusatione: primum enim de Decumano, deinde de Empto dicemus frumento, postremò de AEstimato. Inter Siciliã, cæterásque prouincias Iudices, in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quòd cæteris aut impositum vectigal est certum, quod Stipẽdiarium dicitur: vt Hispanis & plerisque Pœnorũ, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli: aut Censoria locatio constituta est, vt Asiæ lege Sempronia. Siciliæ ciuitates sic in amicitiam, fidémque recepimus, vt eodem iure essent quo fuissent: eadem conditione populo R. parerent, qua suis antea paruissent. Perpaucæ Siciliæ ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactæ: quarum ager quum esset publicus populi R. factus, tamen illis est redditus. is ager à Censoribus locari solet. Fœderatæ ciuitates duæ sunt quarum decumæ venire non soleant: Mamertina, & Tauromitana. Quinque præterea sine fœdere immunes ciuitates, ac liberæ: Centuripina, Halesina, Segestana Halicyensis, Panormitana. præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus est, itémque ante imperium populi R. ipsorum Siculorum voluntate & institutis fuit. CICERO. 309

Vita victúque. Rebus quibus populus R. alitur ac sustinetur.

Vectigal est certum. Certa & definita nõ frumẽti, sed pecuniæ sũma, quã populo R. quotãnis in fru

gum ſiue copia,ſiue inopia perſoluant.Ac de toto hoc genere vt breuitet dicamus, hoc intelligi opottet,Ciuitatum quæ in prouinciis populi R.numerabantut,alias vectigales fuiſſe,alias liberas atque immunes. Vectigalium autem alias certum (aut in pecunia ſcilicet, aut in frumento) vectigal ſoluiſſe: quæ ſtipēdiariæ dicebantur. alias decumanas fuiſſe, quæ decimam frugū partem ſoluebant.quod vectigal,quia ex annorū ratione, & frugum eupia aut inopia modò minos, modò amplius eſt,non certū appellatut. Harū vtrarunque Liuius mentionē facit lib. XXXVI, his verbis,Cæteræ ciuitates Aſiæ quæ Attali ſtipēdiariæ fuiſſent, eædem Eumeni vectigal pēderēt:quæ vectigales Antiochi fuiſſent,eæ liberæ atq; immunes eſſent. Decumanarū autē agri aratoribus Romæ à Cēſoribus locari ſolebāt, vt eos ſuis ciuitatibus colerēt,ea lege vt decimā frugū partē populo R.penderēt.Eas porrò decumas Publicani à populo R.emebāt certo pretio, quod Quæſtoribus ærarii repræſentabāt. Decumas autē poſtea qui in operis erāt,ab aratoribus exigebant.Hæc de vectigalibus. Liberorum populorum alii fœderati ſunt, qui ſcilicet hoſtes nūquā fuerūt,ſed ad amicitiam ſociali fœdere iungendam coeunt. hoc enim fœderis genus modò dicimus:quo ſcilicet illud factum eſt vt pia & æterna pax ſit:quēadmodum ſcribit Cicero in Orat. pro Balbo. Eos liberos fuiſſe, cum ex locis innumeris apparet, tum etiam ex illo Verrinæ VII, pag.507, At enim iccitco nauem Mamertinis non imperaſti, quòd ſunt fœderati. Et Suetonius in Auguſto ſic ſcribit Vrbium quaſdā fœderatas,ſed ad exitium licētia præcipites libertate priuauit. Alii ſine fœdere immunes ſunt,nec quicquam pendunt:ſed eis & ſuis legibus,& ſuis vectigalibus vti permittitur.

Cenſoria locatio ut Aſiæ. Agri enim earum ciuitatū publicati,id eſt populi R.facti,Romæ à Cēſoribus locati ſolebant aratoribus,qui eos ciuitatib' illis colerēt,ea lege vt certū frumenti numerū quotānis populo R.penderent. Quod etiam in quibuſdā Siciliæ ciuitatum agris factum eſt, vt modò oſtendet:& Verrina VII,declarat his verbis, Qui publicos agros arāt, certum eſt quid ex lege Cēſoria dare debeant. Cur iis quicquam præterea ex alio genere imperauiſti? Ex quibus intelligi volumus,Certi vectigalis genera duo fuiſſe,alterum pecuniæ,alterum frumenti.

Perpaucæ Siciliæ ciuitates. Septemdecim, Vide pag.139.

Vt Aſia lege Sempronia. Corrige,Aſiæ,quod ſententia perſpicuè flagitat.

Quarum ager. Non omnium priuatorum,ſed tantum ipſius ciuitatis.

Illis eſt redditus. Itaque paulo pòſt ſic ſcribit, Voluerūt eos in ſuis rebus intereſſe. Nam Hiſpanis, Aſianis, Pœnis non eſt redditus,ſed ciues R.eò migrarunt,qui agros illos conduxerunt.

Fœderatæ ciuitates. Fœderis tria ſunt genera. Vnum quo bello victis leges dicuntur. vbi enim ōnia ei qui armis plus poſſet dedita eſſent, quæ ex iis habere victos, quibus multari eos velit, ipſius ius atque arbitrium eſt. Alterū quum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirēt. Tunc enim repeti, reddiq; per conuentionē res, & ſiquarū turbata bello poſſeſſio ſit,eas aut ex æquo ſimul, aut ex formula iuris antiqui, aut ex pactis vtriuſq; cōmodo cōponi. Tertiū genus eſt, quū qui hoſtes nunquā fuerint, ad amicitiā ſociali fœdere iungendā coeunt. Ii neque dicunt,neque accipiunt leges.id enim victoris & victi eſt. Hæc Liuius libro bell. Maced. IIII.

Immunes ciu. Quæ nihil pēſitāt. ſic Verrina VII,pag.509, Qui ſūt immunes,ii certe nihil debēr.

Præterea omnis ager. Id eſt præter ſeptemdecim,quæ certum frumenti vectigal lege Cenſoria pēdunt:& liberas fœdere,aut ſine fœdere.

Decumanus eſt. Decimā partem ſuarum frugum pendit populo R.& à Cenſoribus locari ſolet.

[CICERO. 310] Videte nūc maiorum ſapiētiam:qui quum Siciliam tam opportunum ſubſidium belli,atque pacis ad Remp.adiunxiſſent,tanta cura Siculos tueri, & retinere voluerunt, vt non modo eorū agris vectigal nouum nullum imponerent, ſed ne legem quidem venditionis decumarum, nēve vendundis aut tempus aut locum commutarent,vt certo tempore anni,vt ibidem in Sicilia, denique vt lege Hieronica venderent. Voluerūt eos in ſuis rebus ipſos intereſſe, eorum animos non modo lege noua, ſed ne nomine quidem legis nouo commoueri. ita decumas lege Hieronica ſemper vendendas cenſuerunt, vt iis, iucundior eſſet muneris illius functio, ſi eius regis, qui Siculis chariſſimus fuit,nō ſolum inſtituta commutato imperio,verum etiam nomē maneret. Hoc iure ante Verrem Prætorem Siculi ſemper vſi ſunt.hic primus inſtituta omnium,conſuetudinem à maioribus traditam,conditionem amicitiæ, ius ſocietatis conuellere,& commutare auſus eſt.Qua in re primum illud reprehēdo,& accuſo,cur in re tam veteri,tam vſitata quicquā noui feceris.Ingenio aliquid aſſecutus es?tot homines ſapientiſſimos,qui illam prouinciam ante te tenuerunt,prudentia,conſilióque viciſti? Eſt tuum,eſt ingenii prudentiæque tuæ.do hoc tibi,& cōcedo:ſcio te Romæ,quum Prætor eſſes, edicto tuo poſſeſſiones hæreditatum ad alienos, à primis hæredibus ad ſecundos,à legibus ad libidinem tuam tranſtuliſſe: ſcio te edicta ſuperiorum omnium correxiſſe,& poſſeſſiones hæreditatum non ſecundum eos qui proferrent,ſed ſecundum eos qui dicerent teſtamentum factum,dediſſe.

Venditiones decumarum. Censores hasta in foro posita decumas Siciliæ, auctione vendebant. Eas Publicani redimebant, & pecuniam populo R. repræsentabant. HOTOM.

Vt ibidem si. Id ante Verrē Prætorē factū est. at postea Censorib', vt Romæ vēderēt permissū.

Muneris illius functio. Pensionis illius solutio. sic pag. 398, Tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorē ipsum arationis nomine muneris in Rem. fungi ac sustinere velitis. Vlpian' in Titulis, Dos quæ semel functa est, amplius fūgi nō potest: nisi aliud matrimoniū. Sic Paulus dixit eas res quæ pondere, numero & mensura constāt, functionem in sua specie recipere: id est solutionem.

Scis te Romæ. Dicta hæc sunt, & explanata libro Accus. primo, pag. 200, 204, & alibi.

Eásque res nouas abs te prolatas, & inuēras magno tibi quæstui fuisse scio: eūdémq; te meminí Cēsorias quoq; leges in sartis tectis exigēdis tollere & cōmutare, ne is redimeret cuia res esset: ne pupillo tutores, propinquiq; cōsulerent, quo minus fortunis omnib' euerteretur: exiguā diē præfiniri operi, qua cæteros ab negotio excluderes, ipse in tuo redēptore nullā certā diem obseruares. Quamobrē nouā legē te in decumis statuisse nō miror, hominē in edictis Prætoriis, in Cēsoriis legibus tam prudentē, tam exercitatū: non inquam miror, te aliquid excogitasse: sed quòd tua sponte, iniussu populi, sine Senatus auctoritate iura prouinciæ Siciliæ mutaris, id reprehendo, id accuso. L. Octauio & C. Cottæ c o s s. Senatus permisit vt vini, & olei decumas, & frugum minutarum, quas ante se Quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent, legémq; his rebus, quam ipsis videretur, edicerent. Quum locatio fieret, publicani postularunt, quasdam res vt ad legē adderent, neque tamen à Cēsoriis cæteris legibus recederent. Cōtradixit is qui casu tum Romæ fuit, tuus hospes Verres, hospes inquam, & familiaris tuus Sthenius hic Thermitanus. Consules causam cognouerunt: quū viros primarios, atque amplissimos ciuitatis multos in consilium aduocassent, de cōsilii sententia pronuntiarunt, se lege Hieronica vendituros. Itáne verò: prudentissimi viri, summa auctoritate præditi, quibus Senatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem potestatem permiserat, populúsque R. idem iusserat, Siculo vno recusante, cum amplificatione vectigalium nomen Hieronicæ legis mutare noluerunt: CICERO. 311

Exiguam diem præfiniri. Præfinire, melius opinor legeretur.

Ipse in tuo redemptore. Apertius esset, Quum ipse: vt in impressis quibusdam.

Frugum minutarum. Frumenti, & leguminum.

Ante se. Antequam venderes, antequam Prætor Siciliam obtineres.

Quam ipsis videretur. Nonnulli sic correxerunt, Quæ ipsis videretur: imperitè, quum alibi hac ipsa locutione sit vsus: vt in Orat. pro C. Rabirio perd. Fit, inquit, s. c. vt C. Marius, L. Valerius c o s s. adhiberent Tribunos pl. & Prætores quos eis videretur. Et Liuius, Mitterétque cum imperio, quem ipsi videretur, qui rem gereret quoad Manutius conualuisset.

A Censoriis legibus. Quæ sunt in aliis prouinciis de vectigalibus constitutæ.

Censoriis cæteris legibus. An perplexè loquitur, Censorias leges nunc appellans, quas modò à Cōsulibus datas dicebat? Quid verò illud est quod dicit, Quæstores ante Prætorem Verrem decumas vendidisse, quū biennio ante Præturam Verris Siciliensem Cōnsules illi fuerint à quibus venditas fuisse declarat? Ego quid responderi possit, non intelligo, nisi & hic & paulo pòst pro c o s s. restituendum sit c e s s. qua nota verbum Censoribus significatur. Nam præterquā quòd conuenire hæc non possunt cum illorum Consulatu, sicuti ostendimus: tum illud affirmare liquidò possumus, nusquam nos legisse decumas à Consulibus, ne extra ordinem quidem venditas fuisse. Censorū enim hæc esse cura cōsueuerat. Et quū ante Verrē Prætorem (quemadmodū paulo antè dixit) Quæstores in Sicilia vectigalia vendere solerent, tum hanc curam Cēsoribus impositam fuisse eo verisimilius videtur, quòd Cicero in Orat. contra Rullum sic scribit, Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi R. non licet. Et altera rursus oratione, Vectigalia locare nusquam licet, nisi in hac vrbe hoc ex loco, hac vestrum frequentia.

Tu homo minimi cōsilii, nullius auctoritatis, iniussu populi, ac Senatu, tota Sicilia recusāte, cum maximo detrimēto, atque adeò exitio vectigalium totā Hieronicā legē sustulisti. At quā legem corrigit Iudices, atque adeò totā tollit: acutissimè, ac diligētissimè scriptā: quæ omnibus custodiis subiectū aratorē Decumano tradit, vt neq; in segetibus, neq; in areis, neque in horreis, neque in amouendo, neque in asportando frumento grano vno posset arator sine maxima pœna fraudare Decumanum. Scripta lex ita diligenter est, vt eum scripsisse appareat qui alia vectigalia nō haberet: ita acutè, vt Siculum; ita seuerè, vt tyrannum. qua lege Siculis tamen arare expediret: nam ita diligenter constituta sunt iura Decumani, vt tamen ab inuito aratore plus decuma non possit auferri. Quum hæc essent ita constituta: Verres tot annis, atque adeò seculis inuentus est, qui hæc non commutarit, sed euerterit, eáque quæ iam diu ad salutē sociorū, vtilitatémque Reipublicæ composita, cōparatáque essent, ad suos improbissimos quæstus conuerterit: qui primum certos instituerit, nomine Decumanos, re vera ministros, ac satellites cupidi- CICERO. 312

» tatum suarum: per quos ostendam sic prouinciam per triennium vexatam, atque vastatam Iudi- » ces, vt eam multis annis multorum innocentia, sapientiáque recreare nequeamus. Eorum om- » nium, qui Decumani vocabantur, princeps erat Q. ille Apronius quem videtis: de cuius impro- » bitate singulari, grauissimarum Legationum querimonias audistis. Aspicite Iudices, vultum ho- » minis, & aspectum, & ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos eius spiritus Si- » cilienses quos fuisse putetis, cogitate, ac recordamini.

MD DDO *Omnib' custod.* Quæ tantâ facit Decumano potestatẽ speculãdi & obseruãdi oratorẽ, vt neq; &c.

Non haberet. Eóque accuratius de iis retinendis, & amplificandis cogitaret.

Ita acutè ut Siculum. Gentẽ Siculã acutã natura & cõtrouersã fuisse, scribit Cicero de Clar. orat.

Diligenter constituta. Ita Decumani rationibus consultum ac prouisum est.

Ad suos i. q. cõuerteret. Veteres omnes, Conuerterit, quod cum superioribus verbis concordat.

Ex ea contumacia. Grammatici à tumẽdo dictam esse Contumaciam putant: quibus hic locus & superior, qui est pag. 306, suffragari videtur: vt Contumacia nihil aliud sit quàm habitus oris, superbia & arrogantia quadam inflati atque intumescentis.

CICERO. 313 » Hic est Apronius, quem in prouincia tota Verres, quũ vndique nequissimos homines cõqui- » sisset, & quũ ipse secũ sui similes duxisset non parũ multos, nequitia, luxuria, audacia sui simillĩ- » mũ iudicauit. Itaque istos inter se perbreui tẽpore non res, nõ ratio, non cõmendatio aliqua, sed » studiorum turpitudo, similitudóque coniunxit. Verris mores improbos, impurósque nostis: fin- » gite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias » libidines esse possit: is erat Apronius ille: qui, vt ipse non solum vita, sed etiam corpore, atque o- » re significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum, turpitudinúmque omnium. Hũc » in omnibus stupris, hunc in fanorum expilationibus, hũc in impuris cõuiuiis principem adhi- » bebat: tantámque habebat morum similitudo cõiunctionem atque concordiam, vt Apronius, » qui aliis inhumanus ac barbarus, isti vni cõmodus, ac disertus videretur: vt quem omnes odis- » sent, neque videre vellent, sine eo iste esse nõ posset: vt quum alii ne cõuiuiis quidem iisdem, qui- » bus Apronius, hic iisdem etiam poculis vteretur: postremò vt odor Apronii teterrimus oris & » corporis, quem (vt aiunt) ne bestiæ quidem ferre possent, vni isti suauis & iucũdus videretur. Il- » le erat in tribunali proximus, in cubiculo solus, in conuiuio dominus, ac tum maximè, quũ ac- » cubante prætextato Prætoris filio, in conuiuio saltare nudus cœperat. Hunc, vti dicere institui, » principem Verres ad euertendas fortunas aratorum, vexandas, diripiendásque esse voluit.

MD DO DO *Non res, nõn ratio.* Non quòd negotia inter se communia haberent.

Studiorum similitudo. In Orat. pro Cluent. Magnam, inquit, vim habet ad cõiungendas amicitias, studiorum ac naturæ similitudo.

In omnibus istis rebus. Isti, legendum: vt in multis impressis.

Sed etiã corpore. Statura fuisse significat Apronium vasta, & ingenti, habitúque corporis opimo atque obeso.

In cubiculo solus. In manuscripto Socius: quod valde placet.

Prætextato. Prætextam pueri togam ad annum XVII gestabant: quo tempore puram, quæ etiã virilis dicebatur, sumebant.

Saltare nudus cœperat. Græcorum hic mos erat in conuiuiis, apud Romanos turpis. itaque in Pisonem id ipsum Gabinio: in secunda Catilinaria, Catilinæ sociis crimini dedit.

CICERO. 314 » Huius audaciæ, nequitiæ, crudelitati fidelissimos socios, optimósque ciues scitote hoc Præto- » re traditos Iudices, atque addictos fuisse, nouis institutis, & edictis, tota Hieronica lege (quemad- » modum antea dixi) reiecta & repudiata. Primum edictum Iudices, audite præclarum: quantum » Decumanus edidisset aratorem sibi decumæ dare oportere, vt tãtum arator Decumano dare co- » geretur. quomodo? quantum poposcerit Apronius, dato. Quid est hoc? verum Prætoris institu- » tum in socios, an in hostes victos insani edictum, atque imperium tyranni? Ego tantundẽ, quan- » tum ille poposcerit? poscet omne, quantum exarauero. Quid omne? immò plus etiam, inquit, si » volet. Quid tum? quid censes? Aut dabis, aut contra edictum fecisse dãnabere. Per deos immor- » tales, quid est hoc? verisimile enim non est. sic mihi persuadeo Iudices: tametsi omnia in istũ ho- » minem conuenire putetis, tamẽ hoc vobis falsum videri: ego enim quũ hoc tota Sicilia diceret, » tamen affirmare non auderem, si hæc edicta non ex ipsius tabulis totidem verbis recitare pos- » sem, sicuti faciam. Da, quæso, scribæ: recitet ex codice. Recita. Edictũ de professione. Negat me » recitare totum: nam id nutu significare videtur. Quid prætereo? an illud, vbi caues tamen Sicu- » lis, & miseros respicis aratores? dicis enim te in Decumanum, si plura sustulerit, quàm debitum » sit, in octuplum iudicium daturum esse. nihil mihi placet prætermitti. Recita hoc quoque quod » postulat, totum. Recita. Edictum de iudicio in octuplum. Iudicio vt arator Decumanum perse- » quatur? miserum, atque iniquum ex agro homines traduci in forum, ab aratro ad subsellia, ab » vsu rerum rusticarum ad insolitam litem, atque iudicium.

Addictos fuisse. Eius potestati atque arbitrio permissos. Translatum ex addictis, quorum conditio non multum dissimilis seruorum conditionis esse videbatur.

Decumanus edidisset. Professus esset. Vulgus, Per scriptum & declarationem dedisset.

Ego tantundem. In manu scripto, Eho tantundem? Alii, Ego tantum dem? disiunctis verbis. quæ lectio recta est: quum hæc vulgata, vitiata ac deprauata sit.

Quantum exarauero. Exarare hoc loco, non Arare, vt sæpe aliâs: sed ex aratione percipere, & sata colligere significat. vt infrà 329, Quòd iis plus fruméti imperabatur, quàm quantum exararát.

Per deos immortales, quid est hoc? Veteres & impressi nónulli. Quid, quid est hoc? quod nó improbo.

~~*Dicis enim.* Satius putarem, Edicis enim.~~

In octuplum. In quo simplum, opinor, continetur: vt in furti manifesti actione. Petebant igitur septies tanto amplius, quàm quantum eis ablatum esset.

Quum omnibus in aliis vectigalibus, Asiæ, Macedoniæ, Hispaniæ, Galliæ, Africæ, Sardiniæ, ipsius Italiæ, quæ vectigalia sunt: quum in his inquam rebus omnibus publicanus petitor, ac pignerator, non ereptor, neque possessor soleat esse: tu de optimo, de iustissimo, de honestissimo genere hominum, hoc est de aratoribus, ea iura constituebas, quæ omnibus aliis essent contraria. Verú est æquius, Decumanum petere, an aratorem repetere? iudicium integra re, an perdita fieri? eum qui manu quæsierit, an eum qui digito licitus sit, possidere? Quid qui in singulis iugis arant, qui ab opere ipsi non recedunt, (quo in numero magnus ante te Prætorem numerus, magna multitudo Siculorú fuit) quid facient? quum dederint Apronio quod poposcerit, relinquét arationes? relinquent larem familiarem suum? venient Syracusas, vt te Prætore videlicet æquo iure Apronium, delicias, ac vitam tuam, iudicio recuperatorio persequantur? Verum esto: reperietur aliquis fortis, experiens arator: qui quú tantum dederit Decumano, quantum ille deberi dixerit, iudicio repetat, & pœnam octupli persequatur. Expecto vim edicti, seueritatem Prætoris: faueo aratori, cupio octupli damnari Apronium. quid tandem postulat arator? nihil, nisi ex edicto iudicium in octuplú. Quid Apronius? non recusat. Quid Prætor? iubet Recuperatorum reiicere Decurias. scribamus quas decurias. De cohorte mea reiicies, inquit. Quid? ista cohors quorum hominum est? Volusii haruspicis, & Cornelii medici, & horum canum quos tribunal meum vides lambere. Nam de conuentu nullum vnquam iudicem, nec Recuperatorem dedit: iniquos Decumanis omnes dicebat esse qui vnam agri glebam possiderent. CICERO. 315 Recuperatores l. Decurias scribamus. Quas decurias

Quæ vectigalia sunt. Legendum putarem, Quà vectigalia sunt. vt sit, Ex qua parte, vel Quibus in locis vectigalia sunt in Italia.

Petitor ac pignerator. Prætoris auctoritate pignus pro securitate rei accipiat, possessorem nihil in ea re deterius facturum.

Integra re. Nondum erepta re.

Digito licitus sit. In auctione qui licitabantur, id est pretium augebant, digitum tollere solebant, vt dictum est Ver. 1 1 1, pag. 215.

Qui in singulis iugis. Hunc locú intelligimus ex Varronis & Plinii verbis, quæ subiiciam. Varro de re rustica lib. 1, In Hispania vlteriore metiuntur iugis, in Cápania versibus, apud nos in agro Romano ac Latino iugeris. Iugú vocant quod iuncti boues vno die exarare possint. Plinius auté lib. x v 1 1 1, cap. 1 1 1, Iugerum, inquit, vocabatur, quod vno iugo boum in die exarari posset.

Recuperatorum reiicere decurias. Erant item vt Romæ, Senatorú: sic in prouinciis, ciuium R. (ex quibus conuentus constabant) decuriæ. Dabat autem actor iudices: dabat & reus. tum omnia nomina iudicum scribebantur, vt & actor quos vellet, reiiceret ex rei Iudicibus: reus ex actoris.

Iubet Recuperatorum reiicere decurias. Omnes alii etiá impressi libri, Recuperatores. & sic postea persæpe legimus, Reiicere Recuperatores. Quare putarem sic corrigendum, & locum interpungédum. Iubet Recuperatores reiicere. Decurias scribamus. Quas decurias? de cohorte mea reiicies, inquit. vt illa verba Decurias scribamus, aratorum verba sint. quod verò sequitur, in Verris persona dicantur.

Horum canum. Verba sunt Verris. Canes autem dicit suos asseclas, omnia vbique ad prædam & rapinam peruestigátes. sic Ver. 3, pag. 209, Multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. At lambere dicuntur tribunal, quòd eo alantur, & illud quasi alumnam ac nutriculam sugant. Hæc quum ita sint, tamen Ammianus Marcellinus libro x v de fratribus Cybiratis húc locú intelligit, qui cum ciues R. non essent, de Prætoris cohorte esse non poterant, 425, & Lambere idem ipse in malam partem pro Lacerare, sumere videtur.

Veniendum erat ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Aproniani cóuiuii crapulam exhalassent. O præclarú & commemorandum iudicium: ó seuerum edictum: ó tutum perfugium aratorum. Atque vt intelligatis, cuiusmodi ista iudicia in octuplum, cuiusmodi istius de cohorte Recuperatores existimati sint: sic attendite. Ecquem putatis Decumanum hac licentia CICERO. 316

permissa, vt tantum ab aratore, quantum poposcisset, auferret, plusquàm deberetur, poposcisse? cõsiderate cum vestris animis vosmetipsi, ecquẽ putetis: præsertim quum id nõ solum sine auaritia, sed etiã impudentia accipere potuerit. multos, necesse est. at ego omnes dico, plus quàm decumas abstulisse. Cedo mihi vnum ex triennio Præturæ tuæ, qui octupli damnatus sit. dãnatus? immò verò in quem iudicium ex edicto tuo postulatum sit. Nemo erat videlicet aratorum, qui iniuriam sibi factam queri posset: nemo Decumanorum, qui grano amplius, sibi quàm deberetur, deberi professus esset: immò verò cõtrà, rapiebat, & asportabat quantum à quoque volebat, Apronius: omnibus autem locis aratores spoliari, ac vexati querebãtur: neque tamen vllum iudicium reperietur. Quid est hoc? viri fortes, honesti, gratiosi, tot Siculi, tot equites R. ab homine nequissimo ac turpissimo læsi, pœnam octupli sine vlla dubitatione commissam non persequebãtur? quæ causa, quæ ratio est? Vna illa Iudices, quam videtis: quòd vltrò etiam illusos se, & irritos ab iudicio discessuros videbant. etenim quod esset iudicium, quũ è Verris turpissimo, flagitiosissimóque comitatu tres Recuperatorum nomine assedissent, asseclæ istius, non à patre ei traditi, sed à meretricula commendati?

Crapulam exhalasset. Quorum nondum ebrietas vinolentiáque deferbuerat.

Impudentia accipere Vt cui lege atq; edicto liceat. & hæc scriptura aperta est: quum alii plerique vetus mendum retineant, Imprudentia accidere.

Vllum iudicium reperietur. Nullus extitit, qui iudicio Decumanum sit persequutus.

Sine ulla dubitatione commissam. Commissa pœna, multa, hæreditas dicitur, quum quid quamobrẽ peti possit, commissum est.

Illusos & irritos. Irrisos, non dubito quin sit legendum: quam scripturam etiam in impressis veteribus nonnullis reperio.

CICERO. Ageret videlicet causam arator: nihil sibi frumenti ab Apronio relictum, bona sua etiam direpta, se pulsatum, verberatúmque diceret. conferrent viri boni capita: de comessatione loquerentur inter se, ac de mulierculis, siquas à Prætore abeuntes possent deprehẽdere: res agi videretur. surrexisset Apronius, noua dignitas publicani, nõ, vt Decumanus, squaloris plenus, ac pulueris, sed vnguentis oblitus, vino vigiliísque languidus: omnia primo motu, ac spiritu suo, vini, vnguẽti, corporis odore cõplesset: dixisset hæc quæ vulgo dicere solebat, nõ se Decumas emisse, sed bona fortunásque aratorum: non se Decumanũ esse Apronium, sed Verrem alterũ, dominũ illorum, ac tyrannum. Quæ quum dixisset: illi viri optimi de cohorte istius Recuperatores nõ de absoluendo Apronio deliberarent, sed quærerẽt quomodo petitorem ipsum Apronio permisissent, vt quãtum vellet posceret: quantũ poposcisset, auferret. Hoc tibi defensionis ad iudicium tuũ cõparabas, habuisse te edictum, Recuperatores daturũ in octuplũ? Si mehercule ex omni copia conuentus Syracusani splendidissimorum hominum, honestissimorúmque faceres potestatem aratori, non modo reiiciendi, sed etiam sumendi Recuperatores: tamen hoc nouum genus iniuriæ ferre nemo posset, te, quũ tuos omnes fructus publicano tradidisses, & rem de manibus amisisses, tum bona tua repetere, ac persequi lite, atque iudicio.

Res agi videretur. Simularent se colloqui & conferre de aratoris controuersia.

Noua dignitas publicani. Habitu & ornatu multo magis exculto & nitenti, quàm quo solent esse publicaui.

Apronio permisissent. Suspicor de mendo. sensum enim video aut nullum, aut ineptum. Quòd si Permitterent, legamus, nihil erit apertius.

Ad iudicium tuum. Ad hanc accusationem.

Habuisse te edictum. Id est, in edicto. nisi forte ita sit legendum vt paucis versibus interiectis, Idẽ habuit in edicto, &c.

Tecũ tuos omnes. Secũda persona posita exẽpli causa. quasi dicat Aratorẽ aliquẽ. nota locutionẽ.

Tum bona tua repetere ac persequi. Terentius in Eunucho,

Sed tu quod cauere possis, stultum admittere est.
Malo ego nos prospicere, quàm hunc vlcisci accepta iniuria.

Collusio. Neque Siculi dentur Iudices, neque alii: qui nomine, Iudices: reuera, socii & prædæ & furtis essent.

CICERO. Quum verò verbo iudicium sit in edicto, re quidem vera tuorum comitum, hominum nequissimorum, collusio cum Decumanis sociis tuis, atque adeò procuratoribus: tamen audes illi iudicii mentionẽ facere, præsertim quũ id non modo oratione mea, sed etiam reipsa refellatur? quũ in tantis incommodis aratorum, iniuriísque Decumanorũ nullum ex isto præclaro edicto non modo factum, sed ne postulatũ quidem iudicium inueniatur? Erit tamẽ in aratores lenior, quàm videtur. Nam qui in Decumanos octupli iudicium se daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorẽ in quadruplũ daturum. quis hunc audet dicere aratoribus infestũ, aut inimicum fuisse? quanto lenior est, quàm in publicanum? Edixit, vt quod Decumanus edidisset sibi

dari oportere:id ab aratore magistratus Siculus exigeret. Quid dereliquit iudicii, quod in aratorem dari posset? Nõ malum est, inquit, esse istam formidinẽ, vt quum exactum sit ab aratore, tamen ne se commoueat, reliquus metus iudicii sit. si iudicio à me vis exigere, remoue Siculũ magistratum. si hanc vim adhibes, quid opus est iudicio? quis porrò erit qui non malit Decumanis tuis dare quod poscerent, quàm ab asseclis tuis quadrupli condemnari? Illa verò præclara est clausula edicti, quòd omnium controuersiarum, quæ essent inter aratorem & Decumanum, Si vter velit, edicit se Recuperatores daturum. Primum quæ potest esse controuersia, quum is, qui petere debet, aufert? & quum is, non quãtum debetur, sed quantum commodum est, auferat? ille autem, vnde ablatũ est, iudicio suum recuperare nullo modo potest? Deinde in hoc homo lynceus, etiam callidus, ac veterator esse vult, quòd ita scribit, Si vter volet, Recuperatores dabo.

Procuratoribus. Qui tibi in prædando operam suam nauarent.

Non modo factum iudicium. Non, Constitutum, sed Habitum, vel exercitum. vt si diceret, Non modo nunquam de ea re Iudices cognouerunt, &c. Constitui verò iudicium à Prætore dicitur in priuatis causis, quum iudicibus sumptis imperat vt de cõtrouersia cognoscant: quod quum facile ac perspicue ex Ciceronis locis innumeris intelligatur, sanè mirum est has à Budæo loquutiones ad forẽsia nostra vocabula ita translatas in Prioribus annotationibus fuisse, vt quod vulgò dicimus Facere super aliqua re processum aut instantiam, Constituere iudicium interpretetur. & in causis publicis, Euacuare finẽ non procedendi, Constituere quæstionẽ. cuiusmodi alia sunt in iisdem annotationibus permulta, quæ Latinæ linguæ studiosus facile animaduertet.

In quadruplum. Si minus arator dedisset, quàm poposcisset Apronius, pag. 335.

Magistratus Siculus. In eo autem iniuria est, quòd si plus quàm debeat, arator dederit, idque velit repetere, ad magistratum Siculum petere nõ possit: scilicet à quo tãtundem soluere coactus est. sed ad Verris asseclas: à quibus iterum dãnabitur. nam dubitatio damnationis, illis Recuperatoribus, quæ poterat esse? vt ipse ait 335.

Quid dereliquit iudicii. i. Quos iudices? Siculos enĩ relinquere iudices in cõdictionis causa debebat.

A me vis exigere. Verba sũt Decumani. Si vis id, quod pl' quàm debebas soluisti, iudicio cõdicere.

Si vter velit. Ita se edicti iniuriam posse tegere putabat, si iudicium hoc Recuperatorum in vtrius arbitrio reliquisset. Atqui non erat dubium quin hos decumani iudices postularent. Sed paulo infrà semel atque iterum sic scriptũ est, Si vter volet. quo modo quidem scripsisse hoc loco Tullium suspicamur.

Homo lynceus. In Aldino & aliis quàmultis, Luteus: quæ lectio melior est sine controuersia. Nã quid hoc significat? Homo quum sit lynceus, tamen vult videri callidus. Ecquinam enim callidi ac versuti sunt, nisi lyncei? At Lutei dicuntur, hebetes & tardi, vt apud Plautum in Truculento, Blittea, & lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino Ad rem suam. Talẽ autẽ fuisse Verrẽ cũ sæpe alibi, tum hoc loco declarat, quem subiiciam ex pag. 215, Itaque excogitat. quid? nihil ingeniose, nihil quod quisquam possit dicere improbe, vel callide: nihil ab ipso tectum, nihil veteratorium expectaueritis: omnia aperta ac perspicua reperientur, impudẽtia, amentia, audacia.

Quàm lepide se furari putat? vtrique facit potestatem. Sed vtrum ita scripserit, Si vter volet: an, Si Decuman' volet, nihil interest: arator enim tuos istos Recuperatores nũquid volet? quid? illa cuiusmodi sunt quæ ex tẽpore ab Apronio admonitus edixit? Q. Septitio honestissimo homine, equitéque R. resistente Apronio, & affirmante se plus decuma non daturum: exoritur peculiare edictum repentinum, ne quis frumentum de area tolleret antequam cum Decumano pactus esset. Ferebat hanc quoque iniquitatẽ Septitius, & imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: quum illud edictum repẽte vberrimum, & quæstuosissimũ nascitur, vt ante Cal. Sext. omnes, decumas ad aquam deportatas haberẽt. Hoc edicto non Siculi (nam eos quidem iam superioribus edictis satis perdiderat, atque afflixerat) sed illi ipsi equites R. qui suum ius retinere se contra Apronium posse erant arbitrati, splendidi homines, & aliis Prætoribus gratiosi, vincti Apronio traditi sunt. attẽdite enim cuiusmodi edicta sunt, Ne tollat, inquit, ex area, nisi erit pactus. Satis hæc magna vis est ad iniquè paciscendum: malo enim plus dare, quàm non mature ex area tollere. At ista vi Septitium, & nonnullos Septitii similes non coercet: qui ita dicunt, Ne tollam potius, quàm paciscar. His hoc apponitur, Deportatũ habeas ante Cal. Sext. deportabo igitur. Nisi pactus eris, non commouebis. sic deportandi dies præstituta tollere cogebat ex area: cohibitio tollẽdi, nisi pact' esset, vim adhibebat pactioni, nõ volũtatem. Iã verò illud nõ solũ contra legẽ Hieronicã, nec solũ contra cõsuetudinem superiorũ, sed etiam contra omnia iura Siculorũ quæ habent à Senatu, populóq; R. ne extra suũ forũ vadimoniũ promittere cogantur.

Cum Decumano pactus esset. Transegisset de summa decumæ nomine persoluenda.

Ad aquam. Ad litus freti Siculi, vnde Romam auehantur decumæ. sic infrà 395, Coge ve ad aquam tibi (id quod summi iuris est) frumentum Ennenses metiantur, &c.

Sed illi ipsi. Omnes ad vnum libri veteres, Sed isti ipsi. quod nô video cur temere sit mutãdum quum præsertim eos demonstret quos in iudicium produxerat.

Potius quàm pacisc. Malo in area relinquere, quàm inique transigere. Sic enim, vt in aliis propè omnibus, corrigendum, Non tollam, p. q. paciscor.

Vim adhibebat. Cogebat inuitum decidere aratorem, & inique transigere.

CICERO. 320 Statuit iste, vt arator Decumano, *quod vellet Decumanus, vadimonium promitteret: vt hic quoque Apronio, quũ ex Leontino vsque Lilybæum aliquem vadaretur, ex miseris aratorib' *calumniandi quæstus accederet. quanquam illa fuit ad calumniam singulari consilio reperta ratio, quòd edixerat vt aratores iugera sationum suarum profiterentur. Quæ res cum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit, sicut ostẽdemus, nec ad vllam vtilitatẽ Reip. pertinuit: tum verò ad calumnias, in quas omnes inciderent quos vellet Apronius. vt enim quisque contra voluntatẽ eius dixerat, ita in eum iudicium de professione iugerũ postulabatur. Cuius iudicii metu magnus à multis frumẽti numerus ablatus, magnæque pecuniæ coactæ sunt: non quo iugerum numerum verè profiteri esset difficile, aut amplius etiam profiteri (quid enim in eo periculi esse posset?) sed causa erat iudicii *postulandi, quòd ex dicto professus non esset. Iudicium autem quod fuerit isto Prætore, si, quæ cohors, & qui comitatus fuerit, meministis, scire debetis. Quid igitur est quod ex hac iniquitate nouorum edictorũ intelligi velim Iudices? iniuriámne factam sociis? at videtis. auctoritatem superiorum repudiatam? non audebit negare. tantum Apronium isto Prætore potuisse? cõfiteatur necesse est. Sed vos fortasse, quod vos lex commonet, id in hoc loco quæretis, num quas ex hisce rebus pecunias ceperit. Docebo, cepisse maximas, omnésque eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quæstus causa *irrupisse conuincam: si prius illud propugnaculũ, quo cõtra omnes meos impetus vsurũ se putat, ex defensione eius deiecero.

*quò *calumniandis *reperisse

Quod vellet Decumanus. Quò vellet, sine dubio, item vt in impressis plerisq; libris, corrigendũ, vt infrà 326, Quocunque is vellet, &c. Quid sit autem Vadimonium, in Quintiana explicauimus.

Ex Leontino. Agro. Vrbs enim, Leontini, vt suprà diximus, appellatur. 330.

Ex mis. ar. calumniandi quæstus. Calumniandis, in patiendi significatione rectius, opinor, legeretur. Multa sunt apud Ciceronem generis eiusdem ac significationis, vt illud pro Cælio, Magnũ crimen vel in legatis insidiandis, vel in seruis ad hospitem necandum solicitandis.

Iugera sationum suarum. Plinius lib. XVIII, Iugerum, inquit, vocabatur quod vno iugo boum in die exarari posset. Columella scribit semiiugerum Gallos Arepennum vocare.

Quid enim in eo periculi. Nõ enim ex iugerũ numero, sed ex fructib' perceptis decumæ pẽdebãtur.

Causa erat iudicii postulandi. Apronio & cæteris decumanis. Quòd si pro Postulandi, Formidandi vetus liber aliquis haberet, lubẽtissimo animo eam lectionem comprobarem. Rationem enim non cur Decumani iudicium postularint, sed cur aratores formidarint, exponi oportebat. Et sic fere loquitur pag 334, Iste, æquissimus homo, formidinem illam suam miseris Agyrinensibus iniiciebat, Recuperatores se de cohorte sua daturum.

Quod vos lex commonet. Quæ de pecuniis repetundis lata, de pecuniis ereptis quæri iubet.

Sui quæstus causa irrupisse. Alii, Constituisse. quæ coniectura longius à verbo remota videtur omnino. Ego veteris scripturæ vestigia sequutus, Reperisse legendum arbitrarer.

CICERO. 321 Magno, inquit, decumas vẽdidi. quid ais? an tu decumas homo audacissime, atque amentissime vẽdidisti? tu partes eas, quas te Senatus, populúsque R. voluit, an fructus integros, atque adeò bona, fortunásque aratorum omnes vendidisti? si palàm præco iussu tuo prædicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes: & ita emptores accessissent, vt ad dimidias partes emendas: si pluris vendidisses tu dimidias, quàm cæteri decumas: cuinam mirũ videretur? quid verò? si præco decumas pronuntiauit: reuera, hoc est lege, edicto, conditione plus etiam quàm dimidiæ venierunt: tamen hoc tibi præclarum putabis, te pluris, quod non licebat, quàm cæteros, quod oportebat, vẽdidisse? Pluris vendidi decumas, quàm cæteri. quibus rebus id assequutus es? innocentia? aspice ædem Castoris: deinde, si audes, fac mentionem innocentiæ, *diligentiæque. codicis lituras tui contemplare in Sthenii Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem. ingenio? qui testes interrogare priore actione nolueris, & iis tacitum os tuum præbere malueris, quanuis & te & patronos tuos ingeniosos esse dicito. Qua re igitur id, quod ais, assequutus es? magna est enim laus, si superiores consilio vicisti, posterioribus exemplum atque auctoritatem reliquisti. Tibi fortasse idoneus fuit nemo, quem imitarere. at te videlicet inuentorem rerum optimarum, ac principem imitabũtur omnes. quis aratorum te Prætore decumam dedit? quis duas? quis non maximo se affectum beneficio putauit, quũ tribus decumis pro vna defungeretur? præter paucos, qui propter societatem furtorum tuorum nihil omnino dederunt.

*diligentiâ l.

Magno, inquit, decumas vendidi. Altera hypophora. Decumani, quòd magnã vim eis Verres in aratorũ bona permiserat, quãplurimo decumas emerãt. quod quia ad ærarii cõmodum & vtilitatẽ

maximè pertinebat, ob eam rem Verres se populi R. gratiam, & in hoc iudicio defensionem conciliari posse sperabat.

Aedem Castoris. In cuius sartis tectis exigendis sine vlla religione prædatus es. 211.

Diligentiaque. Corrige, Diligētia? cum interrogandi nota. vt in Aldino, & in multis impressis.

Codicis lituras. In quo coram delatum facis nomen Sthenii, quum absens reus esset factus.

Testes interrogari. Non fuit defensus priore actione C. Verres, neque interrogati testes: adempta consilio accusatoris ea facultate Hortensio: dum in testium interrogatione Cicero primam actionem consumit.

Ingeniosos esse dicito. Concessio ironica. Præbuit enim hoc silentium occasionē existimandi populo, nihil esse quod possent dicere, atque defendere.

Tribus decumis pro vna defungeretur. Nónulli impressi, Defrugeretur. Vtra sit melior, statuere equidem facile non possum. Nam fieri potest vt hoc verbo facetè Cicero sit vsus: quod ad frugū iacturam & amissionem indicandam non malè accommodatum est. Id ego, vt verè dicam, neque negare, neque affirmare ausim. Quare doctioribus iudicium relinquo, quibus antiquorum codicum maior facultas erit.

Vide, inter importunitatem tuam, Senatúsque bonitatem quid intersit. Senatus, quū temporibus Reip. cogitur vt decernat vt alteræ decumæ exigantur, ita decernit, vt pecunia pro his decumis soluatur aratoribus, vt, quod plus sumitur quàm debetur, id, non auferri putetur. tu, quū tot decumas non S.C. sed nouis edictis tuis, nefariisque institutis exigeres, & eriperes, magnum te fecisse arbitrabere, si pluris vendideris, quàm L. Hortēsius pater istius Q. Hortensii, quàm Cn. 43. Pompeius, quàm M. Marcellus: qui ab æquitate, ab lege, ab institutis non recesserunt. An tibi vnius anni, aut biennii ratio habenda fuit, salus prouinciæ, commoda rei frumētariæ, ratio Reip. in posterum fuit negligenda? quum ita rem constitutam accepisses, vt & populo R. satis frumēti ex Sicilia suppeditaretur, & aratoribus tamen arare, atque agros colere expediret? Quid effecisti? quid assequutus es? vt Prætore te nescio quid ad decumas accederet, deserendas arationes, relinquendásque curasti. successit tibi L. Metellus. tu innocentior, quàm Metellus? tu laudis, & honoris cupidior? tibi enim Consulatus quærebatur, Metello paternus honor, & auitus negligebatur. 44. multo minoris vendidit non modo quàm tu, sed etiam quàm qui ante te vendiderūt. Quæro, si ipse excogitare non poterat quemadmodum quamplurimo venderet: ne tua quidem recētia proximi Prætoris vestigia persequi poterat, vt tuis præclaris, abs te principe inuentis, & excogitatis edictis, atque institutis vteretur? Ille verò tum se Metellum minimè fore putasset, si te vlla in re imitatus esset.

Temporibus Reip. Difficultate rei frumentariæ.

Vnius anni ratio. Vt vectigal eo anno quammaximè amplificares: in posterum nihil vnde solui posset, relinqueretur.

Tibi enim consulatus. Populi summa erat potestas in creandis magistratibus. itaque inire omnes à populo gratiam studebant, ad quam aditus iis facillimus patebat qui ærariū locupletasse putarentur. Est autem ironia, Minúsne Metellus locupletare studeret ærarium, vt paternum autúmque honorem consequeretur.

Qui ab vrbe Roma, quod nemo vnquam post hominum memoriam fecit, quū sibi in prouinciam proficiscendum putaret, literas ad Siciliæ ciuitates misit, per quas hortatur & rogat vt arent, vt serāt in beneficio populi R. Hoc petit aliquanto ante aduentum suum: & simul ostēdit se lege Hieronica venditurum, hoc est in omni ratione decumarum nihil isti simile facturū. atque hæc non cupiditate aliqua scribit adductus, vt in alienam prouinciam mittat literas ante tempus: sed consilio, ne, si tempus sationis præteriisset, granum in prouincia Sicilia nullum ha- 45. beremus. Cognoscite Metelli literas. Recita epistolā L. Metelli. Hæ literæ Iudices, L. Metelli, quas audistis, hoc, quantum est, ex Sicilia frumenti hornotini exarauerunt. glebam cōmosset in agro decumano Siciliæ nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. Quid? Metello diuinitus hoc venit in mentem, an ab Siculis, qui Romam frequentissimi conuenerant, negotiatoribúsque Siciliæ doctus est? quorum quanti cōuentus ad Marcellos antiquissimos Siciliæ patronos, quanti ad Cn. Pompeium cos. designatum, cæterósque illius prouinciæ necessarios fieri soliti sint, quis ignorat? quod quidem iudicium nullo vnquam de homine factum est, vt absens accusaretur ab iis palàm, quorum in bona, liberósque summum imperium, potestatémque haberet. Tanta vis erat iniuriarum, vt homines quiduis perpeti, quàm non de istius prauita- 46. te & iniuriis deplorare, & conqueri mallent. quas literas quum ad omnes ciuitates propè suppliciter misisset Metellus, tamen antiquum modum sationis nulla ex parte exequi potuit: diffugerant enim permulti, id quod ostendam: non solùm arationes, sed etiam sedes suas patrias istius iniuriis exagitati reliquerant.

HOTOM. *Serant in beneficio populi R.* In iis agris,qui quum essent publicati,tamen illis sunt redditi.309.

In alienam prouinciam. Nondum enim Verres decesserat.

Frumenti hornotini. Hornum & Hornotinum,quod ipsius anni esset,veteres dicebant.

Quod quidem iudicii. Quæ testificatio existimationis,quā de suo Prætore prouinciales haberēt.

Nulla ex parte exequi. Efficere vt tantùm agri sereretur,quantum antea solebat.

CICERO. 324 Nō mehercule criminis augēdi causa dicam Iudices: sed quem accepi ipse oculis, animóque sensum,hunc vere apud vos, & vt potero planissimè exponam. nam quum quadriennio pòst in Siciliam venissem, sic mihi affecta visa est, vt eæ terræ solent in quibus bellū acerbum, diuturnúmque versatum est. Quos ego campos antea, collésque nitidissimos, viridissimósque vidissem, hos ita vastatos nunc, ac desertos videbam, vt ager ipse cultorem desiderare, ac lugere dominum videretur. Herbitensis ager,Ennensis,Murgentinus,Assorinus, Macharensis,Agyrinēsis ita relictus erat ex maxima parte, vt non solum iugerum, sed etiam dominorum multitudinem quæreremus. AEtnensis verò ager,qui solebat esse cultissimus,&, quod caput est rei frumētariæ,campus Leontinus,cuius antea species hæc erat, vt quum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vererere: sic erat deformis,atque horridus, vt in vberrima Siciliæ parte Siciliā quæreremus. labefactarat enim vehementer aratores iam superior annus, proximus verò funditus euerterat. Tu mihi etiam audes mentionem facere decumarum? tu in tanta acerbitate, in tot, & tantis iniuriis,quum in arationibus,& in earum rerum iure prouincia Sicilia consistat: euersis funditus aratoribus,relictis agris, quū in prouincia tam locuplete, ac referta nō modo rem, sed ne spem quidem vllam reliquam cuiquam feceris,aliquid te populare putabis habere,quum dices te pluris,quàm cæteros,decumas vendidisse? quasi verò aut populus R. hoc voluerit,aut Senatus hoc tibi mandauerit, vt quum omnes aratorum fortunas decumarum nomine eriperes, in posterum fructu illo,commodóque rei frumentariæ populum R. priuares: deinde siquā partem tuæ prædæ ad summam decumarum addidisses,bene de populo R. meritus viderere.

Oculis animóque sensum. Quid mihi agros desertos intuenti in mentem venerit: quid mihi de iis rebus cogitanti visum sit.

Affecta visa sunt. Adeò inculta erant omnia,& horrida: tanta erat vastitas & solitudo.

Sed etiam dominorum. Quasi pro derelictis haberentur.

Cuius antea species. Alii omnes veteres, Cuius antea spes. absurdè, quum de specie, ac viriditate, luxuriáque agrorum loquatur. Mendum natum est ex linea imposita Spēs.

Siciliam quæreremus. Adeò dissimilis erat ab illa quam antea videramus, vt non agnosceremus.

Populare putabis habere. Quo gratiosus esse apud populū possis,quasi eius vectigalia amplificaris.

CICERO. 325 Atque hæc perinde loquor,quasi in eo sit iniquitas eius reprehendenda,quòd propter gloriæ cupiditatem,vt aliquos summa decumarum vinceret,acerbiorem legem,duriora edicta interposuerit,omnium superiorum auctoritatem repudiarit. Magno tu decumas vendidisti. quid si doceo te non minus domum tuam auertisse,quàm Romam misisse decumarum nomine? quid habet populare ratio tua,quum ex prouincia populi R. æquam partem tu tibi sumpseris,atque populo R. miseris? quid si duabus partibus,doceo,te amplius frumenti abstulisse,quàm populo R. misisse? taménne putamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum, & populo se ad coronam daturum? Hæc vos antea Iudices,audistis: verū fortasse ita audistis, vt auctorem rumorem haberetis,sermonémque omnium. Cognoscite nunc innumerabilem pecuniam frumentario nomine ereptam: vt simul illam quoque eius vocem improbā agnoscatis, qui se vno quæstu decumarum omnia sua pericula redempturum esse dicebat. Audiuimus hoc iamdiu Iudices: nego quēquam esse vestrum quin sæpe audierit,socios istius fuisse Decumanos. nihil aliud arbitror in istum falsò esse dictum ab iis qui malè de isto existimarint, nisi hoc. Nam socii putādi sunt,quos inter res communicata est. Ego rem totam,fortunásque aratorum omnes,istius fuisse dico: Apronium, Veneriósq; seruos (quod isto Prætore fuit nouum genus publicanorum) cæterósque Decumanos,procuratores istius quæstus,& ministros rapinarum dico fuisse.

Partem tuæ prædæ. Si ex tuis furtis partem aliquam tibi detraheres,quam ad decumas adiūgeres.

Vt aliquos summa decu. vinceret. Vt pluris,quàm alii Prætores,vectigalia venderet.

Ceruiculam iactaturum. In Hortensio frequenter actionem & gestum (cuius,vt scribit Val. Max. ille perstudiosus fuit) reprehensum fuisse, Gellius & Quintilianus testantur.

Et populo se ad coronam daturum. Difficilis locus. Nam Coronā pro multitudine populi (quæ,quia circum subsellia rotundum facit ambitum,& quasi circum, Corona interdum nominatur) non video quî cómodè hoc loco accipere possimus. tum quòd Dare se populo, & coniunctè Dare se ad coronam, eadem sententia, tam continenter, mihi non est verisimile dixisse Ciceronem: tum quia nulla huic locutioni Dare se populo, vel ad coronam, quæ quidem huic loco cōueniat, subesse sententia videtur. Coronari autem Oratores Romæ solitos, quasi qui ciuem seruassent, ciui-

ea corona eis deberetur, nusquam legisse memini. nisi forte hoc significet Cornelius Gallus his versibus quos subscribemus,

Sæpe perorata percepi lite coronam:

Et data sunt linguæ præmia digna meæ. Apud Donatum autem in Terentii commentariis locum hunc sic descriptum reperio, Ceruiculam iactare, & populo se accommodare.

Auctorem rumorem haberetis. Notanda locutio. in lib. de Officiis 1, dixit in eandem sententiam, Nihil præter auditum habere.

Vno quæstu decumarum. Sola ea pecunia quam ex decumarum venditione conciliauit.

Omnia sua pericula. Id est, Siquando in iudicium vocaretur, se Iudices largitione corrupturum, & damnationis periculum euasurum.

Quomodo hoc doces? quomodo ex locatione illa columnarum docui istum esse prædatum? CICERO.
opinor ex eo maximè, quòd iniquam legem, nouámque dixisset. quis enim vnquam conatus est 326
iura omnia, & consuetudinem omnium commutare cum vituperatione, sine quæstu? Pergam, atque insequar longius. iniqua lege vendebas, quo pluris venderes. Cur, iam addictis, & venditis decumis, quum iam ad summam decumarum nihil, ad tuum quæstum multum posset accedere, subito atque ex tempore noua nascebantur edicta: nam vt vadimonium Decumano, quocũque is vellet, promitteretur: vt ex area, nisi pactus esset, arator ne tolleret: Cal. Sext. decumas deportatas haberent: hæc omnia, venditis decumis, anno tertio te edixisse dico. quæ si Reip. causa facere, in vendundo essent pronuntiata: quia tua causa faciebas: quod erat imprudentia prætermissum, id quæstu, ac tempore admonitus reprehendisti. Illud verò cui probari potest, te sine tuo quæstu, ac maximo quæstu, tantam tuã infamiam, tantũ capitis tui, fortunarúmque periculum neglexisse, vt, quum totius Siciliæ quotidie gemitus, querimoniásque audires: quum (vt ipse dixisti) reum te fore putares: quum huiusce iudicii discrimen ab opinione tua non abhorreret: paterere tamẽ aratores indignissimis iniuriis vexari, ac diripi? Profecto, quanquam es singulari crudelitate, & audacia: tamen abs te totam alienari prouinciam, tot honestissimos tibi inimicissimos fieri nolles, nisi hanc rationem, & cogitationem salutis tuæ, pecuniæ cupiditas, ac præsens illa præda superaret.

Quomodo ex locatione. Argumentũ ex consentaneis. Nemo gratis est improbus. Nõ peruertit igitur iura & leges Siculorum Verres, sine quæstu. RADAN.

Iniquam legem, nouámque. Ne pupillus Iunius à redemptoribus socius admitteretur, itáque is excluderetur cuia res esset.

Iniqua lege vendebas. Erat iniqua lex, vt tãtũ arator daret, quãtũ sibi deberi Decumanus edidisset.

Hæc omnia venditis decumis. Vetus, & quidam impressi, Hæc omnia iam venditis. placet.

Tempore admonitus. Quòd ita emolumenti tui ratio postularet.

Cui probari potest. Cui fidem facies, quis poterit persuaderi.

Etenim quoniam summam, & numerum iniuriarum Iudices, vobis non possum exponere, CICERO.
sigillatim autem de vniuscuiusq; incõmodo dicere infinitum est: genera ipsa iniuriarum, quæ- 317
so, cognoscite. Nympho est Centuripinus, homo nauus, & industrius, experientissimus, ac diligentissimus arator. is quum arationes magnas conductas haberet (quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueuerunt:) eásque magna impensa, magno instrumento tueretur: tanta ab isto iniquitate oppressus est, vt non modo arationes relinqueret, sed etiam ex Sicilia profugeret, Romámque cũ multis vnà ab isto eiectis veniret. Fecit vt Decumanus Nymphonẽ vocaret ex edicto illo præclaro: quod nullam ad aliam rem, nisi ad huiusmodi quæstus, pertinebat: numerum iugerum professum non esse. Nympho quũ se vellet æquo iudicio defendere: iste viros optimos Recuperatores dat, eundem illum medicum Cornelium (is est Artemidorus Pergamenus, qui in sua patria dux isti quondam, & magister ad despoliandum Dianæ tẽplum fuit) & haruspicem Volusianum, & Valerium præconem. Nympho, antequam planè cõstitit, cõdẽnatur. quanti, fortasse quæritis. nulla erat edicti pœna certa. frumẽti eius omnis quod in areis esset. sic Apronius Decumanus non decumam debitam, non frumentum remotum, atque celatum, sed tritici septem millia medimnũ ex Nymphonis arationibus edicti pœna, non redemptionis aliquo iure tollit. Xenonis Meneni, nobilissimi hominis, vxoris fundus erat colono locatus: colonus, quòd Decumanorum iniurias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem iudicium dabat illud suum damnatorium de iugerum professione.

Pergæi *edicti*

Arationes magnas conductas. Quum multos agros aratorios colendos suscepisset: ex quorum fructibus decumam solueret. RADANO

Magno instrumento. His rebus omnibus, quæ fructus quærendi, cogendi, & conseruandi gratia paratæ sunt. Sed instrumenti nomine quæ res intelligantur, cognosce ex Vlpiano in l. instrumento, & l. quæsitum est, D. de instructu, vel instr. leg.

AEquo iudicio defendere. AEquis iudicibus.

Pergamenus. Nō ex Pergamo minoris Asiæ vrbe, ſed Perga Pamphyliæ oppido, vt apparet 177. Περγαῖος tamen Strabo appellat: vt fortaſſe Pergæus, aut per irriſionem Pergamus à Cicerone dictum ſit. Veteres quidem omnes libri Pergameus habent.

Planè conſtitis. An profeſſus numerum iugerum non eſſet.

Edicti pœna. Corrigendum putarem, Edicti, in ſecundo caſu, vt modò paulo anté. quid enim Edicta pœoa ſignificat?

Redemptionis. Decumarum, vectigalium.

CICERO. 328 Xenon ad ſe pertinere negabat, fundum eum locatum eſſe dicebat. dabat iſte iudicium, ſi pateret iugera eiuſmodi fundi eſſe plura, quàm colonus eſſet profeſſus, tum Xeno damnaretur. Dicebat ille, non modò non araſſe ſe id quod in ſatis erat, ſed nec dominum eius eſſe fundi, nec locatorem: vxorem eſſe, eam ipſam ſuum negotium gerere, ipſam locauiſſe. Defendebat Xenonē homo ſummo ſplendore, & ſumma auctoritate præditus M. Coſſetius. iſte nihilominus iudiciū H-S LXXX dabat. ille tametſi Recuperatores de cohorte latronum ſibi parari videbat: tamen iudicium accepturum ſe eſſe dicebat. tum iſte magna voce Veneriis imperat vt Xenonem adirēt: dum res iudicaretur, hominem vt aſſeruarent: quum iudicatum ſit, ad ſe adducant. & illud ſimul dixit, ſe non putare illum, ſi propter diuitias pœnas damnationis contemneret, etiam virgas cōtemnere. hac ille vi, & hoc metu adductus, tantum Decumanis, quantum iſte imperauit, exoluit. Polemarchus eſt Murgentinus, vir bonus, atque honeſtus. is, quū pro iugeribus quinquaginta, medimna DCC decumæ imperarentur, quòd recuſabat, domum ad iſtum in ius deductus eſt: &, quū iſte etiam cubaret, in cubiculum introductus eſt: quod, niſi mulieri, & Decumano, patebat alii nemini. ibi quum pugnis & calcibus conciſus eſſet qui DCC medimnis decidere noluiſſet, mille promiſit. Eubulides eſt Groſphus Centuripinus, homo cū virtute & nobilitate domi ſuæ, tum etiam pecunia princeps. huic homini Iudices, honeſtiſſimæ ciuitatis honeſtiſſimo, non modo frumēti ſcitote, ſed vitæ & ſanguinis tantū relictū eſſe, quantū Apronii libido tulit.

SI PATERET

Fundum eum locatum eſſe. Omnes alii veteres, Fundum elocatū eſſe: quam lectionem tantiſper cōſeruabo, dum mihi auctoritate alicuius antiqui codicis euincatur. Nam quum proba ſit, & probam habeat ſententiam, eam ſine cauſa immutare, petulantis eſſe arbitror, & facilitate ſtudioſorum abutentis. Diſſimilis eſt eius loci ratio qui proximè ſequitur, Dabat teſtes, iudicium: quæ lectio tametſi omnium, quos vidi librorum, auctoritate nitatur, quum tamen apertò vitiata & corrupta ſit, leuem & infirmam reddit illorum auctoritatem. quod eodem modo de loco illo iudicari volumus, in quo ſcriptum eſt, Quod in ſatis erat. quum in aliis, Quod ſatis erat, deminutè & vitioſe legatur.

Si pateret iugera. Hoc & in Diuiuatione expoſui, & in Ora. pro Q. Roſcio. Dicitur & SI PARET, vt apud Vlpianum l. inter hæc verba. D. de verb. ſig. & apud Paulum l. hæc verba, ſub eod. tit.

H-S LXXX. Coronatorum duum millium. Nam ſubauditur vox Millium.

CICERO. *Pœnas damnationis contemneret.* Nihilomagis decumanis, quantum vellent exſolueret.

329 Nam vi, malo, plagis adductus eſt, vt frumenti daret, noo quantum haberet, ſed quantum cogeretur. Soſtratus, & Numenius, & Nymphodorus eiuſdem ciuitatis, quum ex agris tres fratres conſortes profugiſſent, quòd iis plus frumenti imperabatur, quàm quantum exararant: hominibus coactis, in eorum arationes Apronius venit, omne inſtrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus abegit. Poſtea, quum ad eum Nymphodorus veniſſet AEtnam, & oraret vt ſibi ſua reſtituerentur: hominem corripi, ac ſuſpendi iuſſit in oleaſtro quadam, quæ eſt arbor Iudices, in foro. Tandiu pependit in arbore ſocius, amicúſque populi R. in ſociorum vrbe, ac foro, colonus, aratórque veſter, quandiu voluntas Apronii tulit. Genera iandudum innumerabilium iniuriarum Iudices, ſingulis nominibus profero: infinitam multitudinem iniuriarum prætermitto. vos ante oculos, animóſque veſtros tota Sicilia Decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, huius importunitatem, Apronii regnum proponite. Contempſit Siculos: non duxit homines: nec ipſos ad perſequendum vehementes fore, & vos eorum iniurias leuiter laturos exiſtimauit. Eſto, falſam de illis habuit opinionem, malam de vobis. veruntamē quum de Siculis malè mereretur, ciues R. coluit, his indulſit, eorum voluntati & gratiæ deditus fuit. Iſte ciues R. at nullus inimicior, aut infeſtior fuit, mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto ſecures, crucem denique illam prætermitto, quam iſte ciuibus R. teſtem humanitatis in eos, ac beneuolentiæ ſuæ voluit eſſe: mitto inquam hæc omnia, atque in aliud dicendi tempus reiicio: de decumis, de ciuium R. conditione in arationibus diſputo.

Tres fratres conſortes. Nihil muto. fortaſſe tamen moueri hæc verba ſuo loco potuerunt: & poſt vocē Nymphodorus temere collocari: cum eo tamen vt ſingulis articulis ſingulæ diſtinctiones apponantur: Tres fratres, conſortes, eiuſdem ciuitatis, &c. Sunt autem Conſortes, qui agrum eundem ſortiti ſunt, & inter ſe poſtea regionibus diuiſerunt.

Quantum exararant. Collegerant. vide 314.

Hominibus coactis. Probo lectionem vetusti codicis, Hominibus exactis: id est, expulsis, eiectis.

Singulis nominibus. In vnoquoque eorum quos nominaui.

Iste ciues R. at nullus inimicior. Nullis, in tertio casu, non dubito quin sit legendum.

» Qui quemadmodum essent accepti, Iudices, audistis ex ipsis: bona sibi erepta esse dixere. Verũ CICERO 330
» *hæc huiusmodi casus affuit, ferenda sunt: nihil valuisse æquitatem, nihil consuetudinem: dam- *hæc quoniã huiusmodi. l.
» na denique Iudices, nulla tanta sunt, quæ non viri fortes magno, & libero animo affecti ferenda arbitrentur. Quid si equitibus R. nõ obscuris, neque ignotis, sed honestis, & illustribus manus ab Apronio, isto Prætore, sine vlla dubitatione afferebantur? quid expectatis? quid à me amplius dicendum putatis? an id agendum, vt eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus, id quòd ego illi iam in Sicilia pollicitus sum, venire? qui C. Matrinium Iudices, summa virtute hominem, summa industria, summa gratia, Leontinis in publico biduum tenuit, atque ab Apronio Iudices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia libidinésque accommodato, equitem R. scitote biduum cibo, tectóque prohibitum, biduum Leontinis in foro custodiis Apronii retentum, atque seruatum, neque ante dimissum, quàm ad cõditiones eius depactus est. Nam quid ego de Q. Lollio Iudices dicam, equite R. spectato, atque honesto? clara res est quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima, atque notissima: qui quum araret in AEtnẽsi, quum is ager *in Apronio cum cæteris agris esset traditus, equestri vetere illa & au- *l. vacat
» ctoritate, & gratia fretus affirmauit, se Decumanis plus, quàm deberet, non daturum. Refertur eius sermo Apronio. enimuero iste ridere, ac mirari, Lolliũ nihil de Matrinio, nihil de cæteris rebus audisse.

Hæc eiusmodi. Hæc quoniam huiusmodi: vt in aliis. [redacted]

Huiusmodi casus affuit. Quoniam hæc fuit quasi quædam communis fortuna, atque calamitas.

In publico biduum tenuit. Id est, in via, sub dio. vt infra 423, Senator populi R. quod in vobis fuit, in vestro oppido iacuit, & pernoctauit in publico.

Custodiis Apronii retentum. Custodiis, custodibus, apparitoribus. Plautus in Captiueis, Ita vinculis, custodiísque circummuniti sumus. [redacted]

Depactus est. Quum quibus vellet Apronius conditionibus transegisset.

Is ager in Apronio. Particula IN, vt otiosa, & in hunc locum importunè coniecta, tollenda de libris, ac repudianda est, auctoribus omnibus veteribus etiam impressis.

» Mittit ad hominem Venerios (hoc quoque attẽdite, apparitores à Prætore assignatos habuis- CICERO. 331
» se Decumanum: si mediocre argumentum videri potest, istum Decumanorum nomine ad suos quæstus esse abusum) adducitur à Veneriis, atque adeò attrahitur Lollius commodè, quum Apronius è palæstra redisset, & in triclinio, quod in foro AEtnæ strauerat, decubuisset. statuitur Lollius in illo tempestiuo gladiatorum conuiuio. Non mehercule, quæ loquor crederem Iudices, tametsi vulgò audieram, nisi mecum ipse senex, quum mihi atque huic voluntati accusationis meæ lacrymans gratias ageret, summa cum auctoritate esset loquutus. Statuitur, vt dico, eques R. propè annos LXXXX natus in Apronii conuiuio, quum interea Apronius caput, atque os suum vnguẽto perfricaret. Quid est Lolli, inquit: tu, nisi malo coactus, rectè facere nescis? Homo quid ageret, taceret, responderet: quid faceret denique illa auctoritate, & ætate præditus, nesciebat. Apronius interea cœnam, ac pocula poscebat. serui autem eius, qui & moribus iisdem essent quibus dominus, & eodem genere ac loco nati, præter oculos Lollii hæc omnia ferebant. ridere conuiuæ, cachinnari ipse Apronius: nisi forte existimatis, eum in vino ac luxu non risisse, qui nunc in periculo, ac exitio suo risum tenere non possit. Ne multa Iudices: his cõtumeliis scitote Q. Lollium coactum ad Apronii leges, conditionésque venisse. Lollius ætate & morbo impeditus, ad testimonium dicendum venire non potuit. quid opus est Lollio? nemo hoc nescit: nemo tuorum amicorum, *nemo abs te interrogatus, nũc se primum hoc dicet audire. M. Lollius *nemo abs te productus, nemo interrog. l.
» filius eius, adolescens lectissimus præsto est: huius verba auditis.

Mittit ad hominem Venerios. De Veneriis dictum est 261.

Apparitores. Ministri dicebantur Magistratuum, deriuata ex eo appellatione, quòd iis perpetuò apparere, eorúmque imperio præsto esse solebant. itaque etiam Statores appellabãtur. Sed de apparitoribus vide quæ dixi Verr. III, pag. 185. [redacted]

Mediocre argumentum. Neque enim apparitores nisi à Prætore iussi, Decumanis paruissent: non iubebat autem Prætor, nisi sui quæstus & emolumenti causa.

Præter oculos Lollii hæc omnia ferebantur. Præter oculos, Ante oculos. & sic loquutus est Liuius libro belli Maced. VIII, An non præter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, &c. Sic Varro Eumenidibus, apud No. Marcellum, qui etiam hunc locum citat, Præter matris Deûm ædem exaudio cymbalorum sonitum. [redacted]

Eodem genere ac loco natu. Pag. 345, seruum Apronium appellat. Erat autem Verris libertus.

Nemo tuorum amicorum, nemo abs te interrogatur. Nonius Mar. in dictione producere, ita hunc locũ citat, Nemo tuorum amicorum, nemo abs te productus, nemo interrogatus. Probat, inquam, ex hoc loco, vsum esse Producendi verbo Tullium. Mihi autem quare hoc repudiemus, causa esse nulla videtur: quũ præsertim Oratoris consilio mirificè conueniat. Hoc enim idem valet acsi diceret, Neminem possis producere, atque interrogare, &c.

CICERO. 332 Nã Q. Lollius eius filius, qui Calidium accusauit, adolescẽs & bonus, & fortis, & in primis disertus, quum his iniuriis contumeliísque commotus in Siciliam esset profectus, in itinere occisus est, cuius mortis causam fugitiui sustinent: re quidẽ vera nemo in Sicilia dubitat quin eo sit occisus quòd habere clausa nõ potuerit sua cõsilia de Verre. iste porrò nõ dubitabat quin is qui antè alium studio adductus accusasset, sibi aduenienti præsto esset futurus, qui esset parẽtis iniuriis & domestico dolore commotus. Iámne intelligitis Iudices, quæ pestis, quæ immanitas in vestra antiquissima, fidelissima, proximáq; prouincia versata sit? *Iam videtis quam ob causam Sicilia tot hominum antea furta, rapinas, iniquitates, ignominiásque perpessa, *nõ potuerit noui, ac singulare, atque incredibile genus iniuriarum, cõtumeliarúmq; ferre? Iam omnes intelligũt, cur vniuersa prouincia defensorẽ suæ salutis eũ quæsiuit, cuius iste fidei, diligentiæ, perseuerantiæ, nulla ratione eripi possit. Tot iudiciis interfuistis: tot homines innocentes & improbos accusatos & vestra & superiorum memoria scitis esse: ecquẽ vidistis, ecquẽ audistis in tãtis furtis, in tam apertis, in tanta audacia, tanta impudentia esse versatũ? Apronius *stipatorios Venerios secũ habebat: ducebat eos circum ciuitates: publice sibi conuiuia parari, sterni triclinia etiam in foro iubebat: eò *vocari homines honestissimos, non solum Siculos, sed etiã equites R. vt quocum inire conuiuium nemo vnquã, nisi turpis, impurúsque, voluisset, ad eius conuiuium spectatissimi, atque honestissimi viri tenerentur. Hæc tu omnium mortalium profligatissime ac perditissime quũ scires, quũ audires quotidie, quum videres: si sine tuo maximo quæstu fierent, eum tãto periculo tuo fieri paterere, atque concederes?

*Iámne l.
*hoc nusl.
*stipatores
*conuocari l.

Causam fugitiui sustinent. E Græcis fontibus deriuata locutio. Nã αἰτίαν ἔχειν Græce dicimus. Similiter Epist. ad Att. libro XIII, Nũc verò quũ de Magno constet, nónne furor eius omnẽ causam sustinet? Fugitiuos autem dicit, qui in Sicilia Athenione duce grassabantur.

Clausa sua consilia. Celare non potuerit, se testimonium contra Verrem dicturum.

Studio adductus. Quum nullas suas iniurias persequeretur.

Iam videtis. Omnes alii, Iámne videtis: & sic emenda.

Non potuerit nouum. Hoc non potuerit, vt in omnibus.

Cuius iste fidei. Suam in accusando industriam commendat, quòd non Verris tãtùm, sed etiam Apronii crimina nota & perspecta habeat.

Stipatorios venereos. Omnes alii libri, Stipatores. quod quamobrem immutari debuerit, coniectura assequi non queo. Stipatores autem dicit, qui eum assectarentur, qui latus eius cingerent.

Eo uocari. Eò conuocari, corrige vt in aliis libris.

Nemo unquam nisi turpis. Propter odorem teterrimum oris & corporis.

CICERO. 333 Et tantum apud te quæstus Apronii, tantum eius sermo inquinatissimus, & blanditiæ flagitiosæ valuerunt, vt nunquã animũ tuum cura tuarũ fortunarũ, cogitatióque tãgeret? Cernitis Iudices, quod & quantum incẽdium Decumanorũ impetu non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorũ, non solum per bona, sed etiam per iura libertatis & ciuitatis isto Prætore peruaserit. Videtis pendere alios ex arbore, pulsari autem alios & verberari, porrò alios in publico custodiri, destitui alios in conuiuio, condemnari alios à medico & præcone Prætoris, bona tamen interea nihilo minus eorũ omnium ex agris auferri, ac diripi. Quid? est hoc populi R. imperium? populi R. leges? iudicia? socii fideles? prouincia suburbana? nónne omnia potius eiusmodi sunt, quæ si Athenio vicisset, in Sicilia nõ fecisset? nõ inquã Iudices, esset vllã partem istius nequitiæ fugitiuorũ insolentia consecuta. priuatim hoc modo. quid publice? ciuitates quẽadmodum tractatæ sunt? Audistis permulta indicia, & testimonia ciuitatum, & reliquarũ audietis: ac primum de Agyrinensi populo fideli, & illustri breuiter cognoscite. Agyrinensis est in primis honesta ciuitas Siciliæ, hominum ante hunc Prætorem locupletium, summorúmq; aratorũ. eius agri Decumas quũ emisset idẽ Apronius, Agyriũ venit. qui quũ eò cũ apparitoribus, id est cum minis, ac vi venisset, poscere pecuniã grandẽ cœpit, vt accepto lucro discederet. nolle se negotii quicquã habere dicebat, sed accepta pecunia quã primũ aliam ciuitatem occurrere.

Et blanditiæ flagitiosæ. Fœminis, inquit Asconius, & maximè meretricibus blanditiæ cõueniũt. Ergo hoc ad Apronii infamiam ac turpitudinem pertinere voluit.

Cura tuarum fortunarum. Nunquam tibi in mentem veniret, tempus fore quum abs te horum ratio reposceretur. Apud Noniũ Marcellum locus hic corruptè legitur hoc modo, Nunquã tua

me cura,tuarúmve fortunarum cogitatio tangeret.

Destitui alios in conuiuio. Destitui pro Constitui: vt libro Accusat. v.pag.533, Qui quia Cleomenem in defendendo filio læserat,nudus penè est destitutus. Q.autem Lollium intelligit. Sic in Oratione C.Gracchi apud A. Gelliũ,Iccirco palus destitutus est in foro,vestimenta detracta sunt. Item apud Liuium lib.v i i,vbi de Galli & T.Manlii Torquati duello loquitur,Duo,inquit, in medio armati destituuntur.

Si Athenio uicisset. De Athenione cognosce pag.279.

Quum emisset idem. Verres agrorum Siciliæ decumas,auctione ploris licitanti vendebat. Emere qoam plurimo solebat Apronius,quòd quantum aratores posceret,tantum ab iis auferret. Ipsis tamen postea ciuitatibus, & aratoribus decumas nonnunquam remittebat, pretium quãti emerat,exigens, & lucri præterea nonnihil.

Aliam ciuitatem occurrere. Vtrum,Accurrere corrigendũ est,vt nonnulli potant:an Occurrere sic dictum est,vt Græci dicunt καταντᾶν:quod Lucas in eo libro, in quo res gestas scribit Apostolorũ cap.x v i vsurpat,Κατήντησε δὲ εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν.

Sunt homines Siculi nõ cõtẽnendi,si per nostros magistratus liceat:sed homines & satis fortes,& satis planè frugi,ac sobrii:& in primis hæc ciuitas, de qua loquor Iudices. Itaq; homini in primis improbissimo respõdent Agyrinẽses,sese decomas ei,quẽadmodum deberẽt,daturos:lucrum,quũ ille magno præsertim emisset,non addituros. Apronius certiorem facit istũ, cuia res erat,quid rei esset. statim,tanquam cõiuratio aliqua Agyrii cõtra Remp.facta,aut Legatus Prætoris pulsatus esset, ita Agyrio Magistratus,& Quinqueprimi accitu istius euocantur. Veniunt Syracusas:præsto est Apronius:ait eòs ipsos,qui venissent,contra edictum Prætoris fecisse.quærebant,quid:respõdebat,se ad Recoperatores esse dicturum.iste,æquissimus homo,formidinem illam suam miseris Agyrinensibus iniiciebat, Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses viri fortissimi iudicium se passuros esse dicebant. Ingerebat iste Artemidorum medicum Cornelium,pictorem Tlepolemũ,& eiusmodi Recuperatores:quorum ciuis R. nemo erat, sed Græci sacrilegi, iampridem improbi, repente Cornelii. videbant Agyrinenses, quicquid ad eos Recuperatores Apronius attulisset, illum perfacile probaturum: condemnari cum istius inoidia,infamiáque malebant,quàm ad eius cõditiones,pactionésque accedere. Quærebant,quæ in verba Recuperatores daret:respondebat, SI pateret aduersus edictum fecisse quæ in iudicio dicturum esse dicebat. Iniquissimis verbis,improbissimis Recuperatoribus, cõflictari malebant,quàm quicquam cum isto sua voluntate decidere. summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos,si saperent, vt transigerent. pernegabant. CICERO 334

Cum ille magno præsertim emisset. Et eodem pretio remittere decumas aratoribus vellet. Nã Lucrũ, vt infrà constabit, summa erat pecuniæ aut frumenti, quam Apronius,decumas aratoribus remittens,ab iis vnà cum pretio,quanti decimas emerat,exigebat. Vnde illud in Diuinatione,pag. 122, Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Non tamen in pecunia numerata perpetuò dabatur. quin ne decumas quidem Decumani pecunia numerata perpetuò coëmebant:vt apparet multis ex locis. Quum autem magno emisset Apronius, nolebant Agyrinenses,si tantidem acciperent, quanti ille emerat,insuper aliquid adiungere. Atque hoc est quod suprà dixit, Poscere grandem pecuniã cœpit,vt accepto lucro discederet. Nonnulli hoc loco corrigere voluerunt,Quum illi emissent:quod absurdum est.

Istum cuia res erat. C. Verrem.

Ad Recuperatorem. In qoo ipso pararissimum sibi exitium videbant.

Repente Cornelij. L. Sylla victor, proscriptorum seruis,qui firmis corporis viribus, & ætate integra essent,amplius decem millibus libertatem dedit: eósque ciues Romanos esse,& Corneliorum nomine appellari voluit: vt ex plebe perpetuò decem hominum millia, qui ad sua mandata præsto essent,haberet. Appianus. Ergo quũ dixit Artemidorum medicum Cornelium,Cornelii nomen,vtpote inuisum,de industria inculcauit.

Pictorem Tlepolemum. In manuscripto, Præconẽ: quod eo mihi probabilius videtor, quia sæpe antea præconem in Recuperatoribus nominauit. ex cohorte enim Iudices à Verre dabãtur. At pictor Tlepolemus,de quo pag.425,ex cohorte non erat.

Quæ in uerba Recuperatores daret. Dixi pro Quintio pag.23.

Aduersus edictum fecisse. Aratores.

Quæ in iudicio dicturũ esse dicebat. Si pateret Recuperatoribus,aratores ea fecisse quæ Apronius dicebat se in iudicio dicturum. Ostendit iniquitatem iudicii. Nam verba formulæ edẽda sunt, vt proinde sciat reus,cedere an contendere vtrà debeat.

Qoid ergo?in singulos H-S quinquagenis millib' dãnari mauultis?malle dicebãt. Tũ iste clare õnibus audiẽtib',Qui dãnat' erit,inquit,virgis ad necẽ cædetur. Hic illi flẽtes rogare,atq; orare cœperũt,vt sibi suas segetes,fructúsq; omnes,arationésq; vacuas Apronio tradere liceret,vt ipsi CICERO 335

fine ignominia,molestiáq,discederét.hac lege Iudices decumas védidit Verres. Dicat licet Hortensius,si audet, magno Verrē vendidisse. Hæc cōditio fuit isto Prætore aratorum,vt secū præclarè agi arbitrarētur,si vacuos agros Apronio tradere liceret:multas enim cruces propositas ef fugere cupiebāt.quantū Apronius edidisset deberi,tantum ex edicto dandū erat.Etiámne si plus edidisset,quàm quantū natū esset?etiā. Quomodo? Magistratus ex ipsius edicto exigere debebāt. At arator repetere poterat. Verùm Artemidoro Recuperatore. Quid, si minus arator dedisset, quàm poposcisset Apronius? iudiciū in aratorē in quadruplū. Ex quo iudicū numero?ex cohorte Prætoris,præclara,honestissimorū. Quid amplius?minus te iugerū professum esse dico:Recuperatores reiice,quòd aduersum edictū feceris Ex quo numero?ex eadē cohorte.Quid erit extremū?si damnatus eris(nā dubitatio dānationis illis Recuperatoribus quæ poterat esse?) virgis te ad necem cædi necesse erit.his legibus,his cōditionibus, erit quisquā tā stultus, qui decumas venisse arbitretur?qui aratori nouē partes reliquas factas esse existimet?qui nō intelligat istum sibi quæstui,prædæq, habuisse bona,possessiones,fortunas aratorū? Virgarū metu Agyrinēses,quod imperatum esset,facturos se esse dixerunt.

[redacted] *Quid ergo?* Timarchidis verba,suadētis Agyrinēsib' vt mallēt trāsigere,quàm iudicio cōtēdere.

H-S quinquagenis millibus. Mille ducentis quinquaginta coronatis.

Tantum ex edicto dandum. Dicta hæc sunt 318.

CICERO 336 Accipe nūc quid imperarit:& dissimulate vos,si potestis,vos intelligere,ipsum Prætorē,quod tota Sicilia perspexerit,redēptorem decumarū,atque adeò aratorū dominū,ac regem fuisse.imperat Agyrinensibus vt decumas ipsi publicè accipiāt, Apronio lucrū dent. si magno emeras, quoniā tu es qui diligētissimè pretiū exquisisti,qui(vt ais)magno vendidisti, quare putabas emptori lucrū addi oportere?esto:putabas.quāobrem imperabas vt adderent?quid est aliud capere, & cōciliare pecunias,in quo te lex tenet:si hoc nō est, vi,atque imperio cogere inuitos lucrū dare alteri,hoc est pecuniā dare?age,quid tū?si Apronio,deliciis Prætoris,lucelli aliquid iussi sunt dare,putate Apronio datū, si Aprónianum lucellū, ac nō Prætoria præda vobis videbitur. Imperas vt decumas accipiāt,Apronio dent lucrū,tritici medimna XXXIII.quid est hoc?vna ciuitas ex vno agro plebi Romanæ propè mēstrua cibaria, Prætoris imperio donare Apronio cogitur.tu magno decumas vēdidisti;quū tantū lucri Decumano sit datū?profectò si pretium exquisisses diligēter, tū quū vēdebas, X medimna potius addidissent,quàm H-S DC postea. Magna præda videtur.audite reliqua,& diligēter attēdite,quo minus miremini Siculos re necessaria coactos auxiliū à patronis,à Consulibus,ab Senatu,ab legibus, à iudiciis petiuisse. Vt probaret Apronius hoc triticum,imperat Agyrinensibus Verres,vt in medimna singula dentur Apronio H-S ttt.quid est hoc?tāto numero frumenti in lucri nomen imperato,expresso, nummi præterea exigentur vt probetur frumentum?

Marginal notes: lucri; l. medimnum XXXIII.; l. plebis; medimnum; medimnum

[redacted] *Decumas accipiant.* Quas emerat Apronius.

Lucrum dent. Et pretium quanti emerat,& aliquam præterea pecuniam.

Si magno emeras. Ab Apronio,cui pecuniam tantam,quanta primùm emerat,rependerāt. Iubet enim Verres habere eos sibi decumas,& pretium reddere. vt infrà 345,Iubet Segestenses à Docimo tantidem publicè accipere.

Pretium exquisisti. In auctione.

Emptori lucrum. Apronio,qui magnum iam commodum sentiebat,quum illi pretium est redditum,quòd nimio decumas emerat.

Quāobrem imperabas. Nā siquādo Prouinciales decumas ab ipsis Decumanis accipiūt,& pretiū repēdunt,& sua volūtate nōnunquā lucrū Decumano dāt,tātum puta,quantū facere deductis operis & impendiis potuisset,si Romæ aut alibi frumentum vendidisset. At lucrum hoc imperare,rapere est:quod legibus vindicatur.

Apronio dent lucrum. Lucri,putarem corrigendum:vt sæpe postea.

Medimna XXXItt.Huius notæ ignoratione multa in hac Oratione deprauata sunt,quæ castigare facilè est si legamus, MID. & intelligam' medimū: vt perpetuò vox Millia subaudiatur:itē vt H-S,id est sestertiū millia,& huius ipsius & superioris Orationis locis innumeris. Hāc autē notam etiā in manuscripto libro sæpe offendi.ex cuius ignorātia etiā alius error natus est,.qui infinitis locis huius Orationis tenebras offudit. Quū enim Modiū numerū librarii scriberēt, hanc notam frequenter exarabant, MOD.quæ vix credi potest quàm crebrò cum alia superiore commutata sit.Nos Dei benignitate,quem in Christo Iesu,Deo & Domino nostro colimus,magnā harū macularum partē,quæ hos pulcherrimos libros inquinarant,ac turpissime cōtaminarāt, eluisse studio ac labore nostro arbitramur. XXX autem & ttt hoc loco similiter legendum est, vt paulo infrà pagina insequenti.

Plebi Romanæ. Vetus liber,Plebis:& sic emenda.

Decumas vendidisti. Tolle notam intertogationis,& colloca post illa verba, SIT DATVM.

x medimna. Corrigendum eodem modo putarem, x med. id est Medimnum millia.

H-S DC. Subauditur millia. id est, coronatorum quindecim millia.

Vt probaret hoc triticum. Quum enim frumentum non satis probum dari diceret, aliquid insuper pecuniæ poscebat: quam Cicero sæpe pòstea accessionem appellat.

Apronio H-S III: Id est, Numi sestertii tres. Sed quoniam de millibus perpetuò loquitur, legendú potius putaré, Vti in medimnum singula, détur Apronio H-S tria. vt vtrobiq; vox Millia subaudiatur. veluti pag. 357. Neque multú. bina, aut terna millia addebat. vbi de hac ipsa re loquitur.

An poterat non modo Apronius, sed quiuis, exercitui si metiundú esset, improbare Siculú fru- CICERO 337
mentum, quod illi ex area, si vellet, admetiri licebat? Fruméti, tantus numerus imperio tuo datur, & cogitur. Non est satis. Númi præterea imperantur, dantur. parú est. Pro decumis hordei, alia pecunia cogitur. iubes H-S XXX lucri dari: ita ab vna ciuitate vi, minis, imperio, iniuriáque Prætoris eripiuntur tritici medimna XXX III, & præterea H-S LX. An hæc obscura sunt? aut, si omnes homines velint, obscura esse possunt, quæ tu palàm egisti, in conuétu imperasti, omnibus inspectátibus coegisti? qua de re Agyrinéses magistratus, & Quinqueprimi, quos tui quæstus causa euocasti, acta, & imperia tua domú ad Senatum suum renuntiauerunt: quorú renuntiatiò legibus illorum, literis publicis mandata est: quorú Legati homines nobilissimi Romæ sunt, qui hoc idé pro testimonio dixerunt. Cognoscite Agyrinensium publicas literas, deinde testimoniú publicú ciuitatis. Recita literas publicas. TESTIMONIVM PVBLICVM. Animaduertistis in hoc testimonio Iudices, Apollodorum, cui Pyragri cognomen est, principé suæ ciuitatis lacrymantem testari, ac dicere, núquam, post populi R. nomen ab Siculis auditum, & cognitum, Agyrinenses contra quenquam infimum ciuem R. dixisse, aut fecisse quippiam: qui núc cótra Prætorem populi R. magnis iniuriis, & magno dolore publicè testimonium dicere cogerentur. vni mehercule huic ciuitati Verres obsistere tua defensione non potes: tanta auctoritas est in eorum hominum fidelitate, tantus dolor iniuriæ, tanta religio in testimonio.

H-S XXX. Subaudi millia. id est coronatos septingentos & quinquaginta.

Medimna XXXIII. Emendo, Medimnum: vt suprá.

H S LX. Error manifestus. Nam III millia H-S, in singula medimnum millia, si medimnum sint XXXIII millia, efficiút XCIX millia sestertium. Iam pro decumis hordei XXX millia exacta sunt, quæ omnia, summam efficiunt CXXIX millium H-S: id est coronatorum CIↃ CIↃ CIↃ CCXXV. Emenda ergo, H-S CXXIX.

Recita literas publicas. Locus sic postulat, Recita. LITERAE PVBLICAE.

Cui Pyragri cognomen est. Aut Pyrager legendum est, aut in tertio casu Pyragro. Hanc enim locutionem consuetudo Latini sermonis repudiat.

Verum nó vna te, sed vniuersæ similibus afflictæ incómodis, Legationibus, ac testimoniis pu- CICERO
blicis persequentur. Etenim deinceps videamus, Herbitensis ciuitas honesta, & antea copiosa, qué- 338
admodum spoliata ab isto, ac vexata sit. At quorú hominum? summorú aratorum, remotissimorú à foro, iudiciis, & controuersiis: quibus parcere, & consulere homo impurissime, & quod genus hominú studiosissimè conseruare debuisti. Primo anno venierút eius agri decumæ tritici medimna XVIII. Accensus istius, item minister in decumis, quú emisset, & præfecti nomine quú venisset Herbitam cum Veneriis: locúsque ei publicè, quò diuerteretur, datus esset: coguntur Herbitenses ei lucri dare tritici modium XXXVII millia, quú decumæ venissent tritici modiú XVIII. atque hoc triticum lucri coguntur dare publicè, quú iam priuatim aratores ex agris spoliati, atque exagitati Decumanorú iniuriis profugissent. Anno secundo quú emisset Apronius decumas tritici modium XXV millibus, & ipse Herbitam cum illa prædonis copia, manúque venisset: populus publicè coactus est ei conferre lucri tritici modiú XXVI, & accessioné H-S MM. De accessione dubito an Apronio ipsi data sit merces operæ, pretiúmque impudentiæ. De tritici quidem numero tanto quis potest dubitare quin ad istum prædonem frumentarium, sicut Agyrinense frumentum, peruenerit? Anno vero tertio in hoc agro consuetudine vsus est regia. solere aiunt barbaros reges Persarum, ac Syrorum plures vxores habere: his autem vxoribus ciuitates attribuere, hoc modo, Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines.

Tritici medimna XVIII. Corrige Medimnum: & subaudi, millibus. Emerat enim non pecunia numerata Decumanus, sed certa pactione frumenti, omnium frugum cuiusuis generis decumas.

Cum illa prædonis copia. Accensum prædonem significat: Copiam & manum, Veneriorum.

Tritici modium XXXVII. Legendú puto, Medimnum. Nam in lucro (vt antè dixi) & ipsum pretium, id est tritici medimnum XVIII, & incrementum continetur. quod eò probabilius videtur, quia cótinuò pòst idem est médum, vbi tritici modium XVIII legimus: quum medimnú (vt paulo antè) legendum constet. & rursus paulo pòst, Tritici modium XXV & XXVI, pro Medimnum. Error sanè (vt paulo antè posui) natus est ex notis Med. & Mod. quas librarii, non satis ad negotiú

q.i.

ſuum intenti, plerunque commutarunt.

Prædonis copia. Prædonis, Accenſi Timarchidis. Copia, Veneriis & apparitoribus. magis tamen placeret vt Prædonum legeremus.

H-S M.M. Quinquaginta coronatos: ſed pro hac nota ſcribe C I Ɔ C I Ɔ.

An Apronio ipſi datū ſit. Vtpote non magna. Acceſſio autem, pecunia numerata conſtat, quæ, quũ in frumento lucrum datur, præter lucrum additur: opinor vt frumentum probetur.

Redimiculum præbeat. Quid ita non IN redimiculum legamus, item vt poſtea, in collum, in crines? &c. Huius autem conſuetudinis Plato in Alcibiade primo mentionem facit his verbis. ἐπεὶ καὶ ἐγὼ ἤκουσα ἀνδρὸς ἀξιοπίστου, τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδόν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός. εἶναι δὲ καὶ ἄλλην, ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν. καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τῆς γυναικός· καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων, ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων.

CICERO. 339 » Ita populos habent vniuerſos non ſolum cõſcios libidinis ſuæ, verumetiã adminiſtros. eãdem
» iſtius, qui ſe Regem Siculorũ eſſe dicebat, licentiã, libidinémq; fuiſſe cognoſcite. AEſchrionis Sy- 77.
» racuſani vxor eſt Pippa, cuius nomen iſtius nequitia tota Sicilia peruulgatum eſt. de qua muliere
» verſus plurimi ſupra tribunal, & ſupra Prætoris caput ſcribebãtur. Hic AEſchrio Pippæ vir adũ-
» bratus, in Herbitenſibus decumis nouus inſtituitur publicanus. Herbitẽſes quũ viderent, ſi ad AE-
» ſchrionẽ pretiũ rediſſet, ſe ad arbitrium libidinoſiſſimæ mulieris ſpoliatũ iri: liciti ſunt vſque eò,
» quoad ſe efficere poſſe arbitrabantur. Suprà adiecit AEſchrio: neque enim metuebat ne Prætore
'medimnum » Verre decumana mulier damno affici poſſet. Addicitur 'medimnis M M, dimidio fere pluris, quàm
XXXV milli- » ſuperiore anno. aratores funditus euertebãtur, & eo magis, quòd iam ſuperioribus annis exhauſti
bus, » erant, ac penè perditi. Intellexit iſte ita magno veniſſe, vt amplius ab Herbitenſibus exprimi non
'medimnũ C I Ɔ » poſſet. demit de capite 'medimna D C. iubet in tabulas pro 'medimnis M M M V I I I, referri D M M D
C I Ɔ C I Ɔ » & I I I I. hordei decumas eiuſdẽ agri Docimus emerat. hic eſt Docimus qui ad iſtũ deduxerat Ter-
I Ɔ C. » tiam Iſidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio tibicine. Huius Tertiæ plus etiam, quàm Pip- 78.
'medimnum XX[illegible] re- » pæ, plus quàm cæterarum, ac propè dicam tantum apud iſtum in Sicilienſi Prætura auctoritas va
ferri XXXI, » luit, quantum in vrbana Chelidonis. Veniunt Herbitam duo Prætoris æmuli nõ moleſti, mulier-
& CCCC. » culatum deterrimarum improbiſſimi cognitores: incipiunt poſtulare, poſcere, minari: non pote-
» rant tamen, quum cuperent, Apronium imitari: Siculi Siculos non tam pertimeſcebant.

[illegible] *Pippæ vir adumbratus.* Tranſlatum à pictoribus, qui adũbrare dicuntur quũ leuiter informant, vt quaſi vmbra duntaxat eius rei, quã picturi ſunt, appareat. Nam exprimere poſtea dicuntur, quũ adhibent colores. Itaque ſæpe hæc quaſi contraria inter ſe Cicero opponit. vt Tuſcul. I I. Eſt enim gloria, ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata. Similiter actores in ſcena, veluti qui Priami aut Achillis perſonam ſuſtinent, adumbrati dicuntur. & hoc loco vir adumbratus, qui mariti nomen ac perſonam ſuſtinebat, quum eſſent alii reuera Pippæ mariti.

Pretium rediſſet. Si decumæ illi addicerentur in auctione.

Quoad efficere ſe poſſe. Quoad videbatur ferri aliquo modo poſſe.

Dimidio ferè pluris, quàm ſuperiore anno. Non igitur Medimnus M M aut C I Ɔ C I Ɔ: ſed Medimnûm X X X V millibus legendum omnino eſt.

Amplius ab Herbitenſibus exprimi. Lucri nomine, vt annis ſuperioribus.

Demit de capite. Caput ſumma erat principalis: cui reſpondet Lucrum, & Acceſſio. Summam autem intelligo pretii, quo decumæ à publicanis emuntur, velut in hac auctione Med. X X X V millia.

Medimna D C. Emenda vt paulo pòſt C I Ɔ C I Ɔ C I Ɔ I Ɔ C. & pro Medimna, lege Medimnûm. Reſtabant igitur X X X I millia, & præterea C C C C.

Pro medimnis M M M V I I I, referri D M M D & I I I I. Nemo eſt qui, ex iis quæ modò diximus, non facilè intelligat legendum eſſe, Medimnûm X X X V, referri X X X I & C C C C. Conſideret autem lector ſtudioſus veſtigia veteris ſcripturæ. M M M V I I I, pro X X X V M. & D M M D, pro X X X I M. facilè enim pro X, M ſupponi potuit. item I I I I, pro C C C C.

Vi abductam ab Rhodio tibicine. Donatus in illud Terentii, Multæ ſunt cauſæ quamobrem cupio abducere: Abducere, inquit, dixit tanquam ab ſtulto: nec per verum meritum, ſed per fraudem. Cicero, Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine. Pag. 499, ſcriptum eſt, Perducta.

AEmuli non moleſti. AEmulum dicit pro Riuali, qui eandem amat. vt in illo Terentii, Et iſtum æmulum, quod poteris, ab ea pellito. AEſchrionem autem, propter vxorem: & Docimum propter Tertiam ſignificat.

Improbiſſimi cognitores. Cognitores (vt alibi declarauimus) præſentium dicuntur, qui Procuratores abſentium. Contumelioſè autem Cognitores appellat, quaſi nõ ſuum ipſi ius perſequerentur, ſed mulierum: vtpote quibus id Verres libidinis cauſa conceſſerat. itaque paulo infrà, Coguntur, inquit, AEſchrioni, id eſt Pippæ dare tantum, &c. In Ora. pro Cæcina, Ebutium viduarum cognitorem contumeliæ loco appellat: quòd alendis earum litibus & controuerſiis ipſe aleretur.

CICERO. 340 » Quum omni ratione tamẽ illi calũniarentur: promittunt Herbitenſes vadimoniũ Syracuſas.

Eò posteaquam ventú est, coguntur AEschrioni, id est Pippæ, dare tantú, quãtum erat de capite dẽptú, tritici modios MMMDC. mulierculæ publicanæ noluit ex decumis nimiú lucri dare, ne forte ab nocturno suo quæstu animũ ad vectigalia rediméda transferret. Transactũ putabant Herbitenses, quũ iste, Quid de hordeo, inquit, & Docimo amiculo meo: quid cogitatis? At hoc agebat in cubiculo Iudices, atque in lectulo suo. Negabãt illi sibi quicquam esse mandatũ. Non audio: numerate H-S XV. Quid facerent miseri? aut quid recusarẽt? præsertim quũ in lectulo decumanæ mulieris vestigia viderẽt recentia, quibus illũ inflãmari ad perseuerandũ intelligebant. ita ciuitas vna sociorũ, atque amicorũ, duabus deterrimis mulierculis Verre Prætore vectigalis fuit. Atque ego nunc eũ frumenti numerũ, & eas publicè pecunias Decumanis ab Herbitensibus datas esse dico. quo illi frumento, & quibus pecuniis tamen à Decumanorum iniuriis ciues suos non redemerũt: perditis enim, & direptis aratorũ bonis, hæc Decumanis merces dabatur, vt aliquando ex eorũ agris, atque ex vrbibus abirent. Itaque quũ Philinus Herbitẽsis homo disertus, & prudens, & domi nobilis, de calamitate aratorũ, & de fuga, & de reliquorum paucitate publicè diceret: animaduertistis Iudices gemitum populi R. cuius frequentia huic causæ nunquam defuit. qua de paucitate aratorum alio loco dicam. Nunc illud, quod penè præterii, non omnino relinquendum videtur.

Tritici modios. Lege, Medimnũm, vt suprà: & scribe sic, Medimnum CIↃ CIↃ CIↃ IↃCI

H-S XV. Subaudi, Millia. id est, trecentos septuaginta quinque coronatos.

Nam per deos immortales, quod de capite ipsi dẽpsit, quo tandem modo ferendũ, verum etiam animaduertendũ videtur? Vnus adhuc fuit post Romã conditã (dii immortales faxint ne sit alter) cui resp. totã se tradidit, tẽporibus coacta, & malis domesticis, L. Sylla. Hic tantum potuit, vt nemo illo inuito nec bona, nec patriã, nec vitam retinere posset: tantũ animi habuit ad audaciam, vt dicere in cõcione non dubitaret, bona ciuiũ R. quum venderet, se prædã suam vendere. Eius omnes res gestas non solũ obtinemus, verum etiã propter malorum, incõmodorum, & calamitatũ metũ publica auctoritate defendimus: vnum hoc illius S. C. reprehensum, decretúmque est, vt quibus ille de capite dempsisset, ii pecunias in ærarium referrẽt. Statuit Senatus hoc, ne illi quidẽ esse licitum, cui concesserat omnia, à populo factarũ, quæsitarúmq; rerum summas imminuere. Illũ viris fortissimis iudicarunt Patres Conscripti dimittere de summa nõ potuisse. te mulieri deterrimæ rectè remisisse Senatores iudicabunt? Ille, de quo lege populus R. iusserat vt ipsius voluntas populo R. esset pro lege, tamẽ in hoc vno genere veterũ religione legũ reprehẽditur: tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinẽ tibi tuam pro lege esse voluisti. In illo reprehenditur, quòd ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat: tibi concedetur, qui de capite vectigalium populi R. remisisti? Atque in hoc genere audaciæ multo etiam impudentius in decumis Segestensium versatus est. quas quum addixisset eidem illi Docimo, hoc est tritici modium quinque millia, & accessionem ascripsisset H-S MD: coegit Segestenses à Docimo tantidem publicè accipere. id quod ex Segestensium publico testimonio cognoscite. Recita testimonium publicum.

De capite ipsi dempsit. Ipse, aut Ipso, legendum potius arbitrarer.

Vt dicere in concione non dubitaret. Bona proscriptorum pro Rostris à Sylla vẽdita ostẽdit in Orat. contra Rullum, his verbis, L. Sylla quum bona indemnatorum ciuium funesta illa auctione sua venderet, & se prædam suam diceret vendere, tamen ex hoc loco vendidit. locum autem, in quo eã habebat orationem, dicit: id est, Rostra. & in eandem sententiam sic scribit lib. 2. de Offi. Est enim ausus dicere, hasta posita, quũ bona in foro venderet, & bonorum virorum, & locupletum, & certè ciuium, prædam suam se vendere.

Nec vitam retinere posset. In hanc sentẽtiam Sallustius in coniuratione sic scribit, Nam vti quisque aut domũ, aut villã, postremò vas aut vestimentũ alicuius cõcupiuerat, dabat operam vt is in proscriptorũ numero esset. neque prius finis iugulandi fuit, quàm Sylla omnes suos diuitiis expleuit.

Publica auctoritate. Carbone occiso, totam se Syllæ arbitrio Respub. tradidit: comitiorum, creandorúmque Magistratuũ summã ei potestatẽ permisit. quinetiam lex à L. Flacco Interrege lata est, vt quæcunque Sylla, aut tanquam Consul, aut tanquã Proconsule gessisset, rata & fixa manerẽt. Eiusdẽmq; præterea statua aurea Equestris in palatio pro Rostris publicè posita est, in cuius basi grãdioribus literis incisum est, L. Syllæ Imperatori fausto. Plutarchus, Appianus, & Cicero in Rullũ.

Vnum hoc illius. Subaudi, Factum, vel Decretum, Senatusconsulto reprehensum est.

De capite dempsisset. Summas imminuisset pretii, quo decumas coemissent. Nos lingua nostra Dẽptionem capitis nominamus *Le rabais*.

A populo factarum. Quid si, Ab ipso factarum? vt paulò pòst, Quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat. nam etiam ad amplificationem hoc pertinet. vt quũ ipse Sylla eas res quæsierit, de capite tamen in iis deminuere nõ potuerit. Quin etiam hoc eo probabilius videtur, quia in libris manuscriptis sæpe hac nota vsos constat librarios IPO pro IPSO, hac verò PO. pro POPVLO, quod, ne longius abeamus, etiam proximum locum corruperat, quem quinto ab hinc versu scri-

ptum in aliis libris hoc modo reperies, POSSET pro lege. cum re vera legendum ita sit, po. esset, id est populo esset pro lege. Res autem factas dicit, pro Quæsitas, & paratas. vt alibi frequenter Pecuniam facere. vt suprà pag. 229.

Veterum religione legum. Auctoritate legum, quæ quicquam remitti vetat. Dicit autem Religionẽ, quòd magistratus omnes, quinque diebus quibus creati erant, in leges iurare cogebantur.

Illum uiris fortissimis. Contentio: in qua trium ex rerum comparatione crimen augetur: persona decumanorum, remittentis potestate, & qualitate vectigalium.

In decumis Segestensium. Suprà pag. 309, inter liberas & immunes ciuitates Segestanã nominauit. Ex quo de mendo sum suspicatus. quod tamen quomodo sit corrigendum, non video. nisi forte Egestensium legamus: quos Plinius libro tertio capite de Sicilia, inter stipendiarios nominat.

Hoc est, tritici modium quinque millia. Quinque millibus, legendum esse dubium nemini est. sed quod dixit HOC EST, deesse aliquid ostendit.

H-S M D. Coronatos trecẽtos septuaginta duos. Nam hæc nota sestertios nũmos significat mille quingentos.

CICERO. Audistis quanti decumas acceperit à Docimo ciuitas, tritici modium quinque' millia, & acces-

342 sionem. Cognoscite nũc quanti se vẽdidisse retulerit. LEX DECVMIS VENDVNDIS C. VERRE P R. Hoc nomine vidistis tritici modium, M M M de capite esse dempta. Quæ quũ de populi R. victu, de vectigalium neruis, de sanguine detraxisset ærarii: Tertiæ minæ cõdonauit. Vtrũ impudentius à sociis abstulit, an turpius meretrici dedit: an improbius populo R. ademit: an audacius tabulas publicas cõmutauit: Ex horum seueritate te vlla vis, aut vlla largitio eripiet? sed si eripuerit, nõ' intelligit hæc, quæ iandudum loquor, ad aliam quæstionẽ, atque ad peculatus iudiciũ pertinere. Itaque hoc mihi reseruabo genus integrum totum: ad illã, quam institui, causam frumenti, ac decumarum reuertar. Qui quũ agros maximos, ac feracissimos per seipsum, hoc est per Aproniũ Verrem alterũ, depopularetur, ad minores ciuitates habebat alios, quos tanquã canes, immitteret, nequam homines, & improbos, quibus aut frumentum, aut pecuniã publicè cogebat dari. A.' Valentinus est in Sicilia interpres, quo iste interprete non ad linguam Græcam, sed ad furta, & flagitia vti solebat. Fit interpres hic homo leuis, atque egens, repẽte Decumanus: emit agri Liparensis miseri, atque ieiuni decumas tritici medimnis D C. Liparẽses vocãtur: ipsi accipere decumas, & numerare Valẽtio cõguntur lucri H-S' X X X millia. Per deos immortales, vtrũ tibi sumes ad defensionẽ?

'millibus & accessione,

'intelligis

'L. Valentius

Tantidem publicè accipere. Apertus locus, & qui dilucidè id quod antè de lucro diximus, ac perspicuè confirmat.

Quinque millia & accessionem. Corrige, Quinque millibus, & accessione.

M M M de capite esse dempta. Duobus igitur millibus vendidisse se decumas, in tabulas retulerat. atque hoc est quod statim dicet, An audacius tabulas publicas commutauit.

Non intelligit. Non intelligis, postulat sententia: vt interrogatione periodus claudatur.

A. Valentinus. Vetus liber, Aldinus, & quidam alii, Valentius: & sic postea legitur.

Quo iste interprete. Dialogia ludit in voce Interpres. Is enim dicitur Interpres, cuius opera ad alterius linguam intelligendam vtimur. Sed interpretem dicit, cuius opera ac ministerio in furtis & flagitiis vsus est.

Medimnis D C. Nihil muto. Nam quum agrum miserum & ieiunum appellet, D C medimnum millibus eius decumas venisse, non est verisimile.

H-S X X X. Septingentos & quinquaginta aureos.

Verum tibi ad defensionem. Vtraque defensio inanis est. itaque teneri Verrem, neque elabi posse ostendit. Erat enim relatum in tabulas dedisse Liparenses H-S X X X: id est medimnum duo millia. quæ summa pro agri tenuitate maior est, & iniquior quàm ferre possit. Quærit igitur an sua volũtate ciuitas tantum dedit: quod non est verisimile. an ab inuitis potius expresserit, in quo eum lex tenet. Vtrum igitur horum dixerit, in eo culpa & crimen hærebit.

CICERO. Tantóne minoris tibi decumas' vendidisse, vt ad medimna D C, H-S X X X millia lucri statim sua

343 voluntate ciuitas adderet, hoc est tritici' medimna I I millia: an, quũ magno decumas' vendidisset, te expressisse ab inuitis Liparensibus hãc pecuniam? Sed quid ego ex te quæro quid defensurus sis, potius quàm cognoscã ex ipsa ciuitate quid gestum sit? Recita testimoniũ publicum Liparẽsium: deinde quemadmodum Valẽtio nummi sint dati. TESTIMONIVM PVBLICVM QVOMODO SOLVTVM SIT' LITERIS PVBLICIS. Etiámne hæc tam parua ciuitas, tam procul à manibus tuis, atque à conspectu remota, seiuncta à Sicilia, in insula inculta tenuíque posita; cumulata aliis tuis maioribus iniuriis, in hoc quoque frumentario genere prædæ tibi, & quæstui fuit? quam tu totam insulam cuidam tuorum sodalium, sicut aliquod munusculum, condonaras; ab hac etiam hæc frumentaria lucra tanquam à mediterraneis exigebantur? Itaque qui tot annis agellos suos ante te Prætorem redimere à piratis solebant, iidem se ipsos à te pretio imposito redemerunt. Quid ergo? à Tissensibus, perparua, & tenui ciuitate, & aratoribus laboriosissimis,

'uenisse,
'medimnum
'uendidisses, l.
'ex literis l.

» frugalissimisque hominibus, nónne plus lucri nomine eripitur, quàm quãtum frumenti omnino
» exararãt? ad quos tu Decumanũ *Diognetum Venerium misisti, nouum genus publicani. Cur hoc
» auctore non Romæ serui publici ad vectigalia accedant? Anno secundo Tissenses H-S X X I lucri
» dare cogũtur inuiti: tertio *anno H-S M M modiũ tritici lucri *Diogneto Venerio dare coacti sũt. Hic
» *Diognet*, qui ex publicis vectigalibus tãta lucra facit, vicariũ nullũ habet, nihil omnino peculii.

*Diognetum *anno CIↃ CIↃ CIↃ medimnum *Diogneto *Diognetus, CIↃ DDCO

Tibi decumas vendidisse. Aut Te decumas vendidisse, legendum est: aut Venisse, pro Vendidisse: quod mihi verisimilius videtur.

Vt ad medimna D C. Nõ quò & hæc tritici, & illa pecuniæ numeratæ summa daretur, huiúsque illa esset accessio. dictũ est enim iam antea, & apertè commonstratum, lucri nomine & caput, & lucrũ præterea contineri. quod etiam ex eo intelligi licet, quòd modò X X X sestertium millibus medimnum duo millia æstimat, id est singula medimna sestertiis nũmis quindecim: quæ & vulgata etiã hoc tempore æstimatio est, & cum aliis huius Orationis locis conueniens. Ad medimna igitur D C ita accipio, quasi diceret, pro medimnis D C. præsertim quum verisimile non sit, ad D C medimna, duo millia insuper addita fuisse.

Medimna I I *millia.* Medimnum, secundo casu, corrigendum: vt statim Vendidisses, pro Vendidisset, vt in multis impressis.

Solutum sit literis. Omnes alii, Ex literis.

Seiuncta à Sicilia. Lipara insula est cum oppido, dicta à Liparo rege Siciliæ: citra Siciliam est, abéstque ab Italia X I I pass. millibus Plinius.

Cuidam istorum sodalium. Sodalium, per contemptum. nam comites Magistratuũ, ministri imperii sunt. Sodalium igitur, id est sociorum prædæ & furtorum.

A Tissensibus. Plinius Tissinensium mentionem facit, non Tissensium. libro I I I, cap. V I I I.

Diognetum. Diognotum, opinor, antiqua & vera lectio est: nam illa nihil significat.

Cur hoc auctore. Si istius exemplum & auctoritatem sequi volumus.

Serui publici ad vectigalia accedant. Apparitores, Lictores, Accẽsi, aliique Magistratuũ Statores, quales in Sicilia sunt Venerii. Vlpianus in Titulis, Seruus publicus, Prætorísve, parte dimidia testamẽti faciendi habet ius.

H-S X X I. Subaudi, Millia: id est, Quingentos viginti quinque coronatos.

H-S M M *modium.* Corrige, M M medimnum. nam H-S nota nihil significat sine numero. Numerum autem duorũ millium ad frumenti summã pertinere manifestum est. Modiorũ verò minor omnino sũma est, quàm vt de ea tantũ quereretur. & in medimnis, nõ in modiis æstimatio fiebat.

Vicarium nullum habet. Vicarius & Ordinarius relata sunt. Vterque seruus: sed ille in huius, quasi domini peculio seruus. Peculium autem est, quicquid permissu domini seruus in bonis habet. Martialis, Esse sat est seruum, Iam nolo vicarius esse.

» Vos etiam nũc dubitate, si potestis, vtrum tãtum numerum tritici Venerius apparitor istius si- CICERO
» bi acceperit, an huic exegerit. atque hæc ex publico Tissensium testimonio cognoscite. TESTI- 344
» MONIVM PVBLICVM TISSENSIVM. Obscurè Iudices Prætor ipse Decuman* est, quũ eius
» apparitores frumentũ à ciuitatibus exigant, pecunias imperent, aliquanto plus ipsi auferant, quã
» quantum populo R. decumarum nomine daturi sunt? Hæc æquitas in tuo imperio fuit, hæc Præ-
» toris dignitas, vt seruos Venerios Siculorũ dominos esse velles. hic delectus, hoc discrimẽ te Præ-
» tore fuit, vt aratores in seruorũ numero essent, serui in publicanorũ. Quid Amestratini miseri, im-
» positis ita magnis decumis, vt ipsis reliqui nihil fieret: nónne tamẽ numerare pecunias coacti sũt?
» addicuntur decumæ M. Cæsio, quũ adessent Legati Amestratini. statim cogitur Heraclius Legatus
» numerare H-S X X I I. Quid hoc est? quæ est ista præda? quæ vis, quæ direptio sociorum? Si erat He-
» raclio ab Senatu mandatum vt emeret: emisset. si non erat: qui poterat sua sponte pecuniam nume
» rare? Cæsio renũtiat se dedisse. cognoscite renuntiationẽ ex literis. Recita ex literis publicis. Quo
» S. C. erat hoc Legato permissum? nullo. Cur fecit? coactus est. Quis hoc dicit? tota ciuitas. Recita
» testimonium publicum. Ab hac eadem ciuitate anno secundo simili ratione extortam esse pe-
» cuniam, & Sex. Vennonio datam, ex eodem testimonio cognouistis. At Amestratinos homines te-
» nues, quũ eorum decumas *med. D C C C vendidisses: Banobali Venerio (cognoscite nomina publi- *medimnis
» canorum) cogis eos plus lucri addere, quàm quanti venierat quum magno venissent.

H-S X X I I. Quingentos quinquaginta coronatos. CIↃ DD XV.

Med. D C C C. Scribe plenè Medimnis: nequis imperitus medimnum millia significari putet: quæ summa hominibus quidem tenuibus nimium immensa est.

Cognoscite nomina publicanorum. Ironia. Latina enim esse debebant: Banobalis verò Græcum. Publicani enim ciues R. at qui ciuitate donabantur, ii in aliquam Romanã familiam transibant. hoc est quod dixit, Serui in publicanorũ numero essent. Nũc hoc addidit, vt doceat Græcos homines, seruos publicos, nõ ciues R. decumas emisse. quod solis publicanis, id est ciuibus R. legib* licebat.

Plus lucri addere, quàm quanti uenierant. Hoc falsum est, si lucrum à capite separemus. nam H-S CIↃ IↃ, quæ lucri solius nomine data sunt, pretium efficiunt non amplius centum medimnorum, ducta æstimatione qua suprà vsus est. Verum igitur apparet quod antè diximus, in lucro summam quoque principalem numerari: vt non pluris esse lucri solius summam hoc loco affirmet, quàm capitis: sed in eo iniuria sit, quòd quum ingens atque iniqua esset summa capitis, nimicque decumæ venissent, eam etiam auxerit in lucro imperando.

CICERO. 345

*medimnus *populo Ro. tribui L. *H-S XXXVII & D dare *modium *medimnū CIↃ CIↃ CIↃ, hoc est, H-S XLV, lucri Decumano darētur? *pecuniam ereptam.

» Dant Banobali *med. DCCC, H-S, M D. Profecto nunquam iste tam amés fuisset, vt ex agro populi R. plus frumenti seruo Venerio, quàm *Prætori tribui pateretur, nisi omnis ea præda serui nomine ad istum ipsum perueniret. Petrini, quū eorum decumæ magno addictæ essent, tamen inuitissimi P. Neuio Turpioni improbissimo homini, qui iniuriarum Sacerdote Prætore damnatus est, *H-S VII dare coacti sunt. Itáne dissolute decumas vēdidisti, vt quum *medimnum XV millibus venissent, *hoc est H-S XXXXV, vt lucri Decumano H-S MMM darentur? At permagno decumas eius agri vendidi. videlicet gloriatur non Turpioni lucrum datum, sed Petrinis *pecuniæ ereptæ. Quid Halicyenses, quorū incolæ decumas dant, ipsi agros immunes habent: nónne huic eidē Turpioni, quū decumæ * C med. venissent, H-S XV dare coacti sunt? Si id, quod maximè vis, posses probare, hæc ad Decumanos lucra venisse, nihil te attigisse: tamen hæ pecuniæ per vim atque iniuriam tuam captæ & conciliatæ, tibi fraudi & damnationi esse deberent. Quum verò hoc nemini persuadere possis, te tam amētem fuisse vt Apronium, ac Turpionem seruos homines, tuo, liberorúmque tuorum periculo diuites fieri velles: dubitaturum quenquam existimas, quin illis emissariis hæc tibi omnis pecunia quæsita sit? Segestā item ad immunem ciuitatē Venerius Symmachus Decumanus immittitur. is ab isto literas affert, vt sibi contra iura omnia, contráque legem Rupiliam, extra forum vadimonium promittant aratores. Audite literas quas ad Segestanos miserit. LITERAE C. VERRIS.

Med. DCCC. Scribe plene Medimnis: vt suprà.

Quàm Prætori. Vetus, Populo R. rectè, & sic emenda. Error natus est ex notæ ignorantia. quum librarii grandioribus literis scripsissent P. R. significantes, Populo Romano: alius Prætori interpretatus est. Errore contrario peccatum est in libro Cæsaris de bello ciuili 1, Dent operam Consules, populus R. Tribuni pl. nequid detrimenti, &c Nam pro Populus R. scribendum est Prætores: vt cuiuis licet vel ex ipso loco, vel ex Orat. Ciceronis pro Deiotaro facilè intelligere.

H-S VII *dare coacti sunt.* Totus hic locus ita corrupte legitur in hoc libro, & aliis quos vidi, omnibus, vt diutissime spē eius restituendi omnem abiecerim. Aliquando tamen Dei benignitate, qui mihi semper omnibus in rebus præsto est, mihi visus sum ita illum cōmodè sanare posse, si quod modò dixi meminerimus, æstimari scilicet medimna singula quindecim nummis: & singula medimnum millia, H-S quindecim millibus. Quod apertissimè conuenit cum duabus summis inferioribus, H-S XLV: & Med. MMM. vbi tamen corruptè H-S legitur pro Med. nam supradicta æstimatione medimnum tria millia cum H-S XLV millibus quadrant. Vbi verò legitur Medimnum XV millibus, si pro Medimnum, Modium reponamus: efficient Medimnum MMD: hoc est (eadem scilicet æstimatione) H-S XXXVII millia & præterea quingentos. Quum igitur MMD medimnum millia H-S efficiant XXXVII millia & quingentos, atque hæc capitis, sine lucro, summa fuerit: satis constat, in lucro solo medimna fuisse duntaxat quingenta, id est H-S VII millia & D. quū quidem in vniuerso medimnum ponat tria millia, numûm verò XLV. vt appareat non ita deprauatum fuisse locum, quin veræ tamen & germanæ lectionis quædam quasi vestigia supersint. Vbi enim H-S VII legitur, scribendum ostendimus XXXVII millia, & D. vbi verò Medimnum XV, Modium. In quo perfacilè fuit errare, præsertim quum Mod. & Med. vt dixi, notis scriberentur. Quod autem scriptum est H-S MMM, si ante hæc verba HOC EST H-S, ita ponatur Medimnum MMM, hoc est H-S XLV: locum integrum ac sanatum sic habebimus. Petrini cum eorum decumæ magno addictæ essent, tamen inuitissimi H-S XXXVII millia, & D dare coacti sunt. Itáne dissolute decumas vendidisti, vt quum modium XV millibus venissent, medimnum MMM, hoc est H-S XLV lucri Decumano darentur? Nam VT postremum tollendum est.

Permagno decumas eius agri uendidi. Modium XV millibus. id est Medimnum MMD.

Non Turpioni lucrum datum. Nam medimnum habuit duntaxat D, hoc est H-S VII millia, & D.

Sed Petrinis pecuniæ ereptæ. In manuscripto & impressis quibusdàm, Pecuniam ereptam. & sic emenda. Ridet autem Verris amentiā, quòd non minus iniquū sit contra legē à Petrinis auferre, quàm eodē modò Turpioni tradere. Itaque vtrū dicat, teneri tamē, & nihil defensionis habere.

Quum Decumæ C med. uenissent, H-S XV dare coacti sunt. Deprauatus locus, qui quomodo restitui possit, coniectura assequi nō queo. Etenim siue de medimnis tantùm intelligamus, & sestertiis nummis, leuior summa est, quàm vt eius mentionem facere voluerit. siue de medimnū & H-S millibus, multo maior, quàm vt soli Halicyensium incolæ tantas decumas penderent.

Liberorúmque tuorum. Publicatis enim tuis bonis, inopia & egestate laborabunt.

Illa emissaria. Emissarii dicuntur furtorum conciliatores, qui in singulas ciuitates ad prædam & rapinam immittuntur.

» Hic Venerius quẽadmodum aratores eluserit, ex vna pactione hominis honesti, gratiosique co CICERO.
» gnoscite: in eodẽ enim genere sunt cætera. Diocles est Panormitanus, Phimes cognomine, homo 346
» illustris, ac nobilis arator. Is agrum in Segestano (nam cõmercium in eo agro Panormitanis est)
» conductum habebat H-S sex millibus. pro decuma quũ pulsatus à Venerio esset, dedit H-S sexde-
» cim millia, & DCLIIII. id ex tabulis ipsius cognoscite. NOMEN DIOCLIS PANORMITA-
» NI. Huic eidem Symmacho Anneius Brochus senator, homo eo splendore, ea virtute qua omnes
» existimatis, nummos præter frumentum coactus est dare. Veneriõne seruo te Prætore talis vir,
» Senator populi R. quæstui fuit? hunc ordinem, si dignitate antecellere nõ existimabas, ne hoc qui-
» dem sciebas, iudicare? Antea, quũ Equester ordo iudicaret, improbi & rapaces Magistratus in pro-
» uinciis inseruiebant publicanis, ornabant eos quicunque in operis erant: quemcunque Equitem
» R. in prouincia viderant, beneficiis, ac liberalitate prosequebantur: neque tantum illa res nocenti-
» bus proderat, quantum obfuit multis, quũ aliquid contra vtilitatem eius ordinis, voluntatémque
» fecissent. Retinebatur hoc tum nescio quomodo quasi communi consilio ab illis diligenter, vt qui
» vnum Equitem R. cõtumelia dignũ putasset, ab vniuerso ordine malo dignus iudicaretur. Tu sic
» ordinem Senatorium despexisti, sic ad iniurias libidinésque tuas omnia coæquasti, sic habuisti sta-
» tutum cum animo, ac deliberatum, omnes qui habitarent in Sicilia, aut qui Siciliam te Prætore
» attigissent, Iudices reiicere, vt illud non cogitares tamen ad eiusdem ordinis homines te Iudices
» esse venturum?

Commercium in eo agro. Id est, in eo agro res contrahere & quærere possunt. Commercium enim est rei contrahendæ & quærendæ facultas.

H-S sex millibus. Centum quinquaginta coronatis.

H-S sexdecim millia & DCLIV. Coronatos paulominus quingentos sexaginta tres.

Quum Equester ordo iudicaret. Ante Syllæ legem: ante decennium.

In operis erant. Qui societati operam dabãt aut in portoriis, aut in scriptura, aut in decumis exigendis, pag. 295.

Iudices reijcere. Imperfecta sententia. Quod enim sequitur, pendet à tribus illis particulis SIC. nota igitur interrogans nulla nisi post verbum VENTVRVM: membrum autem post REIICERE ponatur: articulus, post TAMEN.

» In quibus, si ex ipsorum domestico incommodo nullus dolor insideret, tamen esset illa cogita- CICERO.
» tio, in alterius iniuria sese despectos, dignitatémque ordinis contemptam, & abiectam. Quod me- 347
» hercule Iudices mihi non mediocriter ferendum videtur. habet enim quendam aculeum contu-
» melia, quem pati °prudentes, ac viri boni difficillimè possunt. Spoliasti Siculos: solent enim insul- °pudentes L.
» ti esse in iniuriis suis prouinciales. Vexasti negotiatores: inuiti enim Romam raróque decedunt.
» Equitem R. ad Apronii iniurias dedisti: quid enim iam nocere possunt, quibus non licet iudicare?
» quid, quũ Senatores summis iniuriis afficis, quid aliud dicis, nisi hoc, Cedo mihi etiam isthũ Senatorẽ?
» vt hoc amplissimum nomen °Senatorũ non modo ad inuidiã imperitorum, sed etiã ad contume- °senatorium
» liam improborum natum esse videatur. neque hoc in vno fecit Anneio, sed in omnibus Senatori-
» bus: vt ordinis nomen non tantum ad honorem, quantum ad ignominiam valeret. In C. Cassio,
» viro clarissimo, & fortissimo, quũ is eo ipso tempore, primo istius anno COS. esset, tanta improbi-
» tate vsus est, vt quũ eius vxor fœmina primaria paternas haberet arationes in Leontino, frumen
» tum omne in decumas auferre iusserit. Hunc tu in hac causa testem Verres habebis, quoniam,
» Iudicem ne haberes, prouidisti. Vos autem Iudices putare debetis, esse quiddam nobis inter nos
» commune atque coniunctum. Multa sunt imposita huic ordini munera, multi labores, multa pe-
» ricula, non solum legum, ac iudiciorum, sed etiam rumorum, ac temporum. Sic est hic ordo quasi
» propositus, atque editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circunflari posse videatur.

Prudentes, ac viri boni. Vetus codex, Pudentes: & sic puto corrigendum.

Equitem R. Equites in numero multitudinis, & oratio & sententia postulat: nisi fortè enallage numeri posita intelligatur.

Nomen Senatorum. Senatorium, rectius putarem.

Consul esset. Cum M. Licinio Lucullo.

Ne haberes, prouidisti. Iudicem enim reiecisti.

Multa sunt imposita. Vide quæ dixi pag. 164.

Temporum. Quorũ ex inclinatione modò aliis atque aliis gratificandũ, atque inseruiendũ est.

» °In hac misera, & indigna conditione vitæ ne hoc quidẽ retinebimus Iudices, vt Magistratibus CICERO.
» nostris, in obtinẽdo iure nostro, ne cõtẽptissimi, ac despectissimi esse videamur? Thermitani mise 348
» rũt qui decumas emerent agri sui. Magni sua putabãt interesse, publicè potius quãuis magno emi, °Hac tã misera

quàm in aliquem iſtius emiſſarium incidere. Appoſitus erat Venuleius quidam qui emeret. Is liceri non deſtitit. illi, quoad videbatur ferri aliquo modo poſſe, contenderunt: poſtremo liceri deſtiterunt. Addicitur Venuleio tritici mod. V I I ᵃc. Legatus Poſſidorus renuntiat. Quũ omnibus hoc

'millibus. Legatur ᵇM.

intolerandũ videretur, tamen Venuleio dantur, ne accedat, tritici mod. V I. præterea H-S M Mᵇ millia. ex quo facilè apparet, quæ merces Decumani, quæ Prætoris præda eſſe videatur. Cedo Thermitanorum mihi literas, & teſtimonium. TABVLAE THERMITANORVM, ET TESTIMONIVM. Imacharenſes iam omni frumento ablato, iam omnibus iniuriis tuis exinanitos, tributũ ferre miſeros, ac perditos coegiſti, vt Apronio darent H-S X X millia. Recita decretum de tributis, & publicum teſtimonium. S. C. DE TRIBVTO CONFERENDO. TESTIMONIVM IMACHARENSIVM. Ennenſes, quum decumæ veniſſent agri Ennenſis medimnũ M M M C C, Apronio coacti ſunt dare tritici mod. ᶜL X X M M M, & H-S I I I millia. Quæſo attendite quantus numerus frumenti cogatur ex omni agro decumano. 100.

'L X X I I I millia. &

Omnibus ventis inuidiæ. Nulla res ſit, ex qua inuidia naſcatur, quæ inuidiã huic ordini nõ cõciliet.

In hac miſera. Omnes alii, In hac tam miſera. quod ſine cauſa reiiciendum non putamus.

Mod. V I I C. Mod. V I I M, id eſt, Millibus, legendum potius putarem. Verbum tamen Millibus integre ſcribendum.

H-S M M millia. Aut Tria millia legendum: aut verbum Millia inducendum. Efficit autem illa ſumma coronatos L X X V: hæc, quinquaginta.

Merces Decumani. Pecuniæ videlicet numeratæ.

Prætoris præda. Modiũ videlicet ſex milliũ: id eſt, H-S X V milliũ: coronatorũ verò C C C L X X V.

H-S X X millia. Quingentos coronatos.

L X X M M M. Imperitè ſcriptũ pro Tribus & ſeptuaginta millibus. Corrigè ſic I Ɔ Ɔ Ɔ C C I Ɔ Ɔ C C I Ɔ Ɔ C I Ɔ C I Ɔ C I Ɔ. vel ſic, L X X I I I millia: & H-S I I I millia.

H-S I I I millia. Coronatos ſeptuaginta quinque.

CICERO. 349

Nam per omnes ciuitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea: & in hoc genere nunc Iudices, verſor, in quo nõ ᵃſigillatim aratores euerſi bonis omnibus ſũt, ſed quæ publicè Decumanis lucra data ſunt, vt aliquando ex eorũ agris, atque vrbibus expleti, atque ſaturati cum hoc cumulo quæſtus decederent. Calatinis quamobrem imperaſti anno tertio, vt decumas agri ſui, quas Calatæ dare conſueuerant, Ameſtrati M. Cæſio Decumano darent, quod neque ante te Prætorem illi fecerunt, neque tu ipſe hoc ita ſtatueras antea per biennium? Theomnaſtus Syracuſanus in agrũ ᵇMuticenſem cur abs te immiſſus eſt? qui aratores ita vexauit, vt illi in alteras decumas (id quod in aliis quoque ciuitatibus oſtendam) triticum emere neceſſariò propter inopiam cogerentur. Iam verò ex Hyblenſium pactionibus intelligetis, quæ pactæ ſint cum Decumano Cn. Sergio, ſexies tantum, quàm quantum ſatum ſit, ablatum eſſe ab aratoribus. Recita ſationes & pactiones ex literis publicis. Recita ex literis publicis. ᶜCognoſcite pactiones Menenorum cum Venerio ſeruo. Recita ex literis publicis. Cognoſcite item profeſſiones ſationum, & pactiones Menenorum. Recita ex literis publicis. Patiemini Iudices, à ſociis, ab aratoribus populi R. ab iis qui vobis laborant, vobis ſeruiunt, qui ita plebem Romanam ab ſeſe ali volunt, vt ſibi, ac liberis ſuis tantum ſuperſit, quo ipſi ali poſſint: ab his per ſummam iniuriam, per ſummas contumelias plus aliquanto ablatum eſſe, quàm natum ſit? Sentio Iudices, moderandum mihi eſſe iam orationi meæ, fugiendámque veſtram ſatietatem: non verſabor in vno genere diutius, & ita cætera de oratione mea tollam, vt in cauſa relinquam. 101. 102. 103.

ᵃSingulatim l.

ᵇMutyenſem

ᶜPactiones Hyblẽſium cũ Cn. Sergio. Cognoſcite item prof. ſat. & pac. Menenorum cum Venerio ſeruo. Recita ex literis pub. Patiemini.

HOTOM.

Sigillatim aratores. Rectius puto, quod nonnulli ſcribunt, Singulatim. vt continuò poſt, Sed in quo publicè, &c.

In agrum Muticenſem. Mutyenſem putarem corrigendum. Mutyenſes enim, non Muticenſes, & Plinius & Strabo vocant.

Cognoſcite pactiones Menenorum. Perturbatus planè locus. Vetus codex hoc modo, & rectius, Ex literis publicis pactiones Hyblenſium cum Cn. Sergio. Cognoſcite item profeſſiones ſationum, & pactiones Menenorum. Recita ex literis publicis. Pactiones Menenorum cum Venerio ſeruo.

CICERO. 350

Audietis Agrigentinorũ fortiſſimorũ virorũ, diligentiſſimorúmque querimonias: cognoſcetis Iudices, Entellinorum ſummi laboris, ſummæque induſtriæ, dolorẽ & iniurias: Heracliẽſium, Icilienſium, AEmẽſium, Solentinorum incommoda proferentur: Catinenſium locupletiſſimorũ hominum, amiciſſimorúmque agros vexatos ab Apronio cognoſcetis. Tyndaritanam nobiliſſimam ciuitatem, Cephaleditanam, Halentinam, Apollonienſem, Eggynam, Capitinam perditas eſſe hac iniquitate Decumanorum intelligetis: Murgentinis, Aſſorinis, Elorinis, Ennenſibus, Letinis nihil omnino relictum: ᵃCiratarinos, Acherinos, paruarum ciuitatum homines omnino abiectos eſſe, ac perditos: omnes denique agros decumanos per triennium populo R. ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigales fuiſſe: & pleriſque aratoribus nihil omnino ſuper-

ᵃCitarinos

lib. Gryps.

fuisse: ~~quibus~~ quod tum aut remissum, aut relictum sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius 104. auaritia contenta fuit, redundarit. Duarum mihi ciuitatum reliquos feci agros Iudices, ferè optimos, ac nobilissimos, AEtnensium, & Leontinorum. horum agrorum ego missos faciam quæstus triennii: vnum annum eligam, quo facilius id quod institui, explicare possim. Sumam annum tertium, quòd & recẽtissimus est, & ab isto ita administratus, vt quũ se certè decessurum videret, non laboraret, si aratorem nullũ in Sicilia omnino esset relicturus. Agri AEtnensis & Leontini decumas agemus. Attendite Iudices diligenter. Agri sunt feraces, annus tertius, Decumanus Apronius. 105. De AEtnensibus perpauca dicam: dixerunt enim ipsi priore actione publicè.

Citarinos. Veteres libri, Citarinos. quæ scriptura ex Plinio & aliis confirmatur.

Ex omni reliquo vectigales fuisse. Quod supererat ex decumis, id totum C. Verri soluisse.

Memoria tenetis, Artemidorum AEtnensem, Legationis eius principem, publicè dicere, Apronium venisse AEtnam cum Veneriis, vocasse ad se Magistratum: imperasse vt in foro sibi medio lecti sternerentur: quotidie solitum esse non modò in publico, sed etiã de publico conuiuari: quum in eis conuiuiis symphonia caneret, maximísque poculis ministraretur, retinere solitum esse aratores, atque ab iis non modò per iniuriam, sed etiam per contumeliam tantum exprimi frumenti, 106. quantum Apronius imperasset. Audistis hæc Iudices: quæ nunc ego omnia prætereo, ac relinquo. Nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de insolẽtia, nihil de singulari nequitia, ac turpitudine: tantum de quæstu, ac lucro dicam vnius agri, & vnius anni: quo facilius vos coniecturam de triennio, & de tota Sicilia facere possitis. Sed mihi AEtnensiũ breuis est oratio: ipsi enim venerunt: ipsi publicas literas deportarunt: docuerunt vos quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris Prætoris, Apronius. Id quæso ex ipsorũ testimonio cognoscite. Recita testimoniũ AEtnensiũ. Quid ais: dic, dic quæso clarius, vt populus R. de suis vectigalibus, de suis aratoribus, de suis sociis, atque amicis audiat. L. ᵃMEDIMNA. Per deos immortales, vnus ager vno anno CCC millia mod. tritici, & præterea ᵇL. millia lucri dat Apronio: tantóne minoris decumæ venierunt, quàm fuerunt: an, quũ satis magno venissent, hic tantus tamen frumenti, pecuniæque numerus ab aratoribus per 107. vim ablatus est: vtrum enim horum dixeris, in eo culpa & crimen hærebit. nam illud quidem non dices (quod vtinam dicas) ad Apronium non peruenisse tantum. ita te non modò publicis tenebo, sed etiam priuatis aratorum pactionibus, ac literis: vt intelligas non te diligentiorem in faciendis furtis fuisse, quàm me in deprehendendis. CICERO. 351

ᵃ Medimnũ, H-S

ᵇ per deos H-S L millia

L. Medimna. Quinquaginta medimnum millia, cum trecentis modium millibus aptissimè conueniunt. Medimnum igitur legendũ. Addẽdum autem etiam videtur de pecunia numerata, de qua postea commemorat, H-S L. id est, coronatos CIↃCCL. vt sic legamus, L. medimnum, L H-S.

Et præterea L. millia. Lego H-S L millia. quod infrà de pecunia numerata se dixisse affirmat.

Hoc tu feres: hoc quisquam defendet: hoc hi, si aliter de te statuere voluerint, sustinebũt, vno aduentu, ex vno agro Q. Apronium, præter eam quam dixi, pecuniã numeratam, CCC millia mod. 108. tritici lucri nomine sustulisse? Quid: hoc AEtnenses soli dicunt? Imò etiam Centuripini, qui agri AEtnẽsis multo maximam partem possident. quorum Legatis, hominibus nobilissimis, Androni & Arthemoni Senatus ea mandata dedit, quæ publicè ad ciuitatem ipsorum pertinebant. de iis iniuriis, quas ciues Centuripini non in suis, sed in aliorũ finibus acceperunt, Senatus & populus Centuripinus Legatos noluit mittere: ipsi aratores Centuripini, qui numerus est in Sicilia ᶜmaximus, honestissimorum, & locupletissimorum, tres Legatos ciues suos delegerunt, vt eorum testimonio non vnius agri, sed propè totius Siciliæ calamitates cognosceretis. arãt enim tota Sicilia ferè Centuripini: & hoc in te grauiores, certioresque testes sunt, quòd cæteræ ciuitates suis solùm incommodis commouentur: Centuripini, quòd in ᵈomnibus ferè finibus habent possessiones, etiam cæ- 109. terarum ciuitatum damna, ac detrimenta senserunt. Verum, vt dixi, ratio certa est AEtnensium, & publicis, & priuatis literis consignata mea diligentia. pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quòd ipsi Leontini publicè non sanè me multum adiuuerunt: neque enim eos isto Prætore hæ Decumanorum iniuriæ læserunt, potius etiam adiuuerunt. CICERO. 352

ᶜ L. maximus hominum honest.

ᵈ omnium

Maximus, honestissimorum. Hoc amplius omnes libri veteres, Maximus hominũ honestissimorum. quod non improbo.

In omnibus finibus. Omnium finibus, sententia postulat: quum dicat eos arare tota Sicilia.

Pensum magis exigendum. Spectandum est quantam diligentiam in eo adhibuerim: quàm accuratè meum officium fecerim. Translatio ab operis diurnis muliercularũ deducta, quibus pensa lanea, aut linea nenda traduntur. Similis figura libro de Orat. III, Nunc ad reliqua progrediar: méque ad meum munus pensúmque reuocabo.

Mirum fortasse hoc vobis, aut incredibile videatur, in tantis aratorum incõmodis, Leontinos, qui principes rei frumẽtariæ fuerunt, expertes incõmodorum, atque iniuriarum fuisse. hoc causæ est Iudices, quòd in agro Leontino, præter vnam Mnasistrati familiam, glebam Leontinorũ pos- CICERO. 353

fidet nemo. Itaque Mnasistrati hominis honestissimi, atq; optimi viri testimoniū Iudices audietis. cæteros Leontinos quibus non modo Apronius in agris, sed ne tempestas quidem vlla nocere potuit, expectare nolite: etenim non modo incommodi nihil ceperunt, sed etiam in Apronianis illis rapinis, in quæstu sunt, compendióque versati. Quapropter, quoniam me Leontina ciuitas, atque Legatio propter eam, quam dixi, causam defecit: mihimet ineunda ratio, & via reperienda est, qua ad Apronii quæstum, siue adeò qua ad istius ingentem immanémque prædam possim peruenire. Agri Leontini decumæ anno tertio venierunt tritici 'medimnis x x x v i, hoc est tritici mod. c c x v i. magno Iudices, magno: neque enim hoc possum negare. itaque necesse est aut damnum, aut certè non magnum lucrum fecisse Decumanū: hoc enim solet vsu venire iis, qui magno redemerunt. Quid si ostēdo in hac vna emptione lucri fieri tritici 'modios c: quid si c c: quid si c c c c? dubitatis etiā cui ista tanta præda quæsita sit? Iniquum me esse quispiam dicet, qui ex lucri magnitudine coniecturā faciā furti, atque prædæ. Quid si doceo Iudices, eos qui c c c c millia mod. lucri faciunt, damnū facturos fuisse, si, vt tua iniquitas fuit, ex cohorte Recuperatores nō intercederent: num quis poterit in tanto lucro, tantáque iniquitate dubitare, quin propter iniquitatem tam magnos quæstus feceris, propter magnitudinem quæstus improbus esse volueris?

'medimnum 'modium

[illegible] *Medimnis* x x x v i. Corrige Medimnum, vt infrà: & subaudi millibus.

Hoc est tritici. Nam septies triginta sex efficiunt c c x v i. sunt autem in Medimno sex modii.

Tritici modios c. Corrige Modium, vt infrà: & subaudi Millia.

CICERO. 354 Quomodo igitur hoc assequar Iudices, vt sciam lucri quantum factum sit? non ex Apronii tabulis, quas ego quū conquirerem, non inueni: & quum in ius ipsum eduxi, expressi vt conficere tabulas se negaret. Si mentiebatur: quamobrem remouebat, si hæ tabulæ nihil tibi erant obfuturæ? si omnino nullas confecerat literas: ne id quidē satis significabat, illum non suum negotium gessisse? Ea est enim ratio decumarum, vt sine plurimis literis confici non possit: singula enim nomina aratorum, & cum singulis pactiones decumarum, literis persequi, & conficere necesse est. iugera professi sunt aratores omnes imperio, atque instituto tuo. nō opinor quenquam minus esse professum quàm quantum arasset, quum tot cruces, tot iudicia, tot ex cohorte Recuperatores proponerētur. In iugere Leontini agri medimnum ferè tritici seritur, perpetua atque æquabili satione: ager efficit, cum octauo bene vt agatur: verum, vt omnes dii adiuuent, cum decimo. quod siquādo accidit, tum fit vt tantum decumæ sit, quantum seueris: hoc est, vt quot iugera sunt sata, totidem medimna decumæ debeantur. Hoc quum ita esset: primum illud dico, pluribus millibus medimnum venisse decumas agri Leontini, quàm quot millia iugerum sata erant in agro Leōtino. Quòd si fieri non poterat vt plus quàm decem medimna ex iugere 'ararent: medimnū autem ex iugere decumano dari poterat, quū ager (id quod perrarò euenit) cum decumo extulisset: quæ erat ratio Decumani, si quidem decumæ, ac non bona veniebant aratorum, vt pluribus aliquanto medimnis decumas emeret, quàm iugera erant sata?

'exararent

[illegible] *Perpetua atque æquabili satione.* Plana & integra, quum pars nulla est quæ non seratur.

Cum octauo. Quum octo pro vno medimna colliguntur.

Ex iugere ararent An potius E X A R A R E N T, vt alibi sæpe. vide 314.

CICERO. 355 In Leontino iugerū subscriptio, ac professio non est plus, x x x. decumæ x x x v i medimnum venierunt. Errauit, an potius insaniuit Apronius? imò tum insanisset, si aratoribus, quod deberent, licitum esset, & nō, quod Apronius imperasset, necesse fuisset dare. Si ostendo minus tribus medimnis in iugerum neminē dedisse decumæ: concedes opinor, vt cum decumo fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse. 'atque hoc in beneficii loco petitum est ab Apronio, vt 'iugera singula ternis medimnis decidere liceret. nam quū à multis quaterna, etiam quina exigerentur: multis autem non solùm granum vllum, sed ne paleæ quidem ex omni fructu, atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus est, vnum in locum conuenerunt: hominem suæ ciuitatis in primis honestū, ac nobilem Andronem Centuripinum legarunt ad Apronium, eundem quem hoc tempore ad hoc iudicium Legatum & testem Centuripina ciuitas misit: vt is apud eum causam aratorum ageret, ab eóque peteret vt ab aratoribus Centuripinis ne amplius in iugera singula, quàm terna medimna exigeret. Hoc vix ab Apronio in summo beneficio, pro iis qui etiam tum incolumes erant, impetratum est. id quum impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur, vt pro singulis decumis ternas decumas dare liceret. quòd si tua res non ageretur, à te potius postularent ne amplius quàm singulas: quàm ab Apronio, vt ne plus, quàm ternas decumas darent.

x x x milli um, decumæ 'atqui L. 'in iugera

[illegible] *Non est plus* x x x. Subaudi, Millium. sed quid dico subaudiendum? Nam & Basileæ, & Lutetiæ multis antè annis excusi libri vocem illam conseruant. Censeo igitur reponendam.

x x x v i *Medimnum.* Subaudi, millibus.

Tum insanisset. Quippe qui pluris emisset, quàm quanti essent decumæ.

Vt cum decumo. Alii Decumano,inepté:quũ paulo antè hoc modo fit loquutus.& ſenſus eſt, Etiã ſi cum decumo,id eſt decies tantundem quantum eſſet ſatum, perceptũ eſſet.Nam plerunque cum octauo,rarò cum decumo fructus percipiebatur.

Atque hoc. Vetus,Atqui.quod magis placet.

Vt iugera ſingula. Corrigẽdum putarem, Vt in iugera ſingula:vt etiam paulo pòſt loquitur.Alioqui ſenſum non video.

» Nunc vt hoc tempore ea quæ regiè, ſeu potius tyrannicè ſtatuit in aratores Apronius, præter- CICERO.
» mittam,neque eos appellem à quibus omne frumentum eripuit,& quibus nihil non modò de fru- 356
» ctu,ſed ne de bonis quidem ſuis reliqui fecit:ex his ternis medimnis(quod beneficii,gratiæ que cau-
» ſa conceſſit)quid lucri fiat cognoſcite.Profeſſio eſt agri Leontini ad*iugera x x x millia.Hæc ſunt *iugerum
» ad tritici *medimna x c, id eſt tritici mod. D X L millia,ideductis tritici mod.c c x v i,quanti decu- *medimnum
» mæ venierũt,reliqua tritici c c c x x i i i i.adde totius ſummæ D X L *millia mod.tres quinquage- *millium
» ſimas,id eſt tritici mod. x x x i i c c c c. ab omnibus enim ternæ præterea quinquageſimæ exige-
» bantur.Sunt hæc iam*ad H-S c c c x l mod.tritici.at ego c c c c lucri facta eſſe dixerã:non enim *ad CCC
» duco in hac ratione eos,quibus ternis medimnis nõ eſt licitum decidere.Verum vt hac ipſa ratio- L V I,&
» ne ſummam mei promiſſi compleã,ad ſingula*medimna multi H-S duo,multi H-S quinque acceſ- CCCC mod.
» ſionis cogebantur dare:qui minimum,*ſingulos nummos.hoc minimum vt ſequamur,quoniam *medimnum
» x c *medimnas duximus:accedant eò nouo, peſſimóque exemplo ad H-S x c mil.hîc mihi etiam *ſingula nummum.l.oc
» dicere audebit,magno ſe decumas vendidiſſe,quũ ex eodem agro,dimidio plus abſtulerit,quàm po- *medimnum
» pulo R.miſerit.c c x v i *decumas agri Leontini vendidiſti: ſi ex lege, magno:ſi vt lex eſſet libido *modiũ decum.at
» tua,paruo:ſi vt,quæ dimidiæ eſſent,decumæ vocarentur,paruo vendidiſti: multo enim pluris fru-
» ctus annui Siciliæ venire potuerũt,ſi id te Senatus,aut populus R.facere voluiſſet. etenim ſæpe de-
» cumæ tanti venierunt, quũ lege Hieronica venirẽt, quanti nunc lege Verrea venierũt.Cedo mihi
» C.Norbani decumas venditas. C. NORBANI DECVMAE VENDITAE AGRI LEONTINI.

Ad iugera x x x. Corrige, Iugerum:vt ſuprá. N D DA NA.

Medimna x c. Corrige Medimnum:& ſubaudi Millia. nimirum quũ ternæ decumæ exiguntur. Quum enim triginta ſunt iugerum millia, decumæ non amplius medimnum x x x millium eſſe debebant. At ternæ exactæ ſunt,id eſt x c medimnum.

Quanti decumæ uenierunt. Ipſius capitis.

Totius ſummæ D X L *millia mod.* Emenda Millium.& quod dicit Adde,intellige ad ſuperiorem ſummam c c c x x i i i i.

Tritici mod. x x x i i c c c c. Id eſt Tritici modium triginta duo millia,& præterea quadringentos.Tot enim efficiunt ternæ quinquageſimæ ſuperioris illius ſummæ. Quod verò ſequitur, AB OMNIBVS, parentheſi includendum eſt. pendet enim ſententia, quæ abſoluitur his verbis, Sunt hæc iam ad H-S,&c.

Ab omnibus enim ternæ. Tolle notam articuli,ſeu virgulæ,vt vulgò vocant,& accipe ternas quinquageſimas,quæ ſummam,vt dixit,efficiunt x x x i i millium & c c c c.

Ad H-S CCCXL. Tolle notam H-S, quæ nihil ſignificat:& repone M,quæ nota eſt millium.Sed ne ſic quidem locus eſt integer.Nam proxima ſumma ad ſuperiorem adiecta,modiũ efficit trecenta quinquaginta ſex millia,& præterea quadringentos.quo modo legendũ eſt hoc loco,ſine dubio.

At ego CCCC. Nam ad hanc ſummam deſiderantur adhuc modium x l i i i millia,& præterea ſexcenti.

Quibus ternis medimnis. Multi enim quaterna & quina ſoluerunt.

Ad ſingula medimna multi H-S *duo.* Corrige Medimnum: quod ex ſumma intelligitur: & accipe Seſtertium duo millia, vt ex loco patet. Georgius Agricola Duorum legendum putat, opinor, propter nomen Acceſſionem.ſed hæc locutio frequens eſt in hac oratione. quod ſemel dictum volui, ne ſi in multis ab eo diſſentiã,nõnulli eius librum à me non lectum putent. Sed niſi quis totã hanc Orationẽ accuratè legerit ac perpenderit,nõ facilè de vno aliquo aut altero loco iudicare poterit.

Singulos numos. Emendo,Singula numum:vt ſuprà,Singula medimnũ.& ſubaudi,millia.quæ fortaſſe quum eſſent addita,deprauata nota ∞ pro c I ɔ,ab imperitis librariis omiſſa ſunt.

Quoniam x c *medimna duximus.* Atqui medimnum x c millia duxerat.ſic igitur legendum.

H-S x c *millia.* Coronatorũ duo millia: ſupra ducentos quinquaginta.hac autem ſumma, quadringentorum millium numerus completus eſt.ad quam x l i i i millia,& ſexcenti præterea deſiderabantur.Ducta enim æſtimatione ſingulorum modiũ ad binos H-S, & aliquanto amplius,fiet idem numerus modium quadraginta trium millium,& præterea ſexcentorum.

c c x v i *decumas.* Legendũ vt ſuprà,c c x v i modiũ millibus,decumas agri Leontini vẽdidiſti.

Paruo. Exigua enim ex tam ingenti ſumma pars ad populum R.peruenit.

» Atque tum neque iudicium de modo iugerũ dabatur:neque enim erat Artemidorus Cornelius CICERO. 357

Recuperator: neque ab aratore Magiſtratus Siculus tantum exigebat, quantum Decumanus edi-derat:nec beneficiũ petebatur à Decumano, vt in iugera ſingula ternis medimnis decidere liceret: nec nummorum acceſſionem cogebatur arator dare, nec ternas quinquageſimas frumẽti addere: & tamen populo R. magnus frumenti numerus mittebatur. quid verò iſtæ ſibi quinquageſimæ? quid porrò nummorum acceſſiones volũt?quo id iure,atque adeò quo id potius ore feciſti? nummos dabat arator.quomodo?aut vnde?qui,ſi largiſſimus eſſe vellet, cumulatiore mẽſura vteretur, vt antea ſolebant facere in decumis,quum æqua lege, & cõditione veniebant. Is nummum dabat. vnde?de frumento?quaſi habuiſſet te Prætore quod venderet. De viuo igitur erat aliquid reſecandum, vt eſſet vnde Apronio ad illos fructus arationum hoc corollarium nummorum adderetur. Iam id porrò vtrum libentes, an inuiti dabant?libentes?amabant credo Apronium.inuiti? qua re, niſi vi,& malo cogebantur?Iam iſte homo amentiſſimus in vendundis decumis nummorũ faciebat acceſſiones ad ſingulas decumas:neque multum,bina aut terna millia addebat.Fiunt per triennium H-S fortaſſe D millia. Hoc neque exemplo cuiuſquam, neque vllo iure fecit: neque eam pecuniam retulit:neque hoc paruũ crimen quemadmodum defenſurus ſit, homo quiſquã vnquam excogitauit.Quod quum ita ſit, audes dicere te magno decumas vendidiſſe, quũ ſit perſpicuum,te bona,fortunáſque aratorum,non populi R.ſed tui quæſtus cauſa vendidiſſe?

NDJDO XI. *De modo iugerum.* Ni aratores numerum iugerum eſſent profeſſi.pag.320.

Artemidorus Cornelius. Inuidioſè addidit Cornelius:nomen à Sylla cum ciuitate Græcis & ſeruis quamplurimis ſuæ factionis hominibus conceſſum.vide ſuprà 354.

Si largiſſimus eſſe uellet. Liberaliſſimus in populum R.

De uiuo reſecandum. Id eſt,de eo quod pro arationis impenſa perceperant: præter quod vnum nihil erat omnino reliquum factum aratoribus.pag.399,purum ac reliquum appellat.Trãſlatio autem ſumpta eſt ab imperitis medicis, qui non modò redundantia,& quæ reliquo corpori nocent, vrere,& ad viuum amputare ſolent,ſed etiam de viuo aliquid reſecare.

Aliquid reſecandum. Vt quemadmodũ incolumitatem integritatémque ſanitatis retinere, qui ita ſecantur,non poſſunt:eodem modo ſalui eſſe aratores non poſſint.

Hoc corollarium nummorum. Corollariũ, inquit Varro,dicitur,quod additum, præterquã quod debitum. Eius vocabulum fictum à corollis:quòd hæ, quum placuerãt actores, in ſcena dari ſolitæ.

Homo amentiſſimus. Auaritia & cupiditate.

H S D *millia.* Coronatorum duodecim millia ſupra quingentos.Sed hæc ſumma neque binis, neque ternis H-S millibus conuenit:quin potius,vt bina tantum ducamus,fiunt per triennıũ D X L millia:ſi terna,octingenta & decem millia.Quare & minorem ſummã eum duxiſſe apparet,& ſuo more ſummam integram quingentorum potius dixiſſe.

CICERO. 358 [l. 'ex eo fundo. 'cuius H S denum merces] HS dena meritasset lib. Gryph. excusus minima forma 1555.

Vt ſiquis villicus 'ex fundo, 'cui H-S dena merces eſſet, excifis arboribus,ac venditis, demptis tegulis,inſtrumento,pecore abalienato, domino X X millia nummum pro X miſerit,ſibi alia præterea centum confecerit: primò dominus ignarus incommodi ſui gaudeat, villicóque delectetur, quòd tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit: deinde quum audierit, eas res, quibus fundi fructus, & cultura continentur, amotas, & venditas, ſummo ſupplicio villicum afficiat, & ſecum male actum putet: item populus Rom. quum audit pluris decumas vendidiſſe C. Verrem quàm innocentiſſimum hominem,cui iſte ſucceſſit, C.Sacerdotem,putat ſe bonũ in arationibus, fructibúſque ſuis habuiſſe cuſtodem, ac villicum: quũ ſenſerit iſtum omne inſtrumentum aratorum,omnia ſubſidia vectigalium vendidiſſe, omnem ſpem poſteritatis auaritia ſua ſuſtuliſſe, arationes & agros vectigales vaſtaſſe atque exinaniſſe,ipſum maximos quæſtus,prædáſque feciſſe,intelliget ſecum actum eſſe péſſimè,iſtum autem ſummo ſupplicio dignum exiſtimabit. Vnde ergo hoc intelligi poteſt?ex hoc maximè, quòd ager decumanus prouinciæ Siciliæ propter iſtius auaritiam deſertus eſt.neque id ſolum actum eſt, vt i hi minus multis iugis arent,ſiqui in agris remanſerunt:ſed etiã vt permulti locupletes homines,magni,& naui aratores agros latos,ac fertiles deſererent,totáſque arationes derelinquerent. id adeò ſciri facillimè poteſt ex literis publicis ciuitatũ: propterea quòd lege Hieronica numerus aratorũ quotãnis apud Magiſtrat' publicè ſubſcribitur.

['acti in minus]

XVDDXI *Siquis uillicus.* Villicus,agri colendi cauſa cõſtitutus atque appellatus à villa, quòd ab eo in eam conuehuntur fructus,& euehuntur quũ veneunt.A quo ruſtici etiam nunc quoque viam,veam appellant,propter vecturas:& vellam,non villam,quò vehunt,& vnde vehunt. Varro de re Ruſt.1.

Ex fundo,cui H S *dena merces eſſet.* Omnes alii libri,Ex eo fundo. ſed in eo quod ſequitur,legendum potius putarem, Cuius H-S denum merces eſſet:vt ordo ſit,Cuius merces,id eſt prouentus,ſeu vectigal,eſſet denum millium H-S, id eſt coronatorum C C L.

Demptis tegulis,inſtrumento. Inſtrumento fundi ea continentur,quæ fructus quærendi,cogendi,conſeruandi gratia parata ſunt.

Viginti millia nummum. Coronatos I Ↄ.

Vbi minus multis iugi: arent. In minus multis: apertius, opinor, legeretur. Iugum autem, vt suprà
dixi, vocant, quod iuncti boues vno die exarare possunt.

Recita tandem quot acceperit aratores agri Leontini Verres. OCTVAGINTA TRES. Quot CICERO.
anno tertio profiteantur. TRIGINTA DVO. Vnum & quinquaginta aratores ita video deiectos, 359
vt his ne vicarii quidem successerint. Quot aratores aduenientere fuerunt agri Muticensis, vide- *octog.*
mus ex literis publicis. CENTVM OCTVAGINTA OCTO. Quid anno tertio? CENTVM ET *octog.*
VNVS. Octuaginta septem aratores vnus ager istius iniuria desiderat, atque adeò nostra Respub.
quoniam illa populi R. vectigalia sunt, hunc tot patrumfamilias numerum desiderat, & reposcit.
Ager Herbitensis primo anno habuit aratores ducētos quinquaginta septem, tertio centū viginti.
hinc centum trigintaseptem patresfamilias extorres profugerunt. Agyrinensis ager quorū homi-
num? quàm honestorum? quàm locupletum? ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno
Praturæ tuæ. quid tertio anno? octuaginta, quemadmodum Legatos Agyrinenses recitare ex pu-
blicis literis audistis. Prò dii immortales, si ex prouincia tota centum septuaginta eiecisses, posses-
ne seueris iudicibus saluus esse? Vnus ager Agyrinensis centū septuaginta aratoribus inanior quū
sit, vos coniecturam totius prouinciæ non facietis? atque hoc peræque in omni agro decumano *atqui*
reperietis: quibus aliquid tamen reliqui fuerit ex magno patrimonio, eos in agris minore instru-
mento, minus multis iugis, minores remansisse: quòd metuebant, si recessissent, ne reliquas fortu- *timore*
nas omnes amitterent: quibus autem iste nihil reliqui, quod perderent, fecerat, eos planè nō solùm
ex agris, verum ex ciuitatibus suis profugisse.

Atque hoc peræquè. Magis placeret, Atqui. REDDENDO
Minus multis iugis. Alii omnes, Minus multis locis. sed sic proxima pagina loquutus est, vt hoc lo
co legitur: vt nihil putem corrigendum.
Minores remansisse. Timore remansisse, sine dubio huius loci sententia postulat.

Illi ipsi, qui remanserant, vix decuma pars aratorū, relicturi agros omnes erant, nisi ad eos Me- CICERO.
tellus Roma literas misisset, decumas lege Hieronica vēditurum: & nisi ab iis hoc petiuisset, vt se- 360
rerent quamplurimum: quod illi semper sua causa fecerant, quū eos nemo rogaret, quandiu intel-
ligebant sese sibi, & populo R. non Verri, & Apronio serere, impendere, laborare. Iam verò si Sicu-
lorum fortunas negligitis: si, quemadmodū socii populi R. à Magistratibus nostris tractētur, non
laboratis: at vos communē populi R. causam suscipite, atque defendite. Eiectos aratores esse dico:
agros vectigales vexatos, atque exinanitos à Verre: populatam, vexatámque prouinciam: hæc om
nia doceo ciuitatum, & priuatis primariorū virorum testimoniis. Quid vultis amplius? num ex-
pectatis dum L. Metellus, is qui multos in istum testes imperio, & potestate deterruit, idem absens
de istius scelere, improbitate, audacia testimonium dicat? nō, opinor. At is optimè, qui successit isti,
potuit cognoscere. ita est, verum amicitia impeditur. At debet nos certiores facere, quo pacto se ha
beat prouincia. debet: veruntamen non cogitur. Num quis in Verrem L. Metelli testimonium
requirit? nemo. num quis postulat? non, opinor. Quid si testimonio L. Metelli, ac literis hæc omnia
vera esse docebo? quid dicetis? vtrum, Metellum falsum scribere, an amicum lædendi esse cupi-
dum? an Prætorem, quemadmodum prouincia affecta sit, nescire? Recita literas L. Metelli, quas [illegible]
ad Cn. Pompeium & M. Crassum COSS. quas ad M. Mummium Prætorem, quas ad Quæstores
Vrbis misit. EPISTOLA L. METELLI. DECVMAS FRVMENTI LEGE HIERONICA
VENDIDI.

Sua causa fecerant. Emolumenti sui causa. REDDENDI

Quum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? ita se vendidisse, vt omnes præter Ver- CICERO.
rem. Quum scribit lege Hieronica vendidisse, quid scribit? se, per istum erepta, Siculis maiorum 361
nostrorū beneficia, ius ipsorum, cōditionem societatis, amicitiæ, fœderum reddidisse. dicit, quanti *dicit deinde quanti l. misisse l.*
cuiusque agri decumas vendiderit. deinde quid scribit? Recita de Epistola reliqua. SVMMA
DATA EST OPERA A ME, VT QVAMPLVRIMO DECVMAS VENDEREM. Cur igitur
Metelle non ita magno vendidisti? quia desertas arationes, inanes agros, prouinciam miseram, per
ditámque offendi. Quid? id ipsum, quod satum est, qua ratione quisquam, qui sereret, inuentus est?
Recita literas. Ait se misisse, & confirmasse, suam interposuisse auctoritatem. Tantum quòd ara- *& prosuerim confirm.*
toribus Metellus obsides non dedit, se in nulla re Verri similem futurum. At quid est tandem in
quo se laborasse dicat? Recita. VT ARATORES, QVI RELIQVI ERANT, QVAMPLVRI-
MVM SERERENT. Qui reliqui, quid hoc est? reliqui, quo ex bello? qua ex vastitate? quænā in Sici
lia tanta clades, aut quod bellum tam diuturnum, tam calamitosum te Prætore versatum est, vt is,
qui tibi successerit, reliquos aratores collegisse, & recreasse videatur? Cum bellis Carthaginensibus
Sicilia vexata est, & post nostram, patrúmque memoriam, quū bis in ea prouincia magnæ fugiti- *nostra patrúmque memoria.*
uorum copiæ versatæ sint: tamen aratorum internicio facta nulla est. tum semente prohibita, *fuerunt: l.*
aut messe amissa, fructus annuus interibat: tamen incolumis numerus manebat dominorū, atque *internecio*

» aratorum tum qui M. Leuino, aut P. Rupilio, aut M. Aquilio Prætoribus in eam prouinciam suc-
» cesserant, aratores reliquos non colligebant.

Dicit quanti. Vetus, Dicit dein quanti. Vox autem DEINDE quæ sequitur, abest à manu scripto: & rectè, opinor.

Ait se misisse, & confirmasse. Hoc amplius liber optimus & perantiquus, Præsenté confirmasse. quod eo mihi rectius videtur, quia paulo infrà ita scribit, Nisi præsens confirmassem.

Tantum quod. Insolens locutio, cuius tamen geminam reperio in libro Epistolarum ad Atticum, XV, in ea cuius initium est, IIII Cal. Hæc quũ scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. Sensus est nõ obscurus. hìc enim significat quod alibi dicit, Nihil propius factũ est quàm: vel Tantum non. quod quũ alii non intellexissent, hunc locum immutare voluerunt.

Nostram patrúmque memoriam. Sine dubio probabilior veteris libri scriptura, Nostra patrúmque memoria. Athenionem autem dicit, de quo nos sæpe anteà: & bellum illud seruile, quod bello Punico secundo exortum est, quod quũ opprimi à Prætoribus non potuisset, C. Fuluio Consuli mandatum est, cuius belli initium fuit Eunus seruus, natione Syrus, qui cõtracta agrestium seruorum manu, & solutis ergastulis, iusti exercitus numerum impleuit. Cleon quoque alter seruus ad LXX millia seruorum contraxit, & copiis iunctis contra populum R. exercitúmque eius, bellum sæpenumero gesserunt. Florus in Epit. lib. LVI.

Bis in ea prouincia. Nonius Marc. in dictione Interitus, Bis in eadem. sed nihil muto.

Versatæ sint. Vetus, Versatæ sunt. quod Nonius confirmat.

Aratorum internicio. Nonius Marc. ex hoc loco, Interitio verbum à Cicerone vsurpatum esse probat. mihi tamen quicquam immutare religio est.

CICERO. 362
» Tantóne plus Verres cum Apronio prouinciæ Siciliæ calamitatis importauit, quàm aut Has-
» drubal cum Pœnorum exercitu, aut Athenio cum fugitiuorum maximis copiis, vt temporibus
» illis, simul atque hostis superatus esset, ager araretur omnis, neque aratori Prætor per literas suppli-
» caret, neque eum præsens oraret vt quamplurimum sereret: nunc autem ne post abitum quidem
» huius importunissimæ pestis quisquã reperiretur qui sua volũtate araret? pauci essent reliqui, qui
» L. Metelli auctoritate in agros, atque ad suum larem familiarem redirent? His te literis homo au-
» dacissime atque amentissime iugulatum *non sentis? non vides, quum is, qui tibi successit, aratores reli- (L' non sentit)
» quos appellet, hoc eum disertè scribere, reliquos hos esse, non ex bello, neque ex aliqua huiusmodi
» calamitate, sed ex tuo scelere, importunitate, auaritia, crudelitate? Recita cætera. TAMEN PRO
» EO, VT ET TEMPORIS DIFFICVLTAS, ARATORVMQVE PENVRIA TVLIT.
» Aratorum, inquit, penuria. si ego accusator toties de re eadem dicerem, vererer ne animos vestros
» offenderem Iudices. Clamat Metellus, Nisi literas misissem. non est satis: Nisi præsens confirmas-
» sem. ne id quidem satis est. Reliquos, inquit, aratores. reliquos? propè lugubri verbo calamitatem
» prouinciæ Siciliæ significat. addit, Aratorum penuria. Expectate etiam Iudices, si potestis, auctori-
» tatem accusationis meæ. dico aratores istius auaritia eiectos: scribit Metellus reliquos ab se esse cõ
» firmatos. Dico agros relictos arationésque desertas esse: scribit Metellus aratorum esse penuriam.

Iugulatum sentis? Vetus, Non sentis: placet.

Hoc eum disertè scribere. Græci διαρρήδην: id est, planè, apertè, dilucidè, definitè, nominatim. Liuius Decadis IIII, libro sexto, Tum decretum Phaneas, in quo id disertè scriptum erat, ostendit. Et lib. V, Alteram ex duabus conditionibus, quæ modò disertè à Quintio datæ sunt, legit. Plautus in Amphitryone,

Satín' hoc planè, satin' disertè here nunc videor tibi locutus esse?

CICERO. 363
» Hoc quũ scribit, illud ostendit, deiectos, eiectos, fortunis omnibus expulsos esse populi R. socios,
» atque amicos. quibus si qua calamitas propter istum saluis vectigalibus nostris accidisset: animad-
» uertere in eum vos oportebat, præsertim quum ea lege iudicaretis quæ sociorum causa esset consti-
» tuta. Quum verò perditis, profligatísque sociis vectigalia populi R. sint diminuta, res frumẽtaria,
» commeatus, copiæ, salus vrbis, atque exercituum nostrorũ in posteritatem istius auaritia *interiit:
» saltem commoda vestra respicite, si sociis fidelissimis prospicere non laboratis. Atque vt intelli- (*i interierit saltẽ commoda populi R. respicite. L.)
» gatis ab isto præ lucro, prædáque præsenti nec vectigaliũ, nec posteritatis habitam esse rationem:
» cognoscite quid ad extremum scribat Metellus. in reliquum tempus ait se vectigalibus prospexis-
» se. Non scriberet se vectigalibus prospexisse, nisi hoc vellet ostendere, te vectigalia perdidisse. quid
» enim erat quod vectigalibus prospiceret Metellus in decumis, & in tota re frumentaria, si iste non
» vectigalia populi R. suo quæstu peruertisset? Atque ipse Metellus, qui vectigalibus prospicit, qui
» reliquos aratores colligit, quid assequitur, nisi hoc, vt arent, si qui possunt, quibus aratrum saltem
» aliquod satelles istius Apronius reliquum fecit: qui tamen in agris spe, atque expectatione Me-
» telli remanserunt? Quid cæteri Siculi? quid ille maximus numerus aratorum, qui non modò ex
» agris eiecti sunt, sed etiam ex ciuitatibus suis, ex prouincia, denique bonis, fortunísque omnibus

ereptis profugerunt:qua ratione ii reuocabuntur?Quot Prætorum innocentia, ſapientiáque opus eſt,vt illa aratorum multitudo aliquando in ſuis agris,ac ſedibus collocetur?

Deiectos,eiectos. Deiectus,qui de loco,in quo erat, pulſus eſt: Eiectus, qui prohibitus eſt accedere. Sed in Orat.pro Cæcina,dũ Orator ſuæ cauſæ ac tempori ſeruit,hanc ſubtilem differentiã eludit. R D DD MI

Interiit:ſaltem commoda. In manuſcripto, Aldino,& veteribus impreſſis,Interierit:ſaltẽ populi R. commoda reſpicite.quæ lectio mihi rectior,& probabilior videtur.

129. Ac ne miremini tantã multitudinem profugiſſe,quãtam ex literis publicis,aratorúmque profeſſionibus cognouiſtis:ſcitote tantam acerbitatem iſtius,tantum ſcelus in aratores fuiſſe(incredibile dictu eſt Iudices:ſed & factum,& tota Sicilia peruulgatum)vt homines propter iniurias,licentiámque Decumanorum mortem ſibi ipſi conſciuerint. Centuripinum Dioclem, hominem locupletem, ſuſpendiſſe ſe conſtat, quo die ſit ei nunciatum Apronium decumas redemiſſe. Dyrrachinum primum ciuitatis eadem ratione mortem oppetiſſe, dixit apud vos homo nobiliſſimus Archonidas Elorinus,quũ audiſſet tantum Decumanum profeſſum eſſe ex edicto iſtius ſibi deberi,quantum ille bonis ſuis omnibus efficere non poſſet.Hæc tu,tametſi omnium hominum diſſolutiſſimus,crudeliſſimúſque ſemper fuiſti,tamen nunquam perpeterere,quòd illi gemitus, luctúſque prouinciæ ad tui capitis periculum pertinebant,non inquam perpeterere vt homines iniuriæ tuæ remedium morte,ac ſuſpendio quærerent,niſi ea res ad quæſtum,& ad prædam tuam pertineret. CICERO. 364

130. Quid,illud perpeterere?attendite Iudices:omnibus enim neruis mihi contendendum eſt, atque in hoc laborandum,vt omnes intelligant,quàm improbam,quàm manifeſtam, quàm confeſſam rem pecunia redimere conentur. Graue crimen eſt hoc, & vehemens, & poſt hominum memoriam, iudiciáque de pecuniis repetundis conſtituta grauiſſimum, Prætorem populi R.ſocios habuiſſe Decumanos.

Non hoc nunc primùm audit priuatus de inimico,reus ab accuſatore:iam antea in ſella ſedens Prætor,quum prouinciam Siciliam obtineret, quũ ab omnibus *non ſolum id, quod commune eſt propter imperium, ſed *etiã id,quod iſtius præcipuũ eſt,propter crudelitatem metueretur,millies audiuit,quũ eius animum ad perſequendum non negligentia tardaret,ſed conſcientia ſceleris auaritiæque ſuæ frenaret:loquebãtur enim Decumani palàm,& præter cæteros is qui apud iſtum plurimum poterat,maximóſque agros populabatur, Apronius:perparuum ex illis magnis lucris CICERO. 365 **non ſolum(id quod cõmune eſt) *etiam(id quod iſtius præcipuum eſt)*

131. ad ſeſe peruenire,Prætorem eſſe ſocium. Hoc quũ palàm Decumani tota prouincia loquerentur, tuúmque nomen in re tam turpi, nefariáque interponerent: nihilne tibi venit in mentem exiſtimationi tuæ conſulere?nihil denique capiti, ac fortunis tuis prouidere? quum tui nominis terror in auribus, animíſque aratorum verſaretur, quũ Decumani aratoribus ad pactiones faciẽdas non ſuam vim,ſed tuum ſcelus,ac nomen opponerent: ecquod iudicium Romæ tam diſſolutum, tam perditum, tam nummarium fore putaſti, quo ex iudicio te vlla Salus ſeruare poſſet? quũ planum fieret,decumis contra *inſtituta legis,conſuetudinémque omnium venditis, in aratorũ bonis fortuniſque diripiendis Decumanos dictitaſſe tuas eſſe partes, tuam rem, tuam prædam, ídque te tacuiſſe:& quum diſſimulare non poſſes, potuiſſe tamen perpeti,& perferre, quòd magnitudo lucri obſcuraret periculi magnitudinem, plúſque aliquanto apud te pecuniæ cupiditas, quàm iudicii **inſtituta,leges,*

132. metus poſſet. Eſto: cætera negare non potes. ne illud quidem tibi reliquum feciſti, vt hoc poſſes dicere,nihil eorum te audiſſe, nihil ad tuas aures de infamia tua perueniſſe.Querebãtur cum luctu, & gemitu aratores.tu id neſciebas?Fremebat tota prouincia.nemo id tibi renuntiabat?

Non ſolum id,quod commune eſt propter imperium, ſed etiam id quod ipſius præcipuum eſt. Malè interpuncta oratio ſenſum reddit ineptum.Ego ſic legẽdum cenſeo, Non ſolum(id quod cõmune eſt)propter imperium,ſed etiam(id quod ipſius præcipuum eſt)propter crudelitatem. R D DD MI

Id quod commune eſt. Omnium Magiſtratuum.

Quod ipſius præcipuum. Id eſt,proprium,peculiare.

vlla Salus ſeruare. Deam intelligit, quam populus R.coluit, cui ædes vota in bello Samnitium à C.Iunio Bubulco COS.Romæ extructa eſt. Terentius in Adelphis,

Ipſa ſi cupiat Salus
Seruare prorſus non poteſt hanc familiam.

Inſtituta legis. Legendum putarem,vt ſæpe aliàs,Contra inſtituta,leges,conſuetudinẽm,&c.

Romæ querimoniæ de tuis iniuriis,conuentúſque habebantur.Ignorabas hæc?ignorabas hæc omnia?quid?quum palàm Syracuſis te audiẽte,maximo cõuentu,P.Rubrius Q.Apronium ſponſione laceſſiuit,ni Apronius dictitaret,te ſibi in decumis eſſe ſocium: hæc te vox non perculit?non perturbauit? non, vt capiti,& fortunis tuis proſpiceres,excitauit? tacuiſti,ſedaſti etiã lites illorum: & ſpõſio illa ne fieret,laboraſti. Prò dii immortales,hoc aut innocens homo perpeti potuiſſet; aut quamuis nocens,qui modò iudicia Romæ fore putaret,nõ aliqua *ſe ſimulatione exiſtimationi hominum vindicaſſet? CICERO. 366 **l. ſimulatione populi R.exiſtimationi vindicaſſet*

133. Quid eſt hoc?ſponſio fit de capite,ac fortunis tuis:tu ſedes,& quieſcis:non per-

sequeris? non perseueras? nó perquiris cui dixerit Apronius? quis audierit? vnde hoc natum? quemadmodum prolatum sit? Siquis tibi ad aurem accessisset, & dixisset Apronium dictitare, te sibi esse socium: commoueri te oportuit, vocare Apronium: nec illum antè tibi satisfacere, quàm tu omnium existimationi satisfecisses. Quum verò in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc verbo, & simulatione Apronio, re vera tibi obiectum esset: tu vnquam tantam plagam tacitus accipere potuisses, nisi hoc ita statuisses, in re tam manifesta, quicquid dixisses, te deterius esse facturum? Quæstores, Legatos, Præfectos suos, Tribunos multi missos fecerunt, & de prouincia decedere iusserunt, quòd eorum culpa se minus commodè audire arbitrarentur, aut quòd peccare illos aliqua in re iudicarent.

Sponsione lacessiuit. De sponsione, cognosce ex Orat. pro Quintio, pag. 9.

Non aliqua se simulatione existimationi hominum uindicasset? Veteres libri hoc modo, Non aliqua se simulatione populi R. existimationi vindicasset? quod sine causa immutare non ausim. Nonnulli tamen ex iis, Non aliqua re. quod apertè falsum est. vt illud Aldinum, Populi Romani existimationi hominum.

Quicquid dixisses. Dixissent, legendum potius arbitrarer. sententia quidem apertè postulat.

CICERO. Tu Apronium, hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, qui non modo

367 animum integrum, sed ne animam quidem puram conseruare potuisset, cum in tanto tuo dedecore profectò ne verbo quidem grauiore appellasses, neque apud te tam sancta religio societatis fuisset, vt tui capitis periculum negligeres, nisi rem tam notam esse omnibus, & tam manifestam videres? Cum eodem Apronio postea P. Scandilius eques R. quem vos omnes nostis, eandem sponsionem de societate fecit, quam Rubrius facere voluerat. institit, oppressit, nó remisit: facta est sponsio H-S V mil. Cœpit Scandilius Recuperatores, aut iudicem postulare. Satísne vobis Prætori improbo circundati cancelli videntur in sua prouincia, imò verò in sella, ac tribunali, vt aut de suo capite iudicium fieri patiatur præsens, ac sedens: aut confiteatur se omnibus iudiciis conuinci necesse esse? Sponsio est, ni te Apronius in decumis socium esse dicat: prouincia tua est: ades: abs te iudicium postulatur. Quid facis? quid decernis? Recuperatores dicis te daturú. Bene agis. tametsi qui erunt tantis ceruicibus Recuperatores, qui audeant in prouincia, quú Prætor adsit, non solum contra voluntaté eius, sed etiá contra fortunas iudicare? Verum esto, manifesta res est: quú nemo esset quin hoc se audisse liquido diceret, locupletissimus quisque certissimus testis esset: nemo erat Sicilia tota qui nesciret decumas esse Prætoris: nemo qui non audisset, ita Apronium dictitasse. Præterea conuentus honestus Syracusis, multi Equites R. viri primarii, ex qua copia Recuperatores reiici oporteret, qui aliter iudicare nullo modo possent. Instat Scandilius poscere Recuperatores, tum iste homo innocens, qui illam suspicionem leuare, atque ab se remouere cuperet, Recuperatores dicit se de cohorte sua daturum.

Sed ne animam quidem. Teterrimum enim odorem spirabat, vt dixit pag. 313.

Neque apud te. Ineptus sensus: vt mihi non sit dubium quin pro Neque, reponi oporteat: Atque & legi sine interrogatione, εἰρωνικῶς. vox enim Profectò, ironiam significat, vt Credo, vt Scilicet.

Tui capitis. Tuæ existimationis.

H-S V millium. Hic est locus qui Budæo propè solus errorem obiecit, vt Sestertia in neutro genere mille sestertios valere existimaret. Eum enim ita citauit, Facta est sponsio sestertiis quinque. Quare quum paulo pòst, pag. 369, hanc eandem summam ita repetitam videret, Cogit Scandilium quinque illa millia nummum dare Apronio: ratiocinatus est Sestertiú in neutro genere mille Sestertios valuisse. Quod mihi sanè permirum videtur. Primùm quia neque in Aldino, neque in aliis libris aliter hic locus legitur, quàm in hoc nostro exéplari scriptus est. deinde quia eadem ipsa summa pag. 369 ita repetita est, vt vox Millia, adderetur. Cogit, inquit, Scádilium Apronio H-S V millia mercedis nomine, ac præmii dare. vt Budæus nulla ratione diuinare potuerit, illá superiorem notam H-S, in neutro genere, quàm hanc posteriorem accipiendam esse. Præterea nó Latinè, opinor, Ciceronem loquentem facit, quú illum dixisse contendit, Facta est sponsio Sestertiis. neque enim Sestertiis, sed Sestertiú solet dicere. vt pro Q. Roscio, pag. 95, Legitimæ partis spósio facta est. nisi fortè particulá CVM adiungat: vt pagina insequéti, Cú tertia parte spósio facta est. Sed quid attinet plura? quú Tulli' ipse paulo pòst pag. 369 de númis Sestertiis loqui se manifestissimè doceat.

Recuperatores aut iudicem. Vide quæ dixi in Orat. pro Cæcina pag. 586.

Circundati cancelli uidentur. Id est, Satísne vobis teneri videtur, neque elabi posse, quin horum alterutrum fateatur. Cancelli sunt septa ex ferro, in modum retis facta. Translatio sumpta est à bestiis, quæ septis & cancellis continentur, vt effugere non possint.

Qui erunt tantis ceruicibus. Ceruices pro audacia, vt sæpe alibi: translatione à bubus sumpta, quorú ii valentissimi iudicantur qui ceruicibus sunt durissimis. quasi dicat, Quis tantum onus inuidiæ sustinere possit?

137. Prò deum hominúmque fidẽ, quem ego accuso? in quo meã industriam, ac diligentiam spectari CICERO.
volo? Quid est quod ego dicendo, aut cogitãdo efficere, aut assequi debeã? Teneo in mediis vectiga- 368
libus populi R. in ipsis fructibus prouinciæ Siciliæ furem manifestò auertentẽ rem frumẽtariam
omnem, pecuniã maximã: teneo inquam ita vt negare non possit. nã quid hic dicet? spõsio facta est
cum cognitore tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, ni sociũ tibi in decumis esse dictitaret. Ex-
pectant omnes, quantæ tibi ea res curæ sit, quemadmodũ hominũ existimationi te, atque innocen-
tiam tuã probari velis. Hic tu medicũ, & haruspicẽ, & præconem tuũ Recuperatores dabis? aut etiã
illũ ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianũ iudicem habebas, siqua res maior esset, Papiriũ Pota-
monẽ, hominẽ seuerũ, ex vetere illa Equestri disciplina? Scãdilius postulare de cõuentu Recupera
tores. tũ iste negat se de existimatione sua cuiquã, nisi suis cõmissurũ. Negotiatores putãt, esse turpe
138. id forum sibi iniquũ eiurare, vbi negotiẽtur. Prætor prouinciã suã totam sibi iniquã eiurat. O im-
pudentiã singularẽ. Hic postulat se Romæ absolui, qui in sua prouincia iudicauit se absolui nullo
modo posse, qui plus existimet apud lectissimos Senatores pecuniã, quàm apud tres negotiatores
metũ valere. Scandilius verò negat sese apud Artemidorũ Recuperatorem verbũ esse facturum, &
tamen auget, atque onerat te bonis cõditionibus, si tu vti velis. Si ex prouincia Sicilia tota statuas
idoneum iudicem, aut Recuperatorem nullum posse reperiri, postulat à te vt Romam reiicias.

Cum cognitore tuo Apronio. Cognitor præsentis dicitur, qui procurator absentis. Hoc igitur dixit [illegible], vt suprà Procurator. & infrà 373, Cur tu Apronium malebas, quem omnes tuum procu-rare in decumis negotium loquebantur?

Ni socium tibi in decumis. Probabilior esset sententia & apertior, Ni socium te sibi in decumis. quo modo in Aldino & aliis propè omnibus impressum est.

Cassianum iudicem. Vide Orat. pro Sex. Roscio, pag. 66, & Asconium in Milonianam.

Vt Romam reiicias. Sponsionis factæ iudicium, & disceptationem.

139. Hic enim verò tu exclamas, hominem improbũ, qui postulet ibi de tua existimatione iudicium CICERO.
fieri, vbi te inuidiosum esse intelligebat: negas te Romã reiecturum: negas de cõuentu Recuperato- 369
res daturũ, cohortem tuam proponis. Scandilius rem se totam relicturũ dicit, & suo tempore esse
rediturum. Quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis: quid? sponsionem acceptã facere? impu
140. denter tollis expectatũ existimationis tuæ iudicium? non facis. Quid ergo? Apronio permittis vt
quos velit, de cohorte sumat Recuperatores? indignũ, vni potius ex iniquis sumẽdi, quàm vtrisque
ex æquis reiiciẽdi fieri potestatem. neutrũ facis eorum. Quid ergo? est aliquid quod improbius fieri
potest: cogit enim Scãdilium quinque illa millia nummũ dare, atque adnumerare Apronio. Quid
potuit elegãtius facere Prætor cupidus existimationis bonæ, qui ab sese omnem suspicionem pro-
pulsaret, qui se eripere ex infamia cuperet? adductus erat in sermonem, inuidiam, vituperationem:
dictitarat homo improbus, atque impurus Apronius, socium esse Prætorem: venerat res in iudi-
cium, atque discrimen: potestas erat isti homini integro atque innocẽti data, vt in Aproniũ quum
animaduertisset, sese grauissima leuaret infamia. Quid excogitat pœnæ? quid animaduersionis in
Apronium? cogit Scandilium Apronio ob singularem improbitatem, atque audaciam, prædica-
141. tionémque nefariæ societatis, H-S V millia mercedis nomine, ac præmii dare. Quid interfuit ho-
mo audacissime, vtrum hoc decernes, an id quod Apronius dictitabat, tu de te proferres, ac dictita-
res? quem hominem, siquis pudor in te, atque adeò siquis metus fuisset, sine supplicio dimittere nõ
debuisti, hunc abs te sine præmio discedere noluisti.

Suo tempore esse rediturum. Suum tempus dixit, sibi cõmodum & opportunum. vt Actione prima, Suum iudicium: quod ita interpretatur Asconius. Contrarium est in eadem oratione, Alienum tempus offenderat.

Sponsionem acceptam facere. Acceptam missam facere, legendum apparet. Nam si accepta esset, non esset sublatum de Verre iudicium, sed factum.

H-S V millia. Centum & viginti quinque aureos.

Omnia simul intelligere potuistis Iudices ex hoc vno crimine Scãdiliano: primùm, hoc non CICERO.
esse Romæ natum de societate decumarũ, non ab accusatore fictũ, non (vt solemus interdum in de- 370
fensionibus dicere) crimen domesticum, ac vernaculũ, non ex tempore periculi tui constitutũ, sed
vetus excogitatum iã, & te Prætore iactatum, & nõ ab inimicis Romæ cõpositum, sed Romam de
142. prouincia exportatũ. Simul intelligi potest illud istius in Aproniũ studium, Apronii de isto non
modò cõfessio, verumetiã commemoratio. Eodem accedit, quòd hoc quoque intelligere potestis,
istum statuisse in prouincia sua, existimationis suæ iudicium extra cohortem suã committẽdum
fuisse nemini. Ecquis est iudex, cui non ab initio decumani criminis persuasum sit, istum in arato
rum bona, fortunásque impetum fecisse? Quis hoc nõ ex eo statim iudicauit, quod ostendi, istũ de-
cumas noua lege, atque adeò nulla lege, contra omniũ consuetudinem, atque instituta vendidisse?
143. Verum vt istos ego iudices tã seueros, tam diligẽtes, tam religiosos nõ haberem, ecquis est ex iniu-

riarum magnitudine,improbitate decretorũ,iudiciorũ iniquitate qui hoc nõ iandudũ statuerit, & iudicarit? Etiã sanè,sit aliquis dissolutior in iudicando,legũ,officii,Reip.sociorũ, atque amicorum negligentior:quid is,possitne de istius improbitate dubitare,quũ tanta lucra facta,tam iniquas pactiones vi,& metu expressas cognouerit? quũ tanta præmia,ciuitates vi,atque imperio, virgarum, ac mortis metu non modò Apronio,atque eius similibus,verumetiã Veneriis seruis dare coactas?

Crimen domesticum ac vernaculum. Verna seruus est domi nostræ ex ancilla natus. Crimen vernaculum,domi natum & confictum ab accusatore.

Ex tempore periculi. Ex eo tempore quo in iudicium vocatus es.

Excogitatum iam. Aldinus,& alii libri veteres,Cogitatum.quod magis arridet:quũ Excogitare,fingere potius,& cõminisci significet.tametsi, vt verum dicam,neutra satis huius loci sententiæ congruit. Existimarem ita potius corrigendum,Cognitum iam,& te Prætore iactatum.nisi fortè melius sic fuerit,Cognitum iam te Prætore, & iactatum.

CICERO. 371

Quòd siquis sociorum incõmodis minus mouetur: siquem aratorũ fugæ, calamitates, exilia, suspendia denique non permouent:nõ possum dubitare quin is tamen,quũ vastatam Siciliã, relictos agros ex ciuitatũ literis, & epistola L. Metelli cognouerit, statuat fieri non posse vt de isto non seuerissimè iudicetur. Erit etiã aliquis qui hæc omnia dissimulare,ac negligere possit. Attuli sponsiones ipso præsente factas de decumarũ societate,ab ipso probibitas iudicari. Quid est quod posset quisquã manifestius hoc desiderare? non dubito quin vobis satisfecerim Iudices: veruntamen progrediar longius: nõ mehercule quo magis hoc vobis persuadeatur,quàm iã persuasum esse cõfido: sed vt ille aliquando impudentiæ suæ finem faciat,aliquando desinat ea se putare posse emere,quæ ipse semper habuit venalia,fidem,iusiurandũ,veritatem,officiũ,religionẽ:desinant amici eius ea dictitare quæ detrimẽto,maculæ,inuidiæ,infamiæ nobis omnibus esse possint. at qui amici? O miserum,atque inuidiosum,offẽsũmque paucorũ culpa,atque indignitate ordinẽ Senatorium. Albam AEmiliũ sedentem in faucibus macelli loqui palàm, vicisse Verrẽ, emptos habere Iudices, alium H S CCCC millibus,aliũ H-S D:quem minimo,CCC:atque ei quũ responsum esset,fieri non posse, multos testes esse dicturos,me præterea causæ non defuturum, Licet hercules,inquit,omnes omnia dicant:in *illo nisi ita res manifesta erit allata vt responderi nihil possit, vicimus. Bene agis Alba: ad tuam veniam conditionem.

*illum l.

Sedentem in faucibus macelli: Vide pro Quintio,pag.8.

H·S CCCC millibus. Coronatorum decem millibus.

H-S D. Subaudi,millibus.id est duodecim millibus coronatorum,supra quingentos.

Qui minimo CCC. Septem coronatorum millibus,& præterea quingentis.

In illo nisi ita res. Vetus codex, In illum.& sic puto corrigendum.

CICERO. 372

*arat

*literas. res manifestas

Nihil putas valere in iudiciis cõiecturã,nihil suspicionẽ,nihil anteactæ vitæ existimationẽ,nihil bonorũ virorũ testimonia,nihil ciuitatũ auctoritates,*ac testimonia *literas manifestas quæris. non quæro iudices Cassianos,veterẽ iudiciorũ seueritatem nõ requiro: vestrã in hoc fidem,dignitatem,religionẽ in iudicãdo non imploro: Albã habebo iudicem,cum hominẽ qui se ipse scurram improbissimum existimari vult,qui à scurris potius semper gladiator,quàm scurra appellatus sit. Afferã rem eiusmodi in decumis,vt Alba fateatur,istũ in re frumentaria,& in bonis aratorũ apertè,palámque esse prædatum. Decumas agri Leontini magno dicit se vendidisse. ostendi iam illud initio,nõ existimandũ magno vẽdidisse eum,qui verbo decumas vendiderit,re & cõditione,& lege & edicto,& licentia Decumanorũ decumas aratoribus nullas reliqoas fecerit. etiam illud ostendi, vendidisse alios magno decumas agri Leõtini,cæterorúmque agrorũ,& lege Hieronica vendidisse, & pluris etiam quàm te,vendidisse,nec aratorem quenquã esse questum : nec enim fuit quod quisquam queri posset,quũ æquissimè scripta venirent. neque illud vnquam aratoris interfuit,quanti decumæ venirent: nõ enim ita est,vt si magno venierint,plus arator debeat: si paruo,minus. vt frumenta nata sunt,ita decumæ veneunt. Aratoris autem interest, ita se frumenta habere, vt decumæ quamplurimo venire possint. dum arator ne plus decuma det,expedit ei decumam esse quàm *maximam. Verum hoc, vt opinor, esse vis caput defensionis tuæ,magno te decumas vendidisse, agri verò Leontini,qui plurimum efficit tritici mod. *CCVI millibus,

l. *modici

*CCXVI

Literas manifestas quæris. Deprauatus apertè locus. Nã & literas protulit ac recitauit anteà manifestissimas: & postea quũ Albæ cõditionem recipit,nõ literas,sed res allaturum se ostendit. Sic igitur legẽdum existimarẽ, Nihil ciuitatum auctoritates,testimonia,literas: res manifestas quæris. Nam voculam RES omittere præsertim RAS syllabæ tam proximam, facillimum fuit scriptoribus, non valde ad negotium suum attentis.

Gladiator, quàm scurra. Nam scurræ,liberi: gladiatores,serui vilissimi: vt suprà ostẽdi. Sic in Orat. pro Quintio, Næuium scurram appellat,& libertate vsum dicit,quo impunius dicax esset.

Aratoris autem interest. Quanto enim plus habet frumenti,tanto pluris sunt decumæ.

Decumam esse quàm maximam. Longe melior lectio quæ est in manuscripto codice, Decumam esse quàm maximi.& ita sensus postulat.

Tritici mod. C C V I. Corrige, C C X V I, ex pag. 353.

Si doceo, pluris aliquanto potuisse te vendere, neque his voluisse addicere qui contra Aproniū dicerentur,& Apronio multo minoris, quàm aliis potueris, tradidisse: si hoc doceo, poteritne te Alba, tuus antiquissimus non solum amicus, verumetiam amator, absoluere? Dico equitem R. hominem in primis honestum, Q. Minutium cum sui similibus, ad decumas agri Leontini tritici mod. non M, non M M, non M M M, sed ad vnas vnius agri decumas tritici mod. X X X, voluisse addere, & ei potestatem emendi non esse factam, ne res abiret ab Apronio. Negare hoc (nisi forte negare omnia constituisti) nullo modo potes. palàm res gesta est, maximo conuentu, Syracusis: testis est tota prouincia, propterea quòd vndique ad emendas decumas solēt eò cōuenire. Quod siue fateris, siue conuinceris: quot & quàm maximis in rebus tenearis, non vides? Primum tuam rem illam, & prædam fuisse: nam nisi ita esset, cur tu Apronium malebas, quem omnes tuā procuratorem in decumis negotium loquebantur, quàm Minutium decumas agri Leontini sumere? Deinde immensum, atq; infinitum lucrum esse factum: nam si D X X X mod. tritici tu cōmotus non esses, certè hoc idem lucri Minutius Apronio libēter dedisset, si ille accipere voluisset. Quátam igitur illi spem prædæ propositam arbitramur fuisse, qui tantum præsens lucrum nulla opera insumpta contempserit, atque despexerit? deinde ipse Minutius nunquam tanti habere voluisset, si decumas tu lege Hieronica venderes: sed quòd tuis nouis edictis, & iniquissimis institutis plus aliquanto se, quàm decumas ablaturū videbat, idcirco longius progressus est. At Apronio semper plus etiam multo abs te permissum est, quàm quod edixeras. CICERO. 375

Amicus, verū etiā amator. Amic⁹, inquit Donat⁹ interpres Terētii, animi est: amator verò, corporis

Tritici mod. X X X. Id est Tritici modium triginta millia.

Nam si D X X X *mod.* Deceptū puto librarium notæ similitudine: quum C I Ɔ, quæ nota est mille significans, scriptum esset. Nam & modò paulo antè, & paulo pòst præcisè modium triginta dixit, millia subaudiens: vt hoc loco legendum appareat, Millibus triginta modium tritici.

Quantum igitur quæstū putamus factum esse per eum, cui quiduis licitum sit, quum tantum lucri voluerit addere is, cui, si decumas emisset, idem non liceret? Postremo illa quidem certe tibi præcisa defensio est, in qua tu semper omnia tua furta, atque flagitia latere posse arbitratus es: magno te decumas vendidisse, plebi R. consuluisse, annonæ prospexisse. nō potest hoc dicere is, qui negare non potest, se vnius agri decumas X X X mod. minoris quàm potuerit, vendidisse. Vt etiam si tibi hoc concedam, Minutio ideo te non tradidisse, quòd iam addixisses Apronio (aiūt enim te ita dictitare: quod ego expectó, cupióque te illud defendere) verùm vt ita sit: tamen non potes hoc quasi præclarum aliquid prædicare, magno te decumas vendidisse, quū fuisse fateare qui multo pluris voluerit emere. Tenetur igitur iam Iudices, & manifesto tenetur auaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia. quid si hæc quæ dico ipsius amici, defēsorésque iudicarunt? quid vultis amplius? aduentu L. Metelli Prætoris, quum omnes eius comites iste sibi suo illo panchresto medicamēto amicos redemisset, aditum est ad Metellum: eductus est Apronius: eduxit vir primarius C. Gallius senator: à L. Metello, vt ex edicto suo iudicium daret in Apronium, Quod per vim, aut metum abstulisset (quam formulam Octauianam & Romæ Metellus habuerat, & habebat in prouincia) non impetrat; quū hoc diceret Metellus, præiudicium se de capite C. Verris per hoc iudicium nolle fieri. Tota Metelli cohors, hominum non ingratorum, aderat Apronio: C. Gallius, homo nostri ordinis, à suo familiarissimo L. Metello iudiciū ex edicto non potest impetrare. CICERO. 374

X X X. *mod. minoris.* Subaudi Millibus, vt superiores loci declarant: nisi forte poti⁹ addi oporteat.

Panchresto medicamento. Ad verbum, Medicamento ad omnia vtili, & accommodato: qualis est herba, quam Panacem siue Panaceam indidē sumpto nomine Græci vocant, vt Plinius scribit. Pecuniam autem significat, qua vna suos sibi omnes amicos deuinxerat.

Eductus est Apronius. In ius. Et sic loquutus est Asconius in Orat. in toga candida, Deinde Græci, quos spoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullū Prætorē, qui ius inter peregrinos dicebat. Sic noster paulo suprà, pag. 354. Et quum in ius ipsum eduxi, expressi, &c. Sumptu videtur de Græcorum consuetudine, qui [illegible] interdū omnino dicunt, interdū [illegible]. Plato in Apol. [illegible]. Demosthenes [illegible].

Quod per vim aut metum abstulisset. Formula iudicii, grandioribus literis scribenda. Verba Vlpiani subiiciā, quæ ad hunc locum faciunt. Ait Prætor, Quod metus causa gestū erit, ratū nō habebo. Olim ita dicebatur, Quod vi metúsve causa. Vis enim fiebat mētio, propter necessitatē impositam, contrariā voluntati. Metus autem propter instantis, vel futuri periculi causā, mentis trepidationē. Sed postea detracta est vis mētio: quia quodcūq; vi atroci fit, id metu quoq; fieri videtur.

Formulam Octauianam. Quam L. Octauius, Prætor quũ esset, instituerat. Et hoc consultò addidit, ad laudem præsentis L. Octauii iudicis: vt superiore Orat. pag. 234. Formulam autem modò Actionem dicit, vt locus ostendit: & Octauianam ab auctore nominat, quo modo Publicianã, Paulianam, Fauianam, Caluisianam, & cæteras Iurisconsulti nominant.

Et Romæ Metellus habuerat. In Prætora. Hoc autem amplificandi causa subiunxit, vt ostenderet se ius æquissimum impetrare non potuisse.

CICERO. 375 Non reprehendo Metellũ: pepercit homini amico, & quemadmodũ ipsum dicere audiui, necessario. non reprehendo inquã Metellũ: sed hoc miror, quomodo, de quo homine præiudicium noluerit fieri per Recuperatores, de hoc ipso nõ modò præiudicarit, verum grauissimè, ac vehementissimè iudicarit. primùm enim, si Aproniũ absolutũ iri putaret, nihil erat quod vllũ præiudiciũ vereretur: deinde, si cõdemnato Apronio, coniunctã cum eo Verris causam omnes erãt existimaturi, Metellus quidẽ certè iã hoc iudicabat, eorũ rem, causãmque esse coniunctã, qui statuerit, Apronio cõdẽnato, de isto præiudiciũ futurũ. Et simul vna res vtriq; rei est argumẽto: & aratores vi, & metu coactos Apronio multo plus, quàm debuerint, dedisse: & Apronium istius rẽ suo nomine egisse, quũ L. Metellus statuerit non posse Aproniũ condẽnari, quin simul de istius scelere atque improbitate iudicaretur. Venio nũc ad epistolam Timarchidis, liberti istius, & accensi. de qua quũ dixero, totũ hoc crimen decumanũ perorabo. Hæc Epistola est Iudices, quam nos Syracusis in ædibus Apronii, quũ literas cõquireremus, inuenimus. missa est, vt ipsa significat, ex itinere, quũ Verres iã de prouincia decessisset, Timarchidis manu scripta. Recita Epistolã Timarchidis. TIMARCHIDES VERRIS ACCENSVS APRONIO SALVTEM DICIT. Iam hoc quidem non reprehendo, quòd ascripsit, Accensus: cur enim sibi hoc Scribæ soli sumant? *L. Papirius scriba. volo ego hoc esse commune *accensorum, lictorum, viatorum. 153. 154.

Cur enim sibi hoc Scribæ soli sumant? Non obscurè significat Accensi munus non omnibus apparitoribus, sed Scribis tantùm cõcedi solitũ fuisse. tametsi κατ' εἰρωνείαν dicat, se nõ reprehẽdere quòd libertus Timarchides nomẽ illud sibi sumpserit, opinor quũ viator tãtùm, statórve esset. Suprà tamen permultis locis Timarchidẽ hoc nomine appellauit, vt pag. 251, Interea istius libertus & accensus idẽ Timarchides. Et pag. 254, Crebrò dimittebat se accẽsus ad aurẽ Timarchides. Erat autem nomen ordinis & promotionis in militia, vt Asconius scribit: inde dicti, quòd ad necessarias res sæpius accirentur. quemadmodũ ex Varronis verbis, quæ Nonius refert, intelligimus. Quum ergo honesta esset Accensorum procuratio, quippe quorum opera vicaria Imperatores multas ad res vterẽtur: credibile est hoc Ciceronem significare: huic viatori, indignũ fuisse eum honorem nomẽnque mandare. De accenso etiam dictum est pag. 185.

L. Papirius Scriba. Hoc quorsum pertineat, fateor mihi obscurũ esse: suspectúmque omnino locum, tanquam mendo & vitio alicui affinem.

Commune Accensorum. Verbum Accensorũ abundat: nisi vehemẽter me animus fallit. irrepsisse autẽ opinor ex adnotatione alicuius studiosi viri: cuius in libro subscriptũ hoc glossema inuẽtũ est, sub illis verbis, Hoc esse cõmune. vt HOC particulã ita declararet, nõ Scribarũ, sed Accẽsorũ.

CICERO. 376 FAC DILIGENTIAM ADHIBEAS, QVOD AD EXISTIMATIONEM PRAETORIS ATTINET. Cõmendat Apronio Verrẽ, & hortatur vt inimicis eius resistat. Bono præsidio munitur existimatio tua, si quidẽ in Apronii cõstituitur diligentia, atque auctoritate. HABES VIRTVTEM, ATQVE ELOQVENTIAM. Quàm copiose laudatur Apronius à Timarchide? quàm magnificè? cui ego non putẽ illum placere oportere, qui tãtopere Timarchidi probatus sit? HABES, SVMPTVM VNDE FACIAS. Necesse est, quod redondaret de vestro frumẽtario quæstu, ad illũ potissimum, per quẽ agebatis, defluxisse. SCRIBAS, APPARITORES RECENTES ARRIPE: CVM L. VVLTEIO, QVI PLVRIMVM POTEST, CAEDE, CONCIDE. Videte quàm valde malitiæ suæ cõfidat Timarchides, qui etiã Apronio improbitatis præcepta det. iã hoc, Cæde, Cõcide, non verba domo patroni depromere videtur ad omne genus nequitiæ accõmodata? VOLO MIHI FRATER EVLO TVO CREDAS. Cõsorti quidẽ in lucris, atq; furtis, gemino, & simillimo nequitia, improbitate, audacia. IN COHORTE CHARVS HABEARE. Quid est hoc, In cohorte? quò pertinet? Aproniũ doces? quid? in vestrã cohortem te monitore, an sua spõte peruenerat? QVOD CVIQVE OPVS SIT, *OPPONE. Qua impudentia putatis eũ in dominatione fuisse, qui in fuga tam improbus fuit? ait, omnia pecunia effici posse: *dare, profundere, opponere, si velis vincere. nõ hoc mihi tam molestum est Apronio suadere Timarchidem, quàm quòd hoc idem patrono suo præcipit. 155.

*L. oppone.

*l. Al. profunde, oppone,

Apparitores recentes. Qui nuper cum L. Metello venerunt. Hoc autem nomine & accensi, & interpretes, & lictores, & viatores, & alii denique omnes Imperatoris ministri intelliguntur.

Cæde, concide. Impartire aliquid de præda cohorti Metelli. Sic enim paulo pòst hoc ipsum interpretatur, Vulteium corrumpat, Scribas accensúmque pretio deliniat.

Gemino & simillimo. Trãslatũ à geminis, qui inter se solent esse simillimi. in Orat. pro Q. Roscio,

Simillima,& maximè gemina societas hæreditatis est.

Oppone. Vetus codex & quidam impressi, Appone.

Dare, profundere, apponere. Da, profunde, appone.

TE POSTVLANTE OMNES VINCERE SOLENT. Verre quidē Prætore, non Sacerdote, CICERO. non Peduceo, ᵃnon ipso Metello. SCIS METELLVM SAPIENTEM ESSE. Hoc verò ferri 377 iam non potest, irrideri viri optimi L. Metelli ingenium, & contemni, ac despici à fugitiuo Ti- *ᵃnon hoc ipso M.* marchide. SI VVLTEIVM HABEBIS, OMNIA LVDIBVNDVS PERFICIES. Hic vehementer errat Timarchides, qui aut Vulteium pecunia corrumpi putet posse, aut Metellum vnius arbitratu gerere Præturā. sed errauit cōiectura domestica: quia multos per se, & per alios multa ludibundos libidinose apud Verrem effecisse vidit, ad omnes eosdem patere aditus arbitrabatur. facilius vos efficiebatis ludibundi quæ volebatis à Verre, quòd multa eius ludorum genera noratis. INCVLCATVM EST METELLO ET VVLTEIO, TE ARATORES EVERTISSE. Quis istuc Apronio attribuebat, quū aratorē aliquem euerterat? aut Timarchidi, quū ob iudicandū, aut decernendū, aut imperandū aliquid, aut remittendum pecuniā acceperat? aut Sestio lictori, quū aliquem innocētem securi percusserat? nemo. omnes ei Verri tunc attribuebāt, quē nunc condēnari volunt. OBTVDERVNT EIVS AVRES, TE SOCIVM PRAETORIS FVISSE. Vidésne, hoc quàm clarum sit, & fuerit? quum etiam Timarchides hoc metuat: concedes, non hoc crimen nos in te confingere, sed iampridem ad crimen aliquam defensionem libertum quærere?

Non ipso Metello. Alii omnes, Non hoc ipso Metello.

Libertus & accensus tuus & tibi, ac liberis tuis omnibus in rebus cōiunctus, ac proximus, ad A- CICERO. proniū scribit, vulgo esse ab omnibus ita demōstratū Metello, tibi Aproniū in decumis sociū fuis- 378 se. FAC SCIAT IMPROBITATEM ARATORVM. IPSI SVDABVNT, SI DII VOLENT. Quod istuc per deos immortales, aut qua de causa excitatū esse dicamus in aratores tam infestum odium, atque tantum? quantam iniuriam fecerunt Verri aratores, vt eos etiam libertus, & accensus eius tā irato animo, his literis insequatur? Neque ego huius fugitiui Iudices epistolā vobis recitassem, nisi vt ex ea totius familiæ præcepta, & instituta, & disciplinam cognosceretis. Videris, vt moneat Aproniū, ᵇquibus rebus, ac muneribus insinuet in familiaritatem Metelli, Vulteiū corrūpat? *ᵇquibus se rebus* Scribas, accēsúmque pretio deliniat? ea præcipit, quæ vidit: ea monet alienū hominem, quæ domi didicit ipse. Verum in hoc errat vno, quòd easdem existimat vias ad omniū familiaritates esse munitas. Quanquā meritò sum iratus Metello: tamen hæc quæ vera sunt, dicā. Apronius ipsum Metellum non pretio, vt Verrē, non cōuiuio, non muliere, nō sermone incauto, atque improbo posset corrumpere. quibus rebus non sensim, atque moderatè ad istius amicitiā arrepserat, sed breui tempore totum hominem, totámque eius Præturam possederat. Cohortem autē Metelli quam vocas, quid erat quod corrumperet, ex qua Recuperatores nulli dabantur. ᶜNam quòd scribit Metelli fi- *ᶜdesunt quædam ex litera Tim.* lium puerum esse, vehementer errat: non enim ad omnes Prætorum filios iidem aditus sunt.

Quibus rebus insinuet. Quibus se rebus, legendum potius videtur.

Scribas, accensumque. Vulteium, opinor, significat: quū eum Timarchides illo in loco in quo Scribarum mentionem fecit, nominarit.

Sum iratus Metello. Quòd testes retinuit.

Non sermone incauto, atque improbo. Incauto, qui nō cauetur. Insolens locutio, cuius similem reperio apud Cornelium Tacitū libro primo, Consultátque ex duobus itineribus breue & solitum sequatur, an impeditius & intentatum, eóque hostibus incautum.

Quod scribit Metelli filium. Ex his verbis cōiectura ducimur, deesse locum epistolæ Timarchidis: in quo de Metelli filio mentio fiebat.

O Timarchide, Metelli est filius in prouincia, nō puer, sed adolescēs bonus, ac pudēs, dignus illo CICERO. loco, ac nomine. Vester ille puer prætextatus in prouincia quemadmodū fuisset, nō dicerē, si pueri 379 esse illā culpā, ac nō patris existimarē. tūne, quum te, ac tuā vitam nosses, in Siciliā tecum grādem prætextatū filium ducebas? vt etiā si natura puerū à paternis vitiis, atque à generis similitudine abduceret, cōsuetudo tamen eū, & disciplina degenerare nō fineret. fac enim fuisse in isto C. Lælii, M. Catonis materiē, atque indolē: quid ex eo boni sperari, atq; effici potest, qui in patris luxurie sic vixerit, vt nullū vnquā pudicū, neque sobriū conuiuiū viderit? qui in epulis quotidianis adulta ætate per trienniū inter impudicas mulieres, & intēperātes viros versatꝰ sit? nihil vnquā à patre audiuit, quo pudēcior, aut melior esset? nihil vnquā patrē agere vidit, quod quū imitatꝰ esset, nō (id quod turpissimū est) similis patri putaretur? Quibꝰ in rebus nō solū filio, verumetiā Reip. fecisti iniuriā: susceperas enim liberos nō solùm tibi, sed etiā patriæ, qui nō modò tibi voluptati, sed etiā qui aliquādo vsui Reip. esse possent. Eos instituere, atq; erudire ad maiorū instituta, atque ciuitatis disciplinā, non ad tuas turpitudines debuisti. Esset inerti, atque impuro, & improbo parēte natus, & pudens, & probus filius: haberet aliquid abs te Resp. muneris. Nunc pro te Verrem substituisti alterū ciui-

» tati: nisi hoc fortè deterior est, si fieri potest, quòd tu eiusmodi euasisti non in hominis luxuriosi, » sed tãtum in furis, ac diuisoris disciplina educatus. Quid isto festiuius fore arbitramur, qui est tuus » natura filius, consuetudine discipulus, voluntate similis?

Vester ille puer prætextatus. Prætexta pueri toga vtebantur adusque annum ætatis decimum septimum. quo tempore puram, quæ Virilis dicebatur, sumebant.

C. Lælij, M. Catonis materiem. Qui sapientes habiti & nominati sunt. Cicero de Amic. & lib. de Off. III. Hic est M. Cato, qui puer apud M. Drusũ auũculũ educatus, metu mortis adduci nõ potuit vt Latinos ciuitatẽ petẽtes apud auunculũ adiuuaret. ille ipse qui ad Syllã à pædagogo deductus, quũ proscriptorũ capita in atrio aspexisset, gladiũ petiit vt sua manu crudelissimũ tyrãnũ interficeret.

Quid ex eo boni sperari. Hæc in Verris filium, qui in iudicio sedebat cum patre atratus, eo cõsilio dicuntur, ne in epilogo, vt mos erat, productus ab Hortensio cõciliet misericordiam iudicum patri. Hac enim commiseratione vti mos erat: vt Cicero in Orat. pro Sylla, pro Flacco, & aliis.

In furis ac diuisoris. Vide 144.

CICERO. 380 » Quem ego Iudices, quanuis bonũ, fortémque facilè paterer euadere: nõ enim me inimicitiæ commouent, siquæ mihi cũ isto futuræ sint; nã si in omnibus rebus innocẽs fuero, meique similis, quid mihi istius inimicitiæ nocebũt? sin aliqua in re Verri similis fuero, nõ magis mihi deerit inimicus, quàm Verri defuit. etenim Iudices, eiusmodi Resp. debet esse, & erit, seueritate iudiciorũ constituta, vt inimicus neque deesse nocenti possit, neque obesse innocenti. Quapropter nulla res est quamobrem ego istũ nolim ex paternis probris, ac vitiis emergere: id quod tametsi isti difficile est, tamen haud scio an fieri possit, præsertim si (vt nunc fit) custodes amicorum eum sectabuntur, quoniam pater tam negligens, ac dissolutus est. Verùm huc longius, quàm voluntas fuit, ab epistola Timarchidis digressa est oratio mea. qua recitata, conclusurum me esse crimen decumarũ dixerã: ex quo intellexistis, innumerabilem frumenti numerũ per trienniũ auersum à Rep. esse, abreptũque aratoribus. Sequitur vt de frumẽto empto vos Iudices doceã, maximo, atque impudẽtissimo furto: de quo dum certa, & pauca & magna dicã breuiter, attendite. Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S.C. & ex lege Terentia, & Cassia frumẽtaria. Emundi duo genera fuerũt, vnũ ¹certarum decumarum: alterum, quod præterea ciuitatibus æqualiter esset distributum. Illius decumani tantum quantum ex primis decumis ²fuisset tritici mod. DCCC millia: pretium autem constitutum decumano in modios singulos ³H-S ternos, imperato H-S IIII.

¹ l. alterarum
² fuisset huius, tritici
³ l. H-S terni,

Custodes amicorũ eũ sectabũtur. Hoc velim aliquis eruditior interpretetur: cui ego magnã gratiã sum habiturus. studiosus lector infirmitatẽ ingenii mei excusabit, quã fateri malui, quàm (quod pleriq; faciũt) quenquã in fraudẽ inducere. Custodes quidẽ, vt ex Cicerone docet Serui⁹ in lib. AEneid. V, dicebãtur quasi magistri militiæ, qui ad militiã cũtibus dari solebãt, quib⁹ primo anno regerẽtur.

Frumentum emere in Sicilia. Altera pars causæ frumẽtariæ, in qua de frumẽto empto breuiter commemorat. Lege Rupilia tenebantur populi Siciliæ vectigales populo R. frumẽti quantum vellet, certo pretio vẽdere. Ea pecunia Prætori ex vectigalibus attribui solebat, qui populo frumenti numerum quem is posceret curabat. Id frumentum, Emptum dicebatur.

Ex lege Terentia & Cassia. Vide pag. 180.

Certarum decumarum. Alterarum decumarũ, ex iis quæ sequuntur, legendum apparet. & ita legitur in codice manuscripto perantiquo. Alteras autem decumas significat, quæ præter primas à Siculis dabantur, accepta tamen pecunia.

Quantum ex primis decumis fuisset. Nimirum modiũ tricies: quãtum ex summa pecuniæ, quæ est in annos singulos, ad nonagies existimare licet. Nam desiderari aliquid hoc loco certum est ante hoc verbum Tritici mod. DCCC. nimirũ HVIVS, vt subaudiatur, Imperati. Fuit enim hæc summa imperati, vt mox dicemus. & apparet ex eo quod dicit, pag. 388, Nam vt illud missum faciam permultos aratores in alteras decumas, & in hæc DCCC millia modiũ, quod emptum populo R. daretur, &c. Sic igitur scribamus, vt post FVISSET, ea nota ponatur quam Græci κῶμμα, Latini membrum appellant. post κῶμμα, vox HVIVS. vt sit, Huius tritici mod. IↃCCC millia.

H-S ternos. Terni, vetus codex. & sic emenda. Illud autem animaduersione dignum est hoc loco, quòd frumentũ, quod præter decumas Siculi dabant, populus R. carius emeret, quàm vulgò veniret. Nã sæpe antea medimnũ, id est sex modios, XV sestertiis nummis fuisse ostendit. quũ hic pro alteris decumis XVIII sestertios in medimnum, imperato verò XXIIII attributos dicit.

CICERO. 381 » Ita in frumentum imperatum ⁴H-S duodetricies in annos singulos Verri decernebatur quod aratoribus solueret, in alteras decumas fermè ad nonagies. sic per triẽnium ad hanc frumenti emptionem Siciliensem propè centies & tricies erogatum est. Hanc pecuniam tantam, datam tibi ex ærario inopi, atque exhausto, datam ad frumẽtum, hoc est ad necessitatem salutis & vitæ, datam vt Siculis aratoribus, quibus tanta onera Respub. imponeret, solueretur, abs te sic laceratã esse dico, vt possim illud probare, si velim, omnem te hanc pecuniã domum tuam auertisse. etenim sic hanc

⁴ H-S II & tricies in

rem totam administrasti, vt hoc, quod dico, probari æquissimo iudici possit. Sed ego habebo rationem auctoritatis meæ: meminero quo animo, quo consilio ad causam publicam accesserim: non agam tecum accusatoriè: nihil fingam: nihil probari velim me dicente, quod nó antè mihimet ipsi probatum sit. In hac pecunia publica Iudices, hæc insunt tria genera furtorum. Primùm eam, quũ posita esset apud eas societates, vnde erat attributa, binis centesimis fœneratus est: deinde permultis ciuitatibus pro frumento nihil soluit omnino: postremò sicui ciuitati soluit, tantum detraxit quantum commodũ fuit, nulli quod debitum est: reddidit. Ac primùm hoc ex te quæro: tu, cui publicani è Carpinatii literis gratias egerunt, pecunia publica ex ærario erogata, ex vectigalibus populi R. ad emẽdum frumentum attributa fueritne tibi quæstui: pensitaritne tibi binas centesimas. credo te negaturum: turpis enim est, & periculosa confessio. mihi autem hoc perarduum est demonstrare: quibus enim testibus? publicani tractati honorificè sunt, tacebũt. literæ eorum decreto Decumanorum remotæ sunt.

H-S duodetricies. Falsum. & hoc vidit Budæus, qui hunc locum, vt ait, mendosum maluit relinquere, quàm quicquam asserere. Nos parua immutatione ita hunc locum emendabimus, vt cuiuis nostram hanc sententiã probatũ iri confidamus. Sic igitur legimus, I I & tricies: quod sic interpretamur, bis & tricies. Nam in annos singulos tantundem sine vllo errore efficitur. Mendi autem occasionem hoc attulit, quòd quũ hic locus notis ita scriptus esset, H-S I I & tricies: & alii postea imperiti librarii sic eum descripsissent, Duo & tricies: alius tãdem corruptã locutionem animaduertens, deterius in duodetricies corrupit. nisi fortè Duo & tricies Latinè dictũ putemus, simili figura qua Fabius in annalib⁹ duo & tricesimo anno dixisse Gellius testatur, lib. v, cap. I V. Mortuus est, inquit, Fabius, anno duo & vicesimo, Rex fuit anno vicesimoprimo. Et qua Corneliũ Tacitum vsum plerunque, Budæus obseruauit, quũ diceret, Vna & vicesimanorũ principes, Sextadecimanos duodeuicesimanósque læuũ cornu cõplesse, Abduxit Alexãdria Duodeuicesimanos, tertianósque. Plinius lib. I I, Quantas enim dimetiens habeat septimas, tantas habere circulũ duo & vicesimas. Sed superior cõiectura magis arridet, vt Bis & tricies similiter dictum sit, ac Bis & vicies in Epistola prima lib. ad Att. X I. Ego in cistophoro in Asia habeo ad H-S bis & vicies. Et Sueton. in Cæsare, Galliam quæ patet ad bis & tricies centum millia passuum.

Duodetricies decernebatur. De hoc dicendi genere, quo centena millia non subaudiuntur, & aduerbium Decies cum singulari numero construitur, cognosce pag. 167.

Sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Siciliensem propè centies & tricies erogatum est. Per triennium, sic accipe, Per singulos annos triẽnii. Nam etsi ex nonagies & bis ac tricies non integrã hanc summam efficiamus, sed tantùm Centies & bis ac vicies: tamen hæc est cõsuetudo Ciceronis, vt plerunque numerũ denariũ inchoatũ efferat pro perfecto. quod & alibi plerunque obseruauimus, & Asconius quodam loco admonuit. Et si Triẽnium integrũ sumamus, efficiemus H-S ter & centies sexagies sexies. Similis locutio pag. 405, Quod Antonius vno aduẽtu, & vix menstruis cibariis fecerit, id istum per triennium fecisse. Et pag. 469, Mitto inquam hæc omnia quæ ab isto per trienniũ perfecta sunt. id est, per singulos annos triennii.

Datum tibi ex Aerario inopi. Tum tamẽ posita adhuc erat apud eas societates, vnde erat attributa: vt nunc dicet. sed quod debetur AErario, id in AErario esse intelligitur. & est Rhetorica amplificatio.

Binis centesimis fœneratus est. Cẽtesimæ dicũtur, quũ singulis Calendis pars sortis centesima vsuræ nomine persoluitur. vt si in centũ H-S millia singulis mensibus mille sestertii soluantur. Binæ, cum duo millia. de quo latè dixi in libello De vsuris.

E Carpinatii literis. Pag. 295.

Quò me igitur vertam? rem tam improbã, crimen tantæ audaciæ, tantæque impudẽtiæ propter inopiã testium, ac literarum prætermittã? Non faciã Iudices: vtar teste: quo? P. Vectio Chilone, homine Equestris ordinis honestissimo, atq; ornatissimo: qui isti ita amicus & necessarius est, vt etiã si vir bonus nó esset, tamẽ quod cótra istũ diceret, graue videretur: ita vir bonus est, vt etiã si inimicissimus isti esset, tamẽ eius testimonio credi oporteret. Admiratur & expectat quidnã Vectius dicturus sit. nihil dicet ex tẽpore, nihil ex sua volũtate, nihil vt ei verumuis licuisse videatur. Misit in Siciliã literas ad Carpinatiũ, quũ esset Magister scripturæ, & sex publicanorũ: quas ego Syracusis apud Carpinatium in literarũ allatarũ libris, Romæ in literarũ missarum apud magistrũ Tulliũ familiarem tuũ inueni: quibus ex literis impudentiã fœnerationis quæso cognoscite. LITERAE MISSAE L. VECTII, L. SERVILIS, C. ANTISTITIS MAGISTRORVM. Præsto se tibi ait futurũ Vectius, & obseruaturũ quemadmodũ rationes ad AErariũ referas: vt, si hanc ex fœnore populo pecuniã non retuleris, reddas societati. Possumus hoc teste, possumus P. Seruilii & C. Antistitis Magistrorum, primorum hominũ, atque honestissimorũ, possumus auctoritate societatis, cuius literis vtimur, quod dicimus obtinere: an aliqua firmiora aut grauiora quærẽda sunt? Vectius tu⁹ familiarissimus, Vectius tuus affinis, cuius sororẽ habes in matrimonio, tuæ frater vxoris Vectius, frater

CICERO. 382

tui Quæstoris, impudentissimum tuum furtum, certissimúmque peculatum: nam quo alio nomine pecuniæ publicæ fœnerario est appellanda?

Decreto Decumanorum remot & fine. Vide pag. 26.

Nihil dicas ex tempore. Id est, Nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum. vt 386.

Magister scripturæ. In Sicilia qui tamen non tam Magister erat, quàm pro magistro. vide 294.

Et sex publicanorum. Corruptus locus. Verus o liber, Et eius societatis publicanorum.

Ad ærarium referas. Magistratus, qui pecuniam publicam administrassent, Romæ ad Quæstores ærarios rationem referebant.

Reddas societati. Fœnus enim alienæ sortis capere, nisi iniuria non posset.

Fœneratio est appellanda. Deest aliquid huiusmodi, Ferendum non putat, tolerare non potuit, nisi forte *[illegible]* esse dicamus, quale alibi non vno loco notauimus.

CICERO. 383 Recita reliqua. Scribam tuum dicit Verres huius perscriptorē fœnerationis fuisse. Ei quoque magistri minantur in literis. *& casu scribæ tum duo magistri fuerunt cum Vectio. Binas centesimas ab se ablatas ferundum non putant: & rectè non putát: quis enim hoc fecit vnquam, quis denique conatus est facere, aut posse fieri cogitauit, vt quum Senatus publicanos vsura sæpe iuuisset, magistratus à publicanis pecuniam pro vsuris auderet auferre? Certe huic homini spes nulla salutis esset, si publicani, hoc est si equites R. iudicarent. minor esse *cura* nunc Iudices vobis disceptantibus debet, & tanto minor, quanto est honestius alienis iniuriis, quàm re sua commoueri. Quid ad hæc respondere cogitas? vtrum, factum negabis, an tibi hoc licitum esse defendes? Negare quî potes? an vt tanta auctoritate literarum, tot testibus publicanis conuincare? Licuisse vero quî? si mehercule te tuam pecuniam, non populi R. in prouincia fœneratū docerem, tamen effugere non posses. Sed publicam, sed ob frumentum decretam, sed à publicanis fœnore accepto, hoc licuisse cuiquā probabis, quo non modò cæteri, sed ipse nihil audacius, improbiúsque fecisti? Non mehercule hoc, quod omnibus singulare videtur, de quo mihi deinceps dicendum est, possum Iudices dicere audacius esse, aut impudentius, quòd permultis ciuitatibus pro frumento nihil soluit omnino: maior hæc præda fortasse est: sed illa impudentia certe non minor. Et quoniam de illa fœneratione satis dictum est: nunc de hac tota pecunia auersa quæso cognoscite.

** et enim casu scribæ tum duo magistri affuerunt.*

Perscriptorem fœnerationis. In tabulas debitorum nomina retulisse, literis consignasse.

Et casu scribæ tum duo fuerunt. In manuscripto, Etenim casu scribæ tum duo affuerunt. quod valde arridet.

Ferendum non putant. Præsertim quum grauiores & acerbiores essent. Nam vnas centesimas vel acerbissimis fœneratoribus satis videri, idem scribit libro epist. ad Att. I I I I.

Vsura sæpe iuuisset. Obserua, Vsura, pro vsu & commodo pecuniæ. quæ propria est huius verbi significatio. Similiter in libro Tusc. dispur. I, Natura dedit vsuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præstituta die. quid est igitur quod querare, si repetit quum vult? Sed postea recepta loquendi consuetudine factum est, vt quemadmodū Locatio pro Locationis mercede accipitur, eodē modo Vsura, pro Vsuræ mercede & pretio diceretur: de quo fusiꝰ in libris de Vsuris explicauimus.

Effugere non posses. Similiter Modestinus Iurisconsultus libro Digestorum XII, tit. Si certū pet. Principalibus, inquit, constitutionibus cauetur, ne ii qui prouinciā regunt, quive circa eos sunt, negotientur, mutuam pecuniam dent, fœnúsve exerceant.

CICERO. 384. Siciliæ ciuitates multæ sunt Iudices ornatæ, atque honestæ. ex quibus in primis numeranda est ciuitas Halesina: nullam enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut auctoritate grauiorem. huic iste *annos singulos quū sexaginta tritici millia modium imperauisset, pro tritico nummos abstulit, quāti erat in Sicilia triticum: quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. Obstupui Iudices, quum hoc mihi primum Halesæ demonstrauit in Senatu Halesinorum homo summo ingenio, summa prudentia, summa auctoritate præditus Halesinus Aenias: cui Senatus dederat publicè causam, vt mihi, fratríque meo gratias ageret, & simul qui nos ea quæ ad iudicium pertinerent, doceret. Demonstrat hanc istius consuetudinem, ac rationem fuisse: quum omnis frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta, solitum esse istum pecuniam cogere à ciuitatibus, frumentum improbare: quantum frumenti Romam esset mittendum, tantum de suo quæstu, ac de sua copia frumenti mittere. Posco rationes: inspicio literas: video frumenti granum Halesinos, quibus LX millia modium imperata erant, nullum dedisse: pecuniam Volcatio, Timarchidi, scribæ dedisse. Reperio genus huiuscemodi Iudices prædæ, vt Prætor, qui frumentum emere debebat, non emat, sed vendat: pecunias, quas ciuitatibus distribuere debebat, eas omnes auertat, atque auferat. non mihi iam furtum, sed monstrum, ac prodigium videbatur, ciuitatum frumentum improbare, pretiū ei frumento constituere: quod constituisset, id ciuitatibus auferre: quod à populo R. accepisset, tenere.

** in annos*

Iste annos singulos. Corrigendum putarem, Iste in annos singulos.

Senatus dederat publicè causam. Causam dare, pro Negotium dare, notanda locutio, cuius nullam adhuc similem reperire potui.

Mihi fratríque meo L. Tullium fratrem dicit patruelem, qui cum Cicerone profectus erat in Siciliam, inquirendorum Verris criminum causa. Idem libro de finib. v, Vnáque nobiscum Q. Frater & T. Pomponius, & L. Cicero frater noster, cognatione patruelis, amore germanus.

Decumarum nomine. Alterarum.

172. Quot vultis esse in vno furto peccatorum gradus? vt si singulis insistere velim, progredi iste non posset. Improbas frumentum Siculum. quid? ipse quod mittis? peculiarem habes aliquam Siciliam, quæ tibi ex alio genere frumẽtum suppeditare possit? Quum Senatus decernit vt ematur in Sicilia frumentum, aut populus iubet: hoc, vt opinor, intelligit, ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. tu, quũ ciuitatum Siciliæ vulgo omne frumentũ improbas, num ex AEgypto, aut ex Syria frumentum Romam mittis? Improbas Halesinũm, Cephaleditanũ, Thermitanum, Amestratinum, Tyndaritanum, Herbitense, multarũ præterea ciuitatum. quid accidit tãdem vt horum populorum agri frumẽtum eiusmodi te Prætore ferrẽt, quod nunquã antea? vt neque tibi, neque populo R. posset probari: præsertim quum ex iisdem agris, eiusdémque anni frumentum ex decumis Romam mancipes aduexissent. Quid acciderat vt ex eodem horreo, decumanum probaretur, emptũ non probaretur? dubiúmne est quin ista omnis impro- CICERO. 385 ipse nõ possem.

173. batio cogendæ pecuniæ causa nata sit? Esto: improbas Halesinũ: habes ab alio populo quod probes: eme illud quod placet: missos fac eos quorum frumentum improbasti. sed ab iis quos repudias, exigis tantum pecuniæ quantum ad eum numerum frumenti satis sit, quem ciuitati imperas. Dubium est quid egeris? in medimna singula video ex literis publicis tibi Halesinos H-S quinos denos dedisse. ostendam ex tabulis locupletissimorum aratorum, eodem tempore neminem in Sicilia pluris frumentum vendidisse.

Progredi iste non posset. Hoc quid significet, non dispicio. Effugere quidem & elabi hoc iudicio, verbum Progredi non declarat. quòd si, IPSE NON POSSEM legeremus, nihil esset apertius. nisi fortè hoc significet, Singula peccata tanta sunt, vt si pluribus verbis eorum indignitatem explicare vellem, summa & maxima viderentur: neque maiori indignitate ac scelera posse superari. Mihi tamen correctio magis arrideret.

Mancipes aduexissent. Mancipes hoc loco appellat publicanorum principes, Romanos homines, qui vectigalia quæstus sui causa redimebant.

Quæ ergo ista ratio, aut quæ potius amentia, frumentum improbare id quod ex eo loco sit ex quo Senatus & populus R. emi voluerit? ex eo aceruo ex quo partem tu idem, decumarũ nomine probaris? deinde à ciuitatibus pecunias ad emendũ cogere, quũ ex ærario acceperis? Vtrũ te lex Terentia Siculorum pecunia frumentum emere à Siculis, an populi R. pecunia frumentum ab Siculis emere iussit? iam verò ab isto omnem illam ex ærario pecuniam, quam his oportuit ciuitatibus pro frumento dari, lucrifactam videtis: accipis enim H-S XV pro medimno: tanti enim est illo tempore medimnum. retines H-S XII: tanti enim est frumentum Siciliense ex lege æstimatum. Quid interest, vtrum hoc feceris, an frumentum nõ improbaris, sed frumento probato, & accepto, pecuniam publicam tenueris omnem, neque quicquam vlli dissolueris ciuitati, quum æstimatio legis eiusmodi sit, vt cæteris temporibus tolerabilis Siculis, te Prætore etiã grata esse debuerit? est enim modius lege H-S III æstimatus: fuit autem te Prætore, vt in multis epistolis ad amicos tuos gloriaris, H-S II. Sed fuerit H-S III (quoniam tu tãtum à ciuitatibus in modios singulos exegisti: quũ, si solueres Siculis tantum quantum te populus R. iusserat, aratoribus fieri gratissimũ posset) tu non modo eos accipere, quod oportebat, noluisti, sed etiam dare quod non debebant, coegisti. Atque hæc ita gesta esse Iudices, cognoscite ex literis publicis ciui- CICERO. 386 H-S XVIII

175. tatum, & ex testimoniis publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum intelligatis. Omnia quæ dicimus, rationibus populorum non interpositis, neque perturbatis, neque repentinis, sed certis, institutis, ordine relata, atque confecta sunt.

Lex Terentia. Frumentaria, de qua pag. 180.

H-S XV. Id est, Sestertios quinos denos.

Tanti enim est illo tempore medimnum. Subaudi, Venditum. nisi forte à librario prætermissum est.

Retines H-S XII. Et paulo antè pag. 380, & modò paulo infrà, Modios singulos sestertiis ternis æstimatos dicit: vt hoc loco, non XII, sed XVIII reponendum esse videatur.

Cæteris temporibus. Quum alii Prætores essent, & frumentum Siculis suum relinquerent.

Vt in multis. Omnes alii, Vt tu in multis.

Ad amicos tuos gloriaris. Nam annonam vilem fuisse Magistratus gesti tẽpore, gloriosum erat Magistratibus. Epistolæ autẽ ad Hortensium missæ, in qua hoc idem scriptum erat, mẽtionem

» ripinorum,& Agrigentinorum,& nonnullorum fortasse præterea probasti,& bis populis pecuniã » dissoluisti. Sint aliquæ ciuitates in eo numero,quarum frumentum improbare nolueris:quid tandem:his ciuitatibus omnisne pecunia,quæ pro frumento debita est, dissoluta est? Vnum mihi reperi non populum,sed aratorem:vide, quære,circunspice,siquis forte est ex ea prouincia in qua tu » trienium præfuisti, qui te nolit perisse: vnum inquam da mihi ex illis aratoribus,qui vel ad statuã » pecuniam contulerũt, qui sibi dicat pro frumento omne esse,quod oportuerit,solutum.confirmo » Iudices,neminem esse dictum. Ex omni pecunia,quam aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant,primum pro spectatione,& collybo,deinde pro nescio quo cerario. Hæc omnia Iudices,non rerum certarum,sed furtorum improbissimorum sunt vocabula.nã » collybus esse quî potest, quũ vtantur omnes vno genere nummorum? cerarium vero quid vocas? » quomodo hoc nomẽ ad rationes Magistratus, quomodo ad pecuniã publicam allatũ est? nã illud » genus tertium deductionis erat eiusmodi,quasi non modo liceret, sed etiam oporteret: nec solum » oporteret,sed planè necesse esset. Scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquagesimæ detrahebãtur. Quis tibi hoc concessit? quæ lex,quæ Senatus auctoritas,quæ porrò æquitas,vt tãtam pecuniã » Scriba tuus auferret siue de aratorum bonis,siue de populi R. vectigalibus?

H-S XV. Sestertios quinos denos,vt pag. 385.

H-S XII. Corruptè,item vt illud in Aldi libro XXI. sed dixi paulo suprà quamobrẽ hoc quoque loco H-S XVIII legendum arbitrarer.

Ad statuam pecunias contulerunt. Suprà 281.

Spectatione & collybo. Spectatione,probatione pecuniæ,quæ à numulariis spectabatur. Spectator, inquit Terentius,probator. vt Spectatores pecuniæ dicũtur. Plautus in Persa, Toxilus, Nummi sexcenti hic erunt probi,numerati. Dorpalus, Non hercle qui nunc hoc dem spectandũ scio. Collybus autẽ propriè minuta est moneta. sed ferè pro permutatione nummorũ sumitur, qui in alienã regionẽ, in qua diuersi generis nummorum vsus est, deportantur. Cicero permutationem appellat in Epist. ad Appium Pulchrum, cuius initium est, Tralleis veni: Puto, inquit, me Laodiceæ fore, vbi perpaucos dies dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. Etiam pro rerum omnium permutatione cum pecunia, quæ fit ab argentariis, Collybus dicitur. vt apud Ciceronem Ep. v libri ad Att. XII, Quum omnia quæ haberet, cum argentario Celio permutare vellet, & in auream pecuniam redigere.

Non rerum certarum. Certas res dicit, quasi probatas ac receptas: vt pro Quintio, certum patremfamilias, probatum & cognitum.

Cerarium quid vocas? Vtrũm Cerarium eum appellat, qui ex cera tabulas cõficiebat? Ceratas enim tabulas fuisse constat. vt quoniam aratoris rationibus hæ tabulæ seruiebant, deduci aliquid iuberet Verres, quod pro ærarii mercede dissolueretur. An Cerarium dicit locum, in quo cera reconditur: vt Tabularium, in quo tabulæ? Scribæ autem daretur hæc deductio, quasi pro cera quæ ex cerario promebatur. Nam Scribarum hanc fuisse tertiam deductionem significare videtur.

» Nam si potest ista pecunia sine aratorum iniuria detrahi: populus Rom. habeat, præsertim in » tantis ærarii angustiis. sin autem & populus id voluit, & æquum ita est, solui aratoribus: tuus apparitor parua mercede populi conductus, de aratorum bonis prædabitur? & in hac causa Scribarum ordinem in me concitabit Hortensius? & eorum commoda à me labefactari, atque oppugnari iniuria dicet? Quasi vero hoc Scribis vllo exemplo sit, aut vllo iure concessum. Quid ego vetera repetam? aut quid eorum Scribarum mentionem faciam, quos constat sanctissimos homines, atque innocentissimos fuisse? Non me fugit Iudices, vetera exempla pro fictis fabulis iam » audiri, atque haberi. In his temporibus versabor miseris, ac perditis. nuper Hortensi Quæstor fuisti. quid tui Scribæ fecerint, tu potes dicere. ego de meis hoc dico: quũ in eadem ista Sicilia pro frumẽto ciuitatibus pecuniam soluerem, mecum duos frugalissimos homines Scribas haberem, L. Mamilium, & L. Sergium: non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum » cuiquam esse deductum. Dicerem, hoc mihi totum esse attribuendum Iudices, si illi vnquam à me » hoc postulassent, si vnquam omnino cogitassent. quamobrem enim Scriba deducat, ac nõ potius » mulio qui aduexerit, tabellarius, cuius aduentu certiores facti petiuerunt? præco, qui adesse iussit? » viator, ac Venerius, qui fiscum sustulit? Quæ pars operæ, aut opportunitatis in Scriba est, cur ei nõ » modo merces tanta detur, sed cur cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat? Ordo est honestus. quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? est verò honestus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculáque Magistratuum committuntur.

Parua mercede populi. Populus R. Magistratuum ministris, scribis, accensis, præconibus, lictoribus, interpretibus, cæterísque apparitoribus, mercedem ministerii persoluebat. Apparitorem autem Scribam hoc loco appellat, vt pagina insequenti. de quo paulo antè diximus.

Mecum duos frugalissimos. Omnes alii, Et mecum.

quum hanc ſcripturam omnes libri retineant in Orat.inſequenti,pag.421?

Annulus aureus. Plinius lib.XXXIII,Annuli,inquit,diſtinxere alterum ordinē à plebe. Et paulo pòſt, Annuli planè medium ordinem tertiúmque plebi, & patribus inſeruere:ac quod antea militares equi nomen dederant,hoc nunc pecuniæ iudices tribuunt.

» Neque enim ſolum ſcribam tuum annulo,ſed etiam virum fortiſſimum,ac tui diſſimillimū CICERO
» Q.Rubrium,excellenti virtute,auctoritate,copiis,corona,& phaleris,& torque donaſti:M.Coſ- 392
» ſutium ſanctiſſimum virum,atque honeſtiſſimū:M.Caſtritium,ſummo ſplēdore,ingenio,"glo- "gratia
» ria præditum.Quid hæc ſibi horum trium ciuium R. dona voluerunt?Siculos præterea poten-
» tiſſimos,nobiliſſimóſque donaſti:qui nō (quemadmodum ſperaſti) tardiores fuerunt,ſed orna-
» tiores tuo iudicio ad teſtimonia dicunda venerunt.Quibus ex hoſtiū ſpoliis,de qua victoria,qua
» ex præda, aut manubiis hæc abs te donatio conſtituta eſt?an quòd te Prætore,paucorū aduentu
» myoparonum claſſis pulcherrima,Siciliæ propugnaculum,præſidiúmque prouinciæ,piratarū
» manibus incenſa eſt?an quòd ager Syracuſanus prædonū incendiis te Prætore vaſtatus eſt? an
» quòd forum Syracuſanum nauarchorum ſanguine redundauit? an quòd in portu Syracuſano
» piraticus myoparo nauigauit? Nihil poſſum reperire, quamobrem te in iſtam amentiam inci-
» diſſe arbitrer: niſi fortè id egiſti, vt hominibus ne obliuiſci quidem rerū tuarum malè geſtarū
» liceret.Annulo eſt aureo Scriba donatus:& ad eam donationem concio eſt aduocata. Quod erat
» os tuum, quum videbas in concione eos homines, quorū ex bonis iſte annulus aureus donaba-
» tur,qui ipſi annulos aureos poſuerant, liberíſque ſuis detraxerant,vt eſſet vnde Scriba tuus hoc
» tuum munus,ac beneficium tueretur?quæ porrò præfatio tuæ donationis fuit?illa ſcilicet vetus
» atque imperatoria, Quando tu quidem in prælio, in bello, in re militari: cuius ne mentio qui-
» dem te Prætore vlla facta eſt.

Coronā & phaleris & torque donaſti. Coronæ ciuicæ ciui dabantur ob ciuem in prælio ſeruatum. HOTOM.
Dabantur & vallares, muraléſque coronæ. Phaleris autē equitum nobilium equos ornari ſolitos,cōſtat ex Liuio & Plinio. De Torquatis autē militibus Vegetius lib.II ſic ſcribit, Torquati inquit, duplares, torquati ſimplares erant, quibus torquis aureus ſolidus,virtutis præmiū fuit: quē qui meruiſſet,præter laudē,interdū duas conſequebatur annonas,duplares duas, ſimplares vnā. De hiſce omnibus Suetonius in Auguſto ſic ſcribit, Dona militaria aliquāto facilius,phaleras & torques,quidquid auro,argētóque conſtaret, quàm vallares ac murales coronas,quæ honore præcederēt,dabat. Has quàm parciſſime & ſine ambitione,ac ſæpe etiam caligatis tribuit.

Ingenio, gloria præditum. Impreſſi multi,Gratia præditum. quod magis arridet.

Piratarum manibus incenſa eſt. Vide Verr.VI,pag.525.

Prædonū incendiis. Hoc alibi dictum non memini.

Nauarchorum ſanguine redundauit. Pag.538.

In portu Syracuſano. Pag.527.

Vt eſſet unde Scriba tuus hoc tuum munus,ac beneficium tueretur. Cenſus equeſtris ſeſtertiū erat quadringentorum milliū.auctor Suetonius.Hunc cenſum Equites tueri oportebat:alioqui equo publico à Cenſoribus multabantur.

In prælio,in bello. Inter bellum & prælium quid interſit,declarat Liuius his verbis libro X belli Punici,Faſſus in curia eſt,non prælio modò ſe eſſe,ſed bello victum.

» An illa,Quādoquidē tu nulla vnquā mihi in cupiditate,ac turpitudine defuiſti,omnibúſque CICERO.
» in iiſdē flagitiis mecum & in Legatione,& in Prætura, & hic in Sicilia verſatus es:ob haſce res, 393
» quoniā te locupletaui, hoc annulo aureo dono. Vera hæc fuiſſet oratio: non enim iſte annulus
» aureus abs te donatus,iſtum virum fortem,ſed hominem locupletem eſſe declarat. Ita eundē an-
» nulum ab alio datum teſtem virtutis duceremus, abs te donatum,comitē pecuniæ iudicamus.
» Dictum Iudices eſt de decumano frumento: dictum de empto:extremū & reliquum eſt de æſti-
» mato,quod tum magnitudine pecuniæ,tum iniuriæ genere quemuis debet commouere,te verò
» eo magis,quòd ad hoc crimen non ingenioſa aliqua defenſio, ſed improbiſſima confeſſio com-
» paratur.nam quum ex S.C. & ex legibus frumentum ei in cellam ſumere liceret,idque frumen-
» tum Senatus ita æſtimaſſet,quaternis HS tritici modium, binis hordei : iſte numero ad ſummā
» tritici adiecto,tritici modios ſingulos cum aratoribus denariis ternis æſtimauit. Non eſt in hoc
» crimen Hortenſi,ne forte ad hoc meditere,multos ſæpe viros bonos,& fortes,& innocentes cum
» aratoribus,& cum ciuitatibus frumētum, in cellam quod ſumi oporteret, æſtimaſſe, & pecuniā
» pro frumento abſtuliſſe. ſcio quid ſoleat fieri:ſcio quid liceat. nihil quod antea fuerat in cōſue-
» tudine bonorum,nunc in iſtius facto reprehenditur:hoc reprehendo,quòd quum in Sicilia HS
» II modius eſſet,vt iſtius epiſtola ad te miſſa declarat,ſummum HS ternis,id quod & teſtimoniis
» omnibus,& tabulis aratorum planum factum antea eſt:tum iſte pro tritici modiis ſingulis ter-
» nos ab aratoribus denarios exegit.

Ita eundem annulum. Ita, pro itaque: vt lib. De nat. deor. 1, Virtus autem actuosa est, & deus vester nihil agens: expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem est.

De æstimato. AEstimatum frumentum est, quod ex s.c. & legibus Prætori in cellam certo pretio imperatum, æstimare ipsi, & pecuniam pro frumento accipere licebat. Dabat igitur Senatus Quæstori ex ærario pecuniam, quam aratoribus pro fruméto solueret. Prætor aut frumentum quò vellet vehi imperabat: aut pro frumento pecuniam, quanti frumẽtum erat: aut verò etiam à Quæstore pecuniam, quam illi Senatus cellæ nomine concesserat, accipiebat.

Te verò eo magis. Te, quò referatur, non video. Nam de Verre nunc in tertia persona loquitur. Corrigendum putarem. Tum veró.

Ad summam tritici adiecto. Maiore tritici numero, quàm legibus liceret, imperato: vt infrà, Reperietis quinquies tanto iudices amplius istum, quàm quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse.

Denariis ternis. Denarius, inquit Varro, decem asses valebat. Sestertius autem asses duos cum semisse. Ita denarius sestertios quatuor valebat. Quod igitur binis, aut summùm ternis erat sestertiis, id Verres duodenis æstimauit. pag. 396, & in Diuin. 121.

Epistola ad te missa. Pag. 386.

CICERO 394 Hoc crimen est: vt intelligas non ex æstimatione, neque ex ternis denariis pendere crimen, sed ex coauctione annonæ, atque æstimationis. Etenim hæc æstimatio nata est Iudices, initio nõ ex Prætorum, aut Consulum, sed ex aratorum, atque ciuitatum cõmodo: nemo enim fuit initio tam impudens, qui quum frumentum deberetur, pecuniam posceret. Certe hoc ab aratore primum est profectum, aut ab ea ciuitate, cui imperabatur. quum aut frumentum vendidisset, aut seruare vellet, aut in eum locum, quò imperabatur, frumentum portare nollet: petiuit in beneficii loco & gratiæ, vt sibi pro frumento, quanti frumentũ esset, dare liceret. Ex huiuscemodi principio, atque ex liberalitate, atque accommodatione magistratuum, consuetudo æstimationis introducta est. Secuti sunt auariores magistratus: qui tamen in auaritia sua non solum viam quæstus inuenerunt, verumetiam exitum, ac rationem defensionis instituerunt: semper ad vltima, ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, vt vecturæ difficultate ad quam vellẽt æstimationem peruenirent. In hoc genere facilior est existimatio, quàm reprehensio: ideo quòd eũ, qui hoc facit, auarũ possumus existimare, crimen in eo constituere non tam facile possumus: quod videtur concedendum magistratibus nostris esse, vt iis, quo loco velint frumentũ accipere liceat. Itaque hoc est, quod multi fortasse fecerunt, & ita multi, vt ii, quos innocẽtissimos meminimus, aut audiuimus, non fecerint. Quæro nunc à te Hortensi, cum vtris tandem istius factum collaturus es? cum iis credo, qui benignitate adducti per beneficium, & gratiam ciuitatibus concesserunt vt nummos pro fruméto darent: ita credo, petiisse ab isto aratores, vt quum H-S ternis tritici modium vendere non possent, pro singulis modiis ternos denarios dare liceret.

HOTOM. *Non ex æstimatione, neque ex ternis denariis.* AEstimare siquidem licebat, etiam ternis, quaternísq; denariis: si modò tanti frumentum esset, idque annonæ ratio pateretur.

Ex coauctione annonæ atque æstimationis. Hoc est quod suprà dixit, Iste numero ad summã tritici adiecto, &c. & infrà, pag. 409, Atque isto Prætore Iudices, non solùm æstimandi frumenti modus non fuit, sed ne imperandi quidem: neque enim id, quod debebatur, sed quantum commodum fuit, imperauit. Annona autem pro frumento Prætoris annuo, sumitur hoc loco: vt quum scribit Asconius in Diuinat. Annonas Prætoris dicit, quæ in frumenti certo numero præbebantur ab Siculis. Et Vegetius eo, quem modo protulimus, loco.

Accommodatione magistratuum. Facilitate Prætorũ, qui se ad illorum voluntatem accommodabant.

CICERO. 395 An, quoniam hoc non audes dicere, illuc confugies, vecturæ difficultate adductos, ternos denarios dare maluisse? cuius vecturæ? quo ex loco? in quem locum ne portarẽt? Philomelóne Ephesum? Video quid inter annonam interesse soleat: video quot dierum via sit: video Philomelensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quàm Ephesum portare, aut ad emẽdum frumentum Ephesum pecuniã & Legatos mittere. In Sicilia verò quid eiusmodi? Enna mediterranea est maxime. coge vt ad aquam tibi, id quod summi iuris est, frumẽtum Ennenses metiantur, vel Plutiam, vel Halesam, vel Catinam, loca inter se maxime diuersa: eodem die quo iusseris, deportabunt. tametsi ne vectura quidem opus est: nã totus quæstus hic Iudices, æstimationis, ex annonæ nat' est varietate: hoc enim magistratus in prouincia assequi potest, vt ibi accipiat vbi est charissimum. Ideo valet ista ratio æstimationis in Asia: valet in Hispania: valet in iis prouinciis in quibus vnũ pretium frumento esse non solet. In Sicilia verò quid cuiusquã intererat quo loco daret? neque enim portandũ erat: & quò quisque vehere iussus esset, ibi tantidẽ frumentũ emeret, quanti domi vẽdidisset. Quamobrẽ siquid Hortẽsi docere vis, aliquid ab isto simile æstimatione, atq; à cæteris esse factũ: doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ

Prætore Verre ternis denariis tritici modium fuisse. Vide quã tibi defensionẽ patefecerim, quàm iniquam in socios, quàm remotã ab vtilitate Reip. quàm seiunctã à voluntate, atque sentẽtia legis.

Philomelióne Ephesum. Philomelióne corrigendum putarem. Est autem Philomelium Phrygiæ ciuitas, eius quæ παρώρειος dicitur, id est vltra montes iacens. Strabo, Ptolemæus, Plinius. Vecturã autem à Philomelio Ephesum difficilẽ anfractus, opínor, flexúsque Mæandri faciũt: qui, vt Plinius scribit, ad decimum à Mileto stadium illabitur mari. Passuũ autẽ à Philomelio Ephesum vsque, ducenta triginta millia numeramus. HOTOM.

Inter annonam interesse. Quum carior sit Ephesi, quàm Philomelij.

Mediterranea est. In media Sicilia sita est.

Cogas ad aquam. Ad aquam, vide supra 319.

Tu, quum tibi ego frumentum in meis agris, atque in mea ciuitate, denique quũ in eis locis in quibus es, versaris, rem geris, prouinciam administras, paratus sim dare: angulũ mihi aliquem eligas prouinciæ reconditum, ac derelictum? iubeas ibi me metiri, quò portare non expediat? vbi emere non possum? Improbum facinus Iudices, non ferendum, nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. tamen ego hoc, quod ferri nego posse, Verri Iudices concedo, & largior. si vllo in loco eius prouinciæ frumentum tanti fuit, quanti iste æstimauit: hoc crimen in istum reum valere oportere nõ arbitror. Verum enimuero quũ esset H-S binis, aut etiã ternis quibusvis in locis prouinciæ, duodenos sestertios exegisti. si mihi tecũ neque de annona, neque de æstimatione tua potest esse controuersia: quid sedes? quid expectas? quid defendes? Vtrũ tibi pecuniæ conciliatæ videntur aduersum leges, aduersum Remp. cum maxima sociorum iniuria: an vero id recte, ordine, è Rep. sine cuiusquã iniuria factum esse defendes? quũ tibi Senatus ex ærario pecuniã prompsisset, & singulos tibi denarios adnumerasset quos tu pro singulis modiis aratoribus solueres: quid facere debuisti? si, quod L. Piso ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit: quũ emisses, quãti esset: quod superaret pecuniæ, retulisses. si, vt ambitiosi homines, aut benigni: cũ pluris Senatus æstimasset, quàm quãti esset annona: ex Senatus æstimatione, nõ ex annonæ ratione soluisses. sin, vt plerique faciunt, in quo etiã erat aliquis quæstus, sed [a]his honestus, atque concessus: frumentum, quoniam vilius erat, ne emisses, sumpsisses id nummorũ, quod tibi senatus cellæ nomine concesserat. CICERO 396 — [a] is hon.

Potest esse controuersia. Hoc dicit, Si fateri cogeris neque varium fuisse annonæ pretium, neque tanti abs te æstimandum. HOTOM.

L. Piso ille Frugi. Vide infrà 438.

Qui legem de pecuniis repet. primus tulit. In libro de Officiis II, Nondum, inquit, centũ & decem anni sunt, quum de pecuniis repetũdis à L. Pisone lata est lex, nulla antea quum fuisset. at verò postea tot leges, & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati: tantum Italicum bellum propter iudiciorum metum excitatum: tanta sublatis legibus & iudiciis expilatio, direptióque sociorũ: vt imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

Ambitiosi homines. Qui gratiam & beneuolentiam prouincialium ambiunt, & consectantur. sic 263, 287.

Non ex annonæ ratione. Quanti frumentum esset: binis videlicet, aut summum ternis sestertiis.

His honestus. Corrige, Is honestus.

Hoc vero quid est? quam habet rationẽ, non quæro æquitatis, sed ipsius improbitatis, atque impudentiæ? neque enim est ferè quicquam quod homines palàm facere audeant in magistratu, quãuis improbi, quin eius facti si non bonam, at aliquam rationem afferre soleant. Hoc quid est? venit Prætor: Frumentũ, inquit, me abs te emere oportet. optumé. Modium denario. benigne, ac liberaliter: nã ego tribus H-S non possum vendere. mihi frumento non opus est: nũmos volo. [b]Non sperauerã, inquit arator, me ad denarios peruenturũ: sed, si ita necesse est, quanti frumentũ sit considera. video esse binis H-S. quid ergo à me tibi nummorũ dari potest, quum Senatus tibi quaternos nummos dederit? quid poscit, attẽdite. & vos quæso simul Iudices æquitatem Prætoris attendite. Quãternos H-S quos mihi Senatus decreuit, & ex ærario dedit: ego habebo, & in cistam transferam ex fisco. Quid postea? quid? pro singulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos H-S dato: qua ratione? quid quæris rationem? non tantam rationem res habet, quantam vtilitatem, atque prædam. Dic, inquit ille, planius. Senatus te voluit mihi nummos dare, me tibi frumentum metiri: tu eos nummos, quos mihi Senatus [c]dare voluit, ipse habebis? à me, cui singulos denarios dari oportuit, binos aufers? & huic prædæ, ac direptioni cellæ nomen imponis? Hæc deerat iniuria, & hæc calamitas aratoribus te Prætore, qua reliquis fortunis omnibus euerterentur nã quid esse reliqui poterat ei, qui per hanc iniuriam non modo frumentũ omne amittere, sed etiam omne instrumentum vendere cogeretur? CICERO 397 — [b] Nam sper. & — [c] dari

Non speraueram. Nonnulli impressi codices antiqui, in his Aldinus, Nam speraueram. quæ lectio HOTOM.

mihi maiorem in modum arridet. Hæc enim particula NAM interdum pro Atqui ponitur, vt suprà pag. 253, Nam Hercule, inquit Q. Minutius, me quoque Petilius, vt sibi in consilio adessem, rogauit. Et apud Plautum in Aulularia,

Euclio, Exi inquam, age exi, exeundum hercle tibi hinc est foras,
Circunspectatrix cum oculis emissitiis.
Staphyla, Nam cur me miseram verberas? Eu. Vt misera sis,
Atque vt te dignam mala malam ætatem exigas.
Staph. Nam qua nunc causa me extrusisti ex ædibus? Item in Casina act. 3. scen. 5. & Menæhmis, act. 2. scen. 3, & aliis locis sexcentis.

Quaternos nummos dederit. Eósque sumere & retinere possis, quum frumentum sit vilius.

Senatus dare voluit. Rectius putarem, Dari voluit.

CICERO. 398 Quò enim se verteret, non habebat. ex quo fructu nummos, quos tibi daret, inueniret? Decumarum nomine tantum erat ablatum, quantum voluntas tulerat Apronii: pro alteris decumis, emptóque frumento aut nihil datum, aut tantum datum, quantum reliqui Scriba fecerat, aut vltrò etiam (id quod didicistis) ablatum. Cogantur etiam nummi ab aratore. quo modo? quo iure? quo exemplo? nam quũ fructus diripiebantur aratorum, atque omni lacerabantur iniuria: videbatur id perdere arator quod aratro ipse quæsisset, in quo elaborasset, quod agri, segetésque extulissent. quibus iniuriis grauissimis tamẽ illud erat miserum solatiũ, quòd id perdere videbatur quod alio Prætore, eodem ex agro reparare posset. nummos verò vt daret arator, quos non aratro, ac manu quæsiit: boues, & aratrum ipsum, & omne instrumentum vendat necesse est. Nõ enim debetis hoc cogitare: Habet idem in nummis: habet idem in vrbanis prædiis. Nã quum aratori onus aliquod imponitur: non hominis, siquæ sunt præterea facultates, sed arationis ipsius vis, ac ratio consideranda est, quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit, ac debeat. Quanquam illi quoque sunt homines ab isto omni ratione exinaniti, ac perditi: tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in Remp. fungi, ac sustinere velitis. Imponitis decumas, patiuntur: alteras, temporibus vestris seruiendum putant. dent emptum præterea: dabunt, si voletis. Hæc quàm sint grauia, & quid his rebus detractis possit ad dominos puri, ac reliqui peruenire, credo vos ex vestris rebus rusticis coniectura assequi posse.

HOTOM. *Quantum reliqui Scriba fecerat.* Ablatis binis illis quinquagesimis.

Vrbanis prædiis. Vrbana prædia Iurisconsulti appellant, omnia ædificia, quamuis in villa sint.

CICERO. 399 Addite nunc eodem istius edicta, instituta, iniurias: addite Apronii, Veneriorúmque seruorum in agro decumano regna, ac rapinas: quanquã hæc omitto: de cella loquor. Placétne vobis in cellam Magistratibus nostris frumentum Siculos gratis dare? quid hoc indignius? quid iniquius? atqui hoc scitote aratoribus hoc Prætore optandum, ac petendum fuisse. Sositenus est Entellinus, homo cum primis ciuitatis prudens, & domi nobilis: cuius verba audistis: qui ad hoc iudiciũ Legatus publicè cum Arthemone, & Menisco primariis viris missus est. is quũ in Senatu Entellino multa mecum de istius iniuriis ageret, hoc dixit, si hoc de cella, atque hac æstimatione concederetur, velle Siculos Senatui polliceri frumentum in cellam gratis, ne posthac tantas pecunias Magistratibus nostris decerneremus. Perspicere vos certo scio, Siculis quantopere hoc expediat, non ad æquitatis conditionem, sed ad minima malorum eligenda. nam qui mille modiûm Verri suæ partis in cellam gratis dedisset, duo millia nummum, aut summum tria dedisset: idem nunc pro eodem numero frumenti H-S VIII millia dare coactus est. hoc arator assequi per triennium certo fructu suo non potuit: vendiderit instrumentum necesse est. quòd si hoc munus, & vectigal aratio tolerare, hoc est Sicilia ferre, ac pati potest: populo R. ferat potius, quàm nostris Magistratibus. Magna est pecunia, magnum præclarúmque vectigal. si modo id salua prouincia, si sine iniuria sociorum percipere possitis, nihil detraho. Magistratibus tantundem detur in cellam, quantũ semper datum est. quod præterea Verres imperat: id, si facere non possunt, recusent: si possunt, populi R. potius hoc sit vectigal, quàm præda Prætoris.

HOTOM. *Non ad æquitatis conditionem.* Non quia hoc ferat æquitatis ratio.

Minima malorum. Plautus in Sticho, E malis multis, malum quod minimum est, id minimum est malum.

CICERO. 400 Deinde cur in vno genere solo frumenti ista æstimatio constituitur? si est æqua, & ferenda: populo R. Sicilia decumas det, pro singulis tritici modiis ternos denarios, sibi habeat frumentum. Data tibi pecunia est Verres: vna, qua frumentum tibi emeres in cellam: altera, qua frumentũ emeres à ciuitatibus, quod Romam mitteres. Tibi datam pecuniam domi retines: & præterea pecuniã permagnam tuo nomine aufers. Fac idem in eo frumento quod ad populum R. pertinet: exige eadem æstimatione pecuniam à ciuitatibus, & refer quam accepisti. tum refertius erit ærarium populi R. quàm vnquam fuit. At enim istam rem in publico frumento Sicilia non ferret: hanc rem in

» meo frumento tulit. proinde quasi aut æquior sit ista æstimatio in tuo, quàm in Populi R. com
» modo: aut ea res quam ego dico, & ea quã tu fecisti, inter se genere iniuriæ, nõ magnitudine pe-
» cuniæ differat. Verum istã ipsam cellã ferre nullo modo possunt. vt omnia remittantur, vt o-
» mnibus iniuriis & calamitatibus, quas te Prætore tulerũt, in posterum liberentur, istam se cel-
» lam, atque istã æstimationẽ negant vllo modo ferre posse. Multa Sophocles Agrigẽtinus apud
» Cn. Pompeium COS. nuper homo disertissimus, & omni doctrina & virtute ornatissimus, pro
» tota Sicilia de aratorũ miseriis grauiter, ac copiosè dixisse, ac deplorasse dicitur. ex quibus hoc,
» iis qui aderant (nam magno conuentu acta res est) indignissimum videbatur: qua in re Senatus
» optimè, ac benignissimè cum aratoribus egisset, largè, liberalitérque æstimasset, in ea re prædа-
» ri Prætorem, bonis euerti aratores: & id nõ modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat, cõcessúmque sit.

Perinde quasi. Nonnulli correxerunt, Proinde quasi. sed vtrumque frequentissimè dicitur. HOTOM.

» Quid ad hæc Hortẽsius? falsũ esse crimẽ? hoc nũquã dicet. nõ magnã hac ratione pecuniã ca- CICERO.
» ptã? ne id quidẽ dicet. nõ iniuriã factã Siculis, atque aratoribus? qui poterit dicere? Quid igitur 401
» dicet? fecisse alios? quid est hoc? vtrũ crimini defensio, an comitatus exilio quæritur? Tu in hac
» Rep. atq; in hac hominũ libidine, &, vt adhuc habuit se status iudiciorũ, etiã licentia: nõ ex iure,
» nõ ex æquitate, nõ ex lege, nõ ex eo quod licuerit, sed ex eo quod aliquis fecerit: id quod reprehẽ
» ditur, rectè factũ esse defendes? Fecerũt aliqui alia quàm multa. cur in hoc vno crimine isto ge-
» nere defensionis vteris? sunt quædã omnino in te singularia, quæ in nullũ aliũ hominẽ dici, ne-
» que cõuenire possint: quædã tibi cũ multis cõmunia. Ergo vt omittã tuos peculatus, vt ob ius
» dicundũ pecunias acceptas, vt eiusmodi cætera, quæ forsitan alii quoque etiã fecerint: illud, in
» quo te grauissimè accusaui, quòd ob iudicandã rem pecuniã accepisses, eadẽ ista ratione defen-
» des, fecisse alios? vt ego assentiar orationi, defensionẽ tamen non probabo. Potius enim te dãna
» to, cæteris angustior locus improbitatis defendẽdæ relinquetur, quàm te absoluto, alii quod au
» dacissimè fecerunt, rectè fecisse existimentur. Lugẽt omnes prouinciæ: queruntur omnes liberi
» populi, regna denique iam omnia de nostris cupiditatibus & iniuriis expostulant: locus intra
» Oceanum iam nullus est, neque tam lõginquus, neque tam reconditus, quò non per hæc tẽpora
» nostrorum hominum libido, iniquitásque peruaserit. sustinere iam Populus Rom. omniũ na-
» tionum non vim, non arma, non bellum, sed luctum, lacrymas, querimonias non potest.

Comitatus exilio quæritur. Quæritur is, qui Verri in exilium eunti, similiter damnatus, sit comes. HOTOM.

Queruntur omnes liberi populi. Liberi populi sunt, qui neque vectigal pendunt, & suis legibus v-
tuntur. Magistratibus enim Populi R. ius in iis dicere non licet.

» In eiusmodi re, ac moribus, si is qui erit adductus in iudicium, quum manifestis in flagitiis CICERO.
» tenebitur, alios eadem fecisse dicet: illi exempla non deerunt, Reip. salus deerit, si improborum 402
» exemplis improbi iudicio, ac periculo liberabuntur. Placẽt vobis hominũ mores? placet ita ge
» ri Magistratus, vt geruntur? placet socios sic tractari, quod restat, vt per hæc tempora tractatos
» videtis? Cur hæc à me opera cõsumitur? quid sedetis? cur non in media oratione mea cõsurgitis,
» atque disceditis? Vultis autẽ istorum audacias, ac libidines aliqua ex parte resecare? definite du-
» bitare vtrũ sit vtilius, propter multos improbos vni parcere, an vnius improbi supplicio mul-
» torum improbitatẽ coercere? Tametsi quæ ista sunt exẽpla multorũ? nam quum in causa tan-
» ta, quum in crimine maximo dici à defensore cœptum est, factitatũ esse aliquid: expectãt ii qui
» audiunt, exempla ex vetere memoria, & monimentis, ac literis, plena dignitatis, plena antiqui-
» tatis: hæc plurimum solent & auctoritatis habere ad probandũ, & iucunditatis ad audiendum:
» Africanos mihi, & Catones, & Lælios commemorabis? & eos fecisse idem dices? quanuis res non
» placeat, tamen contra hominum auctoritatẽ pugnare non potero. an quũ eos non poteris pro-
» ferre, *hos recentes, Q. Catulũ patrẽ, C. Mariũ, Q. Scæuolã, M. Scaurum, Q. Metellum, qui om- *l. proferes hos
» nes prouincias habuerunt, & frumentũ cellæ nomine imperauerunt? Magna est hominum au-
» ctoritas, & tanta, vt etiam delicti suspicionem tegere possit. Non habes ne ex his quidem ho-
» minibus, qui nuper fuerunt, vllum auctorem istius æstimationis.

Hos recentes. Hoc amplius duo libri veteres, Proferes hos recẽtes. quod sine dubio rectum est. HOTOM.

» Quò me igitur, aut ad quæ exempla reuocas? ab illis hominibus, qui tũ versati sunt in Rep. CICERO.
» quum & optimi mores erãt, & hominũ existimatio grauis habebatur, & iudicia seuera fiebãt, ad 403
» hanc hominũ licentiã & libidinẽ me abducis? & in quos aliquid exẽpli Populus R. statui putat
» oportere, ab iis tu defensionis exẽpla quæris? Nõ fugio ne hos quidẽ mores, dũmodo ex his ea
» quæ probat populus R. exẽpla, nõ ea quæ condemnat, sequamur. Nõ circũspiciam, non quærã
» foris, quum habeas iudices principes ciuitatis, P. Seruilium, Q. Catulum, qui tanta auctoritate
» sunt, tantis rebus gestis, vt in illo antiquorum & clarissimorum hominũ, de quibus antea dixi,
» numero reponantur. Exempla quærimus, & ea non antiqua. modo vterque horum exercitũ ha
» buit. Quære Hortensi, quoniam te recentia exempla delectãt, quid fecerint. itáne vero? Q. Catu-

lus.

lus frumento est vsus, pecuniam non coegit. P. Seruilius quinquenniũ exercitui quũ præesset, & ista ratione innumerabilem pecuniam facere posset, non statuit sibi quidquã licere, quod nõ patrem suum, non auum Q. Metellum facere vidisset. C. Verres reperietur, qui quod expediat, id licere dicat? quod nemo nisi improbus fecerit, id aliorum exemplo se fecisse defendat? At in Sicilia factitatum est. quæ est ista conditio Siciliæ? cur, quæ optimo iure propter vetustatem, fidelitatẽ, propinquitatẽ esse debet, huic 'præcipua lex iniuriæ definitur? Sed in ista ipsa Sicilia nõ quærã exemplũ foris, hoc ipso ex consilio vtar exẽplis. C. Marcelle te appello, Siciliæ prouinciæ, quũ esses Procõsule, præfuisti. nũ quæ in tuo imperio pecuniæ, cellæ nomine coactæ sunt?

'præcipue

HOTOM. *P. Seruilium, Q. Catulum.* Q. Catulum Lutatium dicit, eius, quẽ paulò suprà patrem appellauit, filium. Consul hic M. Lepidum collegã, qui quum acta Syllæ rescindere tentaret, bellũ excitarat, prælio vicit. P. autem Seruilium dicit Isauricum, de quo libro Accus. 1, copiosè diximus.

In Sicilia factitatum est. Hoc dicit propter M. Lepidum & Antonium: de quibus pag. 226. & item C. Sacerdotem, de quo tamen respondet pagina insequenti.

Huic præcipua lex iniuriæ definitur. Apertius esset, Huic præcipuè. sic interpretor, Cur quasi lege permittente, liceat huic vni iniuriam facere, & ea lex vna hac prouincia definiatur, quasique circunscribatur?

CICERO. 404 Neque ego hoc in tua laude pono. alia sunt tua facta, atque consilia summa laude digna, quibus illã tu prouinciã afflictã, & perditã erexisti, atque recreasti. nam hoc de cella 'ante Lepidus quidẽ fecerat, cui tu successisti. Quæ sunt tibi igitur exẽpla in Sicilia cellæ, si hoc crimẽ nõ modò Marcelli facto, sed ne Lepidi quidem potes defendere? an me ad M. Antonii æstimationẽ frumẽti, exactionẽmque pecuniæ reuocaturus es? Ita, inquit, ad M. Antonii. hoc enim mihi significasse, & annuisse visus est. Ex omnibúsne igitur populi R. Prætoribus, Consulibus, Imperatoribus M. Antonium delegisti, & eius vnũ improbissimũ factũ, quod imitarere? & hic vtrũ mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se in illo infinito imperio M. Antonium gessisse, vt multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quàm ~~se posse~~ defendere, nihil in vita se M. Antonio simile fecisse? Homines in iudiciis ad crimẽ defendẽdum, non quid fecerit quispiam, proferre solent, sed quid probarit. Antoniũ, quũ multa contra sociorũ salutem, multa contra 'voluntatem prouinciarũ & faceret, & cogitaret, in mediis eius iniuriis, & cupiditatibus mors oppressit. Tu mihi, quasi eius omnia facta, atque cõsilia Senatus 'Populúsque R. ~~Iudices~~ comprobarint, ita Antonii exemplo istius audaciam defendis. At idem fecit Sacerdos. Hominem innocentem, & summa prudentia præditum nominas: sed tum idem fecisse erit existimandus, si eodẽ cõsilio fecerit. nam genus æstimationis ipsum à me nunquam est reprehensum: sed eius æquitas aratorum commodo, & voluntate perpenditur.

L'ne Lepidus
'si posset
L'vtilitatem
L'populusque R.

HOTOM. *Et perditam erexisti.* Pag. 226.

Antè Lepidus quidem fecerat. Ne Lepidus quidem fecerat, ex iis quæ sequuntur legendum esse apparet. Et vide de Lepido Asconiũ initio Ver. III. Sic etiã legitur in veterib' Lutetiæ impressis.

M. Antonium delegisti. De hoc quoque Ascon. in Diuinat. & Ver. III.

Quod imitarere? & hic vtrum. Suspectus mihi locus. hiare enim aliquid videtur. Omnes tamen libri consentiunt.

Quàm se posse. Postulare sententia videtur, Quàm si posset.

Sed quid probarint. Quid probatum, & laudatum fecerint, quid fecerint, quod aliis probetur: Probarit tamen in singulari numero, rectius & apertius existimarem.

Contra voluntatem. Antiquus codex, Vtilitatem, quod perspicuè rectum est.

Mors oppressit. Indicto Cretensibus bello, malè re gesta ibidem periit, inquit Asconius.

Populúsque R. iudices. Legendum putarem, Populique R. in secundo casu: sicuti legitur in Aldi, & multis impressis codicibus.

CICERO. 405 Non potest reprehendi illa æstimatio, quæ aratori non modò incommoda nõ est, sed etiam grata est. Sacerdos vt in prouinciam venit, frumẽtum in cellam imperauit. Quũ esset ante nouum tritici mod. HS XV, petiuerunt ab eo ciuitates vt æstimaret. remissior aliquãto eius fuit æstimatio, quàm annona. nam æstimauit denariis III. Vides eandem æstimationẽ propter temporis dissimilitudinẽ in illo laudis causam habere, in te criminis? in illo beneficii, in te iniuriæ? eodem tempore Antonius III denariis æstimauit post messem, summa in vilitate, quũ aratores frumentum dare gratis malebant, & aiebat, se tantidem æstimasse, quanti Sacerdotẽ: neque mẽtiebatur: sed eadem ista æstimatione alter subleuarat aratores, alter euerterat. quòd nisi omnis frumenti ratio ex tẽporibus esset, & annona nõ ex numero, neque ex summa cõsideranda, nunquam tam grati hi sesquimodii Q. Hortẽsi fuissent: quos tu quum ad mensuræ tam exiguã rationẽ 'populi R. in capita descripsisses, gratissimũ omnib' fecisti. caritas enim annonæ faciebat, vt istuc quod re paruũ videbatur, tẽpore magnũ videretur. idẽ istuc si in vilitate Populo R. largiri voluisses, derisum tuum beneficiũ esset, atque contemptũ. noli igitur dicere istum idem fe-

'populo R.L.

cisse:quod Sacerdotem: quoniam non eo tempore, neque simili fecit anno. Dicito potius,quo-
niam habes auctorem idoneum,quòd Antonius vno aduentu,& vix menstruis cibariis fecerit,
id istum per triennium fecisse:& istius innocentiā M.Antonii facto,atque auctoritate defēdito.

Eodem tempore. Idest,eodem anno. HOTOM.

Populi R. in capita descripsisses. Populo R.in tertio casu,alii libri rectius:& sic emenda. Describe-
re autem,distribuere & dispertiri significat.

Simili fecit anno. Annona,reponendum censeo,vt modò paulo antè,Nisi frumenti ratio ex tē-
poribus esset, & annona.

Nam de Sex.quidem Peduceo fortissimo atque innocētissimo viro quid dicitis? de quo quis CICERO.
vnquam arator questus est?aut quis non ad hoc tempus innocentissimam omnium,diligentis- 406
simámque Præturam illius hominis existimauit? Biennio prouinciam obtinuit, quū alter an-
nus in vilitate,alter in summa caritate fuerit: nū aut in vilitate nummū arator quisquā dedit,
aut in caritate de æstimatione frumēti questus est?at vberiora cibaria facta sunt caritate.credo:
neque id est nouum,neque reprehendendū. Modo C.Sentiū vidimus,hominē vetere illa,ac sin-
gulari innocentia præditum, propter caritatē frumenti quæ fuerat in Macedonia, permagnā
ex cibariis pecuniam reportare.Quamobrē non ego inuideo tuis cōmodis, siqua ad te lege ve-
nerunt. iniuriam queror,improbitatem arguo,auaritiam in crimen,& in iudicium voco.quòd
si suspiciones inilcere voletis,ad plures homines, & ad plures prouincias crimē hoc pertinere:
nō ego istam defensionē vestram pertimescā,sed me omniū prouinciarū defensorē esse profite
bor.etenim hoc dico,& magna voce dico:vbicunque hoc factū est,improbè factum est:quicun-
que hoc fecit,supplicio dignus est.nā per deos immortales videte Iudices, & prospicite animis
quid futurum sit.Multi magnas pecunias ab inuitis ciuitatibus,atque ab inuitis aratoribus ista
ratione cellæ nomine coegerunt (omnino ego neminem video,præter istum: sed do hoc vobis
& cōcedo,esse multos:in hoc homine rem adductam in iudicium videtis. quid facere potestis?
vtrum,quum Iudices sitis de pecunia capta,conciliata, tātam pecuniam captam negligere: an,
quum lex sociorum causa rogata sit,sociorum querimonias non audire?

Lex sociorum causa rogata. Hoc idem in Diuinatione dixit pag.117,Nā ciuibus quū sunt ereptæ HOTOM.
pecuniæ,ciuili ferè actione,inquit,& priuato iure repetuntur.hæc lex socialis est,hoc ius natio-
num exterarum.

Verū hoc quoque vobis remitto.negligite præterita, si vultis:sed ne reliquas spes turbetis; CICERO.
atque omnes prouincias euertatis, id prouidete,ne auaritiæ,quæ antehac occultis itineribus,at- 407
que angustiis vti solebat, auctoritate vestra viā patefaciatis illustrē, atque latā. nam si hoc pro-
batis,& si hoc licere,pecunias isto nomine capi,iudicatis: certè hoc, quod adhuc nemo nisi im-
probissim⁹ fecit,posthac nemo nisi stultissimus nō faciet.Improbi sunt qui pecunias cōtra leges
cogūt:stulti,qui quod licere iudicatū est,prætermittūt. Deinde Iudices videte, quàm infinitā si-
tis hominib⁹ licentiā pecuniarū eripiendarū daturi.si ternos denarios qui coegit erit absolutus:
quaternos,denos denique,aut vicenos coget alius.quæ erit reprehēsio? in quo primùm iniuriæ
gradu resistere incipiet seueritas iudicis? quotus erit iste denarius, qui nō sit ferendus? & in quo
primùm æstimationis iniquitas,atque improbitas reprehendatur?nō enim à vobis summa, sed
genus æstimationis est comprobatum: neque hoc potestis iudicare, ternis denariis æstimare li-
cere. vbi enim semel ab annonæ ratione, & ab aratorum voluntate res ad Prætoris libidinem
translata est,non est iam in lege, atque in officio,sed in voluntate hominum, atque audacia po-
situs modus æstimandi. Quapropter si vos semel in iudicando finem æquitatis & legis transie-
ritis:scitote vos nullum cæteris in æstimando finem improbitati,& auaritiæ reliquisse. Videte
igitur quàm multa simul à vobis postulētur:absoluite eum, qui se fateatur maximas pecunias
cum summa sociorū iniuria cepisse. non satis. sunt alii quoque complures qui idē fecerint. ab-
soluite etiā illos,siqui sunt: vt vno iudicio quāplurimos improbos liberetis.ne id quidē satis est.

Atque angustiis. Angustis,corrigendum videtur.nam contraria contrariis retulit,quum dixit HOTOM.
Occultis itineribus,& Viam illustrem: Angustis,& Latam.

Facite vt cæteris posthac idē liceat.licebit.at hoc parū est.Permittite vt liceat: quanti quis- CICERO.
que velit,tāti æstimet.æstimabit. Videtis iam profecto Iudices, hac æstimatione à vobis com- 408
probata, neque modum posthac auaritiæ cuiusquam, neque pœnā improbitatis futurā. Quas
ob res, quid agis Hortensi? Cōsul es designatus:prouinciā sortitus es: de æstimatione quū dices
frumenti,sic te audiemus,quasi id, quod ab isto rectè factum esse defendes, te facturū profiteare:
& quasi, quod isti licitum esse dices, vehementer cupias tibi licere. Atqui si id licebit, nihil est
quod putetis quenquam posthac cōmissurum, vt de pecuniis repetundis condēnari possit.quā-
tam enim quisque concupierit pecuniam, tantam licebit per cellæ nomē æstimationis magni-
tudine cōsequatur.At enim est quiddam,quod etiam si palàm in defendēdo nō dicit Hortēsius,

tamen ita dicit, vt vos id suspicari, & cogitare possitis: pertinere hoc ad commodũ senatorium, pertinere ad vtilitatẽ eorum qui iudicẽt, qui in prouinciis cum potestate, aut cum Legatione se futuros aliquando arbitrentur. Præclaros viros existimas iudices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes, quo facilius ipsis peccare liceat. Ergo id volumus populũ R. id prouincias, id socios nationésque exteras existimare, si Senatores iudicent, hoc certè, vnum genus infinitæ pecuniæ per summã iniuriam cogendæ nullo modo posse reprehendi: quod si ita est, quid possumus contra illum Prætorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui Remp. sistere negat posse, ni ad equestrem ordinem iudicia referantur?

HOTOM. *Consul es designatus: prouinciam sortitus es.* Senatus, priusquam comitia Consularia fierent, Consulibus futuris prouincias decernebat, vt apparet ex Orat. de prou. consul. his verbis, Itaque ego idẽ, qui nunc Consulibus iis, qui designati erũt, Syriam Macedoniámque decerno. Designati autem Cõsules sortiebantur prouincias: sicuti ex hoc loco intelligitur, & ex Sallustii verbis ex bello Iugurthino, quæ subiiciam, Sed vbi Senatus delicti cõscientia populũ timet, lege Sẽpronia, prouinciæ futuris COSS Numidia atque Italia decretæ sunt. Consules declarati sunt P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius. Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obuenit. Prætorum autem alia ratio est, vt suprà dixi pag. 229.

Pertinere hoc ad commodum Senatorium. Quòd nonnisi ex eodem ordine Senatorio aut cum potestate, aut cum legatione in prouincias mittuntur.

Eorum qui iudicent. Soli enim nunc iudicant Senatores.

Cum potestate, aut cum legatione. Cum potestate dicuntur esse magistratus, qui imperium à populo R. acceperunt: vt Prætores, & Consules. Legatorum verò varia erant genera: quemadmodum ex his Ciceronis verbis intelligitur, ex Oratione in Vatinium, Legati, id est nuntii pacis ac belli, curatores, interpretes, bellici cõsilii auctores, ministri muneris prouincialis, deligebantur à Senatu, more maiorum. Ministros autem dicit prouincialis muneris, qui cum Prætore, aut Consule mittuntur in prouincias, & in consilio cũ Prætore consident. Sallustius in Iugurthino, Rogationem ad populum promulgat vti quæreretur in eos qui à Iugurtha in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent.

Alienis peccatis concessuros. Concedere pro Ignoscere, vt in Orat. pro Sex. Roscio, Deinde quòd cæterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem, neque temere dicto concedi propter ætatem & prudentiam.

Prætorem, qui quotidie templum tenet. C. Aurelium Cottam, qui pro Rostris conciones habebat. de quo in Diuin. dictum est. Nauium Antiatium rostris suggestum in foro adornatum extructum est, Rostráque id templum appellatum. Varro, Liuius, & alibi dictum est.

Rempub sistere neque posse. Sistere, id est stare, consistere.

CICERO. Quòd si ille hoc vnũ agitare cœperit, esse aliquod genus cogendæ pecuniæ Senatorũ cõmu

409 ne, & iam propè concessum ordini, quo genere ab sociis maxima pecunia per summã iniuriã auferatur, neque vllo modo Senatoriis iudiciis reprehendi posse: idq́;, dũ Equester ordo iudicaret, nunquã esse cõmissum: quis obsistet, quis erit tam cupidus vestri, tã fautor ordinis, qui de trãsferendis iudiciis possit recusare? atque vtinã posset aliqua ratione hoc crimen, quãuis falsa, modo humana, atque vsitata defendere. minore periculo vestro, minore periculo prouinciarũ omnium iudicaretis. negaret hic æstimatione se vsum: vos id credidisse homini, nõ factũ cõprobasse videremini. nullo modo negare potest: vrgetur à tota Sicilia: nemo est ex tãto numero aratorũ, à quo pecunia cellæ nomine non sit exacta. Vellem etiã hoc posset dicere, nihil ad se istam rationẽ pertinere, per Quæstores rem frumentariam esse administratam. ne id quidem ei licebit dicere, propterea quòd ipsius literæ recitantur, ad ciuitates de ternis denariis missæ. Quæ est igitur defensio? Feci quod arguis: coegi pecunias maximas cellæ nomine: sed hoc mihi licuit: vobis, si prospicitis, licebit. periculosum prouinciis, genus iniuriæ confirmari iudicio. perniciosum nostro ordini, populum R. existimare, non posse eos homines, qui ipsi legibus teneantur, leges in iudicando religiosè defendere. Atque isto Prætore Iudices, non solum æstimandi frumenti modus non fuit, sed ne imperandi quidem: neque enim id, quod debebatur, sed quantum commodum fuit, imperauit. Summam faciam vobis ex publicis literis, & testimoniis ciuitatum frumenti in cellã imperati. reperietis quinquies tanto Iudices, amplius istũ, quàm quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse.

HOTOM. *Ne id quidem licebit dicere.* Licet dicere, alii, opinor, omnes. quod puto retinendum, quum suprà in eodem tẽpore sic loquutus sit. Quod sicut læuis hæc videtur castigatio, id quod fuerit nostrũ consilium consideret. Ciceronis orationes cum duodecim plus minus tum scriptis tum impressis libris collatas (qua in re nobis pueri aliquot honesti suam operam nauarũt) adhibito iudicio à typographorum recentiorum audacia vindicare voluimus.

CICERO.

410 Quid ad hanc impudentiam addi potest, si & æstimauit tanti, vt homines ferrè non possent,

& tanto plus, quàm erat ei concessum legibus imperauit? Quapropter cognita tota re frumentaria Iudices, iam facillimè perspicere potestis, amissam esse populo R. Siciliā fructuosissimā, atque opportunissimam prouinciam, nisi eā vos istius dānatione recuperatis. quid est enim Sicilia, si ei agri cultionem sustuleris, & si aratorum numerum, ac nomen extinxeris? quid enim potest esse in calamitate residui, quod non ad miseros aratores isto Prætore per summam iniuriam, ignominiámque peruenerit? quibus, quum decumas dare deberent, vix ipsis decumæ relictæ sunt: quū pecunia deberetur, soluta nō est: quū optima æstimatione Senatus frumentū eos in cellā dare voluisset, etiam instrumēta agrorū vendere coacti sunt. Dixi iam antea Iudices, vt has omnes iniurias tollatis, tamen ipsam rationē arandi spe magis & iucunditate quadā, quàm fructu, atque emolumēto teneri. etenim ad incertū casum, & euentū, certus quotannis labor, & certus sumptus impēditur. Annona porrò, pretiū, nisi in calamitate fructuū, nō habet. si autem vbertas in percipiēdis fructibus fuit, cōsequitur vilitas in vendēdis: vt aut malè vendendū intelligas si processit: aut malè perceptos fructus, si rectè licet vēdere. Totæ autē res rusticæ eiusmodi sunt, vt eas non ratio, neque labor, sed res incertissimæ, venti, tempestatésque moderentur.

Quapropter cognita tota re. Concludit per indignationem ex prouinciæ calamitate & miseria: & in extremo, quæ de tribus frumenti generibus dispersē dicta sunt, eorum breuiter per enumerationem memoriam reuocat. HOTOM.

Hinc quum vnæ decumæ, lege & conditione trahātur, alteræ nouis institutis propter annonæ rationem imperentur, ematur præterea frumentum quotannis publicè, postremo etiam in cellam Magistratibus, & Legatis imperetur: quid, aut quantū præterea est, quod aut liberū possit habere ille arator, ac dominus in potestate suorum fructuum, aut in ipsis fructibus solutū? Quòd si hæc feruntur omnia, si vobis potius, ac populo R. quàm sibi, & suis commodis, opera, sumptu, labore deseruiunt: etiámne hæc noua debent edicta, & imperia Prætorū, & Apronii dominationē, & Veneriorum seruorum furta rapinásque perferre? etiámne frumentum pro empto gratis dare? etiámne in cellam quum cupiant gratis dare vltrò, pecuniam grandem dare? etiámne hæc tot detrimenta, atque damna cum maximis iniuriis contumeliísque perferre? Itaque hæc Iudices, quæ pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. Arationes tota Sicilia desertas, atque à dominis relictas esse cognoscitis: neque quicquam aliud agitur hoc iudicio, nisi vt antiquissimi socii, fidelissimíque Siculi, coloni populi R. atque aratores, vestra seueritate & diligentia, me duce, atque auctore in agros, atque in sedes suas reuertantur. CICERO. 411

Accusationis in C. Verrem liber

Liber IIII.

SEXTVS ORATIO IX.

VENIO nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: vt amici eius, morbū & insaniam: vt Siculi, latrocinium. ego quo nomine appellē, nescio. rem vobis proponā, vos eam suo nominis pōdere penditote. Genus ipsum prius cognoscite Iudices: deinde fortasse non magnopere quæretis quo nomine appellandū putetis. Nego in Sicilia tota, tā locuplete, tam vetere prouincia, tot oppidis, tot familiis, tā copiosis, vllū argenteum vas, vllū Corinthium aut Deliacum fuisse: nego vllā gemmam, aut margaritam fuisse: aut quicquam ex auro, aut ebore factū, signum vllū æneum, marmoreum, eburneum: nego vllam picturā, neque in tabulis, neque textilē fuisse quin quæsierit, inspexerit, quod placitū sit abstulerit. Magnum videor dicere. attēdite etiam quemdamodum dicam. nō enim verbi, neque criminis causa augendi complector omnia, quum dico nihil istū eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse: Latinè me scitote, non accusatoriè loqui. etiam planius: nihil in ædibus cuiusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidē: nihil apud Siculum, nihil apud ciuem Romanum, nihil denique istum, quod oculos, animúmque accenderit, neque priuati, neque publici, neque profani, neque sacri tota in Sicilia reliquisse. CICERO. 412

F. HOTOMANI COMMENTARII.

In hoc quarto accusationis libro quem alii sine causa sextum nominant, furta Verris recensentur in signis & ornamentis Siciliæ: falsámque Tullius esse demonstrat Hortensii defensionem, quum diceret, empta, non ablata esse hæc signa: primùm quòd Magistratibus populi R. nihil in sua prouincia mercari liceat: deinde quòd ea Verres eo pretio per potestatem abstu-

sic scribit. κανηφόροι ἐν ταῖς πομπαῖς αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι ἐκανηφόρουν, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς Παναθηναίοις. ὁ πλοῦς δὲ ἐστὶν κανηφορῶν. Φιλόχορος φησὶν ὡς ἐξ Ἀθηνῶν βασιλεύς ... ὡς ἐν ἀξιώματι παρθένοι φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ. ἐφ' οἷς ἐπέκειτο τὰ πρὸς τὴν θυσίαν. τοῖς τε Παναθηναίοις, καὶ ταῖς ἄλλαις πομπαῖς.

Sed earum artificem quemnam? Apud Quintilianum, Sed earum rerum artificem, quem? quemnã? quod valde placet, vt vox Rerum, non Canephoras tãtùm, sed etiam tabulas significet. Repetitio quidem illa, Quem? quemnam? etiam alterius auctoritate confirmatur, Iulii Rufiniani, in libro de figuris: & Donati in illud Terentii, Quid? quid aliud volui dicere?

Forum ac Basilicas. Olim, inquit Asconius, quum in foro ludi populo darentur, signis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim è Græcia commodatis, vtebantur ad scenæ speciem, quia adhuc theatra non fuerant.

C. Claudius, cuius AEdilitatem magnificentissimam scimus fuisse. C. Claudius Pulcher, Appii F. AEdilis scenam varietate colorum adumbrauit, vacuis ante pictura tabulis extentam. Valerius.

Commodis hospitum. Commoda pro Commodatã. Etenim re vera Commodatum inde dictum est, non, vt nonnulli putarunt, quòd cum modo vtendum aliquid concedatur, sed quòd qui vtẽdum dat, amico commodet, eiúsque vtilitati seruiat.

Tot Prætores, tot Consules in Sicilia tum in pace, tum etiã in bello fuerunt. tot homines cuiusque modi: non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo sibi tam vehemẽs, tam potens, tã nobilis visus est, qui ex illo sacrario quicquã poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres, quod vbique erit pulcherrimũ, auferet? nihil habere præterea cuiquam licebit? tot domus locupletissimas domus istius vna capiet? Iccirco nemo superiorũ attigit, vt iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, vt C. Verres posset auferre? At non requirebat ille Cupido lenonis domum, ac meretriciam disciplinam: facile illo sacrario patrio continebatur: Heio se à maioribus relictum esse sciebat: ad hæreditatem sacrorum non quærebat meretricis hæredem. Sed quid ego tam vehementer inuehor? verbo iã vno repellar. Emi, inquit. O dii immortales, præclaram defensionem. mercatorem cum imperio, ac securibus in prouinciã misimus, qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret, nihil cuiquam relinqueret: hæc enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur, Emisse. Primum, si id quod vis, tibi ego concedam, vt emeris: (quoniam in toto hoc genere hac vna defensione vsurus es) quæro cuiusmodi tu iudicia Romæ putaris esse, si tibi hoc quenquam concessurum putasti, te in prætura, ac imperio tot res, tam pretiosas, omnes denique res quæ alicuius pretiũ fuerint, tota ex prouincia coemisse! Videte maiorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur, veruntamen ea quæ paruis in rebus accidere poterant, prouidebant. CICERO. 415

Ad hæreditatem sacrorum non quærebant meretricis heredem. Romæ vnaquæque familia sua sacra, gẽtis suæ propria, habebat: quæ gentilia vocabãtur, & perpetua esse iubebantur lege XII tabularum. Itaque bonorum hæredem, sacrorum quoque hæredem esse oportebat. Cicero libro de Legib. II. Fuit autem à Chelidone meretrice hæres institutus Verres. HOTOM.

Neminem, qui cũ potestate, aut Legatione in prouinciã esset profectus, tam amentem fore putarunt, vt emeret argentũ, dabatur enim de publico: vt vestẽ, præbebatur enim legibus: mancipiũ putauerunt, quo & omnes vtimur, & non præbetur à populo. Sãxerunt nequis emeret mãcipium, nisi in demortui locum. siquis Romæ esset demortuus: immò siquis ibidem: non enim te instruere domũ tuam voluerunt in prouincia, sed illum vsum prouinciæ supplere. Quæ fuit causa cur tã diligenter nos in prouinciis ab emptionibus remouerẽt? hæc Iudices, quòd putabant ereptionẽ esse, non emptionẽ, quum venditori suo arbitratu vendere non liceret. in prouinciis, intelligebant, si is qui esset cum imperio, ac potestate, quod apud quenque esset, emere vellet, ídque ei liceret fore vti quod quisque vellet, siue esset venale, siue nõ esset, quanti vellet auferret. Dicet aliquis, Noli isto modo agere cũ Verre: noli eius facta ad antiquæ religionis rationẽ exquirere: cõcede vt impunè emerit, modo vt bona ratione emerit, nihil ab inuito, nihil per iniuriã. Sic agã. siquid venale habuit Heius, si id quanti æstimabat, tãti vẽdidit: desino quærere cur emeris. Quid igitur nobis faciendũ est? num argumẽtis vtendũ in re eiusmodi? quærendũ est credo, Heius iste num æs alienũ habuerit, nũ auctionem fecerit: si fecit, num tanta difficultas eũ rei nummariæ tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit, vt sacrarium suum spoliaret, vt deos patrios venderet. At hominẽ video auctionem fecisse nullam, vendidisse præter fructus suos nihil vnquam: non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse. si hæc contrà, ac dico, essent omnia: tamẽ illum hæc, quæ tot annos in familia, sacrarióque maiorum fuissent, venditurum non fuisse. CICERO 416

Cum potestate, aut legatione. Vide suprà 408, HOTOM.

Immò siquis ibidem, Athenæus lib. ἕκτῳ, Romanorũ continentiam collaudans, de Scipione Africano sic scribit, σώφρονες δ' ἦσαν καὶ πάντα ἄριστοι οἱ ἀρχαῖοι Ῥωμαῖοι. Σκιπίων γοῦν ὁ Ἀφρικανὸς ἐπικληθεὶς, ἐκπεμπόμενος ὑπὸ τῆς συγκλήτου ἐπὶ τὸ καταστήσασθαι τὰς καθ' ὅλην τὴν οἰκουμένην βασιλείας, ἵνα τοῖς προσήκουσιν ἐγχειρισθῶσι, πέντε μόνους ἐπηγάγετο οἰ-

S. iiii.

εἶναι, ὡς ἱστορεῖ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος. καὶ ἑνὸς ἀποθανόντος ἐν τῇ ἀποδημίᾳ, ἐπέστειλε τοῖς οἰκείοις ἄλλον ἀντ' ἐκείνου πριαμένους ἀποστεῖλαι αὐτῷ. Id est, Romani veteres omnibus in reb' prudētes & optimi viri fuere. Scipio Africanus qui dictus est, à Senatu ad constituenda orbis terrarum regna legatus, vt idoneis viris committerentur, quinque solos seruos secum eduxit: quemadmodum in historia Polybius & Posidonius commemorant. quúmque vnus in itinere esset mortuus, ad suos misit, vt alium pro illo emerent, ad seque mitterent.

Tam amentem. Id est, ad insaniam vsque auarum & cupidum: vt quum argenteam supellectilem à populo R. accepisset, tamen incontinentia & impotentia quadam animi aliam coemeret.

In suis nummis multis esse. Perspicuè rectum: quum in aliis vitiose Multos, in accusandi casu legatur. & hanc scripturam similis loquutio confirmat in Orat. pro Q. Roscio, pag. 99. quam Vlpianus explicat sub tit. de verb. signific. his verbis, AEs alienum est, quod nos aliis debemus: AEs suum, quod nobis alii debent. Ergo hoc Tullius significat, multos in illius ære fuisse.

CICERO. » Quid si magnitudine pecuniæ persuasum est ei? verisimile non est, vt ille homo tam locuples, 417 » tam honestus, religioni suæ, monimentisque maiorum pecuniam anteponeret. Sunt ista: veruntamen abducuntur homines nonnunquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniæ. Videamus quanta istà pecunia fuit quæ potuerit Heium, hominem maximè locupletem, minime auarum, ab humanitate, & pietate, ab religione deducere. ita iussisti, opinor, ipsum in tabulas referre: Hæc omnia signa, Praxitelis, Myronis, Polycleti H-S VI mil. Verri vēdita sunt. Recita ex tabulis. Iuuat me, hæc præclara nomina artificum, quæ isti ad cælum ferunt, Verris æstimatione sic concidisse: Cupidinem Praxitelis H-S M D C. profecto hinc natum est, Malo emere, quàm rogare. Dicet aliquis, Quid? tu ista permagno æstimas? Ego vero ad meam rationem, vsúmque non æstimo. veruntamen à vobis ita arbitror spectari oportere, quanti hæc eorū iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, æstimentur, quanti venire soleant, quanti hæc ipsa, si palàm liberéque venirent, venire possent, denique ipse Verres quanti æstimet: nunquam enim, si denariis quadringentis Cupidinem illum putasset, commisisset vt propter eum in sermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. Quis vestrum igitur nescit quanti hæc æstimentur? in auctione signum æneū non magnum H-S C X X millibus venire non vidimus? quid si velim nominare homines qui aut non minoris, aut etiam pluris emerent: nónne possum?

HOTOM. *H-S VI mil.* Ex pag. 424, legendum apparet VI millibus & D. Hoc autem tabularum nomen grandioribus literis scribendum est, vsque ab illo verbo HAEC OMNIA.

Malo emere, quàm rogare. Prouerbium natum ab iis, qui granatè & illibenter precibus vtuntur, vt malint quáuis carò emere, quàm precibus impetrare. Est igitur εἰρωνεία: quia vilissimè Verres emerit, vt emere tam vili pretio maluerit, quàm rogare.

Tu ista permagno æstimas. Vide infra 476, 477.

H S C X X millibus. Tribus millibus aureorum.

Qui modus est. Tanti quæque res est, quanti æstimatur ab eo qui concupiscit.

CICERO. » Etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis: difficile est enim finē facere 418 » pretio, nisi libidini feceris. Video igitur Heium neque voluntate, neque difficultate aliqua tēporis, neque magnitudine pecuniæ adductum esse vt hæc signa venderet, téque ista simulatione emptionis, vi, metu, imperio, fascibus ab homine eo quem vnà cum cæteris sociis non solum potestati tuæ, sed etiam fidei populus R. commiserat, eripuisse atque abstulisse. Quid mihi tam optādum Iudices, potest esse in hoc crimine, quàm vt hæc eadem dicat ipse Heius? nihil profecto. Sed ne difficilia optemus: Heius est Mamertinus. Mamertina ciuitas istum publice communi consilio sola laudat: omnibus iste cæteris Siculis odio est: ab his solis amatur. Eius autē Legationis quæ ad istū laudandū missa est, princeps est Heius: etenim est primus ciuitatis. ne forte dū publicis mandatis seruiat, de priuatis iniuriis reticeat. Hæc quū scirē, & cogitarem, commisi tamen me Iudices Heio: produxi eū prima actione, neque id tamen vllo periculo feci: quid enim poterat Heius respōdere, si esset improbus? si sui dissimilis? signa illa domi suæ esse, nō apud Verrē? quî poterat quicquā eiusmodi dicere? vt homo turpissimus esset, impudentissiméque mētiretur, hoc diceret, illa se habuisse venalia, eáque sese, quāti voluerit, vēdidisse. Homo domi suæ nobilissimus, qui vos de religione sua, ac dignitate vère existimare maxime vellet, primo dixit se istū publicè laudare, quòd sibi ita mandatū esset: deinde neque se habuisse illa venalia, neque vlla conditione, si vtrum vellet, liceret, adduci vnquā potuisse vt venderet illa quæ in sacrario fuissent à maioribus suis relicta, & tradita.

HOTOM. ~~*Nascitur.* Apparet deesse quippiam.~~

CICERO. » Quid sedes, Verres? quid expectas? quid te à Centuripina ciuitate, à Catinensi, ab Halesina, Tyn- 419 » daritana, Ennensi, Agyrinēsi, cæterisque Siciliæ ciuitatibus circumueniri, atque opprimi dicis? tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumuenit, tua inquam Messana tuorū adiutrix scelerum, libidinum testis, prædarum, ac furtorum receptrix: adest enim vir amplissimus

eius ciuitatis, Legatus huiusce iudicii causa domo missus, princeps laudationis tuæ, qui te publicè laudat: id enim mandatum, atque imperatum est. tametsi rogatus de Cybea, tenetis memoria quid responderit: ædificatam publicis operis publicè coactis, eique ædificandæ publicè Mamertinum Senatorem præfuisse. Idem ad vos priuatim Iudices confugit: vtitur hac lege, qua iudiciũ est communis, & priuatæ rei sociorum. tametsi lex est de pecuniis repetundis, ille se negat pecuniam repetere, quam ereptam non tantopere desiderat: sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit: deos penates à te patrios reposcit. Ecqui pudor est? ecquæ religio Verres? ecqui metus? habitasti apud Heium Messanæ: res illum diuinas 'apud deos in suo sacrario propè quotidie facere vidisti. non mouetur pecunia: denique, quæ ornamenti causa fuerunt, non requirit: habe Canephoras: deorũ simulacra restitue. quæ quia dixit, quia tẽpore dato modestè apud vos socius, amicúsque populi R. questus est: quia religioni suæ non modò in diis patriis repetundis, sed etiam in ipso iureiurando, ac testimonio proximus fuit: hominem missum ab isto scitote esse Messanam de Legatis vnum, illum ipsũ qui naui isti° ædificãdæ publicè præfuit, qui à Senatu peteret vt Heius ignominia afficeretur.

Etnensi, Agyrinensi. Alii omnes, AEtnensi, Agyrinensi. HOTOM.

Rogatus de Cybea. Sic appellat nauem onerariam, non omnem tamen, sed, vt opinor, quadratam. Nam a cuborum similitudine dictam opinor. Est autem κύβος, figura omni ex parte quadrata. vt Cubeas naues dictas putem, quæ in omnes partes æquè pateant.

Communis & priuatæ rei. Id est, qua constitutum est vt de pecuniis quæratur, non modò quæ ciuitatibus, sed quæ singulis quibusque ciuibus essent ereptæ.

Apud deos. Alii omnes, Apud eos deos.

Homo amentissime quid putasti? te impetraturũ? quanti is à ciuibus suis fieret, quanti auctoritas eius haberetur, ignorabas? Verum fac te impetrauisse: fac aliquid grauius in Heiũ statuisse Mamertinos: quantam putas auctoritatem laudationis eorũ futuram, si in eum, quem constet verum pro testimonio dixisse, pœnam constituerent? tametsi quæ est ista laudatio, quũ laudator interrogatus lædat necesse est? Quid? isti laudatores tui nónne testes mei sunt? Heius est laudator: læsit grauissime. Producam cæteros: reticebunt, quæ poterunt, libenter: dicent quæ necesse erit, ingratis. Negent isti onerariam nauem maximam ædificatã esse Messanæ? Negent, si possint. negent ei naui faciundæ Senatorem Mamertinum publicè præfuisse? vtinam negent. sunt etiam cætera: 'quæ malo integra reseruare, vt quàm minimũ sit illis temporis ad meditandum, confirmãdúmque periurium. hæc tibi laudatio procedat in numerum? hi te homines auctoritate sua subleuent? qui te neque debent adiuuare, si possint: neque possunt, si velint: quibus tu priuatim iniurias plurimas, contumeliásque imposuisti: quo in oppido multas familias 'totas in perpetuum infames tuis stupris, flagitiisque fecisti. At publicè commodasti. non sine magno quidem Reipub. prouinciæque Siciliæ detrimento. tritici modium LX millia empta populo R. dare debebant, & solebãt. abs te solu remissum est. Respub. detrimẽtum fecit, quòd per te imperii ius vna in ciuitate imminutum est: Siculi, quòd hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos, & Halesinos immunes populos: & hoc plus impositum, quàm ferre possent. CICERO. 420

Ingratis. Omnes veteres, Gratis. contra quorum omnium auctoritatem hæc se scriptura manifestissimè tuetur. HOTOM.

Quæ malo integra reseruare. Iidem libri, Quæ modo integra reseruare volui, vt quàm minimum dem illis, &c. quod quum sensum habeat minimè absurdum, immutare non ausi sumus.

Multas familias totas. Vox Totas abest ab iisdem libris.

Nauem imperare ex fœdere debuisti: remisisti in triennium. militem nullum vnquam poposcisti per tot annos: fecisti item vti prædones solent, qui quũ communes hostes sint omnium, tamen aliquos sibi instituũt amicos, quibus non modò parcant, verumetiam præda quos augeant, & eos maximè qui habent oppidũ opportuno loco, quò sæpe adeundum sit nauibus, nonnũquam etiam necessarió. Phaselis illa, quam cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicum, atque prædonum: Lycii illam Græci homines incolebãt. sed quòd erat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, vt & exeuntes è Cilicia prædones sæpe ad eam necessariò deuenirẽt, & quum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrentur: asciuerunt illud sibi oppidum piratæ, primò commercio, deinde etiam societate. Mamertina ciuitas improba antea non erat, etiam erat inimica improborum: quæ C. Catonis illius, qui Consul fuit, impedimenta retinuit: at cuius hominis? clarissimi, potentissimíque. qui tamen, quũ Consul fuisset, cõdemnatus est. ita C. Cato duorum hominum clarissimorum nepos, L. Pauli, & M. Catonis, & P. Africani sororis filius: quo damnato, tum quum seuera iudicia fiebant, H-S XVIII millibus lis æstimata est. Huic Mamertini irati non fuerunt, qui maiorem sumptum, quàm quanti Catonis lis æstimata est, in Timarchidis prandium sæpe fecerũt. Verum hæc ciuitas isti prædoni, ac piratæ Siciliensi Phaselis fuit. Huc omnia vndique deportabantur, apud istos relinquebãtur: quod celari opus erat, habebant sepositum, ac reconditum: per istos, quæ vole- CICERO. 421

bat, in nauem clàm imponenda, occultè exportanda curabat: nauem denique maximam, quã onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam, ædificandámque curauit.

HOTOM. *Nauem imperare.* Vide 484.

Phaselis illa. Vrbs est Pamphyliæ nobilis, olim piratarũ receptrix, quam Strabo lib. Geograph. XIV, Zeniceti piratæ fuisse scribit: qui, quum Olympum montem Seruilius Isauricus cepisset, sese cum vniuersa domo cremauit.

Vrbe ante Cilicum, atque prædonum. Initio belli Mithridatici piratæ ex Cilicia orti, vnà cum proscriptis & fugitiuis prouincias populi Ro. Italiámque omnem vexarunt. hi tum ob eam causam, quòd primi ex Cilicia descenderant, tum quia ferè in Ciliciã se recipiebant, Cilices, vt scribit Appianus, appellati sunt. aduersus quos Cn. Pompeius lege Gabinia Imperator factus, bellum incredibili celeritate confecit. Plutarchus in Pomp. & Appianus in Mith.

Iia proiecta in altum. Hoc Liuius eleganter describit lib. XXXVIII, his verbis, In confinio Lyciæ & Pamphyliæ Phaselis est: prominet penitus in altum, conspicitúrque prima terrarum Rhodum à Cilicia petentibus, & procul nauium præbet prospectum.

C. Cato duorum hominum clarissimorum nepos, L. Pauli, & M. Catonis, & P. Africani sororis filius. Deesse tale quippiam videtur, Inimicos habuit Mamertinos. C. autem Catonem dicit ex M. Catone, M. filio, & L. Pauli AEmylii filia susceptum. Eiusdem L. Pauli filius erat Africanus minor, quem Maior Africanus à L. Paulo adoptauerat. Et de hoc ipso scribit Velleius Paterculus his verbis, Mandetur deinde memoriæ seueritas iudiciorum. quippe C. Cato Cõsularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est: cum lis ciis XVIII æstimaretur. vbi corrigendum tùm ex hoc, tùm ex simili loco pag. 391 videtur, Quũ lis ei H-S XVIII æstimaretur.

H-S XVIII millibus. Quadringentis & quinquaginta coronatis.

CICERO. 422 Pro hisce rebus vacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiæ, rerum denique omnium. Per triennium soli non modò in Sicilia, verum (vt opinio mea fert) his quidem *in temporibus in omni orbe terrarum vacui, expertes, soluti, ac liberi fuerunt ab omni sumptu, molestia, munere. Hinc illa Verrea nata sunt. hinc in conuiuium Sex. Cominiũ protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est, quem obtorta gula de cõuiuio in vincula, atque in tenebras abripi iussit. Hinc illa crux, in quam ciuem R. iste multis inspectantibus sustulit: quam non ausus est vsquã defigere, nisi apud eos quibuscum omnia scelera sua, ac latrocinia cõmunicasset. Laudatum etiã vos quenquam venire audetis? qua auctoritate? vtrum quam apud Senatorium ordinem, an quam apud populum R. habere debetis? ecquæ ciuitas est non modo in prouinciis nostris, verum in vltimis nationibus aut tam potens, aut tam libera, aut etiã tam immanis, ac barbara: Rex denique ecquis est, qui Senatorem populi R. tecto, ac domo non inuitet? qui honos nõ homini solum habetur, sed primùm populo R. cuius beneficio nos in hunc ordinem venimus: deinde ordinis auctoritati: quæ nisi grauis erit apud socios atque exteras nationes, vbi erit imperii nomen, & dignitas? Mamertini me publicè non inuitauerunt. me quum dico, leue est. Senatorem populi R. si non inuitauerunt, honorem debitum detraxerunt non homini, sed ordini: nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima, & amplissima Cn. Pompei Basilici: quò, etiam si esset inuitatus à vobis, tamen diuertisset.

*L abest

HOTOM. *His quidem in temporibus.* Aldinus & omnes libri veteres, His quidem temporibus. quos sequor.

Hinc illa Verrea. Pag. 244.

Hinc illa crux. Pag. 559.

Nunc item Pompeij. Id est, ciues R. facti, & in Pompeiorum familiam asciti.

CICERO. 423 Erat etiam Percenniorũ, qui nunc item Pompeii sunt, domus honestissima: *qua L. frater meus, summa illorum voluntate diuertit. Senator populi R. quod in vobis fuit, in vestro oppido iacuit, & pernoctauit in publico. nulla hoc alia ciuitas vnquam commisit. amicum enim nostrũ in iudicium vocabas. Tu, quid ego priuatim negotii geram, interpretabere in minuendo honore Senatorio? Verum hæc tum queremur, siquid de vobis per eum ordinem agetur, qui ordo à vobis adhuc solis contemptus est. In populi R. quidem conspectum quo ore vos commisistis? nec prius illã crucem, quæ etiam nunc ciuis R. sanguine redundat, quæ fixa est ad portum, vrbémque vestrã, reuellistis, neque in profundum abiecistis, locúmque illum omnem expiastis, quàm Romam, atque in horum conuentum adiretis? In Mamertinorum solo fœderato, atque pacato monumentũ istius crudelitatis constitutum est. vestráne vrbs electa est ad quam *quum adirent ex Italia, crucem ciuis R. prius quàm quenquam amicum viderent populi R.? quam vos Rheginis, quorum ciuitati inuidetis, item incolis vestris, ciuibus R. ostendere soletis, quominus sibi arrogent, minúsque vos despiciant, quum videant ius ciuitatis illo supplicio esse mactatum. Verum hæc emisse te dicis. quid illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodẽ Heio peripetasmata emere oblitus es? licuit eodem modo vt signa: quid enim actum est? an literis pepercisti? verum hominẽ amentem hoc fugit. minus clarum putauit fore quod de armario, quàm quod de sacrario esset ablatũ. At quomodo abstulit? non

*qui

» possum dicere planius, quàm ipse apud vos dixit Heius. Quũ quæsissem, nũquid aliud de bonis
» eius peruenisset ad Verrem: respõdit, istũ ad se misisse, vt sibi mitteret Agrigentũ peripetasmata.

Qua L. frater meus. Quò, vt paucis antè versibus, crederem corrigendum. Quem autem L. fratrem dicat, exposui pag. 384. HOTOM.

Per eum ordinem senatorum. Per ordinem senatorium.

Ad quem quumque adirent. Qui adirent, melius opinor legeretur.

Illa Attalica. Ordo est, Illa peripetasmata, quæ tota Sicilia nominabantur Attalica. Dicuntur autem peripetasmata παρὰ τὸ περιπετάννυσθαι: quòd armariis appensa decidãt. Attalica verò auro intertexta, qualia solebant esse Regis Attali. Plinius lib. VIII, capite de generibus vestium, Aurũ, inquit, intexere, in eadem Asia inuenit Attalus rex, vnde nomen Attalicis.

An literis pepercisti? Non illũ in tabulas referre iussisti, item vt de signis sacrarii: pag. 417. Hinc illud in Pisonem, Quas rationes si cognoueris, intelliges nemini plus, quàm mihi literas profuisse. Ludit enim ancipiti significatione vocabuli: quia literas intelligit tabularum, in quibus ipsius iussu Scriba quæ ipse vellet & quomodo vellet scrib. bat: quũ cæteroqui prodesse literæ dicantur hominibus doctrina & eruditione præditis. Ipse in hac Oratione nec ita multo pòst, Dicat se emisse. Etenim hic propter magnitudinem forti sunt, vt opinor, literæ factæ.

» Quæsiui an misisset: respõdit id quod necesse erat, scilicet dicto audientem fuisse Prætori, mi- CICERO.
» sisse. rogaui peruenissẽtne Agrigentum: dixit peruenisse. quæsiui quemadmodum reuertissent. ne- 424
» gauit adhuc reuertisse. risus populi, atque admurmuratio omnium facta est. hic tibi in mentem
» non venit, iubere, vt hæc quoque referret H-S D se tibi vendidisse: metuisti ne æs alienũ tibi cre- H-S VI millibus D se
» sceret, si H-S VI millibus D tibi constarent ea, quæ tu facilè posses vendere H-S CC millibus. fuit
» tanti, mihi crede: haberes quod defenderes: nemo quæreret, quanti illa res esset: si modò te posses
» docere emisse, facilè cui velles, tuam causam, & factum probares. nunc de peripetasmatis quem-
» admodum te expedias, nõ habes. Quid? à Phylarcho Centuripino, homine locuplete, ac nobili,
» phaleras pulcherrimè factas, quæ Regis Hieronis fuisse dicuntur, vtrum tandem abstulisti, an
» emisti? in Sicilia quidem quũ essem, sic à Centuripinis, sic à cæteris audiebam: non enim parum
» res erat clara. tam te has phaleras à Phylarcho Centuripino abstulisse dicebant, quàm alias item item
» nobiles ab Aristo Panormitano, quàm tertias à Cratippo Tyndaritano. Etenim si Phylarchus
» vendidisset, non ei, postea quàm reus factus es, redditurum te promisisses. quod quia vidisti plu-
» res scire: cogitasti, si ei reddidisses, te minus habiturum, rem nihilo minus testatã futuram: non L'minus inuidiæ habiturum,
» reddidisti. Dixit Phylarchus pro testimonio, se, quòd nosset tuum istum morbum, vt amici tui
» appellãt, cupisse te celare de phaleris: quũ abs te appellatus esset, negasse habere sese: apud alium
» quoque eas habuisse depositas, ne qua inuenirentur: tuam tantã fuisse sagacitatem, vt eas per il-
» lum ipsum inspiceres, vbi erant depositæ: tum se deprehensum negare non potuisse: ita ab se in-
» uito ablatas phaleras gratis.

Quæsiui an domum reuertissent. Alii omnes, Quemadmodum, pro Quæsiui an domum. quorum omnium auctoritatem huius scripturæ synceritas apertè repudiat. HOTOM.

H-S D se tibi vendidisse. Emenda vt proximè, H-S VI millibus & D.

Fuit tanti, mihi crede. Id referte scilicet. Id est, Tãtum tibi valuisset, vel Hoc tibi profuisset, quòd eo pacto defensionem tibi comparasses. nisi fortè tale aliquid aut deest, aut subaudiendum est, Si me hercule hæc duo verba scribi iussisses, FVIT TANTI, mihi crede haberes quod defenderes. vt infrà 431: Emi, pecuniam solui: credo, etiam tabulæ proferentur. Est tanti.

Alias item nobiles. Iidem libri, Alias item. cuius scripturæ sensus, librorũ auctoritatem cõfirmat.

Te minus habiturum. Iidem libri, Te minus inuidiæ habiturũ. Mihi nostra valde arridet: ciúsque sententia multo concinnior & elegãtior videtur. sed quum alterius lectionis sententia non absurda sit, discedere ab auctoritate librorum nõ est mei pudoris, ne plus ipse mihi sumã, quàm quantum aliis concedi patior.

Appellant, cupisse. Iidem libri, Appellãt studium, cupisse. Et versu proximo, Celasse pro Celare: quorum alterum, initium orationis, alterum, sensus ipse repudiat.

» Iam vt hæc omnia reperire, ac perscrutari solitus sit Iudices, est operæpretium cognoscere. CICERO.
» Cybiratæ sunt fratres quidam Tlepolemus & Hiero: quorum alterum fingere opinor è cera so- 425
» litum esse, alterum esse pictorem. hosce opinor, Cybiræ quũ in suspicionem venissent suis ciui-
» bus fanum expilasse Apollinis, veritos pœnam iudicii, ac legis, domo profugisse. quòd Verrem
» artificii sui cupidum cognouerant, tum, quũ iste (id quod ex testibus didicistis) Cybiram cum
» inanibus syngraphis venerat: domo profugientes ad eum se exules, quum iste esset in Asia, con-
» tulerunt. Habuit secum eos ab illo tempore: & in Legationis prædis, atque furtis multum illo-
» rum opera, consilióque vsus est. Hi sunt illi, quibus in tabulis retulit sese Q. Tadius dedisse iussu
» istius Græcis pictoribus. eos iam bene cognitos, & re probatos, secum in Siciliam duxit. quò

» posteaquam venerunt, mirandum in modum canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia,
quidque esset. » & peruestigabant, vt vbi *quicquid esset, aliqua ratione inuenirent. aliud minitando, aliud pol-
» licendo, aliud per seruos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum inueniebant.
» quicquid illis placuerat, perdendum erat. nihil aliud optabant, quorum poscebatur argentum,
» nisi vt Hieroni & Tlepolemo displiceret. Verè mehercules hoc Iudices dicam: memini Pam- 32.
» philum Lilybætanum hospitem meum & amicum, nobilem hominem, mihi narrare: quũ iste
thi » ab sese hydriam Boeti manu factam, præclaro opere, & grãdi pondere, per potestatem abstulis-
» set, se sanè tristem, & conturbatum domum reuertisse, quòd vas eiusmodi, quod sibi à patre & à
» maioribus esset relictũ, quo solitus esset vti ad festos dies, ad hospitũ aduẽtum, à se esset ablatum.

HOTOM. *Cum inanibus syngraphis.* Missus est Verres in Asiã legatus cum Cn. Dolabella proconsule. 173. Legati verò nonnunquam ii asciscebantur, quibus negotia erant in prouincia. Tum enim suas syngraphas persequi poterant: quarum causa etiam certæ legationes, quæ (vt alibi diximus) Liberæ appellabantur, institutæ sunt. Inanes autem syngraphas dicit, in quibus numeratam fuisse pecuniam scriptum erat, quum tamen numerata nõ esset. nam in syngraphis contra fidem veritatis pactio venit, vt scribit Asconius. De syngraphis diximus lib. 1, pag. 192.

Mirandum in modum canes venaticos diceres. Alludit ad Cybiratarũ mores, qui venandi studio erant dediti. Sunt enim Cybiratici in montuosa & aspera regione. vide pag 434.

Retulit sese Q. Tadius dedisse. Publium appellat 198, Ver. 181.

Boeti manu facta. Boetus sculptor nobilis, de cuius operibus Plinius libro XXXIII, cap. XII. & libro insequenti, cap. VIII.

vbi quicquid esset. Rectius putarem, Quidque.

CICERO. 426 » Quum sederẽ, inquit, domi tristis, accurrit Venerius: iubet me scyphos sigillatos ad Præto-
» rem statim afferre. Permotus sum, inquit: binos habebam: iubeo promi vtrosque, nequid plus
» mali nasceretur, & mecum ad Prætoris domum ferri. Eò quum venio, Prætor quiescebat: fra-
» tres illi Cybiratæ inambulabant: qui simul vt me viderunt, Vbi sunt Pamphile, inquiunt, scy-
» phi? ostendo tristis. laudãt. incipio queri, me nihil habiturum, quod alicuius esset pretii, si etiam
» scyphi essent ablati. tum illi, vbi me conturbatum vident: Quid vis nobis dare, isti ne auferãtur
» abs te? Ne multa, H-S C̃C̃ me, inquit, poposcerunt: dixi me C̃ daturum. Vocat interea Prætor: scy-
» phos poscit. tũ illos cœpisse Prætori dicere, putasse se, id quod audissent, alicuius pretii scyphos
» esse Pamphili: luteum negotium esse, non dignum quod in suo argento Verres haberet. ait ille 33.
» idem sibi videri. ita Pamphilus scyphos optimos aufert. Et mehercules ego anteà, tametsi hoc
» nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere, tamen mirari solebã istum in his ipsis re-
» bus aliquem sensum habere, quem scirem nulla in re quicquã simile hominis habere. tum pri-
» mum intellexi ad eam rem istos fratres Cybiratas fuisse, vt iste in furando manibus suis, oculis
» illorum vteretur.

HOTOM. *Scyphos sigillatos.* In quibus sigilla quædam insculpta sunt: vt deorum, aut animalium.

H S C C me poposcerunt. Lege sestertios ducentos: quæ summa est coronatorum quinque. nam sestertiũm ducẽta millia, aureorũ quinque millia efficiũt. Alii codices hoc loco deprauati sunt.

Luteum negotium esse. Artificium luto, non argento dignum.

Ad eam rem istos fratres Cybiratas fuisse. Locutio est idem significans vt si plenè dixisset, vsui fuisse. Sic etiam Cato plerunque loquitur, vt dicat, Id est ad aluum crudam, laterũ dolorem: pro emolumento, vel vsui est.

CICERO. 427 » At ita studiosus est huius præclaræ existimationis, vt putetur in hisce rebus intelligens esse:
» vt nuper (videte hominis amentiã) posteaquam est comperendinatus, quũ iam pro damnato,
» mortuóque esset, ludis Circensibus manè apud L. Sisennã virum primarium, quũ essent tricli-
» nia strata, argentúmque expositum in ædibus: quum pro dignitate L. Sisennæ domus esset ple-
» na hominum honestorum, accesserit ad argentum, contemplari vnumquodque otiosè, & consi-
» derare cœperit. Mirari stultitiam alii, quòd in ipso iudicio eius ipsius cupiditatis, cuius insimu-
» laretur, suspicionem augeret: alii amentiam, cui comperẽdinato, quũ tam multi testes dixissent,
» quicquam illorum veniret in mentem. Pueri autẽ Sisennæ, credo qui audiuissent quæ in istum
» testimonia essent dicta, oculos de isto nusquam deiicere, neque ab argento digitum discedere. Est 34.
» boni Iudicis, paruis ex rebus coniecturã facere vniuscuiusque & cupiditatis, & incõtinẽtiæ. qui
» reus lege, & reus cõperendinatus, re & opinione hominũ penè damnatus, temperare nõ potue-
» rit maximo conuentu, quin L. Sisennæ argentum tractaret, & consideraret, hunc in prouincia
» Prætorem quisquã putabit à Siculorũ argento cupiditatem, aut manus abstinere potuisse? Ve- 35.
» rum vti Lilybæũ, vnde digressa est, oratio reuertatur: Diocles est Pamphili gener illius, à quo hy-
Diocles Popillius cognomine » dria ablata est, Popillius cognomine. ab hoc abaci vasa omnia, vt exposita fuerãt, abstulit. Dicat
» se emisse: etenim hic propter magnitudinẽ furti sunt, vt opinor, literæ factæ. iussit Timarchidẽ

æstimare argẽtum, quo modo? quo qui vnquam tenuissimè in donatione histrionum æstimauit. tametsi iandudum erro, qui tam multa de tuis emptionibus verba faciã, & quæram vtrum emeris, & quo modo, & quanti emeris, quod verbo transigere possum.

Comperendinatus. Vide Verrinam secundam extremam. HOTOM.

Ludis Circensibus. Qui dabantur in circo maximo. Dabantur autẽ certamina equestria, de quibus Ouidius,

Circus erat pompa celeber, numeróque Deorum:
Primáque ventosis palma petetur equis.

Dabantur item curulia, de quibus Plinius libro VIII, cap. XLII. Gellius lib. III, cap. X, curricula ludorum Circensium solennia septem fuisse scribit. De iisdem ludis diximus, in Verrina II.

Verum emeris. Locus animaduersione dignus, in quo Vtrum simpliciter, sine particula AN, positum est: vt suprà pag. 293.

Ede mihi scriptum: quid argẽti in prouincia Sicilia pararis: vnde quidque, aut quanti emeris. Quid fit? quanquã non debebam ego abs te has literas poscere: me enim tabulas tuas habere & proferre oportebat. verùm negas te horum annorum aliquot confecisse. Cópone hoc quod postulo, de argento: de reliquo videro. Nec scriptum habeo: nec possum edere. Quid futurũ igitur est? quid existimas hosce Iudices facere posse? domus plena signorũ pulcherrimorum iam etiam ante Præturam, multa ad villas tuas posita, apud amicos multa deposita, multa aliis data, atque donata: tabulæ nullum indicant emptum: omne argentum ablatum ex Sicilia est. nihil cuiquam, quod suum dici vellet, relictũ. Fingitur improba defensio, Prætorem omne id argentum coemisse: tamen id ipsum tabulis demonstrari non potest: siquas tabulas profers, in his, quid habeas, quomodo habeas, scriptum non est. horum autem temporum quũ te plurimas res emisse dicas, tabulas omnino nullas proferas: nónne te & prolatis, & nõ prolatis tabulis eõdem nari necesse est? tu à M. Celio, Equite R. lectissimo adolescente, quæ voluisti vasa argentea Lilybæi abstulisti: tu P. Cacurii, promptissimi hominis, & experientis, & in primis gratiosi, supellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam, & pulcherrimam mensam citream à Q. 'Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Sylla ciuis R. factus est, omnibus scientibus Lilybæi abstulisti. Non tibi obiicio, quòd hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium Niconis filium Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optimè facto spoliasti, ac depeculatus es. CICERO. 428 'Lutatio

Horum annorum aliquot. Vide pag. 180. HOTOM.

Q. Lutatio Catulo. Lutatio sit legendum, nõ est dubium. quod fuit nomen Q. Catuli, cuius in familiam ciuitate donatus, erat ascitus.

Taceo: non enim putat ille sibi iniuriam factam, propterea quòd homini iam perdito, & collum in laqueum inserenti subuenisti, quum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cum illo partitus es. gaudeo etiam siquid ab illo abstulisti, & abs te nihil rectius factum esse dico. A Lysone verò Lilybætano, primo homine, apud quem diuersatus es, Apollinis signum ablatum certè esse non oportuit. At dices te emisse. scio: H-S M. ita opinor. scio inquam. proferam literas: & tamen id factum non oportuit. A pupillo Heio, cui Marcellus tutor est, à quo pecuniam grãdem eripueras, scaphia cũ emblematis Lilybæi vtrum empta esse dicis, an cõfiteris erepta? Sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocres iniurias colligo, quæ tantúmodo in furtis istius, & damnis eorum, à quibus auferebat, versatæ esse videãtur? Accipite, si vultis, Iudices, rem eiusmodi, vt amentiam singularem, vt furorem iam, non cupiditatem eius perspicere possitis. Melitensis Diodorus est: qui apud vos antea testimonium dixit. is Lilybæi multos iam annos habitat, homo & 'domo nobilis, & apud eos, quò se contulit, propter virtutem splendidus, & gratiosus. De hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata: in his pocula duo quædã, quæ Heraclia nominantur, Mentoris manu summo artificio facta. quod vbi iste audiuit, sic cupiditate inflammatus est non solùm inspiciundi, verumetiam auferendi, vt Diodorum ad se vocaret, ac posceret. Ille, qui illa non inuitus haberet, respondit se Lilybæi non habere, Melitæ apud quendam propinquum suum reliquisse. Tum iste continuò mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, vt ea vasa perquirant: rogat Diodorũ, vt ad illum suum propinquũ det literas. CICERO. 429 'domi L

Pupillis Drepanitanis. Vide suprà 282. HOTOM.

H-S M. Id est, mille nummis sestertiis: XXV coronatis.

Scaphia cum emblematis. Scaphia, sunt scyphi instar scaphæ facti. Emblemata verò παρὰ τὸ ἐμβάλλειν, dicuntur crustæ & ornamenta exemptilia, quæ scyphis, vbi commodum est, apponi, adimique possunt.

Perbona toreumata. Toreumata dicũtur opera sculpta & cælata, παρὰ τὸ τορεύειν. Mentorem autem in vasis cælandis mirum artificem fuisse testis est Plinius, lib. XII.

CICERO. 430 Nihil ei longius videbatur, quàm dum illud videret argentum. Diodorus, homo frugi ac diligens, qui sua seruare vellet, propinquo suo scribit, vt iis qui à Verre venissent, responderet, illud argentum se paucis illis diebus misisse Lilybæum. Ipse interea recedit. abesse ab domo paulisper maluit, quàm præsens illud optimè factum argẽtum amittere. Quod vbi audiuit iste, vsque eò est cómotus, vt sine vlla dubitatione insanire omnibus, ac furere videretur: quia non potuerat argentum eripere. Ipse à Diodoro erepta sibi vasa optimè facta dicebat, minitari absenti Diodoro, vociferare palàm, lacrymas interdum vix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, vt quũ vidisset monile, vt opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. similis istius cupiditas: hoc etiam acrior, atque insanior, quòd illa cupiebat id quod viderat: huius libidines nõ solùm oculis, sed etiam auribus excitabantur. Conquiri 40. Diodorum tota prouincia iubet. Ille ex Sicilia castra iam mouerat, & vasa collegerat. Homo, vt aliquo modo illum in prouinciã reuocaret, hãc excogitauit rationem: si hæc ratio potius, quàm amentia nominãda est. apponit de suis canibus quendam, qui dicat se Diodorum Melitensem rei capitalis reum velle facere. Primò mirum omnibus videri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modò facinore, verumetiam minimi errati suspicione remotissimum: deinde esse perspicuum, fieri omnia illa propter argentum. Iste non dubitat iubere, nomen deferri, & tum primùm opinor istum absentis nomen recepisse. Reclamat Sicilia tota, 41. propter cælati argẽti cupiditatem reos fieri rerum capitalium: neque solùm præsentes reos fieri, sed etiam absentes.

HOTOM. *Eriphylam accepimus in fabulis.* Vxor fuisse traditur Amphiarai vatis, qui quum ab Adrasto rege ad bellum magna contentione vocaretur, neque tamen parere vellet, quòd se nunquã inde rediturum tanto antè præuideret, seséque ideo abdidisset, tandem ab vxore aureo monili à rege corrupta proditus est, & in bellũ proficisci coactus: vbi hiatu terræ absorptus est. Plato de Rep. IX, [illegible] Nónne miser est, multóque grauiorem sibi perniciem quærit dum aurũ accipit, quàm Eriphyla, quæ vt salutem viri proderet, monile accepit?

Castra iam mouerat, & vasa collegerat. Translatum à re militari. Vasa enim impedimenta Latinè dicuntur, vt Græcè [illegible].

CICERO. 431 Diodorus Romæ sordidatus circum patronos, atque hospites cursare, rem omnibus narrare. Literæ mittuntur isti à patre vehementes, ab amicis itẽ, videret quid ageret, de Diodoro quò progrederetur, rem claram esse, & inuidiosam, insanire hominem: periturum hoc vno crimine, nisi cauisset. Iste etiam tum patrem si non in parentis, at in hominum numero putabat: ad iudicium nondum se satis instruxerat: primus annus erat prouinciæ, nõ, vt in Sthenio, iam refertus pecunia. Itaque furor eius paululum non pudore, sed metu ac timore repressus est. condemnare Diodorum non audet, absentem de reis eximit. Diodorus interea, Prætore isto propè triennium prouincia, domóque caruit. cæteri non solùm Siculi, sed etiã ciues R. hoc statuerant: quo- 42. niam iste tantùm cupiditate progrederetur, nihil esse quod quisquam putaret se, quod isti paulo magis placeret, conseruare, aut domi retinere posse. Postea verò quàm intellexerunt, isti virũ fortem, quem summè prouincia expectabat, Q. Arrium non succedere: statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum, promptissimúmque esset. Tum iste ab equite R. splendido, & gratioso Cn. Calidio, cuius filium sciebat Senatorem populi R. & iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert. imprudens huc incidi Iudices. emit enim, non abstulit. nollem dixisse. iactabit se, & in his 43. equitabit equuleis. Emi, pecuniam solui. credo, etiam tabulæ proferentur. est tanti. cedo tabulas. dilue sanè crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas aspicere possim.

HOTOM. *In his equitabit equuleis.* Iactabit se, quasi idoneã defensionem nactus: & Iactabit se vt agitatores, qui in equis desultoriis equitant, seséque ostentant.

Est tanti. Tanti sunt venditi, hoc pretium est quo empti sunt.

CICERO. 432 Veruntamen quid erat quod Calidius Romæ quereretur, se, quũ tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te solo ita esse contemptum, ita despectum, vt etiam cum cæteris Siculis dispoliaretur, si emeras? quid erat, quod confirmabat, se abs te argẽtum esse repetiturum, si tibi sua voluntate vendiderat? tu porrò posses facere, vt Cn. Calidio non redderes? præsertim quũ is L. Sisenna defensore tuo tam familiariter vteretur, quum & cæteris familiaribus Sisennæ reddidisses. Denique non opinor negaturum esse te, homini honesto, sed nõ gratiosiori quàm Cn. Calidius 44 est, L. Cordio argẽtum per Potamonem amicum tuum reddidisse. qui quidem cæterorum causam apud te difficiliorem fecit. nam quũ te compluribus cõfirmasses redditurum: posteaquam Cordius pro testimonio dixit te sibi reddidisse, finem reddẽdi fecisti, quòd intellexisti te, præda de manibus amissa, testimonium tamen effugere nõ posse. Cn. Calidio equiti Rom. per omnes

» Prætores licuit argentum habere benè factum:licuit poſſe domeſticis copiis, quũ magiſtratum
» aut aliquem ſuperiorem inuitaſſet,ornare & apparare cõuiuium. Multi domi Cn. Calidii cum
» imperio, ac poteſtate fuerunt: nemo inuentus eſt tam amens, qui illud argentum tam præcla-
» rum, ac tam nobile eriperet: nemo tam audax,qui poſceret: nemo tam impudens, qui poſtula-
45. » ret vt venderet. Superbum eſt enim Iudices,& non ferendum,dicere Prætorem in prouincia ho
» mini honeſto,locupleti,ſplendido, Vende mihi vaſa cælata.hoc eſt enim dicere,Non es dignus
» tu,qui habeas,quæ tam benè facta ſint:meæ dignitatis iſta ſunt.

Aliquem ſuperiorem inuitaſſet. Notanda vocabuli ſignificatio:vt Superior in eo dicatur,qui præſtantior eſt dignitate,veluti magiſtratus. Auctor Rhetoricorũ ad Herẽnium ſic loquutus eſt,In ſuperiores contumax,in æquos & pares faſtidioſus,in inferiores crudelis. HOTOM.

» Tu dignior Verres, quàm Calidius?qui,vt non cõferam vitam,atque exiſtimationem tuam CICERO.
» cum illius:neque enim eſt conferenda: hoc ipſum conferam,quo tu te ſuperiorem fingis,quòd 433
» HS LXXX millia diuiſoribus,vt Prætor renuntiarere,dediſti:trecenta accuſatori, ne tibi odio-
» ſus eſſet.ea re cõtemnis Equeſtrem ordinem,ac deſpicis?ea re indignũ tibi viſum eſt, quicquam
46. » quod tibi placeret,Calidium potius habere,quàm te?Iactat ſe iamdudum de Calidio: narrat om
» nibus ſe emiſſe. num etiam de L. Papirio viro primario,locuplete, honeſtóque Equite R.thuri-
» bulum emiſti?qui pro teſtimonio dixit,te, quum inſpiciendum popoſciſſes, auulſo emblemate
» remiſiſſe:vt intelligatis,in homine intelligentiam eſſe,non auaritiam:artificii cupidum,nõ ar-
» genti fuiſſe.nec ſolùm in Papirio fuit hæc abſtinentia:tenuit hoc inſtitutum in thuribulis om-
» nibus,quæcunque in Sicilia fuerunt.incredibile eſt autem,quàm multa, & quàm præclara fue-
» rint.Credo tum,quum Sicilia florebat opibus & copiis,magna artificia fuiſſe in ea inſula.nam
» domus erat ante iſtum Prætorem nulla paulò locupletior,qua in domo hæc non eſſent,etiam ſi
» præterea nihil eſſet argenti:patella grandis cum ſigillis ac ſimulacris deorũ:patera, qua mulie-
» res ad res diuinas vterentur:thuribulũ.hæc autem omnia antiquo opere,& ſummo artificio fa-
» cta:vt hoc liceret ſuſpicari, fuiſſe aliquãdo apud Siculos peræqua proportione cætera: ſed qui-
47. » bus multa fortuna ademiſſet, tamen apud eos remanſiſſe ea, quæ religio retinuiſſet. Dixi Iudi-
» ces,multa fuiſſe ferè apud Siculos omnes:ego idem confirmo,nunc ne vnum quidem eſſe.

Quo tu te ſuperiorem fingis. Quòd videlicet honores in ciuitate adeptus es: quum ille priuatus in equeſtri gradu permanſerit. Itaque docet illum non dignitate, ſed pretio & largitione eos honores adeptum fuiſſe. HOTOM.

HS LXXX. Coronatorum duo millia.De diuiſoribus autem dictum eſt Ver. II.

Accuſatori. Qui te ambitus accuſare inſtituerat: pag. 194. Et HS trecenta millia, id eſt aureorum ſeptem millia,& præterea quingentos.

Auulſo emblemate. Pag. 429.

» Quid hoc eſt?quod monſtrum?quod prodigium in prouinciam miſimus? nónne vobis id e- CICERO.
» giſſe videtur,vt non vnius libidinem, non ſuos oculos, ſed omnium auariſſimorum inſanias, 434
» quum Romam reuertiſſet,expleret? qui ſimul atque in oppidum quoppiam venerat,immitte-
» bantur illi continuò Cybiratici canes,qui inueſtigabant & perſcrutabantur omnia. Si quod e-
» rat grande vas,& maius opus inuentum, læti auferebant. ſi minus eiuſmodi quippiã venari po-
» terant,illa quidem certè pro lepuſculis capiebantur,patellæ,pateræ,thuribula. Hic quos putatis
» fletus mulierum, quas lamentationes fieri ſolitas eſſe in hiſce rebus? quæ forſitan vobis paruæ
» eſſe videantur:ſed magnum & acerbum dolorem commouent,mulierculis præſertim,quum e-
» ripiuntur è manibus ea,quibus ad res diuinas vti cõſueuerunt,quæ à ſuis acceperunt,quæ in fa-
48. » milia ſemper fuerunt. Hic nolite exſpectare dum ego hoc crimen agam oſtiatim: ab Aeſchilo
» Tindaritano iſtum pateram abſtuliſſe,à Thraſone item Tindaritano patellam,à Nymphodo-
» ro Agrigentino thuribulum.Quum teſtes ex Sicilia dabo,quem volet,eligat,quem ego interro
» gem de patellis,pateris,thuribulis:non modò oppidum nullũ,ſed ne domus quidem vlla paulò
» locupletior expers huius iniuriæ reperietur. qui quũ in conuiuiũ veniſſet, ſi quicquam cælati
» aſpexerat,manum abſtinere Iudices nõ poterat.Cn.Pompeius eſt Philo,qui fuit Tindaritanus.
49. » is cœnam iſti dabat apud villam in Tindaritano. fecit quod Siculi non audebant.ille ciuis R.
» quòd erat,impunius id ſe facturum putauit. appoſuit patellam,in qua ſigilla erant egregia. iſte
» continuò vt vidit,non dubitauit illud inſigne penatium, hoſpitaliúmque deorum ex hoſpitali
» menſa tollere.ſed tamen, quod antea de iſtius abſtinentia dixeram, ſigillis auulſis reliquum ar-
» gentum ſine vlla auaritia reddidit.

Cybiratici canes. Duos fratres Cybiratas dicit,& Canes per metaphoram appellat,quòd omnia ſagaciter odorabantur. Etiam hac de cauſa, quòd quũ Cybiratici in regione aſpera ac mõtuoſa ſint,propè ab Tauro monte, venandi ſtudio dediti fuerunt. Itaque Celius ad Ciceronem Aſiæ Proconſulem ſcribens,lib.Epiſt.Famil. VIII,Item,inquit,de Pantheris, vt Cybiratas accerſas,

curésque mihi vt vehantur.

Qui quum in conuiuium. Vetus, Quin quum in conuiuium. & sic emenda.

Cœnam isti dabat apud villam in Tyndaritano. Apud villam, in villa, inquit Non. Marcellus. Sic Terentius, Apud forum modò è Dauo audiui.

CICERO. 435

*ille cæterũ, purũ: ne purus ipse relinqueretur: emblematis apposuerat. hæc q.

*Proagorum

» Quid? Eupolemo Calactino homini nobili, Lucullorum hospiti ac perfamiliari, qui nunc » apud exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? cœnabat apud eum. argẽtum *illi cæterum » purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur, duo pocula non magna, veruntamen cum *em» blematis. hic quasi festiuum acroama ne sine corollario de conuiuio discederet, ibidem conui» uis inspectantibus emblemata auellenda curauit. Neque ego nunc istius facta omnia enumera» re conor: neq; opus est, nec fieri vllo modo potest. Tantúmodo vniuscuiusque de varia impro» bitate generis indicia apud vos, & exẽpla profero. neque enim ita se gessit in his rebus, tanquam » rationẽ aliquãdo esset redditurus: sed prorsus ita, quasi aut reus nunquam esset futurus: aut quo » plura abstulisset, eo minore periculo in iudicium esset venturus: qui hæc quæ dico iam, non oc» cultè, non per amicos atque interpretes, sed palàm de loco superiore ageret, pro imperio & po» testate. Catinam quum venisset, oppidum locuples, honestum, copiosum, Dionysiarchum ad » se *Pardiorum, hoc est summũ magistratum vocari iubet. ei palàm imperat, vt omne argẽtum » quod apud quemque esset Catinæ, conquirendum curaret, & ad se transferendũ. Philarchũ Cen» turipinum, primarium hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem iuratũ dicere audistis, » sibi istum negotiũ dedisse, atque imperauisse vt Centuripis, in ciuitate totius Siciliæ multo ma» xima, & locupletissima, omne argentum conquireret, & ad se comportari iuberet? Agyrio si» militer istius imperio vasa Corinthia per Apollodorũ, quem testem audistis, Syracusas depor» tata sunt.

HOTOM.

Qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo est. Bello Mithridatico, cui annos propè septem Lucullus præfuit.

Cœnabat apud eum. Verres scilicet.

Argentum illi cæterum purum apposuerat. Obscurus locus, & corruptus, nisi me animus fallit. Purũ autem argentum appellat sine emblematis. vt paulo infrà, Emblemata detrahuntur. sic Saluntini, excussis deliciis, cum argento puro domum reuertuntur. Ego hoc modo legendum potius arbitrarer, Argentum ille cæterum, purum, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula nõ magna, verũtamen cum emblematis apposuerat. Primùm enim quũ de Eupolemo intelligat, Ille, non Illi dicendũ fuit, ne ad eum qui cœnabat hæc oratio referatur. Purum autẽ relinqui hospitem sic accipio, quasi diceret, nudum & inanẽ. Ludit enim ancipiti significatione vocabuli. Et quod initio posuit Cæterum, ne cui mirum videatur, intelligendũ est sic eum loquutũ esse cum alibi, tum in Epist. ad Trebatium, cuius initium est, Accepi à te, lib. Epist. VII. Verbũ autem Apponebat, quomodo superiore in loco consisteret, cõiectura assequi non possum. Glossema sanè ex suo, id est extremo loco sumptum fuisse res ipsa non obscurè significat. Purum autem Cælato Paulus opponit in L. si in rem, D. de rei vindicatione.

Quasi festiuum acroama. Acroama Græcè auditionem significat. Latini pro Festiua narratione, & pro eo item qui festiua narratione auditorum animos exhilarat, vsurpant. Tales plerunque adhiberi solebant locupletum conuiuiis, qui conuiuarum animos exhilararent: iisque dari corollaria solebant.

Pardiorum, hoc est summum magistratum. Pro Pardiorum corrigendum putarem Proagorũ. vt hac eadem oratione, pag. 453, Discedens mandat Proagoro Sopatro, vt demoliatur. Proagorus refert rem ad Senatum. Et paulo pòst, pagina insequenti, C. Marcelli statuam delegit. in ea Sopatrum, hominẽ tum domi nobilẽ, tum summo magistratu præditũ, diuaricari ac deligari iubet.

CICERO. 436

*ad Halunt.

„ Illa verò optima, quòd quũ *Haluntium venisset Prætor laboriosus & diligens, ipse in oppi„ dum accedere noluit, quòd erat difficili ascensu, atque arduo: Artagathum Haluntinum, homi„ nem nõ solùm domi suæ, sed tota Sicilia in primis nobilem, vocari iussit. ei negotium dedit, vt „ quicquid Halunti esset argenti cælati, aut siquid etiam Corinthiorum, *vt omne statim ad mare „ ex oppido deportaretur. Ascendit in oppidum Artagathus, homo nobilis, qui à suis & amari & „ diligi vellet: ferebat grauiter, illam sibi ab isto prouinciam datã: nec, quid faceret habebat: pro„ nuntiat quid sibi imperatũ esset: iubet omnes proferre, quæ haberẽt. metus erat summus. ipse „ enim tyrannus nõ discedebat longius: Artagathũ, & argentum in lectica cubans, ad mare infra „ oppidum expectabat. Quem cõcursum factum in oppido putatis? quem clamorem? quem por„ rò fletum mulierũ? qui viderent: equum Troianum introductum, vrbem captam esse dicerent. „ efferri sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, reuelli „ claustra. quid enim putatis? scuta siquando conquiruntur à priuatis in bello ac tumultu, tamen „ homines inuiti dant, etsi ad salutem cõmunem dari sentiunt: nequem putetis sine maximo do-

lore argentum cælatum domo, quod alter eriperet, protulisse. omnia deferuntur. Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant quæ probarant, iis crustæ aut emblemata detrahuntur. sic Haluntini excussis deliciis, cum argento puro domum reuerterunt. Quod vnquã Iudices, huiuscemodi euerriculũ ylla in prouincia fuit? auertere aliquid de publico quam obscurissimè per magistratum solebant.

Illa verò optima. Repetendum, & subaudiendum verbum superius, Iudicia atque argumenta istius improbitatis sunt. HOTOM.

Quum Haluntium venisset. Omnes libri veteres, Quũ ad Haluntiũ. quo modo sine dubio corrigẽdum putarem. quũ ex iis quæ sequũtur, non Haluntiũ venisse, id est in oppidum ingressum esse, sed ad oppidum tantùm accessisse appareat. & sic loquitur pag. 541, & 527.

Vt omne statim. Vetus liber, Id omne. & sic puto corrigendum.

Ylla in prouincia fuit? Omnes veteres & manuscripti & impressi libri, In illa prouincia fuit? quod sine causa, & planè temerè, ac petulanter immutatũ est. Nam si aliter legeremus, quæ sententia proximis verbis subesset, Auertere aliquid solebant. Etiam aliquid occultè auferebant? Quos enim significari dicemus? Hac autem antiqua lectione reposita, nemini quod significet, obscurũ erit, quũ apertè magistratus eos demõstret, qui hanc ipsam prouinciã auaro & iniquo imperio administrarant, qui etiã repetundarũ iudicio damnati fuerant, vt ostendit pag. 288, quũ ait ex eã prouincia Prætores condemnatos esse complures, duos tantùm absolutos. Sed video quid corrigendi causam huic importuno emendatori præbuerit. Nonius Marcellus in dictione Euerriculum, hoc modo hũc locum profert. Quasi verò religiosè Nonius auctorum locos descripserit: ac non satis habuerit, eos eatenus attingere atque indicare, quatenus proposita vocabula notari intelligique possent. Cuius rei documenta sunt innumera, sed exempli causa vide in dictione Tangere, locum Verrinæ v, quem testem citauit.

Etiam aliquid de priuato nonnunquã occultè auferebãt, & illi tamen condemnabãtur. &, si quæritis, vt egomet mihi detrahã: illos ego accusatores puto fuisse, qui huiusmodi hominũ furta odore, aut aliquod leuiter presso vestigio persequebãtur. nã nos quidẽ quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis inuenimus? Permagnũ est in eum dicere aliquid, qui prætereiens, lectica paulisper deposita, non per præstigia, sed palàm per potestatem, vno imperio, ostiatim, totum oppidũ compilarit? attamen vt possit se dicere emisse, Artagatho imperat vt aliquid illis, quorũ argẽtum fuerat, nummorũ dicis causa daret. Inuenit Artagathus paucos qui vellent accipere: his dedit. eos nũmos tamen iste Artagatho non reddidit. voluit Romæ petere Artagathus: Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. atque hac totã de re audistis Artagathi, & Lentuli testimoniũ. Et ne fortè hominẽ existimetis hanc tantã vim emblematũ sine causa coaceruare voluisse, videte quanti vos, quanti existimationem Populi R. quanti leges & iudicia, quãti testes Siculos, negotiatorésque fecerit. Posteaquã tantam multitudinem collegerat emblematũ, vt ne vnũ quidem cuiquam reliquisset: instituit officinã Syracusis. in regiã maximã palàm artifices omnes, cælatores, ac vascularios cõuocari iubet, & ipse suos cõplures habebat. eò cõducit magnã hominũ multitudinẽ. menses octo cõtinuos opus his non defuit, quũ vas nullũ fieret nisi aureũ. tum illa, ex patellis, & thuribulis quæ vellerat, ita scitè in aureis poculis illigabat, ita aptè in scyphis aureis includebat, vt ea ad illã rem nata esse diceres. CICERO.

Per magistratum. Siculum. HOTOM.

Vt egomet mihi detraham. Omnes veteres impressi, Vt ipse de me detrahã. quam lectionem & manuscriptus tuetur, & Nonius Marcellus in dictione Detraho. sic igitur corrigendum.

Aliquod leuiter presso vestigio. Libri veteres, Aliquid. Ego, Aliquo. quo genere loquendi vsus est in his ipsis Orationibus non semel. *Totius corporis vestigiis.* Vide 303.

Aliquid nummorũ dicis causa daret. Hæc locutio quid significet, non ita obscurũ, aut difficile est ad intelligendum. Apparet enim tum apud Iuriscõsultos, quibus vsitata ac perfamiliaris est, tum apud alios item auctores idẽ significare quod Cicero plerunque dicit, Simulãdi causa, vel Per simulationẽ, aut Per speciem. vt quũ scribit Vlpianus in Pandectis, titulo de s.c. Silaniano, Si seruus finxit se domino auxiliũ ferre, vel dicis gratia tulit: nihil hoc cõmentum illi proderit. id est per simulationẽ officii, atque vt falsam visionẽ & speciẽ defensionis obiiceret. Sic Plinius lib. XXVIII, Si Põtifici accidat dicis causa epulãdi. id est quũ reuera nõ epularetur, sed ceremoniæ causa epulari se fingeret. Similiter igitur hoc loco, Aliquid nummorũ dicis causa dare, nihil aliud esse patet, quàm per simulationẽ solutionis dare, vel falsam speciẽ solutionis obiicere. Sed huius vocabuli origo, perdifficilis esse videtur ad inuestigandũ: nisi fortè deprauatũ consuetudine loquentiũ verbum DICIS existimemus, de verbo DIXIS: quo vocabulo Græci speciem & ostentationẽ significant, præsertim quũ satis constet, Dicis causa apud Latinos nihil aliud significare, quàm apud Græco Δίκης ἕνεκα. Quãquam de voce δίκη deriuata quoque videri possit. vt nõ Dicis, sed Dices causa scribamus, quũ δίκη plerunque ritũ modúmque significet: vt Dices

causa, ritus tātùm obseruādi causa, ac nō reuera fieri aliquid dicatur. vnde *Vices* etiā aduerbiū pro Instar Græci vsurpāt. Latinas in hoc genere locutiones apud Cæsarem istas obseruauimus, Ad speciē; Per causam, Simulatione, Speciē atq; opinione præbere. In libro de Bello Gal. I, Omnes alarios in cōspectu hostiū posuit, vt ad speciē alariis vteretur. Item de Bello Ciuili, Quare animaduersa Varus, & terrore exercitus cognito, buccinatore in castris, & paucis ad speciē tabernaculis relictis, de tertia vigilia silētio exercitū in oppidū reducit. Eodē rursus lib. I, Retineri legiones duas, quæ ab se simulatione Parthici belli sint abductæ. Et Lib. III, Speciē atq; opinionē pugnantiū præberēt. Et lib. VII, Mulionésque cū cassidibus equitū specie ac simulatione collibus circumuehi iubet. Eodē rursus libro, Per causam supplementi, equitatúsque cogēdi, ab exercitu discedit. Quē Liui⁹ imitat⁹ lib. II, Per causā, inquit, renouari ab AEquis belli. Cicero suprà pag. 414, Per simulationē ædilitatis dixit, quod vulgò dicimus, Prætextu ædilitatis, Signa ablata ex vrbibus, quatridui causa, per simulationē ædilitatis. Et pag. 408, Per nomen: Quantā quisque concupierit pecuniā, tantam licebit per cellæ nomen æstimationis magnitudine consequatur.

Cn. Lentulus Marcellinus. Apparet ex Marcellorū familia fuisse, à Lentulo verò adoptatū. nam hic mos erat adoptantium, de quo alio loco explicauimus.

CICERO. 438 » Ipse tamē Prætor, qui sua vigilātia pacē in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorē partem » diei cum tunica pulla sedere solebat, & pallio. Hæc ego Iudices, nō auderē proferre, ni vererer ne » fortè plura de isto ab aliis in sermone, quàm à me in iudicio audisse vos diceretis. quis enim est » qui de hac officina, qui de vasis aureis, qui de istius pallio, tunica pulla nō audierit? quē volēs de » cōuentu Syracusanorū virum bonū nominato: producā: nemo erit quin hoc se aut vidisse, aut » audisse dicat. O tēpora, ô mores: nihil nimiū vetus proferā: sunt vestrū Iudices, quàm multi, qui » L. Pisonē cognouerūt, huius L. Pisonis qui Prætor fuit, patrē. Is quū esset in Hispania Prætor, » (qua in prouincia occisus est) nescio quo pacto dū armis exercetur, annulus aureus quē habebat, » fractus est, & cōminutus. quū vellet sibi annulū facere, aurificē iussit vocari in foro, ad sellā, Cor- » dubæ: & ei palàm appēdit aurū: hominem in foro sellā iubet ponere, & facere annulū omnibus » præsentib⁹. Nimiū fortasse dicet aliquis hunc diligentē. hactenus reprehēdat, siquis volet: nihil » amplius. verùm fuit ei concedendū: filius enim L. Pisonis erat eius, qui primus de pecuniis repe- » tundis legem tulit. Ridiculū est nunc de Verre me dicere, quū de Pisone Frugi dixerim. verùmta- » men quantū intersit, videte. Iste quū aliquot abacorū faceret vasa aurea, nō laborauit quin non » modò in Sicilia, verùetiam Romæ in iudicio audiretur. ille in auri semuncia totā Hispaniā scire » voluit, vnde Prætori annulus fieret. nimirū vt hic nomen suū cōprobauit, sic ille cognomen.

Audiretur.

HOTOM. *Pacem in Sicilia dicit fuisse.* Vide 488.

Cum tunica pulla, & pallio. Pullus color, ater, terræ similis. Ipse in Vatiniū, Atque illud etiā scire ex te cupio, quo cōsilio aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arrii familiaris mei cùm toga pulla accumberes. Et paulo pòst, Quis vnquā cœnauit atratus? Eo colore ferè plebs infima in tunicis, & togis vti solebat. Quintilianus in V, Non possum togā prætextā sperare, quū exordiū pullū videā. Et lib. II, Iā collidere manus, terræ pedē incutere, femur, pectus, frontē cædere, mirè ad pullatū circulū facit. Et lib. VI, Pugnā illā decertatoriā imperitis ac sæpe pullatæ turbæ relinquunt. Hoc igitur in Verre reprehendit, quòd Imperator Populi R. qui cæsis victimis paludatus ex vrbe exisset, in prouincia sua non modò sine paludamēto, sed etiā cum tunica pulla, quæ infimæ plæbis & artificū propria est, in publicū prodiret. Palliū autē, notū est Græcorū hominū fuisse, ciuib⁹ R. alienū. Valeri⁹ Max. In mali ominis numero posuit, ꝙ M. Crasso, qui à Parthis cæs⁹ est, pullū paludamētū fit traditū, quū in prælīū exeūtib⁹ albū aut purpureū dari soleret.

Primus de pecuniis repetundis. Pag. 396.

Romæ in iudicio audiret. Audiretur, rectius putarem. Sententia quidem sic postulat.

Nomen suum comprobauit. Alludit ad nomen Verris, vt pag. 229: cognomen autem Frugi.

CICERO. 439 » Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione cōplecti. genera » ipsa cupio breuiter attingere. vt hic modo me cōmonuit Pisonis annulus, quod totum effluxe- » rat: quàm multis istū putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstulisse? nunquā » dubitauit, quotiescūque alicuius aut gemma, aut annulo delectatus est. Incredibilē rem dicam, » sed tam clarā, vt ipsum negaturū non arbitrer. Quū Valentio eius interpreti epistola Agrigēto » allata esset, casu signū iste animaduertit in cretula: placuit ei: exquisiuit vnde esset epistola: respō- » dit, Agrigēto. Iste literas, ad quos solebat, misit, vt is ānulus ad se primo quoq; tēpore afferretur. » ita literis istius patrifamiliâs L. Titio cuidā ciui R. annul⁹ de digito detractus est. Illa verò ei⁹ » cupiditas incredibilis est: nā vt in singula cōclauia, quæ iste nō modo Romæ, sed omnibus in vil- » lis habet, tricenos lectos optimè stratos cū cæteris ornamentis conuiuii quæreret, nimiū multa » cōparare videretur. Nulla dom⁹ in Sicilia locuples fuit, vbi iste nō textrinā instituerit. Mulier » est Segestana perdiues & nobilis, Lamia nomine. per triennium isti plena domo telarum stragu- » lam vestem confecit, nihil non conchylio tinctum. Attalus homo pecuniosus, nec vulgo Lily-

'Agrigento l.

patrifamiliâs l.

bæ: Critolaus Ennæ; Syracusis AEschrio, Cleomenes, Theomnastus: Pelori Archonides, Me-
gistus. vox me citius defecerit, quàm nomina. Ipse dabat purpuram tantùm: amici operas: cre-
do. iam enim non libet omnia criminari: quasi hoc mihi non satis sit ad crimen, babuisse tam quasi vero hoc l.
multum, quod daret: voluisse deportare tam multa: hoc denique quod concepit, amicorū ope-
ris esse in huiuscemodi rebus usum.

Hic modo me commouit. Omnes alii, Hoc modo. Sed hāc scripturā cum ipsius elegātia, tum etiam NOTOM.
Quintiliani auctoritas tuetur, apud quem ita scriptum reperio libro IX, cap. II.

Agrigenti ollatum esse. Agrigento, postulat Latini sermonis consuetudo: & ita legitur in veteribus etiam impressis.

In cretula. Creta veteres uti solitos tum in publicis, tum in priuatis literis auctor est Cicero, in Orat. pro Flacco, his verbis, Hæc quæ est à nobis prolata laudatio, obsignata erat creta illa Asiatica, quæ ferè est omnibus nota nobis, qua utuntur omnes, non modò in publicis, sed etiam in priuatis literis, quas quotidie videmus mitti à publicanis, sæpe vnicuique nostrum.

~~*Astro patrissimiliis.* Error typographi. Emenda, Patrisfamiliâs.~~

~~*In frigidis conclauia.* Conclauia, pro Tricliniis. Latino verbo.~~

Conchylio tinctum. Ex conchylii cōcha incisa colligitur succus, tingendis vestibus expetitus. ex eo enim inficitur purpura. Plinius libro X, cap. XXXVI.

Purpuram tantum. Alii sic interpūgunt, Ipse dabat purpuram: Tantum amici operas. ineptè. Est enim defensorum obiectio. At enim nō tam multos sumptus faciebat in stragulas, quàm tu dicis. Et hoc apparet ex eo, quod continuò sequitur.

Quasi hic mihi. Omnes alii, Quasi verò hoc mihi.

Iam verò lectos æratos, & candelabra ænea, num cui præter istum Syracusis per triennium CICERO.
facta esse existimatis? Emebat, credo. Sed tantùm vos certiores Iudices facio, quid iste in prouin 440
cia Prætor egerit, necui fortè nimium negligens fuisse videatur, neque se satis, quū potestatem
habuerit, instruxisse & ornasse. Venio nunc non ad furtū, non ad auaritiam, nō ad cupiditatem, l. non iam ad
sed ad eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria cōtineri mihi, atque inesse videantur: in quo dii
immortales violati, existimatio, atq; auctoritas nominis Populi R. imminuta, hospitiū spolia-
tum ac proditū, abalienati scelere istius à nobis omnes Reges amicissimi, nationésque, quæ in
eorū regno ac ditione sunt. nā reges Syriæ regis Antiochi filios pueros scitis Romæ nuper fuis-
se, qui venerāt non propter Syriæ regnū. nam id sine cōtrouersia obtinebāt, vt à patre, & à maio
ribus acceperāt: sed regnū AEgypti ad se, & ad Selenem matrem suā pertinere arbitrabātur. Hi
postquā temporib⁹ Populi R. exclusi, per Senatū agere, quæ volverāt, non potuerūt: in Syriā in
regnū patriū profecti sunt. Eorū alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliā facere voluit. Ita-
que isto Prætore venit Syracusas. Hic Verres hæreditatē sibi venisse arbitratus est, quòd in eius
regnū, ac manus venerat is, quē iste & audierat multa secum præclara habere, & suspicabatur.
Mittit homini munera satis largè: hæc ad vsum domesticū, vini, olei, quod visum erat: etiā triti
ci, quod satis esset, de his decumis. deinde ipsum Regē ad cœnā vocauit. exornat amplè, magni-
ficéque tricliniū: exponit ea quibus abundabat, plurima, ac pulcherrima vasa argētea: nanque
hæc aurea nondum fecerat, omnibus curat rebus instructum, & paratum vt sit conuiuium.

Lectos æratos, & candelabra ænea. Ex ære Syracusano scilicet. quod nobile & pretiosum fuisse, vt- NOTOM.
pote auro vel argento temperatum, auctor est Plinius libro XXXIV, cap. III.

Venio nunc non ad furtum. Aldinus & alii omnes, Non iam ad furtum. quod sine causa corrigendum non putarem.

Regnum AEgypti ad se & ad Selenem matrem suam pertinere arbitrabantur. Dicit, puto, Antiochū, cui cognomen Eusebii, Syrii per ludum ac iocum imposuerunt: quasi à luna adamatus, eā in vxorem duxisset. is enim à Tigrane Armeniæ Rege victus, & regno spoliatus est. verùm Lucullus deuicto Mithridate Antiochū eius filiū in regnū patrium restituit. Sed quod Lucullus dederat, pòst ademit Pōpeius, qui poscenti regnū, rèspondit, ne volēti quidem Syriæ, nedum recusanti daturum se regem, qui XVIII annos, quibus Tigranes Syriā tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit: victo autem eodem Tigrane, à Romanis alieni operis præmia postulet. Appianus, Iustinus.

In eius regnum. Odiosè tū Verrē, quasi Regē se in Sicilia, nō Populi R. magistratū haberi vellet.

His decumis. De quibus modò tam multa diximus: ternis videlicet, & quaternis, quas à Siculis extorquebat.

Quid multa? Rex ita discessit, vt & istum copiosè ornatum, & se honorificè acceptum arbi- CICERO.
traretur. Vocat ad cœnam deinde ipse Prætorem, exponit suas copias omnes, multū argētum, 445
non pauca etiā pocula ex auro: quæ, vt mos est regius, & maximè in Syria, gemmis erant distin-
cta clarissimis. Erat etiam vas vinariū ex vna gemma pergrādi, trulla excauata cum manubrio
aureo: de qua, credo, satis idoneū, satis grauem testem Q. Minutium dicere audistis. Iste vnum

quodque vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere Prætori Populi R. satis iucúdum & gratum illud esse conuiuiú. Posteaquam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, [illegible] id quod ipsa res declarauit, nisi quemadmodum Regem ex prouincia spoliatum, expilatúmque dimitteret. Mittit rogatum vasa ea, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait se suis cælatoribus velle ostendere. Rex qui istum non nosset, sine vlla suspicione libentissimè dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum, velle eam se diligentius considerare. ea quoque ei mittitur. Nunc reliquum Iudices attendite, de quo & vos audistis, & Populus R. non nunc primùm audiet, & in exteris nationibus vsque ad vltimas terras peruagatum est. Cádelabrum è gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, Reges hi quos dico, Romam quum attulissent, vt in Capitolio ponerent, quòd nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere, neque vulgo ostendere, ac proferre voluerunt: vt & magnificétius videretur, quum suo tempore in cella Iouis Optimi Maximi poneretur: & clarius, quum pulchritudo eius recens ad oculos hominum, atque integra perueniret.

HOTOM. *Trulla excauata cum manubrio aureo.* Trulla à similitudine truæ, diminuto verbo. Truæ autem, vt Varro scribit, è culina in lauatriná, aquam fundunt: Trullæ figuram eandem esse quæ Truelli, idem eodem loco auctor est. Vas autem vinarium fuisse, non (vt quidam putant) aquariú, cum ex hoc loco intelligitur, tum ex his Horatii versibus,

Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappámque profestis.

Nisi quemadmodum. Alterutrum abundat, aut QVEM, aut NISI.

Perfectum templum offenderant. Capitoliú, quod ante annos amplius quadringétos à Tarquinio constructum erat, Syllanis temporibus de cælo tactum, incendio cóflagrauit. Id Sylla mortuo, Q. Catulus restituendum perficiendúmque curauit.

CICERO. 442 Statuerunt id secum in Syriá reportare, vt quú audissent simulacrú Iouis Optimi Maximi dedicatum, Legatos mitterent, qui cum cæteris rebus illud quoque eximium, atque pulcherrimum donum in Capitoliú afferrent. Peruenit res ad istius aures, nescio quo modo. nam Rex id celatum voluerat: non quo quicquá metueret, aut suspicaretur, sed vt ne multi illud antè perciperét oculis, quàm Populus R. Iste petit à Rege, & cú pluribus verbis rogat, vti ad se mittat. cupere se dicit inspicere, neq; se aliis vidédi potestaté esse facturú. Antiochus qui animo & puerili esset, & regio; nihil de istius improbitate suspicatus est. imperat suis vt id in Prætoriú inuolutú quàm occultissimè deferrét. Quò posteaquá attulerunt, inuolucrísque reiectis cóstituerunt, iste clamare cœpit, dignam rem esse regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio. etenim erat eo splendore, qui ex clarissimis & plurimis gemmis esse debebat: ea varietate operú, vt ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, vt intelligi posset non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum. Quod quú satis iam perspexisse videretur, tollere incipiút, vt referrent. Iste ait, se velle illud etiá atque etiam considerare, nequaquá se esse satiatum. iubet illos discedere, & candelabrú relinquere. sic illi tum inanes ad Antiochú reuertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari. Dies vnus, alter, plures: non referri.

CICERO. 443 Tum mittit Rex ad istú: si sibi videatur, vt reddat. iubet iste posterius ad se reuerti. mirum illi videri. mittit iterum. non redditur. ipse hominem appellat: rogat vt reddat. Os hominis, insignémque impudentiam cognoscite. quod sciret, quódque ex ipso Rege audisset in Capitolio esse ponédum, quod Ioui Optimo Maximo, quòd Populo R. seruari videret, id sibi vt donaret, rogare, & vehementer petere cœpit. Quum ille se & religione Iouis Capitolini, & hominú existimatione impediri diceret, quòd multæ nationes testes essent illius operis, ac muneris: iste homini minari acerrimè cœpit. Vbi videt eum nihilo magis minis, quàm precib⁹ permoueri: repente hominem de prouincia iubet ante noctem discedere. ait se comperisse ex eius regno piratas in Siciliam esse venturos. Rex maximo conuentu Syracusis, in foro (nequis fortè me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspicione hominum arbitretur) in foro inquam Syracusis flens, deos hominésque cótestans, clamare cœpit candelabrú factum è gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo, Populo R. mo[illegible]ntum suæ societatis amicitiæque esse voluisset, id sibi C. Verrem abstulisse. de cæteris o[illegible]us ex auro & gemmis, quæ sua penes illum essent, se non laborare: hoc sibi eripi, miserum [illegible] indignum. id etsi antea iam mente & cogitatione sua, fratrísque sui consecratum esset: [illegible] tum se in illo conuentu ciuiú R. dare, donare, dicare, consecrare Ioui Optimo Maxim[illegible]emque ipsum Iouem suæ voluntatis, ac religionis adhibere. Quæ vox, quæ latera, quæ [illegible]uius vnius criminis querimoniam possint sustinere?

CICERO. 444 Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium nostrum [illegible]um ferè comitatu regio, atque ornatu fuisset, is quú amicus, & socius Populi R. esset, am[illegible]ho patre, auo, maioribus,

antiquissimis,& clarissimis Regibus,opulentissimo & maximo regno, præceps è prouincia Populi R.exturbatus est. Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodũ huius tui facti famam in regna aliorum, atque in vltimas terras peruenturam putasti? quũ audierint à Prætore Populi R.in prouincia violatum Regem,spoliatum hospitem,eiectum socium Populi R.atque amicũ:nomen vestrum Populique R.odio,atque acerbitati scitote nationibus exteris Iudices,futurũ, si istius hæc tanta iniuria impunita discesserit. Sic omnes arbitrabuntur, præsertim quũm hæc omnino fama de nostrorũ hominum auaritia, & cupiditate percrebrueritnõ istius solius hoc esse facinus,sed eorũ etiam qui approbarint. Multi Reges,multæ liberæ ciuitates,multi priuati opulenti, ac potentes habent profectò in animo Capitolium sic ornare, vt tẽpli dignitas,Imperijq; nostri nomẽ desiderat.qui si intellexerint,interuerso regali hoc dono grauiter vos tulisse,grata fore vobis,Populóque R.sua studia,ac dona arbitrabũtur.sin hoc vos in Rege tam nobili,in re tam eximia,in iniuriã acerba neglexisse audierint,nõ erunt tam amentes,vt operã,curam,pecuniã impendant in eas res,quas vobis gratas fore non arbitrentur. Hoc loco Q.Catule te appello. loquor enim de tuo clarissimo, pulchertimóq; monimẽto. non iudicis solùm seueritatem in hoc crimine, sed propè inimici, atque accusatoris vim suscipere debes. Tuus est enim honos in illo templo Senatus Populique R.beneficio:tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur.

Liberæ ciuitates. Liberæ ciuitates, immunes, & quæ suis vtuntur legibus, in quibus magistratui Populi R.ius dicere non licet. HOTOM.

Q.Catule te appello Capitolium Q.Catulus dedicauit,quod Sylla,qui restituere cœperat,morte interceptus perficere non potuit.

Tibi hæc cura suscipienda,tibi hæc opera sumenda est, vt Capitoliũ quomodo magnificentius est restitutum,sic copiosius ornatum sit quàm fuit:vt illa flãma diuinitus extitisse videatur, non quæ deleret Iouis Optimi Maximi templum,sed quæ præclarius magnificentiúsque deposceret. Audisti Q.Minutium Rufum dicere,domi suæ diuersatũ esse Antiochum Regem Syracusis:se illud scire ad istum esse delatum,se scire non redditum. Audisti,& audies omni è conuentu Syracusano qui ita dicant,sese audientibus illud Ioui Optimo Maximo dicatum esse ab Rege Antiocho,& consecratum. Si iudex non esses,& hæc ad te delata res esset,te potissimũ hoc persequi, te petere,& agere oporteret. Quare non dubito, quo animo Iudex huius criminis esse debeas, qui apud alium iudicem multò acrior quàm ego sum, actor accusatórque esse deberes, Vobis autẽ Iudices quid hoc indigni*, aut quid minus ferendũ videri potest? Verrésne habebit domi suæ candelabrũ Iouis Optimi Maximi è gẽmis auróque perfectum? Cuius fulgore collucere,atque illustrari Iouis Optimi Maximi templũ oportebat,id apud istum in eiusmodi cõuiuiis constituetur,quæ domesticis stupris,flagitiísque flagrabunt? In istius lenonis turpissimi domo simul cum cæteris Chelidonis hæreditariis ornamentis,Capitolii ornamenta ponentur? CICERO. 445

Omni è conuentu Syracusano. Alii libri,Omnes,accusandi casu.quod non puto immutandum. HOTOM.

Quid huic sacri vnquã fore,aut quid fuisse religiosi putatis,qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudiciũ veniat,vbi ne precari quidem Iouem Optimũ Maximum, atque ab eo auxiliũ petere more omniũ possit? à quo etiam dii immortales sua repetunt in eo iudicio,quod hominibus ad suas res repetundas est constitutũ. Miramur Athenis Mineruã, Deli Apollinem,Iunonẽ Sami,Pergæ Dianã,multos præterea ab isto deos tota Asia,Græciáque violatos,qui à Capitolio manus abstinere non potuerit? quod priuati homines de suis pecuniis ornant,ornaturíque sunt,id C.Verres ab Regibus ornari non est passus. Itaque hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neque sacri, neque religiosi esse duxit. ita sese in ea prouincia per triennium gessit, vt ab isto non solùm hominibus, verumetiam diis immortalibus bellum indictũ putaretur. Segesta, est oppidũ peruetus in Sicilia Iudices, quod ab AEnea fugiente à Troia,atque in hæc loca veniente conditũ esse demonstrant. Itaque Segestani non solùm perpetua societate atque amicitia, verumetiam cognatione se cum Populo R.coniunctos esse arbitrantur. hoc quondã oppidum, quũ illa ciuitas cum Pœnis suo nomine,ac sua sponte bellaret,à Carthaginensibus vi captum atque deletum est:omniáque, quæ ornamento vrbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. Fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ,tum summa atq; antiquissima præditũ religione, tum singulari opere, artificióque perfectum. Hoc translatũ Carthagine,locum tantùm,hominésque mutarat,religionẽ quidem pristinam conseruabat:nam propter eximiã pulchritudinem etiam hostibus digna,quam sanctissimè colerent,videbatur. Aliquot seculis pòst P. Scipio bello Punico tertio Carthaginem cepit. CICERO. 446

Ab AEnea fugiente. Nam AEneæ & Antenori solis,Achiui Troia capta pepercerunt:qua de causa AEneas domo profugus,in Siciliam, sedes quærens, delatus est: vbi oppida quædam condidisse dicitur. Strabo tamen libro VI, à Philoctetæ comitibus, qui Crotonem commigrarunt, HOTOM.

conditam Segestam putat: quos Philoctera vnà cum AEgesto Troiano transmiserat in Sici-
liam. Thucydides autem omnino à Troianis conditam scribit, neque nominatim quenquam
auctorem commemorat. Eius verba ex libro VI, subiiciam. ἰλίου δὲ ἁλισκομένου, τῶν τρώων τινὲς διαφυγόντες
ἀχαιοὺς, πλοίοις ἀφικνοῦνται πρὸς τὴν σικελίαν, καὶ ὅμοροι τοῖς Σικανοῖς οἰκήσαντες, ξύμπαντες μὲν ἔλυμοι ἐκλήθησαν· πόλεις δ' αὐ-
τῶν ἔρυξ τε καὶ ἔγεστα.

Verumetiam cognatione. Nam, vt scribit Virgilius, Romanæ stirpis origo AEneas.

P. Scipio. Pauli AEmylii filius, à Scipionis Africani maioris filio adoptatus.

Translatum Carthaginem. Alii libri, Carthaginem: & sic emenda. De Scipione autem idem Appia-
nus testatur libro extremo. ἐς δὲ Σικελίαν ἔπεμπεν, ὅσα Καρχηδόνιοι σφῶν ἀναθήματα κατὰ πολέμους ἔλαβον, ἐπιτρέ-
πων ἐπιγνόντας κομίζεσθαι· ὃ δὴ μάλιστα αὐτὸν ἐδημαγώγησεν, ὡς μετὰ τῆς δυνάμεως φιλάνθρωπον.

CICERO. Qua in victoria (videte hominis virtutem & diligentiã, vt & domesticis præclarissimæ vir-
447 tutis exemplis gaudeatis, & eo maiore odio dignã istius incredibilem audaciã iudicetis) conuo-
catis Siculis omnibus, quòd diutissimè sæpissiméque Siciliam vexatã à Carthaginensibus esse
cognorat, iubet omnia conquiri: sibi pollicetur magnæ curæ fore, vt omnia ciuitatibus, quæ cu-
iusque fuissent, restituerentur. tum illa, quæ quondam fuerant Himera sublata, de quibus antea
dixi, Thermitanis sunt reddita. tum alia Gellensibus, alia Agrigentinis. in quibus etiam ille no-
bilis Taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur, quò viuos
supplicii causa demittere homines, & subiicere flammã solebat. quem Taurum Scipio quum
redderet Agrigentinis, dixisse dicitur, æquum esse illos cogitare, vtrum esset Siculis vtilius, suis-
ne seruire, an Populo R. obtemperare, quũ idem monimẽtum & domesticæ crudelitatis, & no-
stræ mansuetudinis haberent. Illo tẽpore Segestanis maxima cum cura hæc ipsa Diana, de qua 74.
dicimus, redditur. Reportatur Segestam: in suis antiquis sedibus summa cum gratulatione ci-
uium & lætitia reponitur. hæc erat posita Segestæ, sanè excelsa in basi, in qua grandibus literis
P. Africani nomen erat incisum, eúmque Carthagine capta restituisse perscriptum. Colebatur
à ciuibus: ab omnibus aduenis visebatur. quũ Quæstor essem, nihil mihi ab illis est demonstra-
tum prius. Erat admodum amplum, & excelsum signum cum stola: veruntamen inerat in illa
magnitudine ætas, atque habitus virginalis: sagittæ pendebant ab humero: sinistra manu reti-
nebat arcum: dextra ardentem facem præferebat.

CICERO. Hanc quum iste sacrorum omnium hostis, religionúmque prædo vidisset: quasi ipsa illa fa- 75.
448 ce percussus esset, ita flagrare cupiditate, atque amentia cœpit. Imperat magistratibus iste vt eã
demoliantur, & sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. illi verò dicere, id sibi nefas esse, sé-
que cùm summa religione, tum summo metu legum, & iudiciorũ teneri. Iste tum petere ab il-
lis, tum minari, tum spem, tum metum ostendere. opponebant illi interdum nomen Africani:
donum Populi R. illud esse dicebant: nihil se in eo potestatis habere, quod Imperator clarissi-
mus, vrbe hostium capta, monimentum victoriæ Populi R. esse voluisset. Quum iste nihilo re- 76.
missius, atque etiam multo vehementius instaret quotidie, res agitur in Senatu: vehementer ab
omnibus reclamatur. Itaque illo tempore, ac primo istius aduẽtu pernegatur. postea quicquid
erat oneris in nautis remigibúsque exigendis, in frumento imperando, Segestanis præter cæte-
ros imponebat aliquanto amplius, quàm ferre possent. Præterea magistratus eorum euocabat:
optimum, & nobilissimum quemque ad se accersebat: circum omnia prouinciæ fora rapiebat:
sigillatim vnicuique calamitati fore se denuntiabat: vniuersam se funditus illam euersurum
esse ciuitatem minabatur. Itaque aliquãdo multis malis, magnóque metu victi Segestani, Præ-
toris imperio parendum esse decreuerunt. Magno cum luctu, & gemitu totius ciuitatis, mul-
tis cum lacrymis, & lamentatione virorum, mulierúmque omnium, simulacrum Dianæ tol-
lendum locatur.

CICERO. Videte quanta religione fuerit. apud Segestanos repertum esse Iudices scitote neminem ne- 77.
449 que liberum, neque seruum, neque ciuem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attin-
gere. Barbaros quosdam Lilybæo scitote aduocatos esse operarios. hi denique illud, ignari to-
tius negotii, ac religionis, mercede accepta sustulerunt. Quod quum ex oppido exportaretur,
quem conuentum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum maiorum natu? quorum
nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, quum illa eadem Diana Segestam Carthagine
reuecta, victoriam Populi R. reditu suo nũtiasset. quàm dissimilis hic dies illi tempori videba-
tur? Tum Imperator Populi R. vir clarissimus deos patrios reportabat Segestanis, ex vrbe ho-
stium recuperatos. nunc ex vrbe sociorum Prætor eiusdem populi turpissimus, atque impuris-
simus, eosdem illos deos nefario scelere auferebat. Quid hoc tota Sicilia est clarius, quàm omnes
Segestanas matronas, & virgines conuenisse, quum Diana exportaretur ex oppido, vnxisse vn-
guentis, complesse coronis & floribus, thure odoribúsque incensis vsque ad agri fines prosequu-
tas esse? Hanc tu tantam religionem si tum in imperio propter cupiditatem, atque audaciam 78.
non pertimescebas, ne nunc quidem in tanto tuo, liberorúmque tuorum periculo perhorre-

scis: quem tibi aut hominem, inuitis diis immortalibus, aut verò deûm tantis eorum religionibus violatis auxilio futurum putas? Tibi illa Diana in pace, atque in otio religionem nullam attulit? quæ quum duas vrbes in quibus locata fuerat, captas incensásque vidisset, bis ex duorum bellorum flamma, ferróque seruata est: quæ Carthaginensium victoria loco mutato, religionem tamen non amisit: P. Africani virtute, religionem simul cum loco recuperauit.

CICERO. 450

Quo quidem scelere suscepto, quum inanis esset basis, & in ea P. Africani nomen incisum, res indigna, atque intoleranda videbatur omnibus, nô solùm religiones esse violatas, verumetiam P. Africani, viri fortissimi, rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monimenta victoriæ C. Verrem sustulisse. Quod quũ isti renuntiaretur de basi ac literis, existimauit homines in obliuionem totius negotii esse venturos, si etiam basim tanquam indicem sui sceleris sustulisset: itaque tollendam istius imperio locauerunt. quæ vobis locatio ex publicis Segestanorum literis priore actione recitata est. Te nunc P. Scipio, te inquam, lectissimum ornatissimúmque adolescentem appello, abs te officium tuũ debitum generi, & nomini requiro, & flagito. Cur pro isto, qui laudem honorémque familiæ vestræ depeculatus est, pugnas? cur eum defensum esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? M. Tullius P. Africani monimenta requirit, P. Scipio eum qui illa sustulit, defendit. Quum mos à maioribus traditus sit, vt monimenta maiorum ita suorum quisque defendat, vt ea ne ornari quidem nomine alieno sinat: tu isti aderis, qui non °obtrusit aliqua ex parte monimenta P. Scipionis, sed funditus sustulit ac deleuit? Quisnam igitur, per deos immortales, tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? quis monimenta atque indicia virtutis, si tu ea relinquis ac deseris: neque solùm spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorem, vexatorémque defendes?

°obtriuit

HOTOM.

Qui non obtrusit aliqua ex parte. Obtriuit, opinor, melius legeretur.

CICERO. 451

Adsunt Segestani clientes tui, socii Populi R. atque amici: certiorem te faciũt, P. Africanum Carthagine deleta simulacrũ Dianæ maiorib^9^ suis restituisse: idque apud Segestanos eius Imperatoris nomine positum ac dedicatũ fuisse: hoc Verrem demoliendum, & asportandũ, noménque omnino P. Scipionis delendũ, tollendúmque curasse. Orant te, atque obsecrant, vt sibi religionem, generi tuo laudem, gloriámque restituas: vt quod ex vrbe hostium per P. Africanũ recuperarint, id per te ex prædonis domo conseruare possint. Quid aut his respõdere honestè potes, aut illi facere, nisi vt te ac fidem tuam implorent? adsunt & implorant. potes domesticæ laudis amplitudinẽ Scipio tueri, potes: omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominib^9^, aut natura largitur. Non præcerpo fructum officii tui: non alienam mihi laudem appeto: nõ est pudoris mei, P. Scipione florentissimo adolescente viuo & incolumi, me propugnatorem monimentorum P. Scipionis, defensorémque profiteri. Quamobrem si suscipis domesticæ laudis patrocinium, me non solum silere de vestris monimentis oportebit: sed etiam lætari, P. Africani eiusmodi esse fortunas mortui, vt eius honos ab iis, qui ex eadem familia sint, defendatur, neque vllũ aduentitium requiratur auxilium. si istius amicitia te impediet: si hoc quod abs te postulo, minus ad officium tuũ pertinere arbitrabere, succedam ego vicarius tuo muneri: suscipiã partes quas alienas esse arbitrabar, ne ista præclara nobilitas desinat queri Populum Ro. hominibus nouis, atque industriis libenter honores mandare, sempérque mandasse. Non est querẽdum in ea ciuitate, quæ propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse.

HOTOM.

Non præcerpo fructum officii tui. Non præripio tibi laudẽ, quam mereri isto officiũ genere poteris.

CICERO. 452

Sit apud alios imago P. Africani: ornentur alii mortui virtute, ac nomine. talis ille vir fuit, ita de populo Ro. meritus est, vt non vni familiæ, sed vniuersæ ciuitati cõmendatus esse debeat. Est aliqua mea pars virilis, quòd eius ciuitatis sum, quam ille amplã, illustrem, clarámque reddidit: præcipuè quòd in his artibus pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit, æquitate, industria, temperantia, defensione miserorum, odio improborum. quæ cognatio studiorum & artium, propemodum non minus est coniuncta, quàm ista qua vos delectamini, generis, & nominis. Repeto abs te Verres monimentum P. Africani: causam Siculorum quam suscepi, relinquo: iudicium de pecuniis repetundis ne sit hoc tempore, Segestanorũ iniuriæ negligantur: basis P. Africani restituatur: nomẽ inuictissimi Imperatoris incidatur: signum pulcherrimum Carthagine captum reponatur. Hæc abs te non Siculorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant, sed is qui laudem, gloriámque P. Africani tuendam, conseruandámque suscepit. Non vereor, ne hoc officium meum P. Seruilio iudici non probem, qui quum res maximas gesserit, monimentáque suarum rerum maximè constituat, atque in his elaboret: profectò volet hæc non solùm suis posteris, verumetiam omnibus viris fortibus & bonis ciuibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor ne tibi Q. Catule displiceat, cuius amplissimum in orbe terrarum, clarissimúmque monimentum est, quamplurimos esse custodes monimentorum, & putare omnes bonos alienæ gloriæ defensionem, ad officium suum pertinere.

HOTOM. *Est aliqua mea pars virilis.* Partem illi aliqnam debeo gratiæ, eam videlicet quam vnus aliquis ex ciuibus deberet. Græci καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μερὶς ἑκάστῳ.

Quæ cognatio. Hoc dicit, Homines virtutem colentes non minori cognatione inter se deuincti sunt, quàm qui eiusdem sunt nominis ac generis.

Carthagine captum. Omnes alii libri consentiunt. Locus tamen postulare sic videtur, Carthagine capta recuperatum.

Cuius amplissimum in orbe terrarum. Syllanis temporibus templum Iouis in Capitolio igne consumptum, à Q. Catulo refectum, ac dedicatum est. Florus, Plutarchus, Appianus.

CICERO. 453 Et quidem cæteris istius furtis atque flagitiis ita moueor, vt ea reprehendenda tantum putem. hic verò *tantùm dolore afficior, vt nihil mihi indignius ferendum videatur. Verres Africani monimentis domnm suam plenam stupri, plenam flagitii, plenam dedecoris ornabit? Verres temperatissimi, sanctissimíque viri monimentum, Dianæ simulacrum virginis in ea domo collocabit, in qua semper meretricũ lenonúmque flagitia versantur? At hoc solùm Africani monimentum violasti? quid? à Tindaritanis non einsdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurii pulcberrimè factum sustulisti? at quemadmodum dii immortales, quàm audacter, quàm libidinosè, quàm impudẽter? Audistis nuper dicere Legatos Tindaritanos, bomines honestissimos, ac principes ciuitatis, Mercurium, qui sacris anniuersariis apud eos, ac summa religione coleretur, quem P. Africanus Carthagine capta Tindaritanis non solùm suæ victoriæ, sed etiam illorum fidei, societatísque monimentum atque indicium dedisset, buius vi, scelere, imperióque esse sublatum. qui vt primum in illud oppidum venit, statim tanquam ita fieri non solùm oporteret, sed etiam necesse esset: tanquã hoc Senatus mandasset, Populúsque R. iussisset, ita continuò signum vt demolirentur, & Messanam deportarent, imperauit. Quod quũ illis qui aderant, indignum: qui audiebant, incredibile videretur: non est ab isto primo illo aduentu perseueratum. Discedens mãdat Proagoro Sopatro, cuius verba audistis, vt demoliatur. quum recusaret, vehementer minatur. ita tum ex illo oppido proficiscitur. Proagorus refert rem ad Senatum: vehementer vndique reclamatur.

l. *tanto

Tantum dolore afficior. Tãto dolore, scriptũ habebat codex manuscriptus: & sic puto emẽdandũ.

CICERO. 454 Ne mnlta. iterum iste aliquanto pòst ad illos venit, quærit continuò de signo. Respondetur ei, Senatum non permittere: pœnam capitis constitutam, si iniussu Senatus quisquã attigisset. simul religio commemoratur. Tum iste, Quam mibi religionem narras? quam pœnam? quem Senatnm? viuum te non relinquam: moriere virgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad Senatum defert istius cupiditatem, minásque demonstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat, sed commotus perturbatúsque discedit. Ille *Prætoris accersitus nuntio, rem demonstrat: negat vllo modo fieri posse. Atque bæc (nihil enim prætermittẽdum de istius impudentia videtur) agebantur in cõuentu palàm, de sella ac de loco superiore. Erat byems summa: tempestas, vt ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida: imber maximus, quum iste imperat lictoribus vt Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, præcipitem in forum deiiciãt, nudúmque constituant. Vix erat hoc planè etiam imperatum, quũ illum spoliatum, stipatúmqne lictoribus videres. Omnes ideo putabant, vt miser atque innocens virgis cæderetur. fefellit hæc bomines opinio. virgis iste cæderet sine causa socium Populi R. atque amicum? non vsque eò improbus: non omnia sunt in eo vno vitia, nunquam fuit crudelis. leniter hominẽ clementérque accepit. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuæ, sicuti ferè cæteris in oppidis Siciliæ. ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit, cuius officia in illa ciuitate, totáque prouincia recẽtissima erant & maxima. In ea Sopatrum, bominem tum domi nobilem, tum summo magistratu præditum, diuaricari, ac deligari iubet.

l. à Prætoris

HOTOM. *Prætoris accersitus nuntio.* A Prætoris accersitus: vetus codex, & sic emenda.

Recentissima erant. Nam paulò antè Prætor in ea prouincia fuerat.

Diuaricari ac deligari. Nonius Marcellus, Diuaricari, inquit, distendi. Ductum ab bis, qui vitio natnræ ita sunt pedibus discretis, vt eos in diuersum babeant separatos. & bunc locum citat.

CICERO. 455 Quo cruciatu sit affectus, venire in mentem necesse est omnibus, qnum esset vinctus nudus in *aere, in imbri, in frigore. Neque tamen finis buic iniuriæ crudelitatíque fiebat, donec populus atque vniuersa multitudo atrocitate rei, misericordiáque commota, Senatum clamore coegit, vt ei simulacrum illud Mercurii polliceretur. Clamabant fore vt ipsi sese dii immortales vlciscerentur, hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens Senatus ad istum venit, pollicetur signum. ita Sopater de statua C. Marcelli, quũ iam penè obriguisset, vix viuus aufertur. Non possum dispositè istum accusare, si cupiam. opus est non solùm ingenio, verumetiam artificio quodam singulari. Vnum hoc crimen videtur esse, & à me pro vno ponitur, de Mercurio Tindaritano. plura sunt: sed ea quo pacto distinguere ac separare possim,

*in aere

nescio. est pecuniarum captarum, quòd signum à sociis pecuniæ magnæ sustulit. est peculatus, quòd publicè Populi R. signum, de præda hostium captum, positum imperatoris nostri nomine, non dubitauit auferre. est maiestatis, quòd imperii nostri gloriæ, rerúmque gestarum monimenta euertere atque asportare ausus est. est sceleris, quòd religiones maximas violauit. est crudelitatis, quòd in hominem innocétem, in socium nostrum atque amicum, nouum ac singulare supplicii genus excogitauit. Illud verò quid sit, iam non queo dicere: quo nomine appellem nescio, quòd in C. Marcelli statua. quid est hoc? patronúsne? quòd erat? quid tum? quò id spectat? vtrum ea res ad opem, an ad calamitatem clientium atque hospitum valere debebat? an vt hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis præsidii nihil esse? quis hoc non intelligeret, in improbi præfectis imperio maioré esse vim, quàm in bonorũ absentiũ patrocinio?

Vinctus in aere. AEre, legendum esse locus ipse sua sponte declarat. HOTOM.

Dispositè istum accusare. Id est, Distinctè, atque distributé. Hoc dicit, quia pertinere hoc crimé ad librum sequentem videbatur.

An verò ex hoc illa tua singularis significatur insolentia, superbia, cótumacia? detrahere videlicet aliquid re de magnitudine Marcellorum putasti? Itaque nunc Siculorum Marcelli nó sunt patroni: Verres in eorum locum substitutus est. Quam in te tantam virtutem esse, aut dignitatem arbitratus es, vt conarere clientelam tam illustrem, tam splendidæ prouinciæ traducere ad te, auferre à certissimis, antiquissimísque patronis? tu ista stultitia, nequitia, inertia, non modo totius Siciliæ, sed vnius tenuissimi Siculi cliẽtelam tueri potes? tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quærebas? quid postea? quid tádem tuis statuis fore arbitrabare? an vero id quod accidit? nam Tindaritani statuam istius, quam sibi propter Marcellos altiore etiam basi poni iusserat, deturbarunt simulac successum isti audierunt. Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, vt cuius ad statuam Siculi te Prætore alligabantur, eius religioni te eũdem vinctum, astrictúmque dedamus. Ac primo Iudices hoc signũ Mercurii dicebat iste, Tindaritanos C. Marcello huic AEsernino vendidisse: atque hoc sua causa etiam Marcellũ ipsum sperabat esse dicturum: quod mihi nunquam verisimile visum est, adolescentem illo loco natum, patronum Siciliæ, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. CICERO. 456

Marcello huic AEsernino. AEsernia, vrbs Samnitium in Italia: vnde hunc C. Marcellum fuisse opinor, & ob eam causam, vt ab alio C. Marcello discerni posset, AEserninum appellatum Hu ius in Bruto mentio fit his verbis, M. Marcellus AEsernini pater, non ille quidem in patronis, &c. Plinius lib. x i i, Marcelli AEsernini libertum quendam spadonem Thessalicum prædiuitem fuisse ait, qui platanum in suburbana sua transtulerit. HOTOM.

Veruntamen ita res mihi tota præuisa atque præcauta est, vti si maximè esset inuentus qui in se suscipere istius culpam, criménque cuperet, tamen is proficere nihil posset. eos enim testes deduxi, & eas literas deportaui, vt de istius facto dubiũ nemini esse posset. Publicæ literæ sunt, deportatum esse Mercurium Messanam sumptu publico. dicunt, quanti: præfuisse huic negotio publicè Legatum Poleam. quid is? vbi est? præsto est, testis est. Proagori Sopatri iussu. quis est hic? qui ad statuam astrictus est. quid is? vbi est? testis est. Vidistis hominem, & verba eius audistis. Demoliendum curauit Demetrius Gymnasiarchus, quòd is ei loco præerat. quid? hoc nos dicimus? imò verò ipse præsens, Romæ nuper istum esse pollicitum, sese id signum Legatis esse redditurum, si eius rei testificatio tolleretur, cautúmque esset eos testimonium non esse dicturos. Dixit hoc apud vos Sosippus & Hismenias homines nobilissimi, & principes Tindaritanæ ciuitatis. Quid Agrigento? nónne eiusdem P. Scipionis monimentum, signum Apollinis pulcherrimum, cuius in femine literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inscriptum, ex AEsculapii religiosissimo fano sustulisti? quod iste Iudices, quũ clàm fecisset, quum ad suum scelus illud, furtúmque nefarios quosdam homines improbos duces, atque adiutores adhibuisset, vehementer commota ciuitas est. Vno eodem tempore Agrigentini beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum vrbis, indicium victoriæ, testimonium societatis requirebát. Itaque ab illis, qui principes in ea ciuitate erant, præcipitur, & negotiũ datur Quæstoribus, & AEdilibus, vt noctu vigilias ageret ad ædes sacras. Etenim iste Agrigéti, credo propter multitudinem illorum hominum atque virtutem, & quòd ciues R. viri fortes ac strenui, & honesti permulti in illo oppido, coniunctissimo animo cum ipsis Agrigentinis viuunt ac negotiantur, non audebat palàm tollere, aut poscere quæ placebant. CICERO. 457

Herculis templum est apud Agrigentinos non longè à foro, sanè sanctum apud illos, & religiosum. ibi est ex ære simulacrum ipsius Herculis, quo non facilè quicquam dixerim me vidisse pulchrius (tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quàm multa vidi) vsque eò Iudices, vt rictus eius ac mentum paulo sit attritius, quòd in precibus, & gratulationibus nó solum CICERO. 458

id venerari, verum etiam osculari solent. Ad hoc templum, quum esset iste Agrigenti, duce Timarchide repente nocte intempesta seruorum armatorum fit concursus, atque impetus. Clamor à vigilibus fanique custodibus tollitur. qui primo quum obsistere, ac defendere conarentur,

C male mulctati clauis ac fustibus repelluntur. postea conuulsis repagulis, effractísque valuis, demoliri signum, ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota vrbe percrebruit, expugnari deos patrios, non hostium aduentu, neque repẽtino prædonum impetu, sed ex domo, atque cohorte Prætoria manum fugitiuorum instructam, armatámque venisse. nemo Agrigenti neque ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuntio excitatus surrexerit, telúmque quod cuique sors offerebat, arripuerit. Itaque breui tempore ad fanum ex vrbe tota concurritur. hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte, quum alii vectibus subiectis conarentur commouere, alii deligatum omnibus membris rapere ad se funibus.

HOTOM. *Rictus eius ac mentum paulò sit attritius.* Nonius Marcellus, Ricta, inquit, neutri generis. Lucretius, Mollia ricta tremunt duros nudãtia dentes. Marc. Tull. De signis, Vt rictum mentúmque eius paulo sit attritius. Ego nihil muto. tantum eos quæso, quibus antiquorum codicum facultas erit, vt hanc scripturam ratione aliqua confirment, aut repudient.

Non solum id venerari, verumetiam osculari solerent. Hunc in precando osculandi morem expressit Homerus Ιλιάδ. α. vbi Iunonem Iouem precantem inducit.

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῇ. δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα,
λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα.

CICERO. 459 Repente Agrigentini cõcurrunt: fit magna lapidatio: dant sese in fugam istius præclari Imperatoris nocturni milites. duo tamen sigilla perparuula tollunt, ne omnino inanes ad istum prædonem religionum reuerterentur. Nunquã tam malè est Siculis, quin aliquid facetè & cõmodè dicant, velut in hac re: Aiebant in labores Herculis non minus hunc immanissimũ Verrem, quàm illum aprũ Erymanthium referri oportere. Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea viri fortes & fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili ciuitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. is apud illos habetur deus, & religione maxima colitur. Fanum eius est in agro, propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam. In eo Chrysæ est simulacrum præclarè factum è marmore. id iste poscere Assorinos propter singularem eius fani religionem non ausus est. Tlepolemo dat, Hieroníque negotium. Illi noctu facta manu, armatíque veniunt: fores ædis effringũt: æditui, custodésque maturè sentiũt: signum, quod erat notum vicinitati, buccina datur: homines ex agris concurrunt: eiicitur, fugatúrque Tlepolemus: neque quicquam ex fano Chrysæ, præter vnum perparuulum signum ex ære, desideratum est. Matris magnæ fanum apud Enguinos est. Iam enim mihi non modo breuiter de vnoquoque dicendum est, sed etiam prætereunda videntur esse permulta, vt ad maiora istius, & illustriora in hoc genere furta, & scelera veniamus. In hoc fano loricas, galeásque æneas, cælatas opere Corinthio, hydriásque grandes simili in genere, atque eadem arte perfectas idem ille P. Scipio, vir omnibus rebus præcellentissimus posuerat, & suum nomẽ inscripserat.

HOTOM. *Hunc immanissimum Verrem.* Ludit in nomen Verris, quum in Apri mentionem incidisset. De Apro Erymanthio nota est fabula.

AEditui custodésque maturè sentiunt. Gellius lib. x i, cap. x, In Verrem, inquit, M. Tullii, in exemplaribus fidelissimis, ita inueni scriptum, AEditimi custodésque maturè sentiunt. In libris autem vulgariis, AEditui scriptum est. M. Varro in lib. i. ad Marcellũ, de Latino sermone, AEditimũ dici oportere censet, magis quàm AEdituum. quòd alterum sit recenti nomine fictum, alterum antiqua origine incorruptum. hæc Gellius. Eiusdem Varronis verba hæc sunt ex lib. i de Re rust. Sementinis feriis in ædem Telluris veneram rogatus ab AEditimo, vt dicere didicimus à patribus nostris: vt corrigimur à recentibus vrbanis, ab AEdituo.

CICERO. 460 Quid iam de isto plura dicam, aut querar? omnia illa Iudices, abstulit: nihil in religiosissimo fano, præter vestigia violatæ religionis, nomenque P. Scipionis, reliquit. Hostium spolia, monimenta Imperatorum, decora atque ornamenta fanorum, posthac his præclaris nominibus amissis, in instrumento, ac supellectili C. Verris numerabuntur. tu videlicet solus vasis Corinthiis delectaris: tu illius æris temperationem, tu operum liniamenta solertissime perspicis: hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus: tu sine vlla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis intelligis & iudicas: vide ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligẽtia te, atque istos qui se elegantes dici volunt, vicerit. nam quia quàm pulchra essent, intelligebat: idcirco existimabat ea nõ ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum, atque oppidorum esse facta, vt posteris nostris monimenta religiosa esse videantur. Audite etiam singularem eius Iudices cupiditatem, audaciam, amentiam, in iis præsertim sa-

cris polluendis, quæ nõ modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem violari fas fuit. Sa-
crarium Cereris est apud Catinenses, eadem religione qua Romæ, qua in cæteris locis, qua pro-
pè in toto orbe terrarum. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum: quod viri,
non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant: aditus enim in id sacrarium non est vi-
ris: sacra per mulieres, ac virgines confici solent. hoc signum noctu clàm istius serui ex illo re-
ligiosissimo, atque antiquissimo fano sustulerunt.

Hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus. Gellius lib. XIII, cap. XV, Humani- HOTOM.
tatem, inquit, veteres appellauerunt id propemodum quod Græci παιδείαν vocant, nos eruditio-
nem institutionémque in bonas artes dicimus: quas qui sinceriter cupiũt appetúntque, ii sunt
vel maximè humanissimi. Eius rei Nonius Marcellus testimonium hoc protulit ex Varronis
rerum humanarum lib. I, Praxiteles qui propter artificium egregium, nemini est paulum mo-
do humaniori ignotus.

Postridie sacerdotes Cereris, atque illius fani antistites, maiores natu, probatæ ac nobiles mu- CICERO.
lieres, rem ad Magistratus suos deferunt. omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique vi- 461
100. debatur. Tum iste permotus illa atrocitate negotii, vt ab se sceleris istius suspicio remoueretur,
dat hospiti suo cuidam negotium, vt aliquem reperiret, quem ea fecisse insimularet; darétque
operam vt is eo crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine. Res nõ procrastinatur. nam quũ
iste Catinam profectus esset, serui cuiusdam nomen defertur: is accusatur: ficti testes in eum dã-
tur: rem cunctus Senatus Catinensium legibus iudicat. Sacerdotes vocantur: ex his quæritur
secreto in curia, quid esset factum, quemadmodum arbitrarentur signum esse ablatum. respõ-
dent illæ, Prætoris in illo loco seruos esse visos. Res quæ esset antea non obscura, sacerdotũ te-
stimonio perspicua esse cœpit. itur in consilium: seruus ille innocens omnibus sententiis ab-
101. soluitur, quo facilius vos hunc omnibus sententiis condẽnare possetis. quid enim postulas Ver
res? quid speras? quid spectas? quẽ tibi aut deorum, aut hominũ auxilio putas futurũ? eòne tu ser-
uos ad spoliandum fanum immittere ausus es, quò liberos adire ne orandi quidẽ causa fas erat?
hísne rebus manus afferre non dubitasti, à quibus etiam oculos cohibere te religionum iura co
gebant? tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratã, ac tam nefariam deci-
disti: nam id concupisti quod nunquam videras, id inquam adamasti quod antea non aspexe-
ras. auribus tu tantam cupiditatem concepisti, vt eam nõ metus, non religio, non deorum vis,
non hominum existimatio contineret.

Illius fani antistites. Omnes libri veteres, Antistitæ. quod Gellius & Priscianus verum esse con- HOTOM.
firmant. Plautus etiam in Rud. sic loquutus est, Qui propè hîc adestis, quíque auditis clamo-
rem meum, Fertè suppetias, qui Veneri Veneriæque antistitæ.

102. At ex viro bono, credo, audieras, & bono auctore. Qui id potest, qui ne ex viro quidem audire CICERO.
potueris? audisti igitur ex muliere, quoniã id viri neque vidisse, neque nosse poterãt. Qualẽ por- 462
rò illã fœminã fuisse putatis Iudices, quàm pudicam, quæ cũ Verre loqueretur? quàm religio-
sam, quæ sacrarium spoliandi ostenderet rationem? at minime mirum: quæ sacra per summam
castimoniam virorum ac mulierum fiant, eadẽ per istius stuprũ ac flagitium esse violata. Quid
ergo? hoc solum auditione expetere cœpit, quum id ipse non vidisset? imò verò alia complura.
Ex quibus eligam spoliationem nobilissimi, atque antiquissimi fani: de qua priore actione te-
stes dicere audistis. Nunc eadem illa quæso audite: & diligenter, sicut adhuc fecistis, attendite.
103. Insula est Melita Iudices, satis lato ab Sicilia mari, periculosóque disiuncta: in qua est eodẽ no-
mine oppidum, quò iste nunquam accessit. Quod tamen isti textrinum per triennium ad mu-
liebrem vestem conficiendam fuit. Ab eo oppido non longè, in promontorio fanum est Iuno-
nis antiquum: quod tanta religione semper fuit, vt non modo illis Punicis bellis, quæ in his fe-
rè locis nauali prælio gesta, atque versata sunt, sed etiam in hac prædonum multitudine sem-
per inuiolatum sanctúmque fuerit. Quin etiam hoc memoriæ proditum est, classe quondam
Masinissæ Regis ad eum locum appulsa, præfectũ regium dentes eburneos incredibili magni-
tudine è fano sustulisse, & eos in Africã portasse, Masinissæque donasse: Regem quidem primò
delectatum esse munere: pòst, vbi audisset vnde essent, statim certos homines in quinqueremi
misisse, qui eos dentes reportarent.

Masinissæ Regis. Hæc eadem Valerius Maximus, libro I. cap. I. HOTOM.

Itaque in his inscriptum literis Punicis fuit, Regem Masinissam imprudentem accepisse, re CICERO.
ponendos restituendósque curasse. Erat præterea magna vis eboris: multa ornamenta, in qui- 463
104. bus eburneæ victoriæ antiquo opere, ac summa arte perfectæ. Hæc iste omnia, ne multis mo-
rer, vno impetu, atque vno nuntio per seruos Venerios, quos eius rei causa miserat, tollenda, a-
que asportanda curauit. Prò dii immortales, quem ego hominem accuso? quem legibus ac iu-
diciali iure persequor? de quo vos sententiã per tabellã feretis? dicunt Legati Melitenses publi-

cè, ſpoliatum templum eſſe Iunonis, nihil iſtum in religioſiſſimo fano reliquiſſe, quó in locum claſſes hoſtium ſæpe acceſſerint, vbi piratæ ferè quotânis hyemare ſolebant: quod neque prædo violari antea, neque hoſtis attigerit, id ab vno iſto ſic ſpoliatū eſſe, vt nihil omnino ſit relictū. Hic nunc aut iſte reus, aut ego accuſator, aut hoc iudicium appellabitur? criminibus enim coarguitur, aut ſuſpicionibus in iudicium vocatur? dii ablati, fana vexata, nudatæ vrbes reperiuntur. earum autem rerum nullā ſibi iſte neque inficiandi rationem, neque defendēdi facultatē reliquit: omnibus in rebus coarguitur à me, conuincitur à teſtibus, vrgetur confeſſione ſua, manifeſtis in maleficiis tenetur, & manet etiam, ac tacitus facta mecum ſua recognoſcit. Nimium 105. mihi diu videor in vno genere verſari criminum: ſentio Iudices occurrendum eſſe ſatietati aurium, animorúmque veſtrorum. Quamobrem multa prætermittam. ad ea autē quæ dicturus ſum, reficite vos quæſo Iudices, per deos immortales, per eos ipſos, de quorum religione iamdiu dicimus, dum id eius facinus commemoro & profero, quo prouincia tota commota eſt.

CICERO. 464 De quo ſi paulo altius ordiri, ac repetere memoriā religionis videbor, ignoſcite: rei magnitudo me breuiter perſtringere atrocitatem criminis non ſinit. Vetus eſt hæc opinio Iudices, 106. quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorum literis, atque monimentis: inſulam Siciliam totā eſſe Cereri & Liberæ conſecratam. Hoc cū cæteræ gentes ſic arbitrantur, tum ipſis Siculis tam perſuaſum eſt, vt animis eorum inſitum, atque innatum eſſe videatur. nam & natas eſſe has in his locis deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam eſſe Liberam, quam eādem Proſerpinam vocant, ex Ennenſium nemore: qui locus, quòd in media eſt inſula ſitus, vmbilicus Siciliæ nominatur. Quam quū inueſtigare & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe tædas iis ignibus, qui ex Aetnæ vertice erumpunt: quas ſibi quum ipſa præferret, orbem omnium peragraſſe terrarum. Enna autē, vbi ea quæ dico, geſta eſſe memorantur, eſt loco præ- 107. celſo, atque edito: quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ perennes: tota verò omni aditu circuncisa, atque dirempta eſt. quam circa lacus, lucique ſunt plurimi, & lectiſſimi flores omni tempore anni: locus vt ipſe raptū illum virginis, quem iam à pueris accepimus, declarare videatur. etenim proptèr eſt ſpelunca quædā, conuerſa ad Aquilonē, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitiſſe. abreptámque ex eo loco virginē ſecum aſportaſſe, & ſubito non longè à Syracuſis penetraſſe ſub terras, lacúmque in eo loco repēte extitiſſe: vbi vſque ad hoc tempus Syracuſani feſtos dies anniuerſarios agūt, celeberrimo virorum mulierúmque conuentu.

HOTOM. *Lectiſſimi flores omni tempore anni.* Ea de re Strabo his verbis in ſexto, [illegible]

CICERO. 465 Propter huius opinionis vetuſtatem, quòd eorum in his locis veſtigia, ac propè incunabula reperiuntur deorum, mira quædam tota Sicilia priuatim, ac publicè religio eſt Cereris Ennenſis. etenim multa ſæpe prodigia vim eius, numénque declarant, multis ſæpe in difficillimis rebus præſens auxilium eius oblatum eſt: vt hæc inſula ab ea non ſolum diligi, ſed etiam incoli, cuſtodirique videatur. nec ſolum Siculi, verum etiā cæteræ gentes, nationéſque Ennenſem Ce- 108. rerem maxime colunt. Etenim ſi Athenienſium ſacra ſumma cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore veniſſe dicitur, frugéſque attuliſſe: quantā eſſe religionem conuenit eorum apud quos eam natam eſſe, & fruges inueniſſe cōſtat? Itaque apud patres noſtros atroci, ac difficili Reip. tempore, quū Tib. Graccho occiſo magnorum periculorum metus ex oſtentis portenderetur, P. Mutio, L. Calphurnio COS. aditum eſt ad libros Sibyllinos: in quibus inuentū eſt, Cererem antiquiſſimam placari oportere. Tum ex ampliſſimo collegio Decemuirali ſacerdotes populi R. quum eſſet in vrbe noſtra Cereris pulcherrimum, & magificentiſſimum templum, tamen vſque Ennam profecti ſunt. tanta enim erat auctoritas, & vetuſtas illius religionis, vt, quum illuc irent, non ad ædem Cereris, ſed ad ipſam Cererem proficiſci viderentur. Non obtundam diutius aures veſtras: iādudum vereor ne oratio mea aliena ab iudiciorum ra- 109. tione, & quotidiana dicendi conſuetudine eſſe videatur. Hoc dico, hanc ipſam Cererem, antiquiſſimam, religioſiſſimam, principem omnium ſacrorum, quæ apud omnes gentes, nationéſque fiunt, à C. Verre ex ſuis templis, ac ſedibus eſſe ſublatam.

CICERO. 466 Qui acceſſiſtis Ennam, vidiſtis ſimulacrum Cereris è marmore, & in altero templo Liberæ. ſunt ea perampla, atque præclara, ſed non ita antiqua. ex ære fuit quoddam modica amplitudine, ac ſingulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum, quæ ſunt in eo fano, multo antiquiſſimum. id ſuſtulit: ac tamen eo contentus non fuit. Ante ædem Cereris in aper- 110. to, ac propatulo loco ſigna duo ſunt, Cereris vnū, alterum Triptolemi, & pulcherrima, & perampla. his pulchritudo periculo, amplitudo ſaluti fuit, quòd eorum demolitio, atque aſportatio perdifficilis videbatur. inſiſtebat in manu Cereris dextra ſimulacrum pulcherrimè factū Vi-

ctoriæ. hoc iste e signo Cereris auellendum, asportandúmque curauit. Qui tandē istius animus est nunc in recognitione scelerum suorum, quū ego ipse in commemoratione eorum non solum animo commouear, verum etiam corpore perhorrescā? venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem: versantur ante oculos omnia: dies ille, quo ego Ennam cū venissem, præsto mihi sacerdotes Cereris cum infulis, ac verbenis fuerunt: concio, conuentúsque ciuium, in quo ego quū loquerer, tanti fletus, gemitúsque fiebant, vt acerbissimus tota vrbe luctus versari videretur. Non illi decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua iudicia, non importunissimas istius libidines, non vim, non contumelias, quibus operti oppressique erāt, cō querebantur. Cereris numen, sacrorum vetustatem, fani religionem, istius sceleratissimi, atque audacissimi supplicio expiari volebant: omnia se cætera pati, ac negligere dicebant.

Cum infulis ac verbenis. Infulæ, sacerdotum insignia dicebantur, quibus ornati sacra diis faciebant. De verbenis Plinius libro XXII, cap. II, Verbena, inquit, gramen est, ex arce cum sua terra euulsum: ac semper & Legati quum ad hostes, clarigatúmque mitterētur, id est res raptas clarè repetitum, vnus vtique Verbenarius vocabatur. hæc ille. Sed postea translatum verbum est ad omnes herbas ex loco puro collectas: quæ sacris rebus adhiberentur. HOTOM.

Non illi decumarum imperia. Id est, decumæ imperatæ.

Hic dolor erat tantus, vt Verres alter Orcus venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. etenim vrbs illa, nō vrbs videtur, sed fanū Cereris esse. habitare apud sese Cererem Ennenses arbitrantur: vt mihi non ciues illius ciuitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ, atque antistites Cereris esse videantur. Ennæ tu simulacrum Cereris tollere audebas? Ennæ tu de manu Cereris Victoriam diripere, & deam deæ detrahere conatus es? quorum nihil violare, nihil attingere ausi sunt, in quibus erant omnia quæ sceleri propiora sunt, quàm religioni. tenuerūt enim P. Popilio, P. Rupilio COSS. illū locū serui, fugitiui, barbari, hostes. sed neque tā serui illi dominorū, quàm tu libidinum: neque tam fugitiui illi à dominis, quàm tu à iure, & à legibus: neque tam barbari lingua & natione illi, quàm tu natura & moribus: neque illi tam hostes hominibus, quàm tu diis immortalibus. Quæ deprecatio est igitur ei reliqua, qui indignitate seruos, temeritate fugitiuos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit? Audistis Theodorum, & Numinium, & Nicasionem Legatos Ennenses publicè dicere, se à suis ciuibus hæc habere mandata vt ad Verrem adirent, & eum simulacrum Cereris & Victoriæ reposcerent. id si impetrassent, tum vt morem veterem Ennensium conseruarent, publicè in eum, tametsi vexasset Siciliam, tamen quoniam hæc à maioribus constituta accepissent, testimonium nequod dicerent. sin autem ea non reddidisset, tum vt iudicio adessent, tum vti de eius iniuriis Iudices docerent, sed multo maximè de religione quererentur. CICERO. 467

Vt mihi non ciues illius ciuitatis, sed omnes sacerdotes, omnes accolæ, atque antistites Cereris esse videantur. Accolæ dictū puto pro Populares, siue Cōciues, id est ἔνοικοι. Est enim sensus, Quemadmodū vrbs, non videtur vrbs, sed fanum: sic ciues non videntur ciues Ennæ, sed sacerdotes & conciues Cereris, quæ vrbē illam inhabitat. Sic Liuius libro X, qui eundem agrum, nempe Hetruscum, colerent, accolas vocauit. Loquitur de Hetruscis, qui Gallos in agri partem accipere recusabāt. Nō tam, inquit, quia imminui agrū, quàm quia accolas sibi quisque adiungere tam efferatæ gentis homines horrebat. Et paulo pòst, Samnites, inquit, Hetruriæ populi demonstrabāt habere accolas Gallos inter ferrum & arma natos, &c. HOTOM.

Quas illorum querimonias nolite per deos immortales aspernari, nolite contemnere, ac negligere Iudices. Aguntur iniuriæ sociorum: agitur vis legum: agitur existimatio, veritásque iudiciorum. quæ sunt omnia permagna, verùm illud maximū: tāta religione obstricta tota prouincia est, tanta superstitio ex istius facto mentes omnium Siculorum occupauit, vt quæcunque accidant publicè vel priuatim incōmoda, propter eam causam scelere istius euenire videātur. Audistis Centuripinos, Agyrinenses, Catinenses, Herbitenses, Ennēses, complures alios publicè dicere, quæ solitudo esset in agris, quæ vastitas, quæ fuga aratorū, quàm deserta, quàm inculta, quàm relicta omnia. ea tametsi istius multis & variis iniuriis acciderunt, tamen hæc vna causa in opinione Siculorū plurimum valet, quòd Cerere violata, omnes cultus, fructúsq; Cereris in his locis interiisse arbitrantur. Medemini religioni sociorū Iudices: conseruate vestrā auctoritatem: neque enim hæc externa nobis est religio, neque aliena. quod si esset: si suscipere eam nolletis, tamē in eo qui violasset, sancire vos velle oporteret. Nunc verò in communi omnium gentium religione, inque his sacris, quæ maiores nostri ab exteris nationibus adscita atque accersita coluerunt: quæ sacra, vt erant re vera, sic appellati Græca voluerunt: negligentes ac dissoluti si cupiamus esse, qui possumus? Vnius etiam vrbis omnium pulcherrimæ, atque ornatissimæ Syracusarum direptionem commemorabo, & in medium proferam Iudices, vt aliquādo totam huius generis rationem concludam, ac definiam. nemo ferè vestrum est quin quem- CICERO. 468 Græcorum omnium

» admodum captæ sint à M. Marcello Syracusæ, sæpe audierit, nonnunquam etiam in anna-
» libus legerit.

Vrbem etiam vrbis omnium pulcherrimæ. Legendum putarem, Græcarum omnium pulcherrimæ. vt paulò infra, Vrbem Syracusas maximam esse Græcarum omnium.

CICERO. 469
» Conferte hãc pacẽ cũ illo bello, huius Prætoris aduentũ cũ illius imperatoris victoria, huius
» cohortẽ impurã cũ illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius cõtinentia: ab illo, qui ce-
» pit, conditas: ab hoc, qui cõstitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Ac iam illa omitto, quæ di-
» sperse à me multis locis dicentur, ac dicta sunt: forũ Syracusanorum, quod introitu Marcelli à
» plurima cæde seruatũ est, id aduẽtu Verris Siculorũ innocentiũ sanguine redundasse: portum
» Syracusanorũ, qui tum & nostris classibus, & Carthaginensiũ clausus fuisset, eum isto Prætore
» Cilicũ myoparoni, prædonibúsque patuisse. Mitto adhibitã vim ingenuis, matresfamiliâs vio
» latas, quæ tũ vrbe capta cõmissa nõ sunt, neque odio hostili, neque licentia militari, neque more
» belli, neq; iure victoriæ: mitto inquã hæc omnia, quæ ab isto per trienniũ perfecta sunt. ea quæ
» cõiuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. Vrbem Syracosas maximã esse
» Græcarum vrbium, pulcherrimãmque omnium, sæpe audistis. Est Iudices ita vt dicitur: nam
» & situ est cum munito, tum ex omni aditu, vel terra vel mari præclaro ad aspectum: & portus
» habet propè in ædificatione, aspectúque vrbis inclusos: qui quum diuersos inter se aditus ba-
» beant, in exitu coniunguntur, & confluunt. eorum coniunctione, pars oppidi, quæ appellatur
» Insula, mari disiuncta angusto, ponte rursum adiungitur, & continetur. Ea tanta est vrbs, vt ex
» quatuor vrbibus maximis constare dicatur. quarum vna est ea quam dixi, Insula: quæ duobus
» portubus cincta, in vtriusque portus ostium, aditúmque proiecta est: in qua domus est quæ Re-
» gis Hieronis fuit, qua Prætores vti solent.

HOTOM: *Forum Syracusanorum.* Verrina VII, pag. 538. & de portu Syracusanorum eodem lib. pag. 527.
Cilicum myoparoni. Quos dicat Cilices, dixi suprà 421.

CICERO. 470
» In ea sunt ædes sacræ complures, sed duæ, quæ longe cæteris antecellunt: Dianæ vna, & alte-
» ra, quæ fuit ante istius aduentũ ornatissima, Mineruæ. In hac Insula extrema est fons aquæ dul-
» cis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus ope-
» riretur, nisi munitione, ac mole lapidum à mari disiunctus esset. Altera autem est vrbs Syracu-
» sis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimũ Pry-
» taneum, amplissima est curia, templúmque egregium Iouis Olympii: cæteræque vrbis partes
» vna lata via perpetua, multísque transuersis diuisæ, priuatis ædificiis continentur. Tertia est
» vrbs, quæ quòd in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata est: in qua & gym
» nasium amplissimum est, & complures ædes sacræ: colitúrque ea pars, & habitatur frequẽtissi-
» mè. Quarta autẽ est vrbs: quæ, quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur: quam ad sum-
» mam Theatrũ est maximum: præterea duo templa sunt egregia, Cereris vnum, alterum Libe-
» ræ, signúmque Apollinis, qui Thesmotes vocatur, pulcherrimum, & maximũ: quod iste si por-
» tare potuisset, non dubitasset auferre. Nunc ad Marcellum reuertar, ne hæc à me sine causa cõ-
» memorata esse videantur. qui quũ tam præclaram vrbem vi copiísque cepisset, non putauit ad
» laudem Populi R. hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præsertim nihil periculi osten-
» deretur, delere, & extinguere. Itaque ædificiis omnibus, publicis & priuatis, sacris & profanis sic
» pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset.

HOTOM. *Ornatissimum Prytaneum.* Athenis [illegible] dicebatur locus, in quo οἱ [illegible] iudicia exercebant, & de Rep. benemeriti publicis sumptibus alebantur. Ad eius similitudinem alterum fuisse Syracusis Prytaneum apparet.

Qui Thesmotes vocatur. Aldinus liber, & alii nonnulli, Themistes. Ego aut Thesmotetes legendum putarem, aut Themistes. Thesmotetis autem nomen qua de causa tributum esset Apollini, coniectura assequi non possum. neque enim legum lator Apollo vsquam, quòd sciam, fingitur. quare Themistes satius putarem: quũ Themis, vt Suidas auctor est, quondam ante Apollinem vaticinandi munus obierit. vt etiam prouerbium illud, quo Cicero in Pisoniana vtitur, Themista sapientior, ex eo deductum videri possit. [illegible], inquit Eusthatius in lib. Odyss. x. quod etiã Ammianus Marcell. à Poetis fictum testatur lib. XXI.

CICERO. 471
» In ornatu vrbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis. Victoriæ putabat esse, mul-
» ta Romam deportare, quæ ornamẽto vrbi esse possent: humanitatis, non planè spoliare vrbem,
» præsertim quam conseruare voluisset. In hac partitione ornatus nõ plus victoria Marcelli Po-
» pulo R. appetiuit, quàm humanitas Syracosanis reseruauit. Romam quæ asportata sunt, ad æ-
» dem Honoris atque Virtutis, itémque aliis in locis videmus. nihil in ædib⁹, nihil in hortis po-
» suit, nihil in suburbano. putauit, si vrbis ornamenta domum suam nõ contulisset, domũ suam

vrbi ornamento futuram. Syracusis autẽ permulta atque egregia reliquit, deum vero nullum violauit,nullum attigit. Confer te Verrem: non vt hominem cum homine comparetis, neque tali viro mortuo fiat iniuria:ſed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum & iuriſdictionẽ cum ferro & armis, aduentum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. AEdes Mineruæ eſt in Inſula, de qua antè dixi: quam Marcellus non attigit, quam plenam atque ornatam reliquit:quæ ab iſto ſic ſpoliata,atque direpta eſt,non vt ab hoſte aliquo,qui tamen in bello,religionum & conſuetudinis iura retineret, ſed vt à barbaris prædonibus vexata eſſe videatur. Pugna erat equeſtris Agathoclis Regis in tabulis picta præclarè. his autẽ tabulis interiores templi parietes veſtiebãtur:nihil erat ea pictura nobilius: nihil Syracuſis, quod magis viſendum putaretur. Has tabulas M. Marcellus, quũ omnia illa victoria ſua profana feciſſet, tamen religione impeditus non attigit.

Ad ædem Honoris atque Virtutis. AEdem Honoris ad portam Collinam ſitam eſſe,ipſe in libro de legib.II declarat.De vtraque idem lib.de nat.deor.II,ſcribit his verbis, Vides Virtutis tẽplum, vides Honoris à M.Marcello renouatũ, quod multis antè annis erat bello Liguſtico à Q.Maximo dedicatum?Et Liuius lib.VII tertiæ decadis,Marcellum aliæ atque aliæ obiectæ religiones tenebant:in quibus,quòd quũ bello Gallico ad Claſtidium ædem Honori & Virtuti vouiſſet,dedicatio eius à Pontificibus impediebatur,quòd negabant vnam cellã amplius quàm vni deo rectè dedicari.Ita addita Virtutis ædes,approperato opere. HOTOM.

Pugna erat equeſtris Agathoclis regis. Vide Iuſtinum lib.XXII.

Iſte,quum illa iam propter diuturnam pacem,fidelitatẽmque populi Syracuſani ſacra,religioſáque accepiſſet: omnes eas tabulas abſtulit: parietes, quorum ornatus tot ſecula manſerat, tot bella effugerat,nudos ac deformatos reliquit.Et Marcellus,qui ſi Syracuſas cepiſſet,duo tẽpla ſe Romæ dedicaturũ vouerat,id quod erat ædificaturus,iis rebus ornare quas ceperat,noluit: Verres,qui non Honori,neque Virtuti, vt ille,ſed Veneri & Cupidini vota deberet, is Mineruæ templum ſpoliare conatus eſt. ille deos deorũ ſpoliis ornare noluit: hic ornamenta Mineruæ virginis in meretriciam domum tranſtulit. viginti & ſeptem præterea tabulas pulcherrimè pictas ex eadem æde ſuſtulit: in quibus erant imagines Siciliæ Regum, ac tyrannorum: quæ non ſolum pictorum artificio delectabant, ſed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum.Ac videte quanto tetrior hic tyrannus Syracuſanis fuerit,quàm quiſquã ſuperiorum: quum illi tamen ornarint templa deorum immortalium,hic etiam deorum monimenta,atque ornamẽta ſuſtulerit. Iam verò quid ego de valuis illius templi commemorem? vereor ne hæc qui non viderunt,omnia me nimis augere atque ornare arbitretur. quod tamen nemo ſuſpicari debet,tam eſſe me cupidũ,vt tot viros primarios velim, præſertim ex Iudicum numero,qui Syracuſis fuerint,qui hæc viderint,eſſe temeritati,& mendacio meo conſcios.confirmare hoc liquidò Iudices poſſum,valuas magnificentiores ex auro,atque ebore,perfectiores nullas vnquam vllo tempore fuiſſe.incredibile dictu eſt,quàm multi Græci de valuarũ harum pulchritudine ſcriptum reliquerint. CICERO. 472

Nimium forſitan hæc illi mirentur, atque efferant. eſto. veruntamẽ honeſtius eſt Reip. noſtræ Iudices,ea quæ illis pulchra eſſe videãtur,Imperatorem noſtrum in bello reliquiſſe,quàm Prætorem in pace abſtuliſſe. Ex ebore diligentiſſimè perfecta argumenta erant in valuis:ea detrahenda curauit omnia.Gorgonis os pulcherrimum,crinitum anguibus,reuellit atque abſtulit:& tamen indicauit,ſe non ſolum artificio,ſed etiam pretio,quæſtúque duci:nam bullas omnes aureas ex his valuis, quæ erant & multæ & graues, non dubitauit auferre: quarum iſte non opere delectabatur,ſed pondere.Itaque eiuſmodi valuas reliquit, vt quæ olim ad ornandũ templum erant maximè, nunc tantum ad claudendum factæ eſſe videantur. Etiámne gramineas haſtas? vidi enim vos in hoc nõ minimè, quum teſtes dicerent, commoueri: quòd erant huiuſmodi, vt ſemel vidiſſe ſatis eſſet: in quibus neque manu factum quicquam, neque pulchritudo erat vlla, ſed tantum magnitudo incredibilis: de qua vel audire ſatis eſſet:nimium, videre plus quàm ſemel.Etiámne id concupiſti?nam Sappho,quæ ſublata de Prytaneo eſt, dat tibi iuſtam excuſationem,propè vt concedendum,atque ignoſcendum eſſe videatur. M. Sylanionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum quiſquam non modo priuatus, ſed populus potius haberet,quàm homo elegantiſſimus,atque eruditiſſimus Verres? nimirum contrà dici nihil poteſt:noſtrum enim vnuſquiſque,qui tam beati,quàm iſte eſt, non ſumus,tam delicati eſſe non poſſumus: ſiquando aliquid iſtiuſmodi videre volet,eat ad ædem Felicitatis,ad monimentum Catuli,in porticum Metelli. CICERO. 473 *fraxineas* *ſiquando quis aliquid*

Argumenta erant in valuis. Argumenta eodem modo dicuntur vt ſigna:quibus res aliqua ſignificatur,& de re quapiam fit exiſtimatio. Virgilius lib.VII,quà Turni arma deſcribit,

At leuem clypeum ſublatis cornibus Io

Auro insignibat, iam setis obsita, iam bos,
Argumentum ingens, & custos virginis Argus. Quem in locum Seruius interpres, Argumentum, ait, fabula. vt Cicero, Argumenta erant in valuis, &c.

Gorgonis os pulcherrimum, crinitum anguibus. Perspicuè rectum. quũ in aliis omnibus aliter & mendosè, opinor, scriptum sit, Cinctũ anguibus: quod ex fine libri quarti Metamorph. intelligitur.

Bullas omnes aureas. Bullas dicit, clauorum capita: quòd instar, opinor, bullæ haberent. Plautus in Asinaria, Iussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?

Etiámne gramineas hastas? Fraxineas legendũ putarem. Quum enim procera sit fraxinus, & teres, hastis accommodata est. vnde Achillis hasta fraxinea apud Homerũ Iliad. π. πηλιάδα μελίην, τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε χείρων. Mirum est tamen Seruium, (si quidem illa verba sunt Seruii) hunc locum sic protulisse, Gramineum in campum, id est graminosum. Cicero De hastis, Etiámne gramineas hastas?

Sublata de Prytaneo est. Vide 470.

M. Syllanionis. Probabilior quorundam scriptura, Annei pro Marci: quod Romanũ nomen est. Fuit autem Sylanion insignis statuarius, in quo hoc Plinius scribit memorabile fuisse, quòd nullo doctore nobilis fuit.

Siquando aliquid. Corrigendum putarem, Siquando quis aliquid.

AEdem Felicitatis. In ea Praxitelis ex ære pulcherrima signa fuisse Plinius scribit: in quibus & Veneris, quæ cum ipsa æde incendio conflagrauit, Claudii principatu. Item alibi, Fuere, inquit, & Thespiades ad ædem Felicitatis, quarum vnam adamauit eques R. Iunius Pisciculus.

Monimentum Catuli. Capitolium, 452.

CICERO. 474 » Det operam vt admittatur in alicuius istorum Tusculanum: spectet eorum ornatum, siquid » iste suorum AEdilibus accommodauit: Verres hæc habeat domi: Verres ornamẽtis fanorum, » atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas. Etiámne huius operarii studia, ac de» licias Iudices perferetis? qui ita natus est, ita educatus, ita factus & animo, & corpore, vt multo » appositior ad deferenda quàm ad auferẽda signa esse videatur. Atque hæc Sappho sublata quã» tum desiderium sui reliquerit, dici vix potest: nam tum ipsa fuit egregiè facta, tum epigramma » Græcum pernobile incisum habuit in basi: quod iste eruditus homo, & Græculus, qui hæc sub» tiliter iudicat, qui solus intelligit, si vnam literam Græcam scisset, certè non sustulisset: nunc e» nim quod inscriptum est inani in basi, declarat quid fuerit, & id ablatum indicat. Quid? signum » Pæanis ex æde AEsculapii præclarè factum, sacrum, & religiosum non sustulisti? quod omnes » propter pulchritudinem visere, propter religionem colere solebant. Quid? ex æde Liberi simu» lacrum Aristei non tuo imperio palàm ablatum est? Quid? ex æde Iouis religiosissimum simu» lacrum Iouis imperatoris, quem Græci Vrion nominant, pulcherrimè factum, nónne abstuli» sti? Quid? ex æde Liberi paruum illud caput pulcherrimum, quod visere solebamus, num dubi» tasti tollere? atque ille Pæan sacrificiis anniuersariis simul cum AEsculapio apud illos coleba» tur. Aristeus, qui vt Græci ferunt, Liberi filius, inuentor olei esse dicitur: vnà cum Libero patre » apud illos eodem erat in templo consecratus.

HOTOM. *In alicuius istorum Tusculanum.* Plinius lib. xxxv, De Hortẽsii Tusculano loquitur, in quo ædem illum fecisse scribit tabulæ Argonautarum à Cydia factæ, quam H-S CLXIIII emerat. AEdes enim hæ quoque appellabantur: vt mihi non AEdilibus, proximo versu, sed AEdibus potius legendum esse videatur. nam de hoc more veterum apparet ex æde Apollinis, in qua Lucullus Pompeio & Ciceroni cœnam apparauit. Tusculum autem, oppidum est vrbi proximum: & vt Strabo scribit, in ipsius vrbis cõspectu. Eius ager Tusculanus dicitur, in quo ciues R. complures, villas habebant. De Tusculano agro, Strabonis verba quæ de Græco expressi, subiiciam. In Albano colle, inquit, situm est Tusculum, ciuitas non paruis ornamentis instructa. Ornata est autem vndique cõsitionibus & ædificiis: sed multo maximè iis quæ sunt versus Romam. Nam ibi Tusculanus est collis, vbertate agrorũ, & aquationibus insignis, pluribus in locis sensim & leuiter assurgens, villásque complectens magnificentissimas. Huic Albano monti continentia atque adiuncta subsunt eadem bonitate & magnifico ornatu prædia. Hinc campi sunt, quorum partim Romæ, eiúsque suburbiis, partim verò mari adiuncti sunt. sed qui cum mari continentes sunt, minus sunt salubres. hæc Strabo.

Vrion nominant. Templum οὐρίου Διὸς inter Bosphorũ Thracium & vrbem Trapezontem fuisse, auctores sunt Arrianus ἐν περίπλῳ Ponti Euxini, & Stephanus in libro de vrbibus.

CICERO. 475 » Iouem autem Imperatorẽ quanto honori in suo templo fuisse arbitramini? hinc colligere » potestis, si recordari volueritis, quãta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, » quod ex Macedonia captum, in Capitolio posuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe

" terrarum signa Iouis imperatoris vno in genere pulcherrimè facta: vnum, illud Macedonicũ, quod in Capitolio videmus: alterũ in Ponti ore, & angustiis: tertium, quod Syracusis ante Verrem Prætorem fuit. Illud Flaminius ita ex æde sua sustulit, vt in Capitolio, hoc est in terrestri
130. domicilio Iouis poneret. Quod autem est ad introitum Ponti, id quum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porrò in Pontum inuecta sint, vsque ad hanc diem integrum, inuiolatúmque seruatũ est. Hoc tertium, quod erat Syracusis, quod M. Marcellus armatus, & victor viderat, quod religioni concesserat, quod ciues, atque incolæ Syracusani colere, aduenæ
131. non solum visere, verumetiam venerari solebant, id Verres ex templo Iouis sustulit. Vt sæpius ad M. Marcellum reuertar Iudices, sic habetote: plures esse à Syracusanis istius aduentu deos, quàm victoria Marcelli homines desideratos. Etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedem illum, summo ingenio hominem, ac disciplina: túmque quum audisset interfectum, permolestè tulisse. iste omnia, quæ requisiuit, non vt seruaret, verùm vt asportaret, requisiuit. Iam illa, quia leuiora videbũtur, si hoc loco dicerentur, ideo prætereo, quòd iste mensas Delphicas è marmore, crateras ex ære pulcherrimas, vim maximam vasorum Corinthiorum ex omnibus
132. ædibus sacris Syracusis abstulit. Itaque Iudices, hi qui hospites ad ea quæ visenda sũt, ducere solent, & vnũquicque ostẽdere, quos illi Mystagogos vocãt, cõuersam iam habẽt demonstrationẽ suã: nam vt antè demonstrabãt quid vbique esset: ita nunc, quid vndique ablatũ sit ostẽdunt.

Flaminius ita ex æde sua sustulit. Sua, id est, Iouis. Plutarchus in vita Syllæ, Flaminium subacta Macedonia non modò à Græcorum templis temperasse scribit, sed etiã dona illis & ornamenta complura addidisse. HOTOM.

Etiam Archimedem illum. Archimedes Geometra nobilissimus, de quo vide Liuium libro Decadis tertiæ quinto, Ciceronem lib. de finib. v, & Val. Max. lib. VIII.

" Quid tum? mediocrine tandem dolore eos affectos esse arbitramini? Non ita est Iudices: primum, quòd omnes religione mouentur, & deos patrios quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos esse arbitrantur: deinde hic ornatus, hæc opera, atque artificia, signa, tabulæ pictæ Græcos homines nimio opere delectãt. Itaque ex illorũ querimoniis intelligere possumus, hæc illis acerbissima videri, quæ forsitã nobis leuia, & cõtẽnenda esse videãtur. Mihi credite Iudices (tametsi vosmetipsos hæc eadem audire certò scio) cũ multas acceperint per hosce annos socii, atq; exteræ nationes calamitates & iniurias: nullas Græci homines grauius tulerũt, nec ferũt, quàm huiuscemodi spoliationes fanorũ atq; oppidorũ. Licet iste dicat, emisse se, sicuti solet dicere: credite mihi Iudices, nulla vnquã ciuitas tota Asia, & Græcia signũ vllũ, tabulã pictã, nullũ deniq; ornamentũ vrbis sua volũtate cuiquã vẽdidit: nisi forte existimatis, posteaquã iudicia seuera Romæ fieri desierint, Græcos homines hæc vẽdere cœpisse: quæ tũ nõ modò nõ vẽdebãt, quũ iudicia fiebãt, verũetiã coemebant. nisi arbitramini L. Crasso, Q. Scæuolæ, C. Claudio potẽtissimis hominib⁹, quorũ Aedilitates ornatissimas vidim⁹, cõmerciũ istarũ rerũ cũ Græcis hoib⁹ nõ fuisse: his, q post iudiciorũ dissolutiones Aediles facti sũt, fuisse. CICERO. 476

133.

Nullũ denique ornamentũ. Omnes libri veteres, Vllũ denique. à quorũ auctoritate nõ discedim⁹. HOTOM.

Nisi fortè existimatis. Ironia. Nõ enim iudiciorũ seueritas ad Græcos homines à vẽdẽdo aut emẽdo deterredos pertinebat: sed ad Romanos, q ea iudiciorũ metu Græcis hominib⁹ relinquebãt.

134. " Acerbiorem etiam scitote esse ciuitatibus falsam istã, & simulatam emptionẽ, quàm si quis clàm surripiat, aut eripiat palàm, atque auferat: nã turpitudinẽ summã esse arbitrantur, referri in literas publicas pretio adductã ciuitatẽ, & pretio paruo ea quæ accepisset à maioribus, vendidisse, atque alienasse. etenim mirandũ in modũ Græci rebus istis, quas nos cõtemnimus, delectãtur. itaque maiores nostri facilè patiebãtur hæc esse quãplurima apud socios, vt imperio nostro quàm ornatissimi, florẽtissimíque essent. Apud eos autẽ quos vectigales, aut stipendiarios fecerant, tamẽ hæc relinquebant, vt illi quibus ea iucunda sunt, quæ nobis leuia videbãtur, ha- CICERO. 477
135. berent hæc oblectamẽta & solatia seruitutis. Quid arbitramini Rheginos qui iã ciues R. sunt, mereri velle, vt ab iis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarẽtinos, vt Europã in Tauro sedentẽ amittãt? vt Satyrũ, qui apud illos in æde Vestæ est? vt cætera? quid Thespienses, vt Cupidinis signũ, propter quod vnum visũtur Thespiæ? quid Gnidios, vt Venerẽ marmoreã? quid, vt pictã Coos? quid Ephesios, vt Alexandrum? quid Cyzicenos, vt Aiacẽ, aut Medeã? quid Rhodios, vt Ialysum? quid Athenienses, vt ex marmore Iacchũ, aut Parthalũ pictũ, aut ex ære Myronis buculam? Longum est, & non necessariũ commemorare, quæ apud quosque visenda sunt tota Asia, & Græcia. Verùm illud est, quamobrem hæc commemorarim: quòd existimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem accidere iis, ex quorum vrbibus hæc auferantur.

Hæc esse quamplurima apud socios. Socii, sunt fœderati populi & immunes. Vectigales, qui vectigal, vt decumas: Stipendiarii, qui certum vectigal, quod stipẽdiarium dicitur, veluti certam pecuniam, quotannis populo R. pendunt. HOTOM.

CICERO. 478 Atque vt cæteros omittamus, de ipsis Syracusanis cognoscite: ad quos ego quũ venissé, sic primò existimabam, vt Romæ ex istius amicis acceperam, ciuitatem Syracusanam propter Heraclii hæreditatem non minus esse isti amicam, quàm Mamertinam, propter prædarum, ac furtorum omnium societaté: simul & verebar ne mulierum nobilium & formosarum gratia, quarum iste arbitrio Præturam per triennium gesserat, virorúmque quibuscũ illæ nuptæ erát, nimia in istum nõ lenitudine, sed etiam liberalitate oppugnarer, siquid ex literis Syracusanorum cõquirerem. Itaque Syracusis cum ciuibus R. eram: eorum tabulas exscribebam: iniurias cognoscebam. quum diutius in negotio, curáque fueram: vt requiescerem, curámque animi remitterem, ad Carpinatii præclaras tabulas reuertebar. vbi cum equitibus R. ex illo conuentu honestissimis illos Verrutios, de quibus antè dixi, explicabam: à Syracusanis prorsus nihil adiumenti neque publicè, neque priuatim expectabam, neque erat in animo postulare. Quũ hæc agerem, repentè ad me venit Heraclius is, qui tum magistratum Syracusis habebat, homo nobilis, qui sacerdos Iouis fuisset: qui honos apud Syracusanos est amplissimus. agit mecum, & cum fratre meo, vt, si nobis videretur, adiremus ad eorum Senatum, frequentes esse in curia: se iussu Senatus à nobis petere vt veniremus. Primò nobis fuit dubium quid ageremus. deinde cito venit in mentem, non esse vitandum nobis illum cõuentum, & locum. itaque in curiam venimus. honorificè sanè cõsurgitur. nos rogatu magistratus assedimus. incipit is loqui qui & auctoritate & ætate, & (vt mihi visum est) vsu rerum antecedebat, Diodorus Timarchides, cuius omnis oratio hanc habuit primò sententiã: Senatũ populúmque Syracusanum moleste grauitérque ferre quòd ego, quũ in cæteris Siciliæ ciuitatibus Senatum populúmque docuissem quid eis vtilitatis, quid salutis afferrem, & quum ab omnibus mandata, Legatos, literas, testimoniáque sumpsissem, in illa ciuitate nihil eiusmodi facerem.

HOTOM. *Propter Heraclij hæreditatem.* Vide librum Accusat. 1 1, 236.

Verrutios, de quibus ante dixi. Libro Accus. 1 1, pag. 301.

CICERO. 479 Respondi, neque Romæ in conuentu Siculorum, quum à me auxilium communi omnium Legationũ consilio petebatur, causáque totius ad me Siciliæ deferebatur, Legatos Syracusanorum affuisse, neque me postulare vt quicquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, in qua inauratam C. Verris statuam viderem. Quod posteaquam dixi, tantus est gemitus factus aspectu statuæ, & commemoratione, vt illud in curia positum monimentum scelerum, non beneficiorum videretur. tum pro se quisque, quantum dicendo assequi poterat, docere me cœpit ea quæ paulo antè commemoraui: spoliatam vrbem, fana direpta, ex Heraclii hæreditate, quam palæstritis concessisset, multo maximam partem ipsum abstulisse: neque postulandum fuisse vt ille palæstritas diligeret, qui etiã inuentorem olei deũ sustulisset: neque illam statuam esse ex pecunia publica, neque publicè datam: sed eos qui hæreditatis diripiẽdæ participes fuissent, faciendã, statuendámque curasse: eosdem Romæ fuisse Legatos, illius adiutores improbitatis, socios furtorum, conscios flagitiorum: eo minus mirari me oportere, si illi cõmuni Legatorum voluntati, & saluti Siciliæ defuissent. Vbi eorum dolorem ex illius iniuriis non modo minorem, sed propè maiorem, quàm cæterorum Siculorum, esse cognoui, tum* meum animum in illos, tum mei consilii, negotiíque totius suscepti causam, rationémque proposui: tum eos hortatus sum vt causæ communi, salutíque ne deessent, vt ei illam laudationem, quam se vi ac metu coactos paucis illis diebus decresse dicebant, tollerent.

*ego meum

HOTOM. *Quantum dicendo assequi poterat.* Vult intelligi Latinè Siculos loqui conatos: quum paulo pòst eidem ipsi, quòd Græcè in eo Senatu loquutus esset, Verres obiecerit.

Inuentorem olei deum. Aristeum, de quo paulo antea.

Tum meum animum in illos. Multi alii, Tum ego meum animum: & sic emenda.

CICERO. 480 Itaque iudices Syracusani hæc faciunt istius clientes, atque amici: primùm mihi literas publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quæ dixi ablata, esse perscripta, & plura etiam, quàm ego potui dicere: perscripta autem hoc modo, quòd ex æde Mineruæ hoc & illud abesset: quòd ex æde Iouis, quòd ex æde Liberi. Vt quisque eis rebus tuendis, conseruandísque præfuerat, ita perscriptum erat, quum rationem ex lege redderet, & quæ acceperat, deberet tradere: petisse vt sibi, quod hæ res abessent, ignosceretur: itaque omnes liberatos discessisse: & esse ignotum omnibus. quas ego literas obsignandas publico signo, deportandásque curaui. De laudatione autem ratio sic reddita est: primùm quum à Verre literæ aliquanto ante aduentum meum de laudatione venissent, nihil esse decretum: deinde, quum quidam ex illius amicis commonerent, oportere decerni, maximo esse clamore, & conuitio repudiatos: & posteaquam meus aduentus appropinquarit, imperasse eum qui summam potestatem haberet, vt decernerent: decretum ita esse, vt multo plus illi laudatio mali, quàm boni possit afferre. Id adeò Iudices, vt mihi ab illis demonstratum est, sic vos ex me cognoscite. Mos est Syracusis, vt, siqua de re ad Senatum referatur, dicat sentẽtiam qui velit: no-

Statua tua stabat. durissima compositio.

minatim nemo rogatur. & tamen vt quisque honore & ætate antecedit, ita primus solet sua spō te dicere, idque à cæteris ei conceditur. siquando taceant omnes, tunc sortitò coguntur dicere. Quum hic mos esset, refertur ad Senatum de laudatione Verris.

Quas in ærario sanctiore conditas habebant. Romæ fuit ærarium sanctius, quod ferè nunquam, nec nisi summa & propè extrema necessitate Reip. postulante aperiebant. Syracusarum igitur ærarium, in quo quæ sanctius asseruāda erant, recondebantur, sanctius ad Romani similitudinem appellat. Liuius Lib. VII secundi belli Punici, Cætera expediētibus, quæ ad bellum opus erāt COSS. aurū vicesimarium, quod in sāctiore ærario ad vltimos casus seruabatur, promi placuit. HOTOM.

Eum qui summam potestatem haberet. L. Metellum.

Dicat sententiā qui uelit. Hoc eo dicit, quia Romæ dissimilis erat ratio sentētiarum in Senatu dicēdarum. Nam post comitia Consularia Cōsules designati primi rogabātur, & eorum is prior, qui priore loco declaratus esset. Ante comitia, is qui è Censoribus princeps Senatus lectus erat. ii deinde quos Cōsulibus videbatur, ita tamē vt ne Prætoriū Cōsulari, AEdilitiū Prætorio, Tribunitium AEdilitio anteferrēt. auctores Sallustius, & Gellius. At in Augurum collegio Romæ, ferè eadem quæ in Senatu Syracusis. Sic enim Cicero in Catone, In collegio nostro vt quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet, neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam qui cum imperio sunt, maiores natu Augures anteponuntur.

In quo primùm, vt aliquid esset moræ, multi interpellāt: de Sex. Peduceo, qui de illa ciuitate totáque prouincia optimè meritus esset, sese antea, quū audissent ei negotiū facessitū, quúmque eū publicè pro plurimis eius & maximis meritis laudare cuperēt à C. Verre prohibitos esse: iniquū esse, tametsi Peduceus eorū laudatione iam nō vteretur, tamē nō id prius decernere quod aliquādo voluissent, quàm quod tū cogerētur. CICERO. 481
143. Conclamāt omnes, & approbāt ita fieri oportere. Refertur de Peduceo, vt quisque ætate & honore antecedebat, ita sententiā dixit ex ordine. Id adeò ex ipso S.C. cognoscite: nā principiū sententiæ perscribi solet. Recita QVOD VERBA FACTA SVNT DE SEX. PEDVCEO. Dicit, qui primi suaserint. decernitur. refertur deinde de Verre. dic, quæso, quomodo? QVOD VERBA FACTA SVNT DE C. VERRE. Quid postea scriptū est? CVM SVRGERET NEMO, NEQVE SENTENTIAM DICERET. Quid hoc est? SORS DVCITVR. Quamobrem? nemo erat voluntarius laudator Præturæ tuæ: defensor periculorū tuorū, præsertim quum inire à Prætore gratiam posset: nemo. ipsi illi tui conuiuæ cōsiliarii, & conscii verbum facere non audebant. in qua curia statua tua stabat, & nuda filii, in ea nemo fuit, quem
144. ne nudus quidem filius in nuda prouincia commoueret. atque etiam hoc me docent, eiusmodi S.C. sese fecisse laudationem, vt omnes intelligere possent, non laudationem, sed potius irrisionem esse illam, quæ commonefaceret istius turpem, calamitosámque Præturam.

Principium sententiæ perscribi solet. Magis placeret, Principiò sententiæ perscribi solent.

Quum surgeret nemo, neque sententiam diceret. Ergo Syracusis item vt Romæ, stantes Senatores sentētiam dicebāt. Cicero ad Att. lib. I. epistola, Vereor ne putidum, Locutus ita est in Senatu, vt omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret, mihique vt assedit, dixit se putare satis ab se etiam de istis rebus responsum. HOTOM.

Ne nudus quidem filius. Allegoricè, quum de nuda statua intelligatur, nudum filium appellat, quasi necessarii vestitus indigentem, & miserandum.

Etenim scriptum esse ita, QVOD iste virgis neminem cecidisset: à quo cognoscitis nobilissimos homines, atque innocentissimos securi esse percussos. QVOD vigilanter prouinciam administrasset, cuius omnes vigilias in stupris constat, adulteriisque esse consumptas. hoc autem scriptum etiam, quod proferre non auderet reus, accusator recitare non desineret. QVOD prædones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres, quos etiam intra Syracusanā insulam re- CICERO. 482
145. cepisset. Quæ posteaquā ex illis cognoui, discessi cum fratre è curia, vt nobis absentibus, siquid vellent, decernerent. decernunt statim: primùm, vt L. fratri hospitium publicè fieret, quòd is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. id non modò tum scripserunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt. Valdè hercle te Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligunt: qui cum accusatore tuo satis iustam causam cōiungendæ necessitudinis putant, quòd te accusaturus sit, & quòd ad inquirendum in te venerit. Postea decernitur, ac non varie, sed propè coniunctis sentētiis, vt laudatio, quæ C. Verri decreta
146. esset, tolleretur. At vero quū iam nō solum discessio facta esset, sed etiam perscriptum, atq; in tabulas relatū, Prætor appellatur. At quis appellat? magistratus aliquis? nemo. Senator? ne id quidem. Syracusanorū aliquis? minimè. Quis igitur Prætorē appellat? qui Quæstor istius fuerat, Cæcilius. O rem ridiculā: ò desertum hominē: ò desperatum ac relictum. à magistratu Siculo, ne S. C. Siculi homines facere possent, ne suum ius suis moribus, suis legibus obtinere possent, non amicus istius, non hospes, non denique aliquis Siculus, sed Quæstor Prætorem appellat.

Intra Syracusanam insulam. Vide lib.seq.pag. 526,527.

Discessio facta esset. Item vt Romæ,sic in Sicilia Senatusconsulta per discessionem fiebant.

Prætor appellatur. Vt Senatusconsulto intercederet.Nam sicuti Romæ Tribunos plebis,eodē modo in prouinciis Populi R.magistratus appellari,ad eósque prouocari ius erat.

Qui Quæstor istius fuerat Cæcilius. Hic est Quæstor Cæcilius in quem facta est diuinatio, vter potius accusaret,ipséne an Tullius. Fuisse autem Quæstorem dixit: siquidem per singulos annos Verri Quæstores mutati sunt.

CICERO 483 » Quis hoc vidit? aut quis audiuit? Prætor æquus & sapiens dimitti iubet Senatum.cōcurrit ad » me maxima multitudo.primùm Senatores clamare,eripi sibi ius,eripi libertatem: Populus Se» natum laudare,gratias agere, ciues R. à me nusquam discedere. quo quidem die nihil ægrius » factum est multo labore meo,quàm vt manus ab illo appellatore abstinerentur. Quum ad Præ» torem in ius adissemus,excogitat sanè diligēter & cautè,quid decernat. nam antequā verbum » facerem,de sella surrexit, atque abiit.itaque tum de foro,quū iam aduesperasceret,discessimus. » Postridie mane ab eo postulo vt Syracusanis liceret S. C. quod pridie fecissent, mihi reddere. » Ille enimvero negat: & ait indignum facinus esse, quòd ego in Senatu Græco verba fecissem: » quòd quidem apud Græcos Græcè locutus essem,id ferri nullo modo posse. Respondi homini » vt potui,vt volui,vt debui. tum multa, tum etiam hoc me memini dicere, facilè esse perspicuū » quantum inter hunc & illum Numidicum verum & germanum Metellum interesset. illum » noluisse sua laudatione iuuare L. Lucullum sororis virum,quicum optime conuenisset: hunc » homini alienissimo à ciuitatibus laudationes per vim & metum comparare. Quod vbi intelle» xi,multum apud illum recentes nuntios,multum tabulas non commēdatitias,sed tributarias » valuisse, admonitu ipsorum Syracusanorum impetum in eas tabulas facio, in quibus singula » perscripta erant. Ecce autem noua turba, atque rixa: ne tamen istum omnino Syracusis sine a» micis,sine hospitibus planè nudum esse ac desertum putetis.

NOTOM. *Quòd ego in Senatu Græco verba fecissem.* Valerius Maximus libro 11,capite De institutis antiquis, Magistratus, inquit, prisci,quantopere suam Populique R. maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest,quòd inter cætera obtinēdæ grauitatis indicia,illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis vnquam nisi Latinè responsa darent: quin etiam ipsa linguæ volubilitate,qua plurimum valent,excussa, per interpretem loqui cogebāt: non in vrbe tantum nostra,sed etiam in Græcia & Asia,quo scilicet Latinæ vocis honos,per omnes gentes venerabilior diffunderetur:nec illis deerāt studia doctrinæ,sed nulla in re pallium togæ subiici debere arbitrabantur: indignum esse existimantes,illecebris & suauitati literarum imperii pondus & auctoritatem donari. hæc ille. Ab eadem etiam, opinor, ratione falsam credidit Plutarchus, & adulterinam orationem quandam Græcis literis conscriptam, quam Athenis pronūtiasse Catonem nonnulli affirmabāt. Nam per interpretem, inquit,omnia loquutus est; quanquā ita Græcè sciret, vt interpretis opera minimè indigeret. Scribit tamen Fabius Quintilianus libro x1, M. Crassum, Diues qui dictus est,quū Asiæ præesset,quinque Græci sermonis differētias sic tenuisse, vt qua quisque apud eum lingua postulasset,eadem sibi ius redditū ferret.

Illum Numidicum verum. Q. Cæcilius Metellus Consul,duobus prœliis Iugurtham fudit,& vniuersam Numidiam vastauit: inde Numidicus appellatus. Eius sororē habuit in matrimonio L. Lucullus, pater L. Luculli: cuius vitam scripsit Plutarchus. qua de causa idem Plutarchus ipsius auunculum appellat Metellum Numidicū. quo in loco eundem Metelli sororis virum L. Luculli patrem à Seruilio augure furti conuictum & damnatum scribit. De Numidico vero & germano Metello, vide Orat. pro Balbo, Gellii lib. 1, caput v1, Sallustium item in bello Iugurth. & Valerii librum 111, capite De constantia.

Recentes nuntios. Lætilium significat: de quo vide lib. accusat. 11, pag. 149.

Non commendatitias, sed tributarias. Solēt prouincialibus magistratibus mitti ab amicis commendatitiæ literæ,eorum causa quibus negotia sunt in prouincia. extántque Ciceronis eius argumenti Epistolæ complures. solent etiam à Senatu mitti, siquando prouincialibus aliquod tributum sit imperandum. quæ tabulæ,tributariæ dicuntur. Dicit igitur translata significatione vocabuli non cōmendatitias,sed tributarias literas ad Prætorem missas: id est, quæ illi tribuerent,& promitterent.

CICERO 484 » Retinere cœpit tabulas Theomnastus quidam, homo ridiculè insanus, quem Syracusani » Theoractū vocāt: qui illic eiusmodi est, vt eum pueri sectentur, vt omnes,quum loqui cœperit, » irrideāt. Huius tamē insania quæ ridicula est aliis,mihi tum molesta sanè fuit. nam quum spu» mas ageret in ore,arderēt oculi, voce maxima vim me sibi afferre clamaret, copulati in ius per» uenimus. Hic ego postulare cœpi,vt mihi tabulas obsignare ac deportare liceret: ille contrà in» stare ego, omnium mihi tabularum, & literarum fieri potestatem oportere: contrà, ille fu-

riosus vrgere, nihil ad se vestras leges pertinere. Prætor intelligens, negare sibi placere, quòd
S.C. ratum esse non deberet, id me Romam deportare. Quid multa? nisi vehementiùs homi-
ni minatus essem, nisi legum sanctionem pœnámque recitassem, tabularum mihi potestas facta
non esset. Ille autem insanus: qui pro isto contra me vehementissimè declamasset, postquam nō
impetrauit, credo vt in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo istius furta Syracu-
sana perscripta erant: quæ ego antea iam ab illis cognoram, & acceperam. Laudent te sanè iam
Mamertini, qui ex tanta prouincia soli sunt, qui te saluum velint: ita tamen laudent, vt Heius,
qui eius princeps legationis est, adsit: ita laudent, vt ea quæ rogati erunt, mihi parati sint respō
dere. ne subito à me opprimantur, hæc sum rogaturus, Nauem debeántne? fatebuntur. Præbue-
rintne Prætore C. Verre? negabunt. AEdificauerint ne nauem onerariam maximam publicè,
quam Verri dederint? negare non poterunt. Frumentúmne ab his sumpserit Verres, quod Po-
pulo R. mitteret, sicuti superiores? negabunt.

Quem Syracusani Theoractum vocant. Per contumeliam. nam Theomnastus, qui dei memor est: NOTOM.
Theoractus, à verbo *θεῖον*: quem Deus ferit, ac furore percussit.

Omnium literarum fieri potestatem. Lege Glabrionis, de qua in libro Accusat. I I, his verbis, Quòd
ego nisi meo aduentu illius conatus aliquantulum repressissem, & apud Siculos non Metelli,
sed Glabrionis literis ac lege pugnassem, tam multos huc euocare non potuissem.

Quod S.C. ratum esse non deberet. Propter intercessionem.

Nauem debeántne. Vide librum seq. pag. 504.

Verrea illa flagitiosa. Vide lib. Accusat. I I, pag. 244.

Quid militum, aut nautarum per triennium dederunt? nullum datum dicent. Fuisse Messa- CICERO.
nam omnium istius furtorum, ac prædarum receptricem: negare nō poterunt. Permulta mul- 485
tis nauibus illinc exportata: hanc denique nauem maximam à Mamertinis datam, onustā cum
isto Prætore profectam? fatebuntur. Quamobrem tibi habe sanè istam laudationem Mamer-
tinam: Syracusanam quidem ciuitatem, vt abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus: a-
pud quos etiam Verrea illa flagitiosa sublata sunt. etenim minimè cōueniebat, ei deorum ho-
nores haberi, qui simulacra deorum sustulisset. Etiam mehercule illud in Syracusanis meritò
reprehenderetur, si quū diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum, & san-
ctissimum, quòd eo ipso die Syracusæ à Marcello captæ esse dicuntur: iidem diem festum Ver-
ris nomine agerēt, quū iste Syracusanis, quæ ille calamitosus dies reliquerat, ademisset. At vide-
te hominis impudentiam, atque arrogantiam Iudices, qui non solum Verrea hæc turpia, hæc
ridicula ex Heraclii pecunia constituerit, verum etiam Marcellea tolli imperarit, vt ei sacra fa-
cerent quotannis, cuius opera omnium annorum sacra, deósque patrios amiserant: eius autem
familiæ dies festos tollerent, per quam cæteros quoque festos dies recuperarant.

Accusationis in C. Verrem liber Liber V.

SEPTIMVS ORATIO X.

NEMINI video dubium esse Iudices, quin apertissimè C. Verres CICERO. 1
in Sicilia sacra, profanáque omnia & priuatim, & publicè spo- 486
liarit, versatúsque sit sine vlla nō modò religione, verum etiam
dissimulatione in omni genere furādi, atque prædandi. Sed quæ-
dam mihi magnifica, & præclara eius defēsio ostēditur: cui quē-
admodum resistam, multo mihi antè est Iudices prouidendum:
ita enim causa constituitur, prouinciam Siciliam virtute eius,
& vigilantia singulari dubiis formidolosísque temporibus à fu-
gitiuis, atque à belli periculis tutam esse seruatam. Quid agam
Iudices? quò accusationis meæ rationem conferam? quò me ver- 2
tam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam boni
nomen Imperatoris opponitur. noui locum: video, vbi se iactaturus sit Hortensius. belli peri-
cula, tempora Reip. Imperatorum penuriam commemorabit. tum deprecabitur à vobis, tum
etiam pro suo iure contendet, ne patiamini talem Imperatorē Populo R. Siculorū testimo
niis eripi: néve obteri laudem imperatoriam criminibus auaritiæ velitis. Nō possum dissimu- 3
lare Iudices. timeo ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari omnia quæ fe-
cit, impunè fecerit. venit enim mihi in mentem, in iudicio M. Aquilii quantū auctoritatis, quā-
tum momenti oratio M. Antonii habuisse existimata sit.

Hæc oratio tripartita est. Nam primo loco de bello fugitiuorũ tractat, ex Spartaci reliquiis conflato. tum de maritimo aduersus prædones & piratas, quorũ latrociniis mare tum infestum habebat Sicilia. postremò de ciuium R. suppliciis. Ac primos quidẽ duos locos de bello suscepisse se dicit, è re nata, aduersus defensionẽ Hortensii, qui omnia Verris crimina virtute ac laude rei militaris tegere atque obscurare volebat. At de suppliciis, dicit se non cuiusquam rogatu, sed sua voluntate reique indignitate adductum, ad accusandum descẽdisse. Continet autem hic postremus locus minorem orationis partem, ex quo mirum alicui videri possit, quòd quũ ex maiore parte res nominandæ sint, tamen hunc postremũ librum De suppliciis veteres nominauerint: quũ De bello maritimo ex maiore parte inscribendus esse videatur. nisi forte hæc causa sit, quòd maritimi belli tractatio, nõ accusandi causa instituta est, vt modò demõstrauimus: sed querela de suppliciis ad crimẽ repetundarum pertinet, & imperii crudeliter & contra leges administrati.

Et priuatim, & publicè. Tum vt priuatus, furtim: tum vt magistratus, & pro imperio ac potestate, quam Prætor habuit, palàm.

Causa constituitur. Ita parant, mediantúrque defensionem.

Pro suo iure contendet. Vulgò dicimus, Pro eo quod sua interest, Pro sua virili parte. vel Pro ea parte, quatenus sua interest, quũ sit ciuis R. & Permagni sua interfuit, bonos esse imperatores in hac Rep.

Siculorum testimoniis. Contemptim, Siculorum testimoniis, vtpote Græcorum, quorum leuis auctoritas in testimoniis.

CICERO. » Qui vt erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis, causa propè perorata ipse arripuit M'. Aquilium, cõstituítque in cõspectu omniũ, tunicámque eius à pectore abscidit, vt cicatrices Populus R. Iudicésque aspicerẽt aduerso corpore exceptas. simul & de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit, eóque adduxit eos qui erant iudicaturi, vehemẽter vt vererẽtur nequẽ virũ fortuna ex hostiũ telis eripuisset, quũ sibi ipse nõ pepercisset, hic nõ ad Populi R. laudẽ, sed ad Iudicũ crudelitatẽ videretur esse seruatus. Hæc eadẽ nũc ab illis defensionis ratio, viáque tentatur: idem quæritur. sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorũ omnium vitiorúmque princeps: at est bonus Imperator & felix, & ad dubia Reip. tempora reseruandus. Non agam summo iure tecum: non dicam id, quod debeam forsitan obtinere, quũ iudiciũ certa lege sit cõstitutum: non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodũ manus ab alienis pecuniis abstinueris, abs te doceri oportere. non inquam sic agã: sed ita quærã, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quãta fuerit in bello. Quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam virtute tua liberatã? magna laus, & honesta oratio. sed tamẽ quo bello? nos enim post id bellum quod M'. Aquilius cõfecit, sic accepimus, nullum in Sicilia fugitiuorũ bellum fuisse. At in Italia fuit. fateor: & magnum quidẽ, ac vehemens. Num igitur ex eo bello partẽ aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriã cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio communicãdã putas? nõ arbitror hoc etiã deesse tuæ impudẽtiæ, vt quicquã eiusmodi dicere audeas.

HOTOM. *Ipse arripuit M. Aquilium.* Scribit idem Cicero libro de Orat. II, & Quintilianus lib. II. Florus autẽ in epitome, his verbis, Marcus, inquit, Aquilius cõsul in Sicilia bellum seruile cõcitatum cõfecit. Quũ de pecuniis repetũdis causam diceret, ipse rogare Iudices noluit. M. Antonius qui pro eo perorabat, tunicam à pectore eius discidit, vt honestas cicatrices ostenderet, quibus conspectis indubitanter absolutus est.

Et ad dubia Reip. tempora reseruandus. Verba sunt Quintiliani, in lib. XII, quæ quia ad hũc locum vehementer pertinere videntur, subiicere voluimus: Ad hoc, inquit, nemo dubitabit quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, saluos esse eos magis è Repub. sit, quàm puniri. Si liqueat igitur Oratori, futurũ bonum virũ, cui verba obiicientur, non id aget, vt saluus sit? Da nunc vt crimine manifesto prematur dux bonus, & sine quo vincere honestè ciuitas nõ possit: nonne ei communis vtilitas Oratorem aduocabit? Certè Fabritius Cornelium Rufinum, alioqui & malum ciuem, & sibi inimicum, tamen quia vtilem sciebat ducem, imminente bello palàm Cõsulem suffragio suo fecit: atque id mirantibus quibusdam respondit, A ciue se spoliari malle, quàm ab hoste venire. Ita hic si fuisset Orator, non defendisset eundem Rufinum vel manifesti peculatus reum? hæc Fabius.

Non agam summo iure tecum: non dicam id, quod debeã forsitã obtinere. Apud Quintilianu libro IX, cap. II, hunc locum ita scriptum reperio, Non agam tecum iure summo: non dicam, quod forsitan obtinerem. Nihil muto tamen, quũ satis constet multa illum non accuratè de libro sumpsisse: sed ex memoria, quantum ad propositum satis esse putabat, prompsisse.

Certa lege constitutum. De pecuniis repetundis.

An bello fugitiuorum. In Triochalino primùm excitatum est: vbi fugitiui duce Euno, fractis er-

gastulis ad L X milla côiurauerût: Prætorum castra superata, Manlii, Pisonis, Lentuli, Hypsæi. M. Perpenna vicit, & obsessos Ennæ famc côsumpsit. Hic ouans, vrbem ingressus. Pôst paulo, idem incendium excitauit Athenio Cilix pastor, qui interfecto domino ergastula aperuit. Prætoriana castra Seruilii & Luculli succubuere. M. Aquilius exemplo Perpennæ, & ferro & fame maceratos cepisset, nisi metus supplicii fuisset. Itaque magna ex parte mortem sibi consciuere. dux aufugit. hæc ferè ad summam Florus lib. historiarû I I I. Athenæus libro Δειπνοσ. ς, Seruorum in bellis quæ in Sicilia excitarant, scribit interfecta amplius decies centena millia.

Magna laus, & honesta oratio. In manuscripto sine coniunctione legitur, Magna laus, honesta oratio. Terentius, Quæ sese voluit in ignem iniicere, prohibui: Seruaui. honesta oratio est. Cicero in lib. de off. I I. Itaque, inquit, vulgo loquuntur sese in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. honesta oratio est.

In Italia fuit. Duce Spartaco gladiatore nobili, qui cum aliis septuaginta qui Capuæ in ludo Lentuli exercebantur, fugitiuorum magna coacta manu, côparatisque copiis, bellum aduersus Romanos magnû & periculosum prope quadrienniû gessit. sed à Crasso postea & Pompeio cô fectû hoc bellû est. Appianus, Plutarchus. De Spartaco Athenæus lib Δειπνοσ. ς sic scribit: Σπάρτακος ὁ μονομάχος ἐκ Καπύης πόλεως Ἰταλικῆς ἀποδρὰς κατὰ τὰ Μιθριδατικά, πολὺ πλῆθος ἀποστήσας οἰκετῶν. ἦν δὲ καὶ αὐτὸς οἰκέτης Θρᾷξ· ἐπέδραμε πᾶσαν Ἰταλίαν χρόνον οὐκ ὀλίγον, πολλῶν ὁσημέραι καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν συρρεόντων ὡς αὐτόν. καὶ εἰ μὴ ἀπέθανεν ἐν τῇ πρὸς Λικίνιον Κράσσον παρατάξει, οὐ τὸν τυχόντα ἂν ἡμῶν τοῖς ἡμεδαποῖς παρέσχε πόνον, ὡς ὁ κατὰ τὴν Σικελίαν Εὔνους. Id est, Spartacus gladiator ex Capua vrbe Italiæ, quum in Athenienfium fines profugisset, magnum seruorum numerum secum asciuit. Erat autem ipse quoque seruus, Thrax genere, ac per vniuersam Italiâ breui spatio peruagatus est, multique in dies serui ad eum confluebant. Quòd nisi in bello quod cum Licinio Crasso gessit interfectus fuisset, non vulgare negotium nostris hominibus præbuisset, quemadmodum in Sicilia Eunus fecerat. CICERO.

488 Obstitisti uidelicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copiæ possent. vbi? quâdo? qua ex parte? quû aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere? nos enim nihil vnquam prorsus audiuimus: & illud audiuimus, M. Crassi fortissimi viri virtute, consilióque factum, ne ratibus coniunctis freto fugitiui ad Messanam transire possent. à quo illi conatu non tantopere probibendi fuissent, si vlla in Sicilia præsidia ad illorum aduentum opposita putarentur. At quum in Italia bellum tam propè à Sicilia, tamen in Sicilia nô fuit: quid mirum? ne quû in Sicilia quidê fuit, eodem interuallo pars eius belli in Italiam vlla peruasit. Etenim propinquitas ad vtrâ partem hoc loco profertur: vtrum aditum facilem hostibus, an contagionem imitandi eius belli periculosam fuisse? aditus omnis hominibus sine vlla facultate nauiû non modò disiunctus, sed etiam clausus fuit: vt illis quibus Siciliam propinquam fuisse dicis, facilius fuerit ad Oceanum peruenire, quàm ad Peloridem accedere. Côtagio autem ista seruilis belli cur abs te potius, quàm ab iis omnibus qui cæteras prouincias obtinuerût, prædicatur? an quòd in Sicilia iam antè bella fugitiuorum fuerunt? At ea ipsa causa est, cur ipsa prouincia minimo in periculo sit, & fuerit. nam postea quam illinc M. Aquilius decessit, omnium instituta, atque edicta Prætorum fuerunt eiusmodi, vt nequis cum telo seruus esset.

At cum in Italia. Tum in Italia: Vetus codex. & sic emenda. HOTOM.

Quam ad Peloridem accedere. Pelorum Siciliæ promontorium, versus Italiam.

Minimo in periculo. A fugitiuis. Nam quod infrà scribit, pag. 513. Tantum fuisse prouinciæ periculum: de prædonibus loquitur.

Vetus est quod dicam, & propter seueritatem exempli nemini fortasse vestrû inauditum: L. Domitiû Prætorê in Sicilia, quû aper ingens ad eum allatus esset, admiratû requisisse quis eum percussisset. quû audisset, pastorê cuiusdâ fuisse, cum ad se vocari iussisse: illum cupidê ad Prætorem, quasi ad laudê atque ad præmium accurrisse: quæsisse Domitiû, quî tantam bestiam percussisset: illum respondisse, venabulo: statim deinde iussu Prætoris in crucem esse sublatû. Durum hoc fortasse videatur: neque ego vllam in partem disputo: tantû intelligo, maluisse Domitium crudelem in animaduertendo, quàm in prætermittendo dissolutum videri. Ergo bis institutis prouinciæ, iam tum quû bello fugitiuorû tota Italia arderet, homo non acerrimus, nec fortissimus, Cn. Norbanus in summo otio fuit. perfacile enim sese Sicilia tuebatur, ne quod in ipsa bellû posset existere. Etenim quû nihil tam côiunctum sit, quàm negotiatores nostri cum Siculis, vsu, re, ratione, concordia: & quû ipsi Siculi res suas ita constitutas habeât, vt his pacem expediat esse: imperium autem populi R. sic diligant, vt imminui aut cômutari minimè velint: quûmque hæc ab seruorû bello pericula & Prætorû institutis, & dominorû disciplina prouisa sint: nullum est malû domesticû, quod ex ipsa prouincia nasci possit. Quid igitur? nulline motus in Sicilia seruorû Verre Prætore? nullæ ne consensiones factæ esse dicuntur? nihil sanè, quod ad senatum populúmque R. peruenerit: nihil, quod iste Romam publicè conscripserit. & CICERO 489

tamen cœptum esse in Sicilia moueri aliquot locis seruitium suspicor. Id adeò non tam ex re,
quàm ex istius factis decretísque cognosco. Ac videte quàm non inimico animo sim acturus. 10
ego ipse hæc quæ ille quærit, quæ adhuc nunquam audistis, commemorabo & proferam.

HOTOM. *Vocari iussisse.* Hoc tenor orationis postulat: tametsi aliis in libris omnibus scriptum ita sit,
Vocari iussit. Valerius auté Maximus banc causam affert, quòd Domitius ad exturbanda la-
trocinia, quibus prouincia vastabatur, nequis telum haberet édixerat.

CICERO. In *Tricalino, quem locum fugitiui iam antè tenuerunt, Leonidæ cuiusdam Siculi familia
491 in suspicionem vocata est coniurationis. res delata ad istū. statim (vt par fuit) iussu eius homi-
*Triochalino nes, qui nominati erant, compreh ēsi sunt, adductique Lilybæū: domino denuntiatū est vt ades-
set: causa dicta damnati sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expe-
ctatis aliquam? nolite vsquequaque eadem quærere. in metu belli, furandi qui locus potest esse?
etiam si qua bic fuit in bac re occasio, prætermissa est. tum potuit à Leonida nummorū aliquid
auferre, quū denuntiauit vt adesset. fuit nundinatio aliqua, & isti non noua, ne causam diceret.
etiam alter locus, vt absoluerentur. Damnatis quidē seruis, quæ prædandi potest esse ratio? pro-
duci ad supplicium necesse est: testes enim sunt, qui in consilio fuerunt: testes publicæ tabulæ:
testis splendidissima ciuitas Lilybætana: testis honestissimus, maximúsque conuentus ciuium
R. nihil potest. producendi sunt itaque. producuntur, & ad palum alligantur. Etiamnum mihi 11
expectare videmini Iudices, quid deinde factum sit, quòd iste nihil vnquam fecit sine aliquo
quæstu, atque præda. Quid in eiusmodi re fieri potuit? quod commodum est? expectate facinus
quàm vultis improbum: vincam tamen expectationem omnium. nomine sceleris coniuratio-
nísque damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repenre moltis millibus hominū in-
spectantibus soluti sunt, & Leonidæ illi domino redditi. Quid boc loco potes dicere homo a-
mentissime? nisi id quod ego non quæro, quod denique in re tam nefaria, tametsi dubitari non
potest, tamen ne si dubitetur quidem quæri oporteat: quid, aut quantū, aut quomodo acceperit.

HOTOM. *Tricalino.* Triochalino, Vetus codex manu scriptus, & impressi Florentiæ vetustissimi. Et ita
legit Volaterranus in libro VI. Triochala, inquit, vbi seruile bellum concitatum est. Silius,
Et mox seruili vastata Triochala bello. Cicero in Verrem libro VII, In Triochalino,
quem locum fugitiui antè tenuere. hæc ille.

CICERO. Remitto tibi boc totum, atque ista te cura libero: neque enim metuo, ne hoc coiquā persua-
492 deatur, vt ad quod facinus nemo præter te, vlla pecunia adduci potuerit, id tu gratis suscipere
conatus sis. Verum de ista furandi, prædādique ratione nihil dico: de hac imperatoria iam tua
laude disputo. Quid ais bone custos, defensórque prouinciæ? tu quos seruos arma capere, ac bel- 12
lum facere in Sicilia voluisse cognoras, & de cōsilii sententia iudicaras, hos ad supplicium iam
more maiorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare ausus es, vt
quam damnatis seruis crucem fixeras, hāc indemnatis ciuibus R. reseruares? Perditæ ciuitates,
desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, vt damnati in integrum restituan-
tur, vincti soluantur, exules reducantur, res iudicatæ rescindantur. Quæ quū accidunt, nemo
est quin intelligat ruere illam Remp. hæc vbi *veniunt, nemo est qui vllam spem salutis reli-
quam esse arbitretur. atque hæc sicubi facta sunt, facta sunt vt bomines populares, aut nobiles 13
supplicio, aut exilio leuarentur: *vt non ab iis ipsis, qui iudicassent, *vt nō statim, *vt non eorum
facinorum damnati, quæ ad vitam & fortunas omnium pertinerēt. Hoc verò nouum, & eius-
modi est, vt magis propter reum, quàm propter rem ipsam credibile esse videatur, vt bomines
seruos, vt ipse qui iudicarat, vt statim è medio supplicio dimiserit: vt eius facinoris damnatos
seruos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret. O præclarum Imperato- 14
rem, nec iam cum M. Aquilio fortissimo viro, sed verò cum Paulis, Scipionibus, Mariis con-
ferendum.

HOTOM. *Hæc ubi ueniunt.* Eueniunt, postulare videtur oratio.

Vt non ab iis. Vetus codex, At pro Vt, tribus in locis proximis, quod sine dubio rectum est. Et vt
quamlibet occasionem arripiamus Ciceronis libros adiuuādi, idem propè mēdum est in Par-
titionibus oratoriis, eo loco vbi de locis insitis commemorat. Nam pro, Aut ea quæ sunt quasi
coniuncta, Aut ea quæ sunt quasi pugnantia inter se, Aut earum rerum de quibus agitur, causæ,
Aut causarum euentus: pro quatuor, inquam, illis particulis AVT, reponendam singulis in lo-
cis VT, facilè demonstraremus, nisi boc breuiter monuisse satis esse putaremus. In eadem pagi-
na locum infimum sic distinguo, & emendo, Habeo communia præcepra fidem faciēdi, & com
mouendi. Quoniam fides est f. o. m. a. a. i. a. a. v. a. a. m. a. a. m. a. a. cupiditatem (tot enim f.
m. g. p. p. g. singulorum) omnem collocationem ad finem accōmodo definitæ quæstionis. In
impressis enim libris & praua interpunctione omnia peruersa sunt, & vox DEFINITAE desi-
deratur. nam quum duplex collocatio sit, eorum scilicet quæ ad fidem, & eorum præterea quæ

ad motum pertinent, non omnis sanè collocatio ad quæstionem omnino accommodanda est, sed ad finitam. nam ad infinitam fides tãtum pertinet, ad finitam & fides & motus. quare quum de finita dixero, inquit, de vtraque dixero.

CICERO. 495
Tantúmne vidisse in metu, periculóque prouinciæ? quũ seruitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitiuorũ videret: nequis se cõmouere auderet, quantũ terroris iniecit? cõprehendi iussit: quis non pertimescat? causam dicere dominos: quid seruis tã formidolosum? fecisse videri, pronuntiauit. exortam videtur flãmam paucorum dolore, ac morte restinxisse. Quid deinde sequitur? verbera, atque ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum cæterorum, cruciatus & crux. hisce omnibus suppliciis sunt liberati. Quis dubitet quin seruorum animos summa formidine oppresserit, quum viderent ea facilitate Prætorem, vt ab eo seruorum sceleris, coniurationísque damnatorũ vita vel ipso carnifice internuntio, redimeretur? Quid? hoc in Apolloniensi Aristodamo? quid? in Leonte Magarensi non idem fecisti? Quid? iste motus seruorum bellíque subita suspicio, vtrum tibi tandem diligentiam custodiendæ prouinciæ, an nouam rationem improbissimi quæstus attulit? Halyciensis Eumenidæ, nobilis hominis & honesti, magnæ pecuniæ villicus quũ impulsu tuo insimulatus esset, H-S LX à domino accepisti. quod nuper ipse iuratus docuit quemadmodũ gestum esset. Ab Equite R. C. Matrinio absente: quũ is esset Romæ, quòd eius villicos, pastorésque tibi in suspicionem venisse dixeras, H-S centum abstulisti: dixit hoc L. Flauius, qui tibi eam pecuniam numerauit, procurator C. Matrinii: dixit ipse C. Matrinius, dicet clarissimus vir Cn. Lẽtulus Censor, qui Matrinii honoris causa, recẽti negotio ad te literas misit, mittendásque curauit.

NOTOM.
Fecisse videri pronuntiauit. Vide quæ dixi 262.

Vt ab eo seruorum sceleris. Vox Seruorum, abest à libris veteribus etiam impressis: in queis Aldinum numeramus. Et rectè abest, vt ex sententia & loco perspicitur.

H-S LX. Coronatos mille quingentos.

H-S centum abstulisti. Coronatorum duo millia, & quingentos.

CICERO. 493
Quid? de Apollonio Diocli filio Panormitano, cui Gemino cognomen est, præteriri potest? ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid indignius? ecquid manifestius proferri potest? quem is, vti Panormũ venit, ad se vocari, & de tribunali citari iussit, concursu magno, frequentiáque conuentus. Homines statim loqui: mirari, quòd Apollonius homo pecuniosus tandiu ab isto maneret integer: excogitauit: nescio quid attulit: profectò homo diues, repente à Verre non sine causa citatur. expectatio summa omnium, quidnam id esset: quum exanimatus subitò ipse accurrit cum adolescente filio: nam pater grandis natu iamdiu lecto tenebatur. Nominat iste seruum, quem magistrum pecoris esse diceret: eum dicit coniurasse, & alias familias concitasse. is omnino seruus in familia non erat. eum statim exhiberi iubet. Apollonius affirmat seruum se omnino illo nomine habere neminem. Iste hominem arripi à tribunali, & in carcerem coniici iubet. ille clamare, quũ raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse, pecuniã sibi esse in nominibus, numeratam in præsentia non habere. Hæc quũ maximè summa hominũ frequentia testificaretur, vt quiuis intelligere posset, eum, quòd pecuniam non dedisset, idcirco illa tam acerba iniuria affici: quũ maximè, vt dico, hoc de pecunia clamaret, in vincula cõiectus est. Videte constantiã Prætoris, & eius Prætoris, qui nunc reus non ita defendatur, vt mediocris Prætor: sed ita laudetur, vt optimus Imperator. Quũ seruorum bellum metueretur, quo supplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc seruos damnatos liberabat.

NOTOM.
Diocli filio. Dioclis, contra librorum omnium auctoritatem, corrigendum putarem.

CICERO. 494
Apollonium, locupletissimum hominem, qui si fugitiui bellum in Sicilia facerent, amplissimas fortunas amitteret: belli fugitiuorum nomine, indicta causa, in vincla cõiecit: seruos quos ipse cum consilio belli faciendi causa consensisse iudicauit, eos sine consilii sententia, sua sponte omni supplicio liberauit. Quid si ab Apollonio aliquid commissum est quamobrem iure in eum animaduerteretur: taménne hác rem sic agemus, vt crimini, aut inuidiæ reo putemus esse oportere, siquo de homine seuerius iudicauit? Non agam tam acerbè: non vtar ista accusatoria consuetudine, siquod est factum clementer, vt dissolutè factum criminer: siquid vindicatum seuerè est, vt ex eo crudelitatis inuidiam colligam. nõ agam ista ratione: tua sequar iudicia: tuam defendam auctoritatem, quoad tu voles. simul ac tutè cœperis tua iudicia rescindere, mihi succensere desinito: meo enim iure contendã, eum qui suo iudicio condemnatus sit, iuratorum iudicum sentẽtiis damnari oportere. Nõ defendam Apollonii causam, amici atque hospitis mei, ne tuum iudicium videar rescindere: nihil de hominis frugalitate, virtute, diligentia dicã: prætermittam illud etiam de quo anteà dixi, fortunas eius ita constitutas fuisse familia, pecore, villis, pecuniis creditis, vt nemini minus expediret, vllum in Sicilia tumultum, aut bellum commoueri: nõ dicam ne illud quidem, si maximè in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem

honestissimum, ciuitatis honestissimæ, tam grauiter animaduerti causa indicta non oportuisse: nullam inuidiam in te ne ex illis quidem rebus concitabo: quũ esset talis vir in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, tyrannicis interdictis tuis patri exacta ætate, & adolescenti filio adeundi ad illum miserum potestatem nunquam esse factam. etiam illud præteribo:

CICERO. 495 Quotiescunque Panormum veneris illo anno, & sex mensibus (nam tandiu fuit in carcere Apollonius) toties ad te Senatum Panormitanũ adisse supplicem cum magistratibus sacerdotibúsque publicis, orantem atque obsecrantem, vt aliquando ille miser, atque innocens calamitate illa liberaretur. Relinquam hæc omnia: quæ si velim persequi, facilè ostendam, tua crudelitate in alios, omnes tibi aditus misericordiæ Iudicum iampridem esse præclusos. Omnia igitur ista concedam, & remittam: præuideo enim quid sit defensurus Hortensius. fatebitur apud istum neque senectutem patris, neque adolescentiam filii, neque lacrymas vtriusque plus valuisse, quàm vtilitatem, salutémque prouinciæ. dicet Rempub. administrari sine metu, ac seueritate non posse. quæret quamobrem fasces Prætoribus præferantur, cur secures datæ, cur carcer ædificatus, cur tot supplicia sint in improbos more maiorum constituta. quæ quum omnia grauiter, seueréque dixerit: quæram cur hunc eundem Apolloniũ Verres idem, repente, nulla noua re allata, nulla defensione, sine causa de carcere emitti iusserit: tantúmque in hoc crimine suspicionis esse affirmabo, vt iam ipsis Iudicibus sine mea argumentatione coniecturam facere permittam, quod hoc genus prædandi, quàm improbũ, quàm indignum, quámque ad magnitudinem quæstus immensum, infinitúmque esse videatur. nam quæ iste in Apollonio fecit, ea primùm breuiter cognoscite, quot & quanta sint: deinde hæc expédite, atque æstimate pecunia: reperietis idcirco hæc in vno homine pecunioso tot cõstituta, vt cæteris formidines similium incommodorum, atque exempla periculorum proponerentur.

CICERO. 496 Primùm insimulatio est repétina, capitalis, atque inuidiosi criminis. statuite quanti hoc putetis, & quàm multos redemisse. deinde crimen sine accusatore, sententia sine cõsilio, damnatio sine defensione. AEstimate harum rerum omniũ pretia: & cogitate in his iniquitatibus vnum hæsisse Apollonium, cæteros profectò multos ex his incõmodis pecunia se liberasse. postremò tenebræ, vincla, carcer, inclusum supplicium, atque à conspectu parentum, ac liberûm, denique à libero spiritu, & communi luce seclusum. Hæc verò, quæ vel vita redimi rectè possunt, æstimare pecunia nõ queo. hæc omnia serò redemit Apollonius, iam mœrore ac miseriis perditus: sed tamé cæteros docuit, antè istius auaritiæ, ac sceleri occurrere. nisi verò existimatis hominem pecuniosissimum sine aliqua causa quæstus iniectũ ad tam incredibile crimen, aut sine eadem causa repente è carcere emissum, aut hoc prædandi genus ab isto in illo vno adhibitum ac tentatum, & non per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositũ & iniectum. Cupio mihi Iudices ab illo subiici, quoniam de militari eius gloria dico, siquid fortè prætereo. nam mihi videor de omnibus iam rebus eius gestis dixisse, quæ quidem ad belli fugitiuorum pertinerent suspicionem: certè nihil sciens prætermisi. Habetis hominis cõsilia, diligentiam, vigilantiã, custodiam, defensionémque prouinciæ. Summa illuc pertinet, vt sciatis quoniam plura genera sunt Imperatorum, ex quo genere iste sit.

CICERO. 497 Ne diutius in tanta penuria virorum fortium talem Imperatorem ignorare possitis: non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad huius qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Pauli rationem ac disciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem, sed ad aliud genus Imperatorum sanè diligenter retinendum, & conseruandum, quæso cognoscite. Itinerum primùm laborem, qui vel maximus est in re militari Iudices, & in Sicilia maximè necessarius, accipite quàm facilem sibi iste, & iucundum ratione consilióque reddiderit. Primùm temporibus hybernis ad magnitudinem frigorũ, & ad tempestatum vim ac *fluminũ præclarum sibi hoc remedium cõparat. vrbem Syracusas elegerat: cuius hic situs, atque hæc natura esse loci cælique dicitur, vt nullus vnquã dies tam magna, turbulentáque tempestate fuerit, quin aliquo tempore solem eius diei homines viderent. Hic ita viuebat iste bonus Imperator hybernis mensibus, vt eum non facilè non modò extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret. ita diei breuitas conuiuiis, noctis longitudo stupris, & flagitiis conterebatur. Quũ autem ver esse cœperat, cuius initium iste non à Fauonio, neque ab aliquo astro notabat: sed quũ rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur: dabat se labori, atque itineribus: in quibus vsque eò se præbebat patientem, atque impigrum, vt eum nemo vnquam in equo sedentem videret. Nam vt mos fuit Bithyniæ Regibus, lectica octophoro ferebatur, in qua puluinus erat perlucidus Melitensi rosa farctus. Ipse autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo: reticulúmque ad nares sibi *apponebat tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ.

imbrium L. *admouebat*

HOTOM. *Retinendum & conseruandum, quæso cognoscite.* Deprauatus locus, & asterisci nota insigniendus.

Ad tempestatum uim ac fluminum. Vetus, Ac imbrium. itáque legitur in quibusdam impressis.

Hæc natura loci, cælique dicitur. Idem de Rhodo insula tradunt Plinius, & alii.

Non à Fauonio. Nam is ventus plurimum flat veris initio. Horatius libro tertio Carm,

Quid fles Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent Vere Fauonii.

Aut ab aliquo astro. Aquario. Astra enim hæc appellãtur. Varro libro de re Rustica primo, Dies primus est veris in Aquario: æstatis, in Tauro: Autumni, in Leone: Hyemis, in Scorpione. Et ibidem de Fauonio.

Reticulúmque ad nares sibi apponebat. Apud Nonium Marcellũ, in dictione Minutum, Ad nares admouebat. Nihil muto. sed tamen hoc modo loquutũ potius Ciceronẽ reperio. vt Tusc. III. Fasciculum ad nares admouebis? incendes odores? Etiam aliud argumentum. Iterum idem Nonius in dictione Reticulus, M. inquit, Tullius in Verrinis, Reticulúmque sibi ad nares admouebat. Et rursus in dictione Macula. postremò etiam in dictione Tenuis.

Sic confecto itinere, quũ ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica vsque ad cubiculũ deferebatur. eò veniebant Siculorum magistratus, veniebant Equites R. id quod ex multis iuratis audistis: controuersiæ secretò deferebantur: paulo pòst palàm decreta auferebãtur. Deinde vbi paulisper in cubiculo pretio, non æquitate iura descripserat: Veneri iam, & Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur. quo loco mihi non prætermittenda videtur præclari Imperatoris egregia, ac singularis diligentia. nam scitote esse oppidum in Sicilia nullum, ex iis oppidis, in quibus Prætores consistere & conuentum agere solent, quo in oppido nõ isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset. itaque nonnullæ ex eo numero in conuiuium adhibebantur palàm. siquæ castiores erant, ad tẽpus veniebãt, lucem conuentúmque vitabant. Erant autem conuiuia non illo silentio Prætorum, atque Imperatorum: neque eo pudore, qui in Magistratuũ conuiuiis versari solet: sed cum maximo clamore, atque cõuitio. nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. iste enim Prætor seuerus ac diligens, qui Populi R. legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat. Itaque erant exitus eiusmodi, vt alius inter manus è conuiuio, tanquam è prælio auferretur, alius tanquam occisus relinqueretur, plerique fusi sine mente, ac sine vllo sensu iacerent: quiuis vt, quum aspexisset, non se Prætoris cõuiuium, sed vt Cannensem pugnam nequitiæ videre arbitraretur. CICERO. 498

In quibus Prætores consistere, & conuentum agere solent. Conuentus ciuiũ R. erat, qui in prouinciis negotiabantur, & à Prætore, quum forum agere vellet, aduocabãtur. Ex quo quid sit Conuentum agere, intelligitur. Lucas in Actis, cap. 19, εἰ μὲν οὖν Δημήτριος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται πρός τινα λόγον ἔχουσιν, ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν. HOTOM.

Vt Cannensem pugnam. AEmylio Paulo, & Terentio Varrone COSS. & ducibus, cum maxima clade aduersus Annibalem ad Cannas pugnatum est, cæsáque eo prælio Romanorum XLV millia cum Paulo COS. & Senatoribus LXXX, Consularibus, atque Pratoriis, aut AEdilitiis XXX. Liuius.

Quum verò æstas summa esse iam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ semper Prætores in itineribus cõsumere consueuerunt, propterea quòd tum putant obeundã esse maximè prouinciam, quũ in areis frumẽta sunt, quòd & familiæ congregãtur, & magnitudo seruitii perspicitur, & labor operis maximè offenditur, & frumenti copia cõmonet, tempus anni nõ impedit: tum inquã, quũ cõcursant cæteri Prætores, iste nouo quodã ex genere Imperator, pulcherrimo Syracusarum loco statiua sibi castra faciebat: nam in ipso aditu, atque ore portus, vbi primùm ex alto sinus ad vrbem ab litore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocabat. huc ex illa domo Prætoria, quæ Regis Hieronis fuit, sic emigrabat, vt per eos dies nemo istum extra illum locum videre posset. In eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. huc omnes mulieres, quibuscũ iste consueuerat, conueniebant: quarum incredibile est quanta multitudo fuerit Syracusis. huc homines digni istius amicitia, digni vita illa, conuiuiisque veniebãt. Inter eiusmodi viros, ac mulieres adulta ætate filius versabatur: vt eum, etiamsi natura à parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen, ac disciplina patri similem esse cogeret. Huc Tertia illa perducta per dolum, atque insidias ab Rhodio tibicine, maximas in istius castris effecisse turbas dicitur, quũ indignè pateretur vxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier, itémque AEschrionis honesto loco nata, in cõuentum suum mimi Isidori filiam venisse. Iste autem Annibal, qui in suis castris virtute putaret oportere, nõ genere certari, sic hanc Tertiam dilexit, vt eam secum ex prouincia exportaret. CICERO. 499

Et labor operis maximè offenditur. Sensus nisi locus sit corruptus, hic est, Labores operariorum facillimè perspiciuntur: perspicuè deprehẽditur quantum suo labore operarii perficere possint. HOTOM.

Virgilius AEneidos 1,

dum quæ fortuna ſit vrbi,
Artificúmque manus inter ſe,operúmque labores Miratur.

Pulcherrimo Syracuſarum loco. Alii nonnulli Luco: & rectius. vt paulò infrà, Lucum illum litoris pererepare totum.

Carbaſeis intentis velis. Plinius libro x i x, cap.1, Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum,torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primùm Carbaſis repertis.

CICERO. 500 » Ac per eos dies,quũ iſte cum pallio purpureo,talaríque tunica verſaretur in conuiniis mulieribus,non offendebantur homines in eo,neque moleſtè ferebant abeſſe à foro magiſtratũ,non ius dici, non iudicia fieri:lucum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus, cantúque ſymphoniæ:in foro ſilentium eſſe ſummum cauſarum,atque iuris, non ferebant homines moleſtè:non enim ius abeſſe videbatur à foro,neque iudicia,ſed vis,& crudelitas, & bonorũ acerba atque indigna direptio.Hunc tu igitur Imperatorẽ eſſe defendis Hortenſi:huius furta, rapinas, cupiditatem,crudelitatem, ſuperbiam, ſcelus, audaciam,rerum geſtarum magnitudine, atque Imperatoriis laudibus tegere conaris?Hic ſcilicet eſt metuẽdum,ne ad exitum defenſionis tuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio,atque auctoritas proferatur:ne excitetur Verres,ne denudetur à pectore,ne cicatrices Populus R.aſpiciat,ex mulierum morſu veſtigia libidinis, atque nequitiæ. Dii faciant,vt rei militaris,vt belli mentionem facere audeas: cognoſcentur enim omnia iſtius æra illa vetera : vt non ſolùm in imperio, verumetiam in ſtipendiis qualis fuerit intelligatis.renouabitur prima illa militia.quũ iſte è foro abduci,non vt ipſe prædicat,perduci ſolebat.aleatoris Placẽtini caſtra commemorabuntur:in quibus quũ frequens fuiſſet, tamen ære dirutus eſt. multa eius in ſtipendiis damna proferentur, quæ ab iſto ætatis fructu diſſoluta, & compenſata ſunt. Iam verò quũ in eiuſmodi patientia turpitudinis, aliena nõ ſua ſatietate obduruiſſet,qui vir fuerit,quot præſidia,quàm munita pudoris& pudicitiæ,vi & audacia ceperit: quid me attinet dicere,aut coniungere cum iſtius flagitio cuiuſquam præterea dedecus?non faciam Iudices.

HOTOM. *Cum pallio purpureo,tunicáque talari.* Pallium Græcorum erat: Talaris tunica mulierum.quæ geſtare indignu Romanis hominib' exiſtimabatur.idémque ipſum & Catilinæ & Antonio Tullius obiecit:& rurſus huic ipſi paulo pòſt pag.523.Hoc didicimus ex Gellio,apud quẽ tamẽ mendum eſſe ſuſpicamur. Is libro v i i,cap. x i i,ſcribit his verbis,Tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vſque in primores manus, ac propè in digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. fœminiſque ſolis veſtem lungè latéque diffuſam indecere exiſtimauerunt, ad vlnas cruràque aduerſus oculos protegenda. Indecere autem pro Decere nouè dixit.in Aldino enim libro ſic legitur. Et poſtea, Viri autem Romani primò quidem ſine tunicis,toga ſula amicti fuerunt:poſtea ſubſtrictas,& breues tunicas citra humerum deſinentes habebant.

Percrepare totum mulierum vocibus. Apud Noniũ Marcellum,in dictione Crepare,ſcriptum reperio, Muliebribus vocibus. Alii nunc antiquorũ codicum auctoritate hanc lectionem aut tueri, aut refutare poterunt.

Omnia iſtius æra illa vetera. Adoleſcentibus Romanis moris fuit ad bellum vnà cum Imperatoribus proficiſci:& æra,id eſt ſtipendia merere,quæ militibus ſemeſtria,aut annua dabantur.

Perduci ſolebat. Quid ſit Perducere,& qui Perductores,dictum eſt libro Accuſat.1,pag.169.

Tamen ære dirutus eſt. AEre diruti dicebãtur, quibus ſtipendium propter ignominiam non dabatur,quòd AEs diruebatur in fiſcum,non in militis ſacculum. Varro, Nonius,& Feſtus. Senſus eſt autem per tranſlationem, Tametſi frequens eſſet in caſtris aleatoriis, vt ſtipendio priuandus non eſſet,tamen ære dirutus eſt,id eſt omnia alea perdidit. Et vide 169,libro 1.

Ab iſto ætatis fructu. Dum ætatis & corporis fructu vendito pecuniam conficeret.

CICERO 501 » Omnia vetera prætermittã.duo ſola recentia ſine cuiuſquam infamia ponã,ex quibus coniecturam facere de omnibus poſſitis: vnum illud, quod ita fuit illuſtre notúmque omnibus, vt nemo tam ruſticanus homo L. Lucullo, & M. Cotta c o s s. Romam ex vllo municipio vadimonii cauſa venerit, quin ſciret iura omnia Populi R. nutu, atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari:alterum,quòd quum paludatus exiſſet, votáque pro imperio ſuo,communíque Populi R. nuncupaſſet, noctũ ſtupri cauſa lectica in vrbem introferri ſolitus eſt ad mulierem,nuptam vni,propoſitam omnibus,contra fas,contra auſpicia,cõtra omnes diuinas atque humanas religiones. O dii immortales,quid intereſt inter mẽtes hominum,& cogitationes?ita mihi meam voluntatem, ſpémque reliquæ vitæ veſtrã, Populíque R. exiſtimatio comprobet, vt ego quos adhuc mihi magiſtratus Populus R. mandauit, ſic eos accepi, vt me omnium officiorum obſtringi religione arbitrarer. ita Quæſtor ſum factus, vt mihi honorem illũ tum non

solùm datum, sed etiam creditum, ac cõmissum putarem. sic obtinui Quæsturam in prouincia Sicilia, vt omnium oculos in me vnum coniectos arbitrarer: vt me, Quæsturámque meam quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimarem: vt omnia semper, quæ iucunda videntur esse, nõ modò his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ, ac necessitati denegarem.

L. Lucullo, M. Cotta COSS. Quo anno Romæ Præturam gessit. HOTOM.

Quum paludatus exisset, votáque pro imperio suo, cõmunique Populi R. nũcupasset. Imperatoris ad bellũ ituri ceremoniæ declarantur his Liuii verbis, quæ subiiciam, Per hos fortè dies P. Licinius COS. votis in Capitolio nũcupatis, paludatus ab vrbe profectus est. Semper quidem ea res cũ magna dignitate ac maiestate geritur, præcipuè conuertit oculos animósque, quũ ad magnum nobilémque aut virtute aut fortuna hostem, euntem COS. prosequuntur. Contrahit enim nõ officii modò cura, sed etiam studium spectaculi, vt videant ducem suum, cuius imperio consilióque summam R.P. tuendam permiserũt. Et libro eiusdem Decadis v, Consul proficiscens Prætórve paludatis lictoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor perpetrato eodem, in Capitolio triumphans, ad eosdem deos quibus vota nuncupauit, merita dona Populi R. traducit. Ex hoc autem Ciceronis loco intelligi potest, qua de causa magistratus quidam Ad vrbem dicerentur. Nam ex vrbe paludati exibant, sed dũ ad vrbem essent, ita dicebantur. de quo latius disputaui in Verrina Oratione II.

Sed etiam creditum, ac commissum. ~~Vtpote qui mihi eripi voluntate Populi R. posset.~~

His extraordinariis cupiditatibus. Extraordinariæ cupiditates dicuntur, quæ contrà atque modus & ordo vitæ flagitat, intemperanter & immoderatè conquiruntur: vt quum quis rebus Venereis vtitur, non vt naturæ necessitatique pareat, sed voluptatem nouã excogitat: vt Xerxes, qui præmium ei proposuisse dicitur qui nouam voluptatem inuenisset.

Nunc sum designatus AEdilis: habeo rationem quid à Populo R. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem Populo, plebíque R. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæq; esse faciundos: mihi sacrarũ ædium procurationem mihi totam vrbem tuendam esse cõmissam: ob eatum rerum laborẽ, & solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius, imagines ad memoriam, posteritatémque prodendam. Ex his ego rebus omnibus Iudices, ita mihi deos omnes propitios esse velim, vt tametsi mihi iucundissimus est honos Populi, tamen nequaquã tantum capio voluptatis, quantum solicitudinis & laboris, vt hæc ipsa AEdilitas, nõ quia necesse fuerit, alicui candidato data, sed quia sic oportuerit, rectè collocata, & iudicio Populi digno in loco posita esse videatur. Tu quũ esses Prætor renuntiatus quoquo modo (mitto enim, & prætereo quid tum sit actum) sed quum esses renuntiatus, vt dixi, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorũ, iuniorúmque centuriis illo honore affici pronũtiauit, vt hoc putares, aliquam Reip. partem tibi creditã: annum tibi illum vnum domo carendum esse meretricis: quũ tibi forte obtigisset vt ius diceres, quantum negotii, quid oneris haberes nunquam cogitasti: neque illud rationis habuisti, si fortè expergefacere te posses, eam prouinciam, quam tueri singulari sapientia, atque integritate difficile esset, ᵃad summam stultitiã, nequitiámque venisse. Itaque non modò domo tua Chelidonem in Prætura extrudere noluisti, sed in Chelidonis domum Præturam tuam totam detulisti. CICERO.

ᵃ ad summam stultitiam nequitiamque hominum venisse.

Nunc sum designatus AEdilis. Prior, vt in Orat. in Pisonem gloriatur. Erant enim duo AEdiles, Curules ex Curia dicti: quòd hi ex Patribus, id est Senatoribus erant. de quibus in tertio de Legibus sic scribit, Suntóque AEdiles curatores vrbis, annonæ, ludorúmque solennium: ollísque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto. Hi iurisdictionem quidem habebãt, quæ pars erat Prætoriæ: vt ait Vlpianus in l. Stipulationũ aliæ, D. de verb. oblig. & Iustinianus in parag. Proponebãt, De Iure nat. gent. & ciu. imperiũ verò nõ habebant. ex minoribus enim magistratibus erant, vt ex Liuio & Gellio intelligitur: quorũ alter prehendi, ducíque à maioribus magistratibus AEdilem scribit, alter à priuato in ius vocari. itáque Verrina II, pag. 149, sic scribit Tullius, Erit tum Consul Hortensius cum summo imperio & potestate: ego autem AEdilis, hoc est paulo amplius quàm priuatus. HOTOM.

Qui primi Romani sunt nominati. Hos L. Tarquinius instituit, primósque in Circo qui Maximus dicitur, dedit: bello cum Latinis fœliciter gesto, & Appiolis captis. Solénes deinde annui mansere ludi, primíque Romani sunt nominati. auctor Liuius.

Antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum. Non quo AEdiles sententiam primi rogarentur: sed Antiquiorem, quàm alii scilicet Senatores, priuati homines: ita tamen priuati, vt pedarii non essent, sed curulem aliquem magistratum antea gessissent. nam Pedarii sententiã in Senatu verbis non dicebant, sed in alienam sententiam pedibus ibant.

tus, imagines. Ius enim dicebant AEdiles de certis rebus,de quibus vide caput de AEdilitio edicto in Pādectis. Ex eodem iure dictæ quoque stipulationes AEdilitiæ sunt.quanquam,vt Iustinianus scribit,Ius AEdilitium iuris Prætorii pars quædam est. ideóque in l.stipulationem, D. de verb.oblig.& para.Prætoriæ,De diuis.stipu.lib.Inst.3,stipulationes AEdilitiæ Prætoriis stipulationibus continentur:nam & hæ,inquiunt, à iurisdictione Prætoris veniunt.

Imagines,ad memoriam posteritatémque prodendam. Dura oratio,Prodere posteritatem. Nonius Marcellus sic interpretatur,vt sit prætendere,propagare. citátque & hunc locum, & illud Virgilii, AEneidos I I I,

Italiam regeret,genus alto à sanguine Teucri Proderet.

Seniorum,iuniorúmque centuria. Nam quibus in comitiis Prætores & Consules creabantur, in iis comitiis populus non per tribus,sed ex censu,ordinibus, & ætate per centurias diuisus suffragium ferebat.vnde Centuriata comitia appellata sunt.

Sorte obtigisset vt ius diceres. Creati à populo Prætores,prouincias,id est procurationes inter se sortiebantur:cui Iurisdictio obuenerat,Prætor is vrbanus appellabatur: cæteri Quæsitores. Eam procurationem paulo pòst Prouinciam trāslato verbo appellat. Nam prouincias quoque Prætores olim inter se sortiebantur, antequā magistratum inirent, vt alio loco declarauimus. Sic pag.199,Nam vt Prætor factus est, qui auspicatò à Chelidone surrexisset, sortem nactus est vrbanæ prouinciæ.

Ad summam stultitiam nequitiámque venisse. Obscurus mihi locus.Fortasse sic scriptū erat,Ad summa stultitia nequitiáque hominem venisse.Quū autem vox Hominem, omissa esset, ablatiuus in accusandi casum facile mutatus est.

CICERO. 503 » Secuta prouincia est:in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi idcirco fasces, & secures,& tantam imperii vim, tantámque ornamentorum omnium dignitatem datam, vt earum rerum vi,& auctoritate omnia repagola iuris,pudoris,& officii perfringeres,vt omnium bona prædam tuam duceres, nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem & audaciam posset esse:in qua tu te ita gessisti, vt quū omnibus teneare rebus,ad bellum fugitiuorum confugias:ex quo iam intelliges,nō modò tibi nullam defensionem,sed maximam vim criminum exortā:nisi fortè Italici belli fugitiuorum reliquias, atque illud Thempsanum incommodū proferes: ad quod recens quū te peropportune fortuna obtulisset, siquid in te virtutis atque industriæ fuisset,idē qui semper fueras, inuentus es. Quum ad te Valentini venissent,& pro his homo disertus,& nobilis M.Marius loqueretur, vt negotium susciperes,vt,quū penes te Prætorium imperium ac nomen esset,ad illam par 39
uam manum extinguendam ducem te, principémque præberes: non modò id refugisti, sed eo ipso tempore,quū esses in littore,Tertia illa tua,quam tecum deportabas,erat in omnium conspectu. Ipsis autem Valentinis ex tam illustri nobilique municipio, tantis de rebus responsum nullum dedisti,quum esses cum tunica pulla & pallio. Quid hunc proficiscentem, quid in ipsa prouincia fecisse existimatis, qui quum iam ex prouincia non ad triumpbum, sed ad iudicium decederet, ne illam quidem infamiā fugerit, quam sine vlla voluptate capiebat? O diuina Senatus frequentis in æde Bellonæ admurmuratio. 40 41

HOTOM. *Illud Thempsanum incommodum.* Strabo & Plinius Temessam ab Lao primam esse vrbem Brutiæ tradunt, sua ætate dictā Tempsam. In eam Scipione & Sempronio C O S S. deductam esse coloniam Liuius auctor est, libro I I I Decadis tertiæ. Eam autem à fugitiuis qui post Spartaci necem reliqui facti sunt, populatam fuisse Cicero significat.

Quum ad te Valentini venissent. Hipponē esse non longè à Tempsa scribunt iidem, quos antè nominaui: quæ ipsorum ætate Vibona Valentia nominata sit. Hos Valentinos esse puto, Tempsanorum vicinos, de quibus loquitur.

In æde Bellonæ. Exterarum nationum legatis, quos in vrbem admittere nolebant, Senatus dabatur in æde Bellonæ. Sex. Pompeius. Animaduerti tamen etiam magistratibus qui ad Vrbem dicebātur, datum in eo templo Senatum. Liuius enim libro Decadis I I I octauo, de P. Scipione loquens, Ipse, inquit, decem nauibus Romam rediit. Et Senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, quas res in Hispania gessisset, disseruit. Et libro I X insequentis Decadis, Lucius, inquit, Manlius Proconsul ex Hispania redierat: cui postulanti ab Senatu in æde Bellonæ triumphum, rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat.

CICERO. 504 » Memoria tenetis Iudices, quū aduesperasceret, & paulo antè esset de hoc Thēpsano incommodo nuntiatum, quū inueniretur nemo, qui in illa loca cū imperio mitteretur, dixisse quendam, Verrē esse nō longè à Thempsa, quàm valde vniuersi admurmurarint, quàm palàm principes contradixerint. & is tot criminibus testimoniisque cōuictus, in eorum tabellis spem sibi aliquam ponit, quorum omnium palàm, causa incognita, voce damnatus est. Esto: nihil ex fu- 42

gitiuorum bello, aut suspicione belli laudis adeptus est, quòd neque bellum eiusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab isto prouisum est nequod esset. at verò contra bellum prædonum classem habuit ornatam, diligentiámque in eo singularem: itaque isto Prætore præclarè defensa prouincia est. Sic de bello prædonũ, sic de classe Siciliensi Iudices dicam, vt hoc iam antè confirmem, in hoc vno genere omnes inesse culpas istius maximas, auaritiæ, maiestatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. Hæc dum breuiter expono, quæso, vt fecistis adhuc, diligenter attendite. Rem naualem primùm ita dico esse administratam, non vti prouincia defenderetur, sed vt classis nomine pecunia quæreretur. Superiorum Prætorum cõsuetudo quũ hæc fuisset, vt naues ciuitatibus, certúsque numerus nautarum, militúmque imperaretur, maximæ, & locupletissimæ ciuitati Mamertinæ nihil horũ imperauisti. ob quã rem quid tibi Mamertini clàm dederint pecuniæ, pòst videbitur, ex ipsorũ literis, & testibus quæremus. Nauem verò Cybeam maximã, triremis instar, pulcherrimam, atque ornatissimam, palàm ædificatam sumptu publico, sciente Sicilia, per magistratũ, Senatũmque Mamertinũ, tibi datam, donatámque esse dico.

In eorum tabellis spem sibi aliquam ponit. Tabellas iudiciales dicit, quibus damnaturi erãt Verrem iidem ipsi qui eum voce tum damnarant. HOTOM.

Maiestati, dementiæ. Corrigendum videtur, Maiestatis deminutæ.

Nauem verò Cybeam. Vide suprà 419.

CICERO. 505
Hæc nauis onusta præda Siciliensi, quũ ipsa quoque esset ex præda, simul quũ iste decederet, appulsa Veliam est cum plurimis rebus, & iis quas antè Romam mittere cum cæteris furtis noluit, quòd erãt charissimæ, maximéque eum delectabãt. Eam nauem nuper egomet vidi Veliæ, multíque alii viderunt, pulcherrimam, atque ornatissimam Iudices, quæ quidem omnibus qui eam aspexerãt, prospectare iam exilium, atque explorare fugam domini videbatur. Quid mihi hoc loco respõdebis? nisi fortè id, quod tametsi probari nullo modo potest, tamen dici quidem in iudicio de pecuniis repetundis necesse est, de tua pecunia cõstare ædificatam esse eam nauem. Aude hoc saltem dicere, quod necesse est, noli metuere Hortensi, ne quæram qui licuerit ædificare nauem Senatori. antiquæ sunt istæ leges, & mortuæ, quemadmodũ tu soles dicere, quæ vetant. Fuit ista reprehensio quondam, fuit ista seueritas in iudiciis, vt istam rem accusator in magnis criminibus obiiciendam putaret. quid enim tibi naue opus fuit? qui si quò publicè proficiscereris, & præsidii, & vecturæ causa sumptu publico nauigia præberẽtur. priuatim autem nec proficisci quoquam potes, nec accersere res transmarinas ex iis locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet. Deinde cur quicquam contra leges parasti? valeret hoc crimen in illa veteri seueritate, ac dignitate Reipu. nunc nõ modò te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. Postremò tu tibi hoc nunquam criminosum, nunquam inuidiosum fore putasti, celeberrimo loco palàm tibi ædificari onerariam nauem in ea prouincia quam tu cum imperio obtinebas?

CICERO. 506
Quid eos loqui, qui videbant: quid existimare eos, qui audiebãt, arbitrabare? inanẽ te nauem esse in Italiam deducturum? nauiculariam te, quum Romã venisses, esse facturum? ne illud quidem quisquam poterat suspicari, te habere in Italia maritimũ fundum, & ad fructus deportandos onerariam nauem comparare. Eiusmodi de te voluisti sermonem esse omnium, palàm vt loquerentur, te illam nauem parare, quæ prædam ex Sicilia deportaret, & quæ ad ea furta, quæ reliquisses, commearet? Verùm hæc omnia, si doces nauem de tua pecunia ædificatam, remitto, atque concedo. sed hoc homo amentissime, non intelligis priore actione ab istis *ipsis tuis Mamertinis laudatoribus esse sublatum? nam dixit Heius princeps ciuitatis, princeps istius Legationis quæ ad tuam laudationem missa est, nauem tibi operis publicis Mamertinorum esse ædificatam, eíque faciendæ Senatorem Mamertinum publicè præfuisse. reliqua est materies: hanc Rheginis, vt ipsi dicunt, (tametsi tu negare non potes) publicè, quòd Mamertini materiem non habent, imperauisti. si, & ex quo fit nauis, & qui faciunt, imperio tibi tuo, non pretio præsto fuerunt: vbi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? At Mamertini in tabulis nihil habent. Primùm video potuisse fieri, vt ex ærario nihil darent: (etenim vel Capitolium sicut apud maiores nostros factum est, publicè gratis coactis fabris, operísque imperatis exædificari atque effici potuit) deinde *id, quod perspicio, & quod ostendam, quum istos produxero, ipsorum ex literis, multas pecunias isti erogatas in operum locationes falsas, atque inanes, esse perscriptas.

*ipsis Mamertinis tuis laudatoribus

*id quoque perspicio, quod & ostendam

Tuis Mamertinis laudatoribus. Scriptum opinor, Mamertinis tuis laudatoribus. HOTOM.

In tabulis nihil habent. Scriptum non habent, se tibi in sumptum pecunias dedisse.

Etenim vel Capitolium. In hanc sententiam Liuius libro primo his verbis, Tarquinius, inquit, intentus perficiẽdo templo, fabris vndique ex Hetruria accitis, nõ pecunia solùm ad id publica est vsus, sed operis etiam ex plebe. qui quum haud paruus & ipse militũ adderetur labor, minus

tamen plebs grauabatur, se templa Deum exædificare manibus suis.

Deinde id quod perspicio & quod ostendam. Vetus, Deinde id quoque perspicio, quod & ostendã. itàque arbitror emendandum.

CICERO. 507 Nam illud minimè mirum est, Mamertinos, à quo sommnm beneficium acceperant, quem sibi amiciorem, quàm Populo R. esse cognouerant, eius capiti literis suis pepercisse. Sed si argumento est Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent: sit argumento, tibi gratis constare nauem, quia quid emeris, aut quid locaueris, scriptum proferre non potes. At enim idcirco nauem Mamertinis non imperasti, quòd sunt fœderati. Dii approbent. Habemus hominem in Fecialiũ manibus educatum, vnum, præter cæteros, in publicis religionibus fœderum sanctũ & diligentem. Omnes qui ante te Prætores fuerunt, dedantur Mamertinis, quòd iis nauem contra pactionem fœderis imperarint. sed tamen tu sancte homo, ac religiose cur Taurominitanis item fœderatis nauẽ imperasti? An hoc probabis, in æqua causa populorũ, sine pretio varium ius, & disparem cõditionem fuisse? quid, si eiusmodi esse hæc duo fœdera duorum populorũ Iudices doceo, vt Taurominitanis nominatim cautũ, & exceptum sit fœdere, ne nauẽ dare debeant: Mamertinis in ipso fœdere sanctũ, atque perscriptũ sit, vti nauẽ dare necesse sit: Istũ autem cõtra fœdus & Taurominitanis imperasse, & Mamertinis remisisse? Nũ cui dubiũ poterit esse, quin Verre Prætore plus Mamertinis Cybea, quàm Taurominitanis fœdus opitulatũ sit? recitẽtur fœdera. Isto igitur tuo, quemadmodũ ipse prædicas, beneficio: vt res indicat, pretio, atq; mercede, minuisti maiestatẽ Reip. minuisti auxilia Populi R. minuisti copias maiorũ virtute ac sapiẽtia cõparatas: sustulisti ius imperii, conditionẽ sociorũ, memoriã fœderis.

HOTOM. *In Fecialium manibus educatum.* Fecialium collegium à Numa Pompilio institutum est, qui de belli pacisque & fœderum iure consulerentur: itáque & ad eos de bello indicendo referebatur, & bellum ipsi pium verbis conceptis indicebant: fœderáque etiam sanciebant, in quibus siquid de quo ambigeretur, ortum esset, referri ad eos cõsueuerat. Varro de vita Populi R. Itaque bella & tardè, & nulla licentia suscipiebant: quòd bellum nullum, nisi pium, putabant geri oportere: & prius, quàm indicerent bellũ iis, à quibus iniurias factas sciebant, Feciales Legatos repetitum mittebant quatuor, quos Oratores vocabant.

Dedantur Mamertinis. Apposuè Dedãtur: verbo Fecialibus vsitato. Nam qui fœdus violarant, ii vt populo, cuius fœdus violarant, dederentur, Feciales postulabant. Varro de vita P. R. Si cuius Legati violati essent, quid fecissent, quamuis nobiles essent, vt dederentur ciuitati statuerunt: Fecialésque x x qui de his rebus cognoscerent, iudicarent & statuerent, cõstituerunt.

Plus Mamertinis Cybea. Id est, quadrata. vide suprà 419.

CICERO 508 Qui ex fœdere ipso nauem vel vsque ad Oceanũ, si imperassemus, sumptu, periculóq; suo armatam, atque ornatam mittere debuerunt: hi, ne in freto ante sua tecta & domos nauigarent, ne sua mœnia, portúsque defenderent, pretio abs te ius fœderis, & imperii conditionem emerunt. Quid censetis in hoc fœdere faciundo voluisse Mamertinos impẽdere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis ascriberetur, si id vllo modo possent à nostris maioribus impetrare: nam quum hoc munus imperaretur tã graue ciuitati: inerat nescio quomodo in illo fœdere societatis quasi quædam nota seruitutis. quod tum recentibus suis officiis, integra re, nullis Populi R. difficultatibus à maioribus nostris fœdere assequi nõ potuerunt, id nunc nullo nouo officio suo, tot annis pòst, iure imperii nostri quotãnis vsurpato, ac semper retento, summa in difficultate nauiũ, à C. Verre pretio assequuti sunt. At nõ hoc solum assequuti, ne nauẽ darent. ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in præsidio esset, te Prætore per trienniũ Mamertini dederunt? denique quũ ex s. c. itémque ex lege Terẽtia, & Cassia frumentũ æquabiliter emi ab omnibus Siciliæ ciuitatibus oporteret, id quoq; munus leue, atque cõmune Mamertinis remisisti. Dices frumentũ Mamertinos nõ debere. quomodo nõ debere? an vt ne venderẽt? nõ enim erat hoc genus frumenti ex eo genere quod exigeretur: sed ex eo quod emeretur. Te igitur auctore, & interprete, ne foro quidem, & cõmeatu Mamertini Populum R. iuuare debuerunt. quæ tandem ciuitas fuit quæ deberet? qui publicos agros arant, certũ est quid ex lege Censoria dare debeant.

HOTOM. *Ex lege Terentia & Cassia.* De ea libro III copiose dictum est.

Qui publicos agros arant. Septemdecim Siciliæ ciuitatũ, quæ bellum cum populo R. gesserunt, agri publicati sunt, iísque tamen redditi. Hi à Censoribus locari solebant ãtatoribus, tum Siculis, tum ciuibus R. qui certum frumenti numerum quotannis Populo R. soluerent: reliquum sibi haberent: id est, suis ciuitatibus colerent. Vide quæ de eo diximus in Orat. v, pag. 399.

CICERO. 509 Cur iis quicquã præterea ex alio genere imperauisti? Quid Decumani? nunquid præter singulas Decumas ex lege Hieronica debent? cur iis quoque statuisti, quantum ex hoc genere frumenti empti darẽt? qui sunt immunes, ii certè nihil debẽt. at iis nõ modò imperasti, verumetiã quo plus darent quàm poterãt, hæc sexagena millia modium, quæ Mamertinis remiseras, addi-

disti. Neque hoc dico, cæteris nó rectè imperatũ esse. Mamertinis, qui erant in eadẽ causa, & quibus superiores omnes Prætores, item vt cæteris, imperarãt, pecuniã ex s.c. & ex lege dissoluerant, bis dico non rectè remissum. Et vt hoc beneficiũ, quemadmodũ dicitur, trabali clauo figeret, cum cõsilio causam Mamertinorum cognoscit, & de cõsilii sententia Mamertinis se frumentũ non imperare pronuntiat. Audite decretũ mercenarii Prætoris ex ipsius cõmentario, & cognoscite quanta in scribẽdo grauitas, quanta in constituendo iure sit auctoritas. Recita commentariũ. Libenter ait se facere: itaque perscribit. quid, si hoc verbo non esses vsus, Libẽter: nos videlicet inuitum te quæstum facere putaremus: ac De cõsilii sententia: præclarũ recitari consilium Iudices audistis. Vtrum vobis cõsilium recitari tandem Prætoris videbatur, quũ audiebatis nomina, an prædonis improbissimi societas, atque comitatus: en fœderum interpretes, societatis pactores, religionis auctores. nunquam in Sicilia frumẽtum publicè est emptum, quin Mamertinis pro portione imperaretur, antequam hoc delectum, præclarúmque cõsilium iste dedit, vt ab his nummos acciperet, ac sui similis esset.

Quid Decumani. Decumanos appellat, non ipsos Publicanos qui Decumas emebant, sed aratores qui debebant. HOTOM.

Et vt hoc beneficium. Vetus codex, At vt hoc, &c.

Trabali clauo figeret. Ingenti & valido, quales sunt, quibus trabes coniunguntur. Nam per ridiculum transfertur ad ea quæ vehementer firmãtur ac stabiliuntur. Horatius Carminum 1.

Te semper anteit sæua necessitas,
Clauos trabaleis, & cuneos manu
Gestans ahena: nec seuerus
Vncus abest, liquidúmque plumbum.

Itaque tantum valuit istius decreti auctoritas, quantũ debuit eius hominis, qui, à quibus frumentum emere debuisset, iis decretum vẽdidisset. nam statim L. Metellus, vt isti successit, ex C. Sacerdotis, & Sex. Peducei instituto, ac literis frumẽtum Mamertinis imperauit. tũm illi intellexerunt, se id quod à malo auctore emissent, diutius obtinere nõ posse. Age porrò tu, qui te tam religiosum existimari voluisti, cur Taurominitanis frumẽtum, cur Netinis imperasti: quarũ ciuitatum vtraque fœderata est. ac Netini quidem sibi non defuerunt: nam simulac pronũtiasti, libẽter te Mamertinis quidem remittere, te adierũt, & eandem suam causam fœderis esse docuerunt, tu aliter decernere in eadem causa nõ potuisti: pronuntias, Netinos frumentũ dare nõ oportere: & ab his tamen exigis. cedo mihi eiusdẽ Prætoris literas, & rerũ decretarũ frumenti imperati, & rerũ decretarum tritici empti. quid potius in hac tanta, ac tam turpi inconstantia suspicari possumus Iudices, quàm id, quod necesse est, aut isti à Netinis pecuniã, quum posceret, non datam: aut id esse actũ, vt intelligerẽt Mamertini, bene se apud istum tam multa pretia, ac munera collocasse, quũ idem alii iuris ex eadem causa nõ obtinerent: hic mihi etiam audebit mentionẽ facere Mamertinæ laudationis, in qua quàm multa sint vulnera, quis est vestrũ Iudices quin intelligat: Primùm vt in iudiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quàm illum quasi legitimũ numerum consuetudinis non explere. tot in Sicilia ciuitates sunt, quibus tu per triennium præfuisti: arguunt cæteræ: paucæ & paruæ metu repressæ silent: vna laudat.

A malo auctore emissent. Auctor dicitur is, à quo quis ius in rem quampiã titulo aliquo nactus est: vt pro empto, pro donato, & si qui sunt generis eiusdem. Quod nomẽ ab auctionibus deductum opinor, in quibus is rem aufert, qui maximè pretium auxit. vnde etiam Auctoritas verbum declinatum est, de quo in Orat. pro Cæcina explicauimus. Nam quod vtrunque verbum sine c plerique scribunt, id eos præter veterum consuetudinem facere tum ex antiquis monimentis intelligitur, in quibus c litera semper adiecta est: tum ex Valerii Probi notis antiquis, qui A V C. pro Auctor notari solitum testatur. Hoc igitur Orator dixit [illegible]. Nam quæ res a malo auctore accepta est, ea iure ciuili per verum dominum nullo negotio aufertur. HOTOM.

Primum vt in iudiciis. Vt, particula meo iudicio vacat.

Hoc quid est, nisi intelligere, quid habeat vtilitatis vera laudatio? sed tamẽ ita Verres prouinciæ præfuisti, vt hac vtilitate necessariò tibi sit carẽdũ. Deinde, id quod alio loco antè dixi, quæ est ista tandẽ laudatio, cuius laudationis Legati principes & publicè tibi nauẽ ædificatã, & priuatim seipsos abs te spoliatos, expoliatósque esse dixerũt? Postremò quid aliud isti faciũt, quũ te soli ex Sicilia laudãt, nisi testimonio nobis sunt, te õnia sibi esse largitũ, quæ tu de Rep. nostra detraxeris? quæ colonia est in Italia tã bono iure, quod tã immune municipiũ, quod per hos annos tã commoda vacatione sit vsum omniũ rerum, quàm Mamertina ciuitas per trienniũ: soli, ex fœdere quod debuerũt, non dederunt: soli isto Prætore omniũ rerũ immunes fuerunt: soli in istius CICERO.

expilatósque

Iste quasi præda sibi aduecta, nō prædonibus captis, siqui senes, aut deformes erant, eos in hostium numero ducit: qui aliquid formæ, ætatis, artificiíque habebant, abducit omnes: nōnullos scribis suis, filio, cohortíque distribuit, symphoniacos sex cuidā amico suo Romam muneri misit. Nox illa tota exinanienda naui cōsumitur. archipiratam ipsum videt nemo: de quo supplicium sumi oportuit: hodiéque omnes sic habent persuasum (quid eius sit, vos coniectura quoque assequi debetis) istum clàm à piratis ob hunc archipiratam pecuniam accepisse. cōiectura bona est. Iudex esse bonus nemo potest, qui suspicione certa non mouetur. hominem nostis, consuetudinémque omnium tenetis: qui ducem prædonū aut hostium ceperit, quàm libenter eum palàm ante oculos omnium esse patiatur. Hominem in tanto conuentu Syracusis vidi neminem Iudices, qui archipiratam captum vidisse se diceret, quū omnes, vt mos est, vt solet fieri concurrerent, quærerent, videre cuperēt. Quid accidit, cur tantopere iste homo occultaretur, vt eum ne casu quidē quisquā aspicere posset? homines maritimi Syracusis, qui sæpe istius ducis nomen audissent, sæpe timuissent, quū eius cruciatu, atque supplicio pascere oculos, animúmque exaturare vellent: potestas aspiciēdi nemini facta est. Vnus plures prædonū duces viuos cepit P. Seruilius, quàm omnes antea. ecquando igitur isto fructu quisquā caruit, vt videre piratā captum non liceret? At contrà, quacunque iter fecit, hoc iucundissimum spectaculum omnibus vinctorum captorúmque hostium præbebat. itaque ei concursus vndique fiebāt, vt non modò ex his oppidis, quà ducebantur, sed etiam ex finitimis visendi causa cōuenirent. Ipse autem triūphus quamobrem omnium triumphorum gratissimus Populo R. fuit, atque iucundissimus? quia nihil est victoria dulcius. CICERO.

Symphoniacos sex. Omnes & manuscripti & impressi veteres, Symphoniacos homines sex. à quorum auctoritate sine causa discedere non ausim. HOTOM.

Vt mos est, ut solet fieri. Postremum è margine sumptum videtur, & ab indoctis librariis cum veris germanísque verbis contextum.

Homines maritimi. Alii, opinor, omnes, Homines Mamertini: quod perspicuè falsum est. quū de Mamertinis nunquam nisi inuidiosè & maledicè loquatur. nam Mamertini legationē, quemadmodum sæpe antea dictum est, laudandi Verris causa miserant.

Nullum est autem testimoniū victoriæ certius, quàm, quos sæpe metueris, eos te vinctos ad supplicium duci videre. Hoc tu quamobrē nō fecisti? quamobrē ita iste pirata cælatus est, quasi eum aspicere nefas esset? quamobrē suppliciū non sumpsisti? quā ob causam hominē reseruasti? ecquē audisti in Sicilia antea captū archipiratā, qui nō securi percussus sit? vnū cedo auctorē tui facti: vnius profer exemplū. viuum tu archipiratā seruabas, quem per triumphū credo, quē ante currū tuū duceres: neque enim quicquā erat iam reliquū, nisi vt classe Populi R. pulcherrima amissa, prouinciáq; lacerata, triūphus naualis tibi decerneretur. Age porrò, custodiri ducē prædonū nouo more, quàm securi feriri omniū exēplo magis placuit. Quæ sunt istæ custodiæ? apud quos homines? quemadmodū est asseruatus? Lautumias Syracusanas omnes audistis, plerique nostis. opus est ingens, magnificū, Regum, ac tyrannorū: totum est ex saxo in mirandā altitudinē depresso, & multorū operis penitus exciso. nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septū vndique, nihil tam tutū ad custodias nec fieri, nec cogitari potest. in has Lautumias, siqui publicè custodiendi sunt, etiā ex cæteris oppidis Siciliæ deduci imperātur. eò quòd multos captiuos ciues R. cōiecerat, & quòd eòdem cæteros piratas cōtrudi imperarat: intellexit, si hūc subdititiū archipiratā in eandem custodiā dedisset, fore, vt à multis illis in Lautumiis verus ille dux quæreretur. itaque hominem huic optimæ tutissimæque custodiæ non audet committere. denique Syracusas totas timet. amandat hominem: quo? Lilybæum fortasse? video: tamen homines maritimos non planè reformidat. minimè Iudices. CICERO.

Lautumias Syracusanas omnes audistis. Latomias, legendum potius existimarem; ἀπὸ τοῦ λᾶς καὶ τέμνειν; vnde Latomi etiam nominati, qui lapides excidūt. Et sic apud Varronem scriptum reperio, libro de Lingua IIII, Quod, inquit, Syracusis vocantur Latomiæ, & de Latomia translatum, quòd hic quoque in eo loco lapidicinæ fuerunt. Et apud Sex. Pompeium, Latumias, inquit, ex Græco, & maximè à Syracusanis, qui Latomias & appellant, & habent ad instar carceris ex quibus locis excisi sunt lapides ad extruendam vrbem. Itaque λιθοτομίας Thucydides appellat, libro VII extremo, sic scribens; τοὺς μὲν ἄλλους ἀθηναίους, καὶ τῶν ξυμμάχων ὁπόσους ἔλαβον, κατεβίβασαν ἐς τὰς λιθοτομίας, ἀσφαλεστάτην εἶναι νομίσαντες τὴν τήρησιν. Paucis autem pòst versibus locum describit his verbis, quæ non inutile fuerit subiicere. τοὺς δ' ἐν ταῖς λιθοτομίαις οἱ συρακούσιοι χαλεπῶς τοὺς πρώτους χρόνους μετεχείρισαν. ἐν γὰρ κοίλῳ χωρίῳ ὄντας, πολλοὺς οἵ τε ἥλιοι τὸ πρῶτον καὶ τὸ πνῖγος ἔτι ἐλύπει, διὰ τὸ ἀστέγαστον. καὶ αἱ νύκτες ἐπιγιγνόμεναι τοὐναντίον μετοπωριναὶ, καὶ ψυχραὶ τῇ μεταβολῇ ἐς ἀσθένειαν ἐνεωτέριζον. πάντα τε ποιούντων αὐτῶν διὰ στενοχωρίαν ἐν τῷ αὐτῷ. καὶ προσέτι τῶν νεκρῶν ὁμοῦ ἐπ' ἀλλήλοις ξυννενημένων οἳ ἔκ τε τῶν τραυμάτων, καὶ διὰ τὴν μεταβολὴν, καὶ τὸ τοιοῦτον ἀπέθνησκον. καὶ ὀσμαὶ ἦσαν, οὐκ ἀνεκτοί. quem locū sic conuertimus, Eos verò qui in Latomiis erant, Syracusani pri- HOTOM.

múm duriter & acerbè tractabant. Quū enim in loco illo concauo frequentes essent, primùm quidem sol & æstus eos offendebát, quod locus apertus esset, ac sine tecto. Noctes autē insequentes, quæ Autumnales erant & frigidæ, noua & contraria ratione propter mutationem morbos inducebant. Eò accedebat, quòd propter loci angustias ibidem omnia facere, & naturæ necessitati parere cogebantur. quinetiā cadauera eorum qui aut ex vulneribus, aut propter illam aeris mutationem, aut simili quapiam de causa mortem obierant, simul cōgesta & coaceruata erant. Ex quo quidem odoris intolerabilis fœditas consequebatur.

CICERO. 516 Panormū igitur? audio: quanquam Syracusis, quoniam in Syracusano captus erat, maximè si minus supplicio affici, ac custodiri oportebat. ne Panormū quidem. Quid igitur? quò putatis? ad homines à piratarum metu, & suspicione alienissimos, à nauigando, rebúsque maritimis remotissimos, ad Centuripinos, homines maximè mediterraneos, summos aratores, qui nomen nunquam timuissent maritimi prædonis, vnum te Prætore horruissent Apronium terrestrem archipiratā. & vt quiuis facilè perspiceret, id ab isto actum esse vt ille suppositus facilè & libenter se illū, qui non erat, esse simularet: imperat Centuripinis, vt is victu cæterísque rebus quàm liberalissimè, commodissiméque habeatur. Interea Syracusani, homines periti & humani, qui non modò ea, quæ perspicua essent, videre, verumetiam occulta suspicari possent: habebant rationem omnes quotidie piratarū, qui securi ferirentur: quàm multos esse oporteret, ex ipso nauigio, quod erat factum sex remorum numero, coniiciebant. iste quòd omnes, qui artificii aliquid habuerant, aut formæ, remouerat, atque abduxerat: reliquos si, vt cōsuetudo est, vniuersos ad palum alligasset, clamorem populi fore suspicabatur, quum tanto plures abducti essent, quàm relicti. Propter hanc causam quum instituisset alios alio tempore producere: tamen in tanto conuentu nemo erat quin rationem numerúmque haberet, & reliquos non desideraret solùm, sed etiam posceret & flagitaret.

CICERO. 517 Quum maximus numerus deesset, tum iste homo nefarius in eorum locum, quos domum suā de piratis abduxerat, substituere & supponere cœpit ciues R. quos in carcerem antea coniecerat: quorum alios Sertorianos milites fuisse insimulabat, & ex Hispania fugiētes, ad Siciliam appulsos esse dicebat: alios, qui à prædonibus erant capti, quū mercaturas facerent, aut aliquam ob causam nauigarent, sua voluntate cum piratis fuisse arguebat. Itaque alii ciues R. ne cognoscerentur, capitibus obuolutis è carcere ad palum, atque ad necem rapiebantur. alii, quū à multis ciuibus R. recognoscerētur, ab omnibus defenderētur, securi feriebātur. quorum ego de acerbissima morte, crudelissimóque cruciatu dicam, quum eum locū tractare cœpero: & ita dicam, vt si me in ea querimonia, quam sum habiturus de istius crudelitate, & de ciuium R. indignissima morte, non modò vires, verumetiam vita deficiat, id mihi præclarum & iucundum putem. Hæc igitur est gesta res, hæc victoria præclara: myoparone piratico capto, dux liberatus: symphoniaci Romam missi: formosi homines & adolescētes, & artifices domum abducti: in eorum locum, & ad eorum numerū ciues R. hostilem in modū cruciati & necati: omnis vestis ablata: omne aurum & argentum & ablatum & auersum. At quemadmodum ipse sese induit priore actione? qui tot dies tacuisset, repente in M. Annii hominis splendidissimi testimonio quum is ciues R. dixisset, & archipiratam negasset securi esse percussum, exiluit, conscientia sceleris, & furore ex maleficiis concepto excitatus: dixit se, quòd sciret sibi crimini datum iri, pecuniam accepisse, neque de vero archipirata sumpsisse supplicium, ideo securi nō percussisse: domi esse apud sese archipiratas dixit duos.

NOTON. *Alios Sertorianos milites.* Q. Sertorius à Sylla proscriptus, in vlteriore Hispania bellum ingens excitauit, plurimásque ciuitates in potestatem suam redegit. Metellum & Perpennā cum duobus exercitibus prælio fudit, tandem octauo ducatus sui anno à M. Antonio & M. Perpenna aliisque coniuratis in conuiuio interfectus est, magnus dux, & aduersus duos Imperatores, sæpe par. Liuius, Plutarchus, Appianus.

Aut aliquam ob causam nauigarent. Vetus, Aliquam aliam ob causam. & puto rectius.

Quemadmodum sese induit. Irretiuit, illaqueauit. Similiter libro Accusat. 1 s, Videte porrò aliam dementiam: videte, vt, dum expedire sese vult, induat.

CICERO. 518 O clementiam populi R. seu potius patientiā miram, ac singularem. Ciuem R. securi esse percussum Annius eques R. dicit: taces. Archipiratā negat: fateris. Fit in eo gemitus omnium, & clamor. quū tamen à præsenti supplicio tuo se cōtinuit Populus R. & repressit, & salutis tuæ rationē iudicū seueritati reseruauit. Quî sciebas tibi crimini datū iri? quamobrem sciebas? quamobrem etiā suspicabare? inimicū habebas neminē. si haberes, tamen nō ita vixeras, vt metū iudicii propositū habere deberes. an te, id quod fieri solet, cōscientia timidū, suspiciosúmque faciebat? Qui igitur, quū esses in imperio, iam tum iudiciū, & crimē horrebas: reus quū tot testibus coarguare, potes de damnatione dubitare? Verùm si crimen hoc metuebas, ne quis abs te suppositum esse diceret, qui pro archipirata securi feriretur: vtrum tandem tibi ad defensionem firmius

fore putasti, in iudicio coactu atque efflagitatu meo producere ad ignotos tanto post eum, quem archipiratam esse diceres, an recenti re, Syracusis apud notos, inspectante Sicilia penè tota, securi ferires? Vide quid intersit, verum faciendum fuerit. in illo reprehensio nulla esse potuit: hic defensio nulla est. Itaque illud semper omnes fecerût: hoc quis ante te, quis præter te fecerit, quæro. Piratam viuum tenuisti: quem ad finem? dum cum imperio fuisti: quãobrem? quam ob causam? quo exemplo? cur tandiu? cur inquã ciuibus R. quos piratæ ceperant, securi statim percussis, ipsis piratis lucis vsuram tam diuturnam dedisti? Verùm esto: sit tibi illud liberum omne tempus quod cum imperio fuisti: etiámne priuatus? etiámne reus? etiámne penè damnatus hostium duces priuata in domo retinuisti?

HOTOM. *Quid igitur quum esses in imperio.* Qui igitur, quũ esses in imperio? alii, opinor, omnes. In imperio autem, vt Cum imperio Latinè dicimus. Cicero de Finib. 1. Virginem filiã sua manu occidit, potius quàm ea P. Clodii libidini, qui tum erat summo in imperio, dederetur.

Producere ad ignotos. Dixi iam anteà priore actione, Notos & Ignotos, de vtrisque dici: & qui nu runt, & qui noti sunt: qui ignorant, & qui ignorantur.

CICERO. 519 Vnum, alterum mensem, propè annum denique domi tuæ piratæ, à quo tempore capti sunt, quoad per me licitum est, fuerunt, hoc est quoad per M. Acilium Glabrionem licitũ est: qui postulante me, produci atque in carcerem condi imperauit. Quod est huiusce rei ius? quæ consuetudo? quod exemplum? ne hostem acerrimum atque infestissimum populi R. seu potius communem hostem gentium nationúmque omnium quisquam omnium mortalium priuatus intra mœnia domi suæ retinere poterit? quid, si pridie quàm à me tu coactus es cõfiteri ciuibus R. securi percussis prædonum ducem viuere, apud te habitare: si inquam pridie domo tuã profugisset; si aliquam manũ contra populum R. facere potuisset, quid diceres? Apud me habitauit: mecum fuit: ego illum ad iudicium meum, quo facilius crimẽ inimicorum diluere possem, viuum atque incolumem reseruaui. Itáne verò tu tua pericula communi periculo defendes? tu supplicia, quæ debentur hostibus victis, ad tuum, non ad populi R. tempus conferes? populi R. hostis priuatis custodiis asseruabitur? at etiam qui triumphant, eóque diutius viuos hostium duces seruant, vt his per triumphum ductis pulcherrimum spectaculum fructúmque victoriæ populus R. percipere possit: tamen, quũ de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent: idémque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit. Est nunc, credo, cuiquam dubium, quin tu id commissurus nõ fueris: præsertim quum statuisses, vt ais, tibi causam esse dicendam, vt ille archipirata non potius securi feriretur, quàm quod erat ante oculos positum, tuo periculo viueret.

Est nunc credo cuiquam dubium.

HOTOM. *Est nunc, credo, cuiquam dubium.* Omnes libri veteres, Et nunc credo esse dubium. quod si sine antiqui auctoritate codicis immutandum putarem, impudens viderer.

CICERO. 520 Si enim esset mortuus: tu, qui crimen ais te metuisse, quæro cui probares: quum constaret istum Syracusis ab nullo visum esse archipiratam, ab omnibus desideratum: quum dubitaret nemo quin abs te pecunia liberatus esset: quum vulgo loquerentur, suppositum in eius locum quem pro illo probare velles: quum tutè fassus esses, te id crimen tanto antè metuisse: si eum diceres esse mortuum, quis te audiret? Nunc quum viuum istum nescio quẽ produces, tamẽne id credi voles? Quid si aufugisset, si vincla rupisset, ita vt Nico ille nobilissimus pirata fugit, quẽ P. Seruilius, qua felicitate ceperat, eadem recuperauit: quid diceres? Verũ hoc erat: si ille semel verus archipirata securi percussus esset, pecuniam illam nõ haberes: si hic falsus esset mortuus, aut profugisset, non esset difficile alium in suppositi locum supponere. Plura dixi, quàm volui de illo archipirata: & tamen ea, quæ certissima sunt huius criminis argumenta, prætermisi: volo enim mihi totum esse crimen hoc integrum. est certus locus, certa lex, certum tribunal, quò hoc reseruetur. Hac tanta præda auctus, mancipiis, argento, veste locupletatus, nihilo diligentior ad classem ornandam, milites reuocandos alendósque esse cœpit, quũ ea res non solùm prouinciæ saluti, verumetiam ipsi prædæ esse posset: nam æstate summa, quo tempore cæteri Prætores obire prouinciam, & concursare consueuerunt, aut etiam in tanto prædonum metu, & periculo ipsi nauigare, eo tẽpore ad luxuriã, libidinésque suas domo suã regia, quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores vti solent, contentus non fuit: tabernacula, quemadmodum consueuerat temporibus æstiuis, quod anteà iam demonstraui, carbaseis intẽta velis collocari iussit in litore: quod est litus in insula Syracusis post Arethusæ fontẽ, propter ipsum introitum, atque ostium portus, amœno sanè, & ab arbitris remoto loco.

HOTOM. *Tamẽne id credi voles?* Hanc scripturam quanuis nullius, quem quidem viderim, codicis auctoritate confirmatam, sentẽtia tamen apertè comprobat. quũ in aliis libris vitiosè sic legatur, Tamen te derideri vides: quo nihil absurdius dici potest.

Hic dies æstiuos sexaginta Prætor Populi R. custos defensórque prouinciæ sic vixit, vt mulie

bria quotidie conuiuia essent, vir accumberet nemo præter ipsum, & prætextatum filium. tametsi rectè sine exceptione dixeram, virum, quū isti essent, neminem fuisse. nonnunquam etiam libertus Timarchides adhibebatur: mulieres autem nuptæ nobiles, præter vnā mimi Isidori filiam, quam iste propter amorē ab Rhodio tibicine abduxerat, Pippa quædā, vxor AEschrionis Syracusani; de qua muliere plurimi versus, qui in istiûs cupiditatē facti sunt, tota Sicilia percelebrantur. Erat Nice facie eximia, vt prædicatur, vxor Cleomenis Syracusani. Hanc Cleomenes vir amabat, veruntamen huius libidini aduersari nec poterat, nec audebat: & simul ab isto donis, beneficijsque plurimis deuinciebatur. Illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia quam nostis, ipse tamen, quum vir esset Syracusis, vxorem eius parum poterat animô soluto ac libero *tot in acta dies secum habere. Itaque excogitat rem singularem. naues, quibus Legatus præfuerat, Cleomeni tradit: classi Populi R. Cleomenem Syracusanum præesse iubet atque imperat. hoc eo facit vt ille non solùm abesset à domo, tum quum nauigaret: sed etiam libenter cum magno honore beneficióque abesset: ipse autem remoto atque ablegato viro, non liberius quam antè (quis enim vnquam istius libidini obstitit?) sed paulo solutiore tamen animo secum illam haberet, si non tanquam virum, & tanquam æmulum remouisset.

HOTOM. *Vxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere.* Sensum non video: nisi fortè sic corrigamus, Totos in lecto dies, &c.

CICERO. 522 Accipit nauem sociorum, atque amicorum Cleomenes Syracusanus. Quid primū aut accusem, aut querar Iudices? Siculóne homini Legati, Quæstoris, Prætoris denique potestatem, honorem, auctoritatem dari? si te impediebat ista conuiuiorū mulierúmque occupatio: vbi Quæstores? vbi Legati? vbi ternis denariis æstimatum frumētum? vbi muli? vbi tabernacula? vbi tot tantáque ornamenta magistratibus & Legatis à Senatu populóque R. permissa & data? denique vbi præfecti & Tribuni tui? si ciuis R. dignus isto negotio nemo fuit, quid ciuitates quæ in amicitia fidéque populi R. perpetuò manserāt? vbi Segestana, vbi Centuripina ciuitas, quæ tum officiis, fide, vetustate, tum etiam cognatione populi R. nomen attingunt? O dii immortales. quid, si harum ipsarum ciuitatum militibus, nauibus, Nauarchis Syracusanus Cleomenes iussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis, officiique sublatus est? ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis sociis, Syracusanis hostibus vteremur? atque hæc omnia ad memoriā vetustatis, non ad cōtumeliam ciuitatis referri volo. Itaque ille vir clarissimus summúsque Imperator M. Marcellus, cuius virtute captæ, misericordia conseruatæ sunt Syracusæ, habitare in ea parte vrbis, quæ insula est, Syracusanum neminem voluit. hodie inquam Syracusanum in ea parte habitare nō licet: est enim locus quem vel pauci possunt defendere. Committere igitur eum non fidelissimis hominibus voluit: simul quòd ab illa parte vrbis nauibus aditus ex alto est. Quamobrem qui nostros exercitus sæpe excluserant, iis claustra loci committenda non existimauit.

HOTOM. *Legati potestatem.* Dixi iam semel ac sæpius, Legatos cum potestate eos esse, qui ab Imperatore cum potestate imperatoria alicui prouinciæ ac negotio præfecti sunt.

Prætorū denique potestatem. Ita probo: quum in aliis corruptè scriptum sit, Populi R. Error autem ex notæ ignorantia natus est: quum P.R. pro vtroque vocabulo scriberentur. Idem apud Cæsarem libro de bello ciuili 1, acciderat: vt diximus pag. 345.

vbi muli? vbi tabernacula? Liuius lib. XLII, Ante L. Posthumiū COS. nemo vnquàm sociis in vlla re sumptui aut oneri fuit: ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, nequid tale imperarent sociis. priuata hospitia habebant, ea benignè comitérque colebant: domúsque eorū Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diuerti mos esset.

Tum etiam cognatione. De hoc superiore libro dictum est pag. 446.

CICERO 523 Vide quid intersit inter tuā libidinem, maiorúmque auctoritatē: inter amorē furorémque tuum, & illorū consiliū atque prudentiam. illi aditum litoris Syracusanis ademerūt: tu maritimum imperiū concessisti. illi *habitari in eo loco Syracusanū, quò naues accedere possent, noluerunt: tu classi & nauibus Syracusanū præesse voluisti. quibus illi vrbis suæ partē ademerūt, iis tu nostri imperii partem dedisti: & quorum sociorū opera Syracusani nobis dicto audiētes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse iussisti. Egreditur Cēturipina quadriremi Cleomenes è portu: sequitur Segestana nauis, Tyndaritana, Herbitensis, Heracliensis, Apolloniēsis, Haluntina: præclara classis in speciem, sed inops, & infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. Tandiu in imperio suo classem iste Prætor diligens vidit, quandiu conuiuium eius flagitiosissimū prætervecta est. ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectum nautis paulisper dedit. stetit soleatus Prætor populi R. cum pallio purpureo, tunicáque talari, muliercula nixus in litore. iam hoc ipso istū vestitu Siculi ciuésq; R. permulti sæpe viderūt. Posteaquam paulum prouecta classis est, & Pachynū quinto die denique appulsa

*habitare

est: nantæ fame coacti, radices palmarum agrestium, quarũ erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebãt, & his miseri, perditíque alebantur. Cleomenes autem, qui alterum se Verrem cum luxuria, atque nequitia, tum etiam imperio putaret, similiter totos dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat.

Habitari in eo loco Syracusanum. Vetus, Habitare. & sic puto corrigendum: vt infrà pag. 528. HOTOM.

Soleatus Prætor. Soleæ, crepidæ sunt muliebres, quibus plantarum calces tantùm infimè teguntur: cæteris propè nudis & teretibus habenis vinctis. Gerebantur in ipso feruore æstatis: at viros, præsertim belli duces atque Imperatores tales mulierum deliciæ minus decere existimabantur. Vide Gellium libro XIII, cap. XX. De pallio & tunica paulo antè explicatum est. Plutarchus in Antonio φαικάσια soleas videtur appellare. [illegible] Id est, Ob eas causas Græcos conuiuio excepit, & Athenis gymnasii magistrum egit: relictísque domi Magistratus insignibus, & acceptis gymnasiarcharum virgis, cum pallio & soleis in publicũ prodiit.

Ecce autem repente, ebrio Cleomene, esurientibus cæteris, nuntiatur piratarum naues esse in portu Edissæ: nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachyni. Cleomenes autem, *quòd erat terrestre præsidium non re, sed nomine, sperabat iis militibus, quos ex eo loco deduxisset, explere se numerum nautarum & remigum posse. Reperta est eadem istius hominis auarissimi ratio in præsidiis, quæ in classibus: nam erant perpauci reliqui, cæterique dimissi. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malũ erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperauit: & simul, vt se cæteri sequerentur, signum dari iussit. Hæc Centuripina nauis erat incredibili celeritate velis: nam scire isto Prætore nemo poterat quid quæque nauis remis facere posset: etsi in hac quadriremi propter honorem & gratiam Cleomenis minimè multi remiges & milites deerant. Euolarat iam è conspectu ferè fugiens quadriremis, quũ etiam tunc cæteræ naues suo in loco moliebantur. erat animus in reliquis: quanquam erant pauci, quoquo modo sese res habebat, pugnare tamẽ se velle clamabãt, & quod reliquum vitæ, ^b virúmque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant. Quòd si Cleomenes nõ tanto antè fugisset, aliqua tamen ad resistendum ratio fuisset: erat enim sola illa nauis cõstrata, & ita magna, vt propugnaculo cæteris posset esse: quæ si in prædonum pugna versaretur, vrbis instar habere inter illos piraticos myoparones videretur. sed tunc inopes relicti à duce præfectóque classis, eundem necessario cursum tenere cœperunt. Pelorum versus, vt ipse Cleomenes, ita cæteri nauigabant. CICERO. 524 *quòd ibi erat b virúmque

Quod erat terrestre præsidium. Sententia postulare videtur, Quòd ibi erat. HOTOM.

Præcidi ancoras imperauit. Ancoræ, inquit Nonius, vincula quibus antennæ tenentur. quod ex Lucilio comprobat.

Quod reliquum vitæ virúmque fames fecerat. Omnes alii, Viriúmque. & sic emendá.

Erat enim sola illa nauis constrata. Id est, tecta. quod infrà intelligitur, pag. 530, his verbis, Poterón e in eos esse vehemens, qui naues inanes non modò habuerunt, sed etiam apertas? In eum dissolutus, qui solus habuerit constratam nauem, & minus exinanitam? Sic Hircius de bello Alexandrino, Magnóque impetu quatuor ad eam cõstratæ naues, & complures apertæ contenderunt, cui coactus est Cæsar ferre subsidium.

Neque ita tamen tam prædonũ fugiebant impetum, quàm Imperatorem sequebantur. tum vt quisque in fuga postremus, ita periculo princeps erat: postremam enim quanque nauem piratæ primam adoriebantur. ita prima Haluntinorum nauis capitur: cui præerat Haluntinus homo nobilis Philarchus: quem ab illis prædonibus Locrenses postea publicè redemerunt: ex quo vos priore actione iurato rem omnem causámque cognostis. deinde Apolloniensis nauis capitur, & eius præfectus Anthropinus occiditur. Dum hæc agũtur, interea Cleomenes iam ad Pelori litus peruenerat, iam sese in terram è naui eiecerat, quadriremémque in salo fluctuantem reliquerat. reliqui præfecti nauium, quum in terram Imperator exisset, quũ ipsi neque repugnare, neque mari effugere vllo modo possent, appulsis ad Pelorum nauibus Cleomenẽ persequuti sunt. tunc prædonum dux Heracleo, repentè, præter spem, non sua virtute, sed istius auaritia nequitiáque victor, classem pulcherrimam Populi R. in litus expulsam & eiectã, quum primùm aduesperasceret, inflãmari incendíque iussit. O tempus miserũ atque acerbũ prouinciæ Siciliæ: ô casum illum multis innocẽtibus calamitosum atque funestũ: ô istius nequitiam, ac turpitudinẽ singularem. Vna atque eadẽ nox erat, qua Prætor amoris turpissimi flamma, ac classis Populi R. prædonum incendio conflagrabat. Affertur nocte intempesta grauis huiusce mali nuntius Syracusas: curritur ad Prætoriũ, quò istum è conuiuio illo præclaro reduxerant paulo antè mulieres cum cãtu atque symphonia. Cleomenes, quanquã nox erat, tamẽ in publico esse nõ audet, includit se domi: neque aderat vxor, quæ consolari hominem in malis posset. CICERO. 525

Huius autem præclari imperatoris ita erat seuera domi disciplina, vt in re tãta, in tam graui CICERO. 526

nũtio nemo admitteretur,nemo eſſet,qui auderet aut dormientẽ excitare,aut interpellare vigilantem.Iam verò,re ab omnibus cognita,concurſabat vrbe tota maxima multitudo:non enim ſicut anteà conſuetudo erat,prædonum aduentum ſignificabat ignis è ſpecula ſublatus,aut tumulo:ſed flamma ex ipſo incendio nauium & calamitatem acceptã,& periculum reliquũ nuntiabat.Quum Prætor quæreretur,& conſtaret ei neminem nuntiaſſe:fit ad domũ eius cum clamore concurſus,atque impetus.tum iſte excitatus exit:audit rem omnẽ ex Timarchide:ſagum ſumit.Lucebat iam ferè:procedit in medium,vini,ſomni,ſtupri plenus.excipitur ab omnibus eiuſmodi clamore,vt ei Lampſaceni periculi ſimilitudo verſaretur ante oculos.hoc etiã maius hoc videbatur,quòd in odio ſimili multitudo hominũ hæc erat maxima.tum iſtius acta cõmemorabãtur, tum flagitioſa illa cõuiuia:tum appellabãtur à multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipſo palàm,tot dies continuos,per quos nunquã viſus eſſet,vbi fuiſſet,quid egiſſet.tũ Imperator ab iſto præpoſitus Cleomenes flagitabatur: neque quicquã propius eſt factum,quàm vt illud Vticenſe exemplum de Adriano transferretur Syracuſas,vt duo ſepulcra duorũ Prætorũ improborũ,duabúſque in prouinciis conſtituerẽtur. Verum habita eſt à multitudine ratio temporis,habita eſt tumultus,habita etiam dignitatis,exiſtimationíſque communis, quòd is eſt conuentus Syracuſis ciuium R. vt non modò illa prouincia, verumetiam hac Rep.digniſſimus exiſtimetur.

HOTOM. *Lampſaceni periculi ſimilitudo.* Vide librum Accuſa.1,pag.184.vbi & illud de Adriano dictum eſt.

CICERO. 527 Confirmant ipſi ſe, cum is etiam tum ſemiſomnis ſtuperet: arma capiunt: totum forum atque inſulam,quæ eſt vrbis magna pars, complent. Vnam illam ſolam noctem prædones ad Pelorum commorati,quũ fumãtes etiam noſtras naues reliquiſſent,accedere incipiunt ad Syracuſas.Qui videlicet ſæpe audiſſent nihil eſſe pulchrius quàm Syracuſarum mœnia ac portus:ſtatuerant ſeſe,ſi ea Verre Prætore non vidiſſent,nunquam eſſe viſuros.Ac primò ad illa æſtiua Prætoris accedunt,ipſam illam ad partem litoris,vbi iſte per eos dies tabernaculis poſitis caſtra luxuriæ collocarat.quem poſteaquam inanem locum offenderunt, & Prætorem cõmouiſſe ex eo loco caſtra ſenſerunt: ſtatim ſine vllo metu in portum ipſum penetrare cœperunt. Quum in portum dico Iudices (explanandum eſt enim diligentius eorum cauſa, qui locum ignorant)in vrbem dico,atque in vrbis intimam partem veniſſe piratas: non enim portu illud oppidum clauditur,ſed vrbe portus ipſe cĩgitur,& concluditur:non vt alluantur à mari mœnia extrema,ſed influat in vrbis ſinum portus.hic te Prætore Heracleo archipirata cum quatuor myoparonibus paruis ad arbitrium ſuum nauigauit.

CICERO. 528 Prò dii immortales,piraticus myoparo, quum imperium populi R.nomen, ac faſces eſſent Syracuſis,vſque ad forũ & ad omnes vrbis crepidines acceſſit: quò neque Carthaginenſiũ glorioſiſſimæ claſſes,quum mari plurimum poterant,multis bellis ſæpe conatæ,vnquam aſpirare potuerunt:neque populi R.inuicta ante te Prætorem gloria illa naualis, vnquam tot Punicis, Siciliẽſibúſque bellis penetrare potuit:qui locus eiuſmodi eſt,vt antè Syracuſani in mœnibus ſuis,in vrbe,in foro hoſtem armatum,ac victorem,quã in portu vllam hoſtiũ nauem viderent, hic te Prætore prædonum nauiculæ peruagatæ ſunt,quò Athenienſium claſſis ſola poſt hominum memoriam CCC nauibus vi,ac multitudine inuaſit:quæ in eo ipſo portu,loci ipſius, portúſque natura victa, atque ſuperata eſt.hic primum opes ipſius ciuitatis victæ, comminutæ,depreſſæque ſunt:in hoc portu Atheniẽſium nobilitatis,imperii, gloriæ naufragiũ factum exiſtimatur.Eóne pirata penetrauit,quò ſimul atque adiſſet,non modò à latere, ſed etiam à tergo magnã partem vrbis relinqueret?Inſulam totam præteruectus eſt:quæ eſt vrbis magna pars Syracuſis ſuo nomine,ac mœnibus.quo in loco maiores(vt antè dixi) Syracuſanum quenquam habitare vetuerunt,quòd, qui illam partem vrbis teneret, in eorum poteſtatem portum futurum intelligebant. At quemadmodum eſt peruagatus? radices palmarum agreſtium,quas in noſtris nauibus inuenerat, iaciebat: vt omnes iſtius improbitatem, & calamitatem Siciliæ poſſent cognoſcere.Siculóſne milites,aratorúmne liberos, quorũ patres tãtum labore ſuo frumẽti exarabãt,vt Populo R.totiq; Italiæ ſuppeditare poſſent:eóſne in inſula Cereris natos,vbi primũ fruges inuẽtæ eſſe dicũtur,eo cibo eſſe vſos,à quo maiores eorũ cæteros quoque frugib⁹ inuẽtis remouerũt?te Prætore Siculi milites palmarum ſtirpibus, prædones Siculo frumẽto alebantur.

HOTOM. *Quò Athenienſium claſſis ſola poſt hominum memoriam CCC nauibus vi ac multitudine inuaſit.* Athenienſium cum Syracuſanis bellum ſcribit Thucydides lib. VI,& VII. Sed Cicero nauiũ numerum oratoriè protulit:quũ Thucydides libro VII extremo, vbi nauale prælium deſcribit, quod extremum in portu Syracuſarum commiſſum eſt, & quo Athenienſium claſſis victa ac ſuperata eſt,vtriuſque claſſis numerum paulominus ducentarum nauium fuiſſe affirmet.

Opes ipſius ciuitatis victæ. Illius ciuitatis,vetus & quidam impreſſi. quod valde probo,vt ciuitatem Athenienſium demonſtret.

CICERO. 529

O ſpectaculum miſerum, atque acerbum: ludibrio eſſe vrbis gloriam, populi R. nomen, hominum conuentu, atque multitudine, piratico myoparone, in portu Syracuſano de claſſe populi R. triumphum agere piratam, quũ Prætoris nequiſſimi, inertiſſimique oculos prædonum remi reſpergerent. Poſteaquam è portu piratæ non metu aliquo affecti, ſed ſatietate exierant: tum cœperũt quærere homines cauſam illius tantæ calamitatis: dicere omnes, & palàm diſputare, minimè eſſe mirandum ſi militibus remigibúſque dimiſſis, reliquis egeſtate & fame perditis, Prætore tot dies cum mulierculis perpotante, tanta ignominia & calamitas eſſet accepta. Hæc autem iſtius vituperatio, atque infamia cõfirmabatur eorũ ſermone, qui à ſuis ciuitatibus illis nauibus præpoſiti fuerant: qui ex illo numero reliqui, Syracuſas claſſe amiſſa refugerant. Dicebant, quos ex ſua quiſque naui miſſos ſciret eſſe. res erat clara: neque ſolũ argumentis, ſed etiam certis teſtibus iſtius audacia tenebatur. homo certior fit, agi nihil in foro & cõuentu toto die, niſi hoc quæri à nauarchis, quemadmodum claſſis eſſet amiſſa: illos reſpõdere, & docere vnumquenque, miſſione remigum, fame reliquorũ, Cleomenis timore, & fuga. Quod poſteaquã iſte cognouit, hanc rationem habere cœpit. cauſam ſibi dicendam eſſe ſtatuerat iam ante, quàm hoc vſu veniſſet, ita vt ipſum priore actione dicere audiſtis. videbat, illis nauarchis teſtibus, tantum hoc crimen ſuſtinere ſe nullo modo poſſe: conſilium capit primò ſtultum, verũtamen clemens: Cleomenẽ & nauarchos ad ſe vocari iubet: veniunt. accuſat eos, quòd huiuſmodi de ſe ſermones habuerint: rogat, vt id facere deſiſtant, & in ſua quiſque naui dicat ſe tantũ habuiſſe nautarum, quantum oportuerit, neque quenquam eſſe dimiſſum.

HOTOM.

Quum hoc uſu uenerit. Veniret, ſententia poſtulat. Hoc autem Aſconius Verrina quarta interpretatur, Contingeret.

CICERO. 530

Illi enimuero ſe oſtendunt, quod vellet, eſſe facturos. Iſte non procraſtinat: aduocat amicos ſtatim: quærit ex his ſigillatim, quot quiſque nautas habuerit. Reſpondit vnuſquiſque, vt erat præceptũ. Iſte in tabellas refert: obſignat ſignis amicorum prouidens homo, vt contra hoc crimẽ, ſiquãdo opus eſſet, hac videlicet teſtificatione vteretur. Deriſum credo eſſe hominẽ amentẽ à ſuis conſiliariis, & admonitum, haſce ei tabulas nihil profuturas, etiam plus ex nimia Prætoris diligentia ſuſpicionis in eo crimine futurum. Etiã iſte erat hac ſtultitia multis in rebus vſus, vt publicè quoque, quæ vellet, in ciuitatum literis & tolli, & referri iuberet. quæ omnia nũc intelligit ſibi nihil prodeſſe, poſteaquam certis literis, teſtibus, auctoritatibúſque cõuincitur. Vbi hoc videt, illorum confeſſionem, teſtificationem ſuam, tabellas ſibi nullo adiumento futuras: init conſilium nõ improbi Prætoris (nam id quidem eſſet ferendũ) ſed importuni atque amentis tyranni. ſtatuit, ſi hoc crimen extenuare vellet (nam omnino tolli poſſe nõ arbitrabatur) nauarchos omnes teſtes ſui ſceleris vita eſſe priuãdos. Occurrebat illa ratio: Quid Cleomeni fiet? poterõne animaduertere in eos, quos dicto audiẽtes eſſe iuſſi? miſſum facere eum, cui imperium poteſtatémque permiſi? poterõne eos afficere ſupplicio, qui Cleomenem ſequuti ſunt? ignoſcere Cleomeni, qui ſecum fugere, & ſe cõſequi iuſſit? poterõne in eos eſſe vehemens, qui naues inanes non modò habuerunt, ſed etiam apertas? in eum diſſolutus, qui ſolus habuerit conſtratam nauem, & minus exinanitam?

CICERO. 531

Pereat Cleomenes vnà. vbi fides? vbi execrationes? vbi dextræ, complexúſque? vbi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatiſſimo litore? Fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat. dicit ei, ſe ſtatuiſſe animaduertere in omnes nauarchos, ita ſui periculi rationes ferre, ac poſtulare. Tibi vni paream: & totius iſtius culpæ crimen, vituperationémque incõſtantiæ potius ſuſcipiam, quàm aut in te ſim crudelis, aut tot, tam graues teſtes viuos, incolumẽſque eſſe patiar. Agit gratias Cleomenes: approbat conſiliũ: dicit, ita fieri oportere. admonet tamẽ illud, quod iſtum fugerat, in Phalargum Centuripinum nauarchũ non poſſe animaduerti, propterea quòd ſecum fuiſſet vnà in Centuripina quadriremi. Quid ergo? iſte homo ex eiuſmodi ciuitate, adoleſcens nobiliſſimus, teſtis relinquetur? in præſentia, inquit Cleomenes: quoniã ita neceſſe eſt: ſed pòſt aliquid videbimus, ne iſte nobis obſtare poſſit. Hæc poſteaquam acta, & conſtituta ſunt: procedit iſte repente è Prætorio inflammatus ſcelere, furore, crudelitate, in forum venit, nauarchos vocari iubet. qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim accurrunt. iſte hominibus miſeris innocentibúſque inicci catenas imperat. implorare illi fidem populi R. &, quare id faceret, rogare. Tunc iſte hoc cauſæ dicit, quòd claſſem prædonibus prodidiſſent. fit clamor, & admiratio populi, tantam eſſe in homine impudentiam atque audaciam, vt aut aliis cauſam calamitatis attribueret, quæ omnis propter auaritiam ipſius accidiſſet: aut, quum ipſe prædonum ſocius putaretur, aliis proditionis crimen inferret: deinde hoc quintodecimo die crimen eſſe natum, poſtquam claſſis eſſet amiſſa.

CICERO. 532

Quum hæc fierent: quærebatur vbi eſſet Cleomenes: non quo illum ipſum, cuiuſmodi eſſet, quiſquam ſupplicio propter illud incommodum dignum putaret: nam quid Cleomenes fa-

L' Cleomenes mag.fac.potuit. cere potuit (non enim poſſum quenquam inſimulare falſò) quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere, iſtius auaritia nauibus exinanitis? atque eum vident ſedere ad latus Prætoris, & ad aurem familiariter, vt ſolitus erat, inſuſurrare. Tum verò omnibus indigniſſimum viſum eſt, homines honeſtiſſimos, electos ex ſuis ciuitatibus, in ferrum atque in vincla cōiectos, Cleomenem propter flagitiorum ac turpitudinis ſocietatē familiariſſimū eſſe Prætoris. Apponitur his tamē accuſator Næuius Turpio quidam, qui C. Sacerdote Prætore iniuriarum damnatus eſt, homo bene appoſitus ad iſtius audaciam: quem iſte in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia præcurſorem habere ſolebat, & emiſſarium. Veniunt Syracuſas parētes, propinquíque miſerorum adoleſcentium, hoc repentino calamitatis ſuæ commoti nuntio: vinctos aſpiciunt catenis liberos ſuos, quum iſtius auaritiæ pœnam collo & ceruicibus ſuis ſuſtinerent: adſunt, defendunt, proclamant: fidem tuam, quæ nuſquam erat, nec vnquam fuit, implorant. pater aderat Dexio Tyndaritanus homo nobiliſſimus, hoſpes tuus, cuius tu domi fueras, quem hoſpitem appellaras. eum quum illa auctoritate & miſeria videres præditū, non te eius lacrymæ, non ſenectus, non hoſpitii ius atque nomen à ſcelere aliquam ad partem humanitatis reuocare potuit.

HOTOM. *Cuiuſmodi eſſet.* Cuiuſmodi, pro Cuiuſcunque modi: vt in Epiſt. ad Marcellū, Cogitandū tibi tamen eſſet, Romæne & domi tuæ, cuiuſmodi res eſſet, an Mityleneis aut Rhodi malles viuere.

Quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere. Quid potuit dici cōcinnius? At ſi Quintiliani verba ſpectemus, alium ordinem conſeruauit. Sic enim libro Inſtit. I X ſcribit, Interim ſententia quidem repetitur, ſed eodem verborum ordine. Quid Cleomenes facere potuit, (non enim poſſum q.i.f.) quid inquam Cleomenes magnopere facere potuit?

CICERO. 533 Sed quid ego hoſpitii iura in hac tam immani bellua commemoro? qui Sthenium Thermitanum hoſpitem ſuum, cuius domum per hoſpitium exhauſit & exinaniuit, abſentem in reos retulerit, cauſa indicta capite damnarit: ab eo nunc hoſpitiorum iura, atque officia quæramus? cum homine enim crudeli nobis res eſt, an cum fera atque immani bellua? te patris lacrymæ de innocentis filii periculo non mouebant? quum patrem domi reliquiſſes, filium tecum haberes: te neque præſens filius de liberorum charitate, neque abſens pater de indulgentia patria cōmonebat? Catenas habebat hoſpes tuus Ariſteus, Dexionis filius. quid ita? prodiderat claſſem. quod ob præmium? deſeruerat exercitum. quid Cleomenes? ignauus fuerat: at eum tu ob virtutem corona aurea donaras. dimiſerat nautas: at ab omnibus tu mercedem miſſionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitenſis Eubulida, homo domi ſuæ clarus & nobilis: qui quia Cleomenem in defendendo filio læſerat, nudus penè eſt deſtitutus. Quid erat autem, quod quiſquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare nō licet: at cauſa cogit. moriere, ſi appellaris: nunquam enim iſte eſt cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. Prætorem tu accuſas? frange ceruicem. ſi neque Prætorem, neque Prætoris æmulū appellare licebit: quum in his duobus tota cauſa ſit, quid futurum eſt? Dicit etiā cauſam Heraclius Segeſtanus, homo domi ſuæ ſūmo loco natus. Audite, vt veſtra humanitas poſtulat Iudices: audietis enim de magnis incommodis, iniuriíſque ſociorum.

CICERO. 534 L'eum Hunc ſcitote fuiſſe Heraclium in ea cauſa, qui propter grauem morbum oculorum tum nō nauigauerit, & iuſſu eius qui poteſtatem habuit, in commeatu Syracuſis remanſerit. Iſte certè neque prodidit claſſem, neque metu perterritus fugit, neque exercitum deſeruit: etenim tunc eſſet hoc animaduerſum, quum claſſis Syracuſis proficiſcebatur. is tamen in eadem cauſa fuit, quaſi eſſet in aliquo manifeſto ſcelere deprehenſus, in quem ne falſò quidem cauſa conferri criminis potuit. Fuit in illis nauarchis Heracliēſis quidam Furius (nam habent illi nonnulla huiuſcemodi Latina nomina) homo, quandiu vixit, domi ſuæ, non ſolùm poſt mortem tota Sicilia clarus & nobilis. in quo homine tantum animi fuit, nō ſolùm vt iſtum liberè læderet (nam id quidem, quoniam moriendum videbat, ſine periculo ſe facere intelligebat) verū morte propoſita, quum lacrymans in carcere mater noctes diéſque aſſideret, defenſionem cauſæ ſuæ ſcripſit: quam nunc, nemo eſt in Sicilia quin habeat, quin legat, quin tui ſceleris & crudelitatis ex illa oratione cōmonefiat, in qua docet, quot à ciuitate ſua nautas acceperit, quot & quanti quēque dimiſerit, quot ſecū habuerit: item de cæteris nauibus dicit. quæ quū apud te diceret, virgis oculi verberabantur. Ille morte propoſita, facile dolorem corporis patiebatur. clamabat, id quod ſcriptum reliquit, facinus eſſe indignum, plus impudiciſſimæ mulieris apud te de Cleomenis ſalute, quàm de ſua vita lacrymas matris valere.

HOTOM. *In commeatu Syracuſis remanſerit.* Vetus liber, Cum commeatu.

CICERO. 535 Deinde etiam illud video eſſe dictum, quod, ſi rectè vos populus R. cognouit, non falſò Ille iam in ipſa morte de vobis prædicauit: non poſſe Verrem teſtes interficiendo crimina ſua extinguere: grauiorem apud ſapientes iudices ſe fore ab inferis teſtem, quàm ſi viuus in iudicium

produceretur: tum auaritiæ solum, si viueret: nunc, quò ita esset necatus, sceleris, audaciæ, crudelitatis testem fore: iam illa præclara, non testium modo cateruas, quum tua res ageretur, sed cum à diis manibus innocentium pœnas, sceleratorúmque furias in tuum iudicium esse venturas: sese ideo leuiorem casum suum fingere, quòd iam ante aciem securium tuarum, Sestiique tui carnificis vultum, & manum vidisset, quum in conuentu ciuium R. iussu tuo securi ciues R. ferirentur. Ne multa Iudices, libertatem quam vos sociis dedistis, hac ille in acerbissimo supplicio miserrimæ seruitutis abusus est. Condemnat omnes de consilii sententia: tamen neque iste in tanta re, tot hominum, tótque ciuium causa P. Vectium ad se accersit Quæstorem suum, cuius consilio vteretur, neque P. Ceruium talem virum Legatum, qui, quia Legatus isto Prætore in Sicilia fuit, primus ab isto iudex reiectus est: sed de latronum, hoc est de comitum suorū sententia condemnat omnes. Hic cuncti Siculi fidelissimi, atque antiquissimi socii, plurimis affecti beneficiis à maioribus nostris, grauiter commouentur, & de suis periculis, fortunisque omnibus pertimescunt: illam clementiam, mansuetudinémque nostri imperii in tantam crudelitatem, inhumanitatémque esse conuersam: condemnari tot homines vno tempore nullo crimine: defensionem suorum furtorum Prætorem improbum ex indignissima morte innocentium quærere.

Nihil addi iam videtur Iudices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatémque posse: & recte nihil videtur, nam si cum aliorum improbitate certet, longè omnes, multúmque superabit: sed secū ipse certat: id agit, vt semper superius suum facinus nouo scelere vincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum esse à Cleomene, quòd in eius quadriremi Cleomenes vectus esset: tamen quia pertimuerat adolescens, quòd eandem suam causam videbat esse, quam illorū qui innocentes peribant, ad hominē accedit Timarchides: à securi negat esse ei periculū: virgis ne cæderetur, monet vt caueat. Ne multa: ipsum dicere adolescentē audistis, se ob hūc virgarum metum pecuniam Timarchidi numerasse. Leuia sunt hæc in hoc reo crimina. metum virgarum nauarchus nobilissimæ ciuitatis pretio redemit: humanum: alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: vsitatum est. non vult populus R. obsoletis criminibus accusari Verrem: noua postulat, inaudita desiderat: non de Prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fieri iudicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati: supplicium constituitur in illos, sumitur de miseris parentibus nauarchorum: prohibentur adire ad filios suos, prohibentur liberis suis cibum, vestitúmque ferre. Patres hi, quos videtis, iacebant in limine, matrésque miseræ pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberûm exclusæ: quæ nihil aliud orabant, nisi vt filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris, mors, terrórque sociorum, & ciuium, lictor Sestius: cui ex omni gemitu, doloréque certa merces comparabatur, Vt adeas, tantum dabis: vt cibum tibi introferre liceat, tantum: nemo recusabat. quid, vt vno ictu securis afferam mortem filio tuo?

Humanum: alius, ne condemnaretur. Apud Quintilianum libro IX, Humanum est.

Vestitúmque ferre liceat. Alii libri Introferre. Veruntamen apud Nonium Marcellum in dictione Ferrè, hanc lectionem offendimus.

Nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret. Quintil. lib. IX, cap. extremo, Sicut illud, Ore spiritum excipere liceret: si iungas, lasciui carminis est: sed interpunctis quibusdam, & tribus quasi initiis, fit plenum auctoritatis. Quibus ex verbis perspicuum est, ita illum hunc locum legisse, vt vocem Ore, interponeret: quo in loco diu, multúmque addubitauimus, donec apud Nonium Marcellum in dictione Excipere, sic scriptum offendimus, Filiorum extremum spiritum ore excipere liceret: & postea apud Seruium in quartum AEneidos.

Vt cibum tibi introferre liceat, tantum: nemo recusabat. Apud Quintilianum hoc modo, Vt cibum vestitúmque introferre liceat, tantum. recusabat nemo. Et sanè sic antea loquutus est, vt de vestitu etiam mentionem faceret.

Aderat ianitor carceris, carnifex Prætoris. In eodem libro, eodem cap. legitur cum coniunctione, Et carnifex. sed hoc, quum ad rem nihil pertineret, negligentius ex memoria deprompsit. In lib. verò VIII, cap. IV, hunc locum integrum ita descripsit, vt cum recepta lectione consentiat.

Quid dabis, ne diu crucietur, ne sæpius feriatur, ne cū sensu doloris aliquo, aut cruciatu spiritus auferatur? etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur. O magnum, atque intolerandum dolorem: ò grauem, acerbámque fortunam: non vitam liberûm, sed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes: atque ipsi etiam adolescentes cum Sestio de eadē plaga, & de vno illo ictu loquebantur: idque postremum parentes suos liberi orabant, vt leuandi cruciatus sui gratia lictori pecunia daretur. Multi, & graues dolores inuenti parentibus & propinquis: multi. veruntamen mors sit extrema: non erit. éstne aliquid vltrà, quò progredi crudelitas possit, reperietur: nam illorum liberi quū erunt securi percussi ac necati, corpora feris obii-

Marginal notes: CICERO. 536 — b. humanū est. — b. ore excip. — b. vestitúmque — b. recusabat nemo. — HOTOM. — CICERO. 537

cientur. hoc si luctuosum est parenti, redimat pretio sepeliendi potestatem. Onasum Segestanum, hominem nobilem, dicere audistis, se ob sepulturam Heraclii nauarchi pecuniã Timarchidi dinumerasse. hoc ne possis dicere. Patres enim veniũt amissis filiis irati: vir primarius, homo nobilissimus dicit, neque de filio dicit. iam hoc, quis tum fuit Syracusis qui non audierit, quin sciat, has per Timarchidem pactiones sepulturæ cum viuis etiam illis esse factas? non palàm cum Timarchide loquebantur? non omnes hominum propinqui adhibebantur? non palàm viuorum funera locabantur? quibus rebus omnibus actis atque decisis, producuntur è carcere, & deligantur ad palum. Quis tam fuit illo tempore durus & ferreus, quis tàm inhumanus præter vnum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miseria commoueretur? ecquis fuit quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, vt fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur?

CICERO. 538 Feriuntur securi. lætaris tu in omnium gemitu, & triumphas: testes auaritiæ tuæ gaudes esse sublatos. Errabas Verres, & vehementer errabas, quũ te maculas furtorum & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare: præceps amentia ferebare, qui te existimares auaritiæ vulnera crudelitatis remediis posse sanare. etenim quanquam illi sunt mortui sceleris tui testes, tamen eorum propinqui neque tibi, neque illis desunt: tamen ex illo ipso numero nauarchorum aliqui viuunt; & adsunt: quos, vt mihi videtur, ab illorum innocentiũ pœna fortuna ad hanc causam reseruauit. Adest Philarchus Haluntinus: qui quia cũ Cleomene non fugit, oppressus à prædonibus & captus est: cui calamitas saluti fuit: qui nisi captus à piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. dicet is pro testimonio de missione nautarũ, de fame, de Cleomenis fuga. Adest Cẽturipinus Phalargus, in amplissima ciuitate amplissimo loco natus. eadem dicit: nulla in re discrepat. Per deos immortales Iudices, quo tandem animo fertis? aut hæc quemadmodum auditis? vtrum ego desipio, & plus, quàm satis opus est, doleo in tanta calamitate miseriáque sociorum: an vos quoque hic acerbissimus innocentium cruciatus & mœror pari sensu doloris afficit? ego enim quũ Herbitẽsem, quum Heracliensem securi esse percussũ dico, versatur mihi ante oculos indignitas calamitatis. Eorúmne populorũ ciues, eorúmne agrorum colonos, ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi Romanæ illorum operis ac laboribus quæritur, qui à parentibus spe nostri imperii nostræque æquitatis suscepti, educatique sunt, ad C. Verris nefariam immanitatem, & ad eius securem funestã esse seruatos?

CICERO. 539 Quum mihi Tyndaritani illius venit in mentem, quũ Segestani, tum iura simul ciuitatum atque officia considero quas vrbes P. Africanus etiam ornandas esse spoliis hostium arbitratus est, eas C. Verres non solum illis ornamentis, sed etiam viris nobilissimis nefario scelere priuauit. En quod Tyndaritani libenter prædicẽt, Nos in septemdecim populis Siciliæ nõ eramus: nos semper in omnibus Punicis, Siciliensibúsque bellis amicitiã fidémque populi R. secuti sumus: à nobis omnia populo R. semper & belli adiumenta, & pacis ornamenta administrata sunt. Multum verò hæc his iura profuerunt in istios imperio ac potestate. vestros quondã nautas contra Carthaginem Scipio duxit, at nunc naues contra prædones penè inanes Cleomenes ducit. Vobiscum Africanus hostiũ spolia, & præmia laudis communicauit. at nunc per me spoliati, naue à prædonibus abducta, ipsi in hostium numero, locóque ducemini. Quid verò illa Segestanorum non solum literis tradita, neque commemorata verbis, sed multis officiis illorum vsurpata & comprobata cognatio, quos tandem fructus huiusce necessitudinis in istius imperio tulit? Nempe hoc fuit iure iudices, vt ex sinu patris nobilissimus adolescens, & è complexu matris ereptus innocens filius istius carnifici Sestio dederetur. cui ciuitati maiores nostri maximos agros atque optimos concesserunt, quam immunem esse voluerunt: hæc tanta apud te cognationis, fidelitatis, vetustatis auctoritate ne hoc quidem iuris obtinuit, vt vnius honestissimi atque innocentissimi ciuis mortem & sanguinem deprecaretur.

HOTOM. *Quid verò illa Segestanorum non solùm literis tradita cognatio.* Pag. 446.

CICERO. 540 Quò confugient socii? quem implorabunt? qua spe denique vt viuere velint tenebuntur, si vos eos deseritis? ad Senatum deuenient, qui de Verre supplicium sumat? non est vsitatum, non Senatorium. ad populum Ro. confugient? facilis est causa populi. legem enim sociorum causa iussisse, & ei legi custodes ac vindices præposuisse dicet. Hic locus est igitur vnus, quò perfugiant: hic portus, hæc arx, hæc ara sociorũ: quò quidem nũc nõ ita confugiunt, vt antea in suis repetendis rebus solebant. non argentum, non aurum, non vestem, non mancipia repetunt, nõ ornamenta, quæ ex vrbibus fanisque erepta sunt: metuũt homines imperiti, ne iam hæc populus R. concedat, & iam fieri velit. Patimur enim iam multos annos, & silemus, quum videamus ad paucos omnes omnium nationum pecunias peruenisse. quod eo magis ferre æquo animo, atque concedere videmur, quia nemo istorum dissimulat, nemo laborat, vt obscura sua cupiditas esse videatur. In vrbe nostra pulcherrima atque ornatissima quod signum, quæ tabula picta

est, quæ non ab hostibus victis capta atque apportata sit? at istorum villæ sociorum fidelissimorum & plurimis & pulcherrimis spoliis ornatæ refertæque sunt. Vbi pecunias exterarũ nationum esse arbitramini, quibus nunc omnes egent, quũ Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletũ, Chion, Samon, totam denique Asiam, Achaiam, Græciam, Siciliam iam in paucis villis inclusas esse videtis? Sed hæc, vt dico, omnia iam socii vestri relinquunt & negligunt Iudices. ne publicè à populo R. spoliarentur, officiis ac fide prouiderunt.

HOTOM. *Non est usitatum, non Senatorium.* Nõ enim in curia, sed in foro iudicia exercebantur: quippe quæ non S.C. sed populi lege constituta essent. Ad Senatum tamen Legationes prouinciarum suas querimonias deferebant. & omninò quæ maleficia & crimina per Italiam committebantur, de quibus iudicium publicè fieri deberet, veluti proditionis, coniurationis, veneficii, cædis atque insidiarum, ea ad Senatum referebãtur. nam extra Italiam, & in prouinciis Prætores summum imperium habebant.

Facilis est causa populi. Causa, excusatio: vt sæpe iam dixi.

Ad paucos omnes. Hoc amplius omnes alii, quos sequor, Paucos homines, omnes, &c.

CICERO. 541 Paucorum cupiditati, tum quũ obsistere non poterant, tamen sufficere aliquo modo poterant. nunc verò iam adempta est non modò resistendi, verum etiam suppeditandi facultas. Itaque res suas negligũt. pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt, relinquũt & negligunt. Hoc iã ornatu ad vos confugiunt. aspicite, aspicite Iudices squalorẽ sordésque sociorũ. est Sthenius hic Thermitanus cum hoc capillo atque veste: domo sua tota expilata, mẽtionem tuorum furtorum non facit: sese ipsum abs te repetit, nihil amplius: totum enim tua libidine & scelere ex sua patria, in qua multis virtutibus & beneficiis princeps fuit, sustulisti. Dexio hic quem videtis, non quæ publicè Tyndari, non quæ priuatim sibi eripuisti, sed vnicum miser abs te filium optimum atque innocentissimum flagitat. non ex litibus æstimatis tuis pecuniã domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare. Hic iam grandis natu Eubulida, hoc tantum exacta ætate laboris itinerisque suscepit, non vt aliquid ex huius bonis recuperaret, sed vt quibus oculis cruentas ceruices filii sui viderat, iisdem te cõdemnatum videret. Si per L. Metellum licitum esset Iudices, matres illorum, vxores sororésque veniebant. quarum vna, quũ ego ad Heracliam noctu accederem, cũ omnibus matronis eius ciuitatis, & quũ multis facibus mihi obuiam venit: & ita me suam salutẽ appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans, mihi ad pedes misera iacuit: quasi ego excitare filium eius ab inferis possem.

Princeps fuit, L — *suis L*

HOTOM. *Princeps fuit.* Omnes alii, Princeps floruit. à quibus cur dissentiam, causa nulla est.

Non vt aliquid ex huius bonis. Ex suis bonis, multi veteres impressi. & sic emenda.

CICERO. 542 Faciebant hoc idem in cæteris ciuitatibus grandes natu matres, & item paruuli liberi miserorum: quorum vtrorunque ætas laborem & industriam meam, fidem & misericordiam vestram requirebat. Itaque ad me Iudices præter cæteras hanc querimoniam Sicilia detulit lacrymis. Ego ad hoc non gloria inductus accessi, sed ne falsa damnatio, ne carcer, ne catenæ, ne verbera, ne secures, ne cruciatus sociorum, ne sanguis innocentium, ne denique etiam exanguium corpora mortuorum, ne mœror parentum ac propinquorum Magistratibus nostris quæstui posset esse. Hunc ego si metum Siciliæ damnatione istius per vestram fidem & seueritatem deiecero Iudices, satis officio meo, satis illorum voluntati, qui à me hoc petiuerunt, factum esse arbitrabor. Quapropter siquem forte inueneris, qui hoc nauale crimẽ conetur defendere, ista defendat: illa communia, quæ ad causam nihil pertinent, prætermittat: me culpam fortunæ assignare, calamitatem crimini dare, me amissionem classis obiicere, quũ multi viri fortes in communi incertóque periculo belli, & terra & mari sæpe offenderint. nullam tibi obiicio fortunã: nihil est quod cæterorum res minus commodè gestas proferas: nihil est quod multorum naufragia fortunæ colligas. Ego naues inanes fuisse dico: remiges nautásque dimissos: reliquos stirpibus vixisse palmarum: præfuisse classi populi R. Siculum, perpetuò sociis atque amicis Syracusanum: te illo tẽpore ipso superioribúsque diebus omnibus in litore cum mulierculis perpotasse dico. harum rerum omnium auctores testésque produco. num tibi insultare in calamitate, num intercludere perfugium fortunæ, num casus bellicos exprobrare, aut obiicere videor?

CICERO. 543 Tametsi solent ii fortunam sibi obiici nolle, qui se fortunæ commiserunt, qui in eius periculis sæpe ac varietate versati. istius quidem calamitatis tuæ fortuna particeps non fuit. Homines enim in præliis, non in conuiuiis belli fortunam tentare ac periclitari solent. in illa autem calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerem possumus dicere. Quòd si fortunã obiici tibi non oportet, cur tu fortunæ illorum innocentium veniam ac locum nõ dedisti? Et iam illud prædices licet, quòd supplicium more maiorum sumpseris, securique percusseris, idcirco à me in crimen & inuidiam vocari. nõ in supplicio crimen meũ vertitur: non ego securi nego

tibi obiicere — *non L*

parens diceret,poſſes ab eo veniam petere?poſſes,vt tibi ignoſceret,poſtulare?

Securi ferire potuiſti. Feriri voluiſti,poſtulare ea videtur quæ ſuprà de hoc crimine memorauit. HOTOM.

Cum tunicis palliíque. Tunica Romani vtebantur. itaque Tunica talari, vt in libro veteri, reſtituendum putarem. De vtroque autem dictum eſt paulò ſuprà.

De complexu parentum ſuorum, hoſpitúmque tuorum. Priſcianus libro VII, Parentium ſuorum,hoſpitum tuorum.quorum poſtremum ſine controuerſia rectum eſt. Dexionem enim ſignificat parentem Ariſtei,hoſpitem Verris. Et alioqui ſic accipi poſſet,vt alii ex parentum,alii ex hoſpitum complexu raperentur.quod grauitatem & acrimoniam orationis imminuit.

Satis eſt factum Siculis,ſatis officio ac neceſſitudini Iudices, ſatis promiſſo muneri ac recepto. Reliqua eſt ea cauſa Iudices,quæ nō iam recepta ſed innata:neque delata ad me ſed in animo ſenſúque meo penitus affixa atque inſita eſt: quæ nō ad ſociorum ſalutem,ſed ad ciuium R. hoc eſt ad vniuſcuiuſque noſtrū vitam & ſanguinem pertinet. in qua nolite à me, quaſi dubium ſit aliquid,argumenta Iudices expectare.omnia quæ dicam de ſupplicio ciuium R. ſic erunt clara & illuſtria,vt ad ea probanda totam Siciliam teſtem adhibere poſſim. furor enim quidam ſceleris & audaciæ comes, iſtius effrænatū animum importunámque naturā tāta oppreſſit amētia, vt nunquam dubitaret in conuentu palàm ſupplicia,quæ in conuictos maleficii ſeruos conſtituta ſunt,ea in ciues R. expromere. Virgis quàm multos ceciderit,quid ego cōmemorem? tantum breuiſſimè dico Iudices, nullum fuit omnino iſto Prætore in hoc genere diſcrimē. itaque iam conſuetudine ad corpora ciuium R. etiā ſine iſtius nutu ferebatur manus ipſa lictoris. Nū potes hoc negare Verres,in foro Lilybæi,maximo cōuentu,C. Seruilium ciuem R. in cōuentu Panormitano veterem negotiatorem,ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram virgis & verberibus abiectum?aude hoc primùm negare,ſi potes. nemo Lilybæi fuit quin viderit:nemo in Sicilia quin audierit. Plagis confectum dico à lictoribus tuis ciuem R. ante oculos tuos concidiſſe: ob quam cauſam dii immortales?tametſi iniuriam facio communi cauſæ & iuri ciuitatis: quaſi enim poſſit eſſe vlla cauſa, cur hoc cuiquam ciui R. iure accidat,ita quæro, quæ in Seruilio cauſa fuerit. CICERO. 546

N' noſtro,ac muneri recepto.

Satis promiſſo muneri ac recepto. Alii,Satis promiſſo noſtro,ac muneri recepto. quod cur improbemus,cauſa nulla eſt. HOTOM.

Reliqua eſt ea cauſa. Tertia huiuſce libri pars,De ſuppliciis ciuium R. ex qua huic libro nomen impoſitum eſt ab Aſconio,Nonio Marcello,& aliis,quibuſdam,De ſuppliciis:tametſi de fugitiuorū bello & de maritimo latius fuſiúſque tractet:opinor,quia hæc magis attributa ſunt negotio,& crimini repetundarum:vt ſuprà demonſtraui.

Quaſi enim poſſit eſſe ulla cauſa cur hoc cuiquam ciui R. iure accidat. Verba ſunt Ciceronis in Oratione pro C. Rabirio,ex quibus intelligi hoc poſſit: Porcia lex virgas ab omnium ciuium R. corpore amouit. Porcia lex libertatem ciuium lictori eripuit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium R. iniuſſu populi iudicaretur. hæc ille. De populi verò iudicio dictum eſt in actione prima ex Polybio,& in Orat. pro Cæcina. Nota autem parentheſis inducenda eſt.

Ignoſcite in hoc vno Iudices:in cæteris enim nō magnopere cauſas requiram. Loquutus erat liberius de iſtius improbitate atque nequitia. quod iſti ſimul ac renunciatum eſt, hominem iubet Lilybæum vadimonium Venerio ſeruo promittere. promittit. Lilybæum venitur. cogere eum cœpit,quū ageret nemo,nemo poſtularet, HS duobus millibus ſponſionē facere cum lictore ſuo,ni furtis quæſtum faceret. Recuperatores de cohorte ſua dicit daturum: Seruilius & recuſare,& deprecari,ne iniquis iudicibus,nullo aduerſario, iudiciū capitis in ſe conſtitueretur. Hæc quum maximè loqueretur, ſex lictores circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos verberandóſque homines exercitatiſſimi: cædunt acerrime virgis: denique proximus lictor (de quo ſæpe iam dixi) Seſtius, conuerſo bacillo oculos miſero tundere vehementiſſime cœpit. Itaque illi quum ſanguis os oculóſque compleſſet, cóncidit: quū illi nihilo minus iacenti latera tunderentur, vt aliquando ſpondere ſe diceret. ſic ille affectus, illinc tum pro mortuo ſublatus,breui poſtea eſt mortuus. iſte autem homo Venerius, & affluens omni lepore & venuſtate, de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem poſuit. ſic etiam fortunis hominū abutebatur ad nocturna vota cupiditatum ſuarum. nam quid ego de cæteris ciuium R. ſuppliciis ſigillatim potius,quàm generatim atque vniuerſe loquar?carcer ille, qui eſt à crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quæ Lautumiæ vocantur,in iſtius imperio domicilium ciuium R. fuit. vt quiſque iſtius animum,aut oculos offenderat,in Lautumias ſtatim coniiciebatur. CICERO. 547

Quum ageret nemo,nemo poſtularet. Quū eum nemo ſponſione laceſſeret,Ni hoc dixiſſet. Spóſionem enim ipſe facere nolebat. Ergo apparet,quod meminimus alibi dicere, Sponſionem ex eo appellatam,quòd prius eum qui ageret,ſpondere,quàm ſtipulari oporteret. HOTOM.

HS duobus mil. Coronatis quinquaginta. De ſpóſione verò dixi copioſè in Orat. pro Quintio.

Ni furtis quæstum faceret. C. Verres.

CICERO. 548 Indignum hoc video videri omnibus Iudices:& id iam priore actione, quum hæc testes dicerent, intellexi. retineri enim putatis oportere iura libertatis nō modo hic, vbi Tribuni pl. sunt, vbi cæteri magistratus, vbi plenum forum iudiciorum, vbi Senatus auctoritas, vbi existimatio populi R. & frequentia: sed vbicunque terrarum & gentium violatum ius ciuium R. sit, statuitis id pertinere ad communem causam libertatis & dignitatis. In externorum hominum & maleficorum, sceleratorúmque, in prædonum hostiúmque custodias tu tantum numerum ciuium R. includere ausus es? nunquámne tibi iudicii, nunquam concionis, nunquã huius tantæ frequentiæ, quæ nunc animo te iniquissimo infestissimóque intuetur, venit in mentem? nũquã tibi populi R. absentis dignitas, nunquã species ipsa huiuscemodi multitudinis, in oculis animóque versata est? nunquam te in horum conspectum rediturum, nunquam in forum populi R. venturum, nunquam sub legum & iudiciorum potestatem casurum esse putasti? at quæ erat ista libido crudelitatis exercendæ? quæ tot scelerum suscipiendorum causa? Nulla Iudices, præter prædandi nouam singularémque rationem. nám vt illi, quos à Poetis accepimus, sinus quosdam obsedisse maritimos, aut aliqua promontoria, aut prærupta saxa tenuisse dicuntur, vt eos, qui essent appulsi nauigiis, interficere possent: sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. quæcunque nauis ex Asia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria venerat, statim certis indicibus & custodibus tenebatur: vectores omnes in Lautumias coniiciebantur: onera atque merces in Prætoriam domum deferebantur.

NOTOM. *Nam ut illi, quos à Poetis accepimus, sinus quosdam obsedisse maritimos.* Vt Lestrygones, qui Capuæ portũ obsidebant: de quibus Homerus in Odyssea.

CICERO. 549 Versabatur in Sicilia longo interuallo alter, nō Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos & crudeles tyrannos) sed quoddam nouum monstrum, ex vetere illa immanitate, quæ in iisdem locis versata esse dicitur. nō enim Carybdin tam infestam, neque Scyllam nautis, quàm istum in eodē freto fuisse arbitror: hoc etiam iste infestior, quòd multo se pluribus & maioribus canibus succinxerat. Cyclops alter, multo importunior. hic enim totam insulam obtinebat: ille AEtnam solam, & eã Siciliæ partem tenuisse dicitur. At quæ causa tum subiiciebatur ab ipso Iudices, huius tam nefariæ crudelitatis? eadem quæ nũc in defensione commemorabitur. quicunque accesserãt ad Siciliam paulo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atque à Dianio fugere dicebat. Illi ad deprecandum periculum proferebant alii purpuram Tyriam: thus alii atque odores, vestémque linteam: gemmas alii, & margaritas: vina nonnulli Græca, venalésque Asiaticos: vt intelligeretur ex mercibus, quibus ex locis nauigarent. non intelligebant eas ipsas sibi causas esse periculi, quibus adiumentis se ad salutem vti arbitrabantur. Iste enim hæc eos ex piratarum societate adeptos esse dicebat: ipsos in Lautumias abduci imperabat: naues eorum atque onera diligenter asseruãda curabat. his institutis quum completus iam mercatorum carcer esset, tum illa fiebant quæ L. Suetium equitem R. lectissimum virum dicere audistis, quæ cæteros audietis, ceruices in carcere frangebantur indignissimè ciuium R. vt etiam illa vox & illa imploratio, Ciuis R. sum, quæ sæpe multis in vltimis terris opem inter barbaros & salutem tulit, ea mortē illis acerbiorem, & supplicium maturius ferret.

NOTOM. *Alter, non Dionysius.* Apud Quintilianum libro VIII, capite extremo, ita hunc locum scriptũ reperio, vt ab hac vsitata lectione nonnihil discrepet. primùm enim vox ALTER abest: deinde pro Quoddam nouum, Nouum quoddam, immutato ordine: postremò pro In iisdem locis versata esse dicitur, sic scriptum est, In iisdem versata locis dicitur. Nũc vtrum sit verius, eruditi viri cognoscent. Nam mihi quidem sine maximis grauissimísque causis quicquam immutare religio est. Quòd si cuique suam sententiam testificari licet, omnino vox illa quam dixi abesse, iacere atque otiosa esse videtur. In aliis quidē locis, sine dubio immutato ordine multo lenius fluit ipsa comprehensio.

Pluribus & maioribus canibus. De Scylla media parte corporis, Circes opera & veneficiis in canes ac lupos mutata, nota est omnibus fabula ex libro Metam. XIIII, & AEneidos III. Reuera autem saxum est, eminus humanam figuram, sed fluctuũ collisione latratus canum, luporúmque vlulatus referens. Canes autem Verris comites appellat, vt ex similibus locis intelligitur, & ex Iulio Rufiniano, in libro de figuris.

Eos Sertorianos milites esse, atque à Dianio fugere. De Sertorio, & Dianio dixi Ver. III, pag. 193.

Quibus adiumentis se ad salutem. Alii, Quibus argumentis. Censeo nihil immutandum.

CICERO. 550 Quid est Verres? quid ad hæc cogitas respōdere? num mentiri? me? num fingere aliquid? num augere crimē? num quid horum dicere istis defensoribus tuis audes? Cedo mihi quæso ex ipsius sinu literas Syracusanorum, quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur. cedo rationem carceris, quæ diligentissimè conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus,

quo necatus sit. LITERAE SYRACVSANORVM. Videtis ciues R. gregatim cōiectos in Lautumias: videtis indignissimo in loco coaceruatā multitudinē vestrorum ciuiū. Quæ ite nunc vestigia, quibus exitus illorum ex illo loco compateant. nulla sunt. omnésne mortui? si ita posset defendere, tamen fides buic defensioni non baberetur. Sed scriptum extat in iisdem literis, quod iste homo barbarus ac dissolutus neque attendere vnquam, neque intelligere potuit. ἐδικαιώθησαν, inquit, hoc est, vt Siculi loquūtur, supplicio affecti ac necati sunt. Siquis Rex, siqua ciuitas èxterarum gentium, siqua natio fecisset aliquid in ciuem R. eiusmodi, nónne publicè vindicaremus? nō bello persequeremur? possemus hanc iniuriā ignominiámque nominis R. inultam impunitámque dimittere? quot bella maiores nostros, & quanta suscepisse arbitramini, quòd ciues R. iniuria affecti, quòd nauicularii retenti, quòd mercatores spoliati dicerentur? at ego retentos non queror: spoliatos ferendum puto: nauibus, mancipiis, mercibus ademptis in vincula coniectos esse mercatores, & in vinculis ciues R. necatos esse arguo. Si bæc apud Scythas dicerem, non bìc in tanta multitudine ciuium R. non apud senatores lectissimos ciuitatis, non in foro populi R. de tot & tam acerbis suppliciis ciuium R. tamen animos etiam barbarorum hominum permouerem.

Tanta enim huius imperii amplitudo, tanta nominis R. dignitas est apud omnes nationes, vt ista in nostros bomines crudelitas nemini concessa videatur. Num ego tibi vllam salutem, vllum perfugium putem, quum te implicatum seueritate iudicum, circumretitum frequentia populi R. esse videam? Si mehercules (id quod fieri intelligo nō posse) ex his laqueis te exueris, ac te aliqua vi ac ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me, superiore ex loco confici & concidi necesse est. cui si etiam, id quod defendit, velim concedere: tamen illa ipsa defensio non minus esse ei perniciosa, quàm mea vera accusatio debeat. Quid enim defendit? ex Hispania fugiētes se excepisse, & supplicio affecisse dicit. Quis tibi id permisit? quo id iure fecisti? quis idē fecit? quî tibi id facere licuit? forū plenū & basilicas istorum hominum videmus, & animo æquo videmus. Ciuilis enim dissensionis, & siue amentiæ, siue fati, seu calamitatis nō est iste molestus exitus: in quo reliquos saltem ciues incolumes licet conseruare. Verres ille vetus proditor Consulis, trāslator Quæsturæ, auersor pecuniæ publicæ, tantum sibi auctoritatis in Rep. suscepit, vt quibus hominibus per senatum, per populum R. per omnes magistratus in foro, in suffragiis, in hac vrbe, in Rep. versari liceret, iis omnibus mortem acerbam crudelémque proponeret, si fortuna eos ad aliquam partem Siciliæ detulisset. Ad Cn. Pompeiū clarissimū virū & fortissimū permulti occiso Perpenna ex illo Sertoriano numero militum cōfugerunt. quem non ille summo cū studio saluū incolumémque seruauit? CICERO.

Superiore ex loco confici. Superiorem locum dicit Rostra, è quibus Magistratibus agere cum populo licebat, & concionē babere. Magistratus autē Cicero, quippe AEdilis factus. itaque pa. 561, sic inquit, Populus quidem R. breui, quoniam mihi potestatem agendi dedit, ius suum me agēte suis suffragiis ante Cal. Feb recuperabit. Maiores autem plagas dicit iudicium de iure libertatis & ciuitatis, quod in foro à populo fiebat: vt dictum est Accusat. primo lib. in quo arctiores laqueos dixit, quas hoc loco maiores plagas apellat. HOTOM.

Cui ciui supplici non illa dextera inuicta & fidem porrexit, & spē salutis ostendit? itáne verò? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerunt: iis apud te, cuius nullum in Rep. vnquam monimentum fuit, mors & cruciatus erat constitutus? Vide quàm commodam defensionē excogitaris. malo, malo mehercules id, quod tu defendis, his iudicibus populóque R. quàm id, quod ego insimulo, probari. malo inquā, te isti generi bominū, quàm mercatoribus & nauiculariis inimicum atque infestum putari. meum enim crimē auaritiæ te nimiæ coarguit: tua defensio furoris cuiusdam, & immanitatis, & inauditæ crudelitatis, & penè nouæ proscriptionis. Sed non licet me isto tanto bono Iudices vti, non licet. adsunt enim Puteoli toti: frequentissimi venerunt ad boc iudicium mercatores, bomines locupletes, atque honesti, qui partim socios suos, partim libertos ab isto spoliatos, in vincla coniectos, partim in vinclis necatos, partim securi percussos esse dicēt. Hic vide quàm me sis vsurus æquo. Quum ego P. Granium testem produxero, qui suos libertos à te securi percussos esse dicat, qui à te nauem suam mercésque repetat: refellito si poteris: meum testem deseram, tibi fauebo, te inquam adiuuabo: ostendito illos cum Sertorio fuisse, à Dianio fugientes ad Siciliam esse delatos. nihil est quod te malim probare. nullum enim facinus, quod maiore supplicio dignum sit, reperiri, neque proferri potest. Reducam iterum equitem R. L. Flauium si voles, quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadam sapientia, vt omnes intelligunt, conscientia tua atque auctoritate meorum testium, testem nullum interrogasti: interrogetur Flauius, si voles, quinam fuerit L. Herennius is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit? CICERO.

Qui quum amplius centum ciues R. haberet ex conuentu Syracusarum, qui eum non solū

cognoscerent, sed etiã lacrymãtes, acte implorantes defenderent: tamen à te inspectantibus omnibus. Syracusanis securi percussus est. Húc quoqne testem meum refelli, & illum Herennium Sertorianum fuisse, abs te demonstrari & probari volo. Quid de illa multitudine dicemus eorũ qui capitibus inuolutis in piratarum captiuorúmque numero producebãtur, vt securi ferirentur? quæ ista noua diligentia? quam ob causam abs te cogitata? an te L. Flauii, cæterorúmque de L. Herennio vociferatio commouebat? an M. Annii grauissimi atque honestissimi viri summa auctoritas paulo diligentiorem timidiorémque fecerat? qui nuper pro testimonio, non adṗeṗã nescio quem, nec alienum, sed eum ciuem R. qui omnibus in illo cõuentu notus, qui Syracusis natus esset, à te securi percussum esse dixit. Post hanc illorum vociferationem, post hanc communem famam atque querimoniam non mitior in supplicio, sed diligentior esse cœpit. Capitibus inuolutis ciues R. ad necẽ producere instituit. quos tamen icciro necabat palàm, quòd homines in conuentu (id quod antea diximus) nimium diligenter prædonum numerum requirebant. Hæccine plebi R. te Prætore est constituta conditio? hæc negotii gerendi spes? hoc capitis vitæque discrimen? parúmne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeũda fortunæ, nisi etiã hæ formidines ab nostris magistratibus atque in nostris prouinciis impendebũt?

CICERO. 554 Ad eámne rem fuit hæc suburbana ac fidelis prouincia Sicilia plena optimorum sociorum, & honestissimorum ciuium R. Ciues R. omnes suis ipsa sedibus libentissime semper accepit, vt qui vsque ex vltima Syria atque AEgypto nauigarent, qui apud barbaros propter togæ nomẽ in honore aliquo fuissent, qui ex prædonum insidiis, qui ex tẽpestatum periculis profugissent, in Sicilia securi ferirentur, quum se iam domum venisse arbitrarẽtur? Nam quid ego de P. Gauio Consano municipe dicam Iudices? aut qua ui vocis, qua grauitate verborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me nõ deficit: vt cætera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo suppetant, magis elaborandum est. Quod crimen eiusmodi est, vt, quum primùm ad me delarum est, vsurum me illo non putarem. tametsi enim verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. Coactus lacrymis omnium ciuium R. qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum hominum honestissimorum testimoniis, omniúmque Rhegynorum, multorúmque equitum R. qui casu tum Messanæ fuerunt, dedi tantum priore actione testimonium, res vt nemini dubia esse posset. Quid nunc agam quũ iam tot horas de vno genere ac de istius nefaria crudelitate dicam, quum propè omnem vim verborũ eiusmodi, quæ scelere istius digna sunt, aliis in rebus consumpserim, neque hoc prouiderim, vt varietate criminum vos attentos tenerem, quemadmodum de tanta re dicam? Opinor vnus modus, atque vna ratio est. Rem in medio ponam: quæ tantum habet ipsa grauitatis, vt neque mea, quæ nulla est: neque cuiusquam, ad inflammandos vestros animos eloquentia requiratur.

CICERO. 555 Gauius hic, quem dico, Consanus, quũ *illo numero ab isto in vincula coniectus esset, & nescio qua ratione clàm è Latomiis profugisset, Messanámque venisset, qui propè iam Italiam, & mœnia Rhegynorum videret, & ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis, & odore aliquo legum recreatus, reuixisset: loqui Messanæ cœpit, & queri, se ciuem R. in vincla esse coniectum, sibi recta iter esse Romam, Verri se præsto aduenienti futurum. Non intelligebat miser, nihil interesse, vtrum hæc Messanæ, an apud ipsum in Prætorio loqueretur. Nam, vt ante vos docui, hanc sibi iste vrbem delegerat, quam haberet adiutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gauius, eóque ipso die casu Messanam Verres venit. Res ad eum defertur, esse ciuẽ R. qui se Syracusis in Latomiis fuisse quereretur: quem iam ingredientem nauem, & Verri nimis atrociter minitantem, à se retractum esse, & asseruatum, vt ipse in eum statueret quod videretur. Agit hominibus gratias, & eorum erga se beneuolentiam diligentiámque collaudat. Ipse inflammatus scelere & furore, in forum venit. ardebãt oculi: toto ex ore crudelitas *eminebat: expectabant omnes quo tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: quum repẽte hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari, & virgas expediri iubet. Clamabat ille miser, se ciuem esse R. municipem Consanum, meruisse se cum L. Pretio splendidissimo equite R. qui Panormi negotiaretur, ex quo hæc Verres scire posset. Tum iste se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum esse missum: cuius rei neque index, neque vestigium aliquod, neque suspicio cuiquam esset vlla.

*illo m

*emicabat: l.

HOTOM. *Cum illo numero.* Desiderari videtur IN: vt sit, Quum illo in numero. & sic puto corrigendum.

Toto ex ore crudelitas eminebat. Apud Gelliũ libro x, cap. 11, Emanabat. apud Quintilianũ, lib. 1x, cap. 11, Emicabat. quod ἐμφατικώτερον videtur, & ad crudelitatem ostendendã accõmodatius.

HOTOM. 556 Deinde iubet vndique hominem proripi, vehementissiméque verberari. Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis R. Iudices, quũ interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorẽ crepitúmque plagarũ audiebatur, nisi hæc, Ciuis R. sum, hac se cõmemoratione ci

» uitatis omnia verbera depulsurum, cruciatúmque à corpore deiectũ arbitrabatur. Is nõ modò hoc non perfecit, vt virgarum vim deprecaretur: sed quum imploraret sæpius, vsuparétque nomen ciuitatis, crux crux inquam infelici & ærumnoso, qui nunquam istam potestatem viderat, comparabatur. O nomen dulce libertatis: ò ius eximium nostræ ciuitatis: ò lex Porcia, legésque Semproniæ: ò grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas: húccine tandem omnia reciderunt, vt ciuis R. in prouincia populi R. in oppido fœderato, ab eo, qui beneficio populi R. fasces & secures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? quid quũ ignes candentésque laminæ, cæteríque cruciatus admouebantur: si te illius acerba imploratio, & vox miserabilis non inhibebat: ne ciuiũ quidẽ Romanorũ, qui tum aderant, fletu & gemitu maximo commouebare? in crucem tu agere ausus es quenquam, qui se ciuem R. esse diceret? Noluí tam vehementer agere hoc prima actione Iudices, nolui: vidistis enim vt animi multitudinis in istũ dolore, & odio, & communis periculi metu concitarentur. Statui egomet mihi tum modum orationi meæ, & C. Numitorio equiti R. primario homini, testi meo: & Glabrionẽ id, quod sapientissime fecit, facere lætatus sum, vt repente consilio in medio testẽ dimitteret.

Cruciatum à corpore. Omnes alii libri, quibuscum Gellius consentit, Cruciatúmque. HOTOM.

Ignes, candentésque laminæ. Omnes libri veteres, Ardentésque laminæ: quibuscum Gellii liber consentit, lib. x, cap. III.

Non inhibebat. Codex Gellii, Leniebat. quod reiicio, vt ab ea crudelitate quam intelligi in Verre voluit, planè alienum.

O lex Porcia, legésque Semproniæ. De his legibus dictum est paulò suprà, pag 546.

Reddita plebi R. Tribunitia potestas. Tribunitiam potestatem à Sylla sublatam Pompeius populo R. restituit: vt diximus in Diuinat.

C. Numitorio equiti R. primario homini. Libri veteres, in his Aldinus. Primo homini. quorum auctoritatem, sine causa nunquam repudiabimus. præsertim quum superiore libro sic loquutus sit, pag. 429, A Lisone verò Lilybætano, primo homine, &c.

» Etenim verebatur, ne popul' R. ab isto eas pœnas vi repetisse videretur, quas veritus esset ne iste legib' & vestro iudicio nõ esset persoluturus. Nũc quoniã iã exploratũ est omnibus, quo loco causa tua sit, & quid de te futurũ sit, sic tecum agam. Gauiũ istum, quem repentinũ speculatorem fuisse dicis, ostendã in Lautumias Syracusis à te esse coniectũ: neque id solũ ex literis ostendã Syracusanorũ, ne possis dicere me, quia sit aliquis in literis Gauius, hoc fingere & eligere nomen, vt hunc illũ esse possim dicere: sed secundũ arbitriũ tuum testes dabo, qui istũ ipsum Syracusis abs te in Lautumias coniectũ esse dicant. Producã etiam Consanos municipes illius ac necessarios, qui te nunc serò doceant, Iudices nõ serò, illũ P. Gauiũ, quem tu in crucẽ egisti, ciuẽ R. & municipẽ Consanũ, nõ speculatorẽ fugitiuorũ fuisse. Quũ hæc omnia, quæ polliceor, cumulate tuis proximis plana fecero: tũ istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur, eo cõtentũ me esse dicã. Quid enim nuper tu ipse, quũ populi R. clamore atq; impetu perturbat' exiluisti, quid inquã locutus es? illum, quòd moram supplicio quæreret, ideo clamitasse se esse ciuem R. sed speculatorẽ fuisse, iã mei testes veri sunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. & P. Cotii nobilissimi homines, ex agro Taurominitano? quid Q. Lucceius, qui argẽtariã Rhegii maximam fecit? quid enim, cæteri? adhuc enim testes ex eo genere à me sunt dati, nõ qui nouisse Gauium, sed qui se vidisse dicerent quum is qui se ciuem R. esse clamaret, in crucem ageretur. CICERO. 557

» Hoc tu Verres idẽ dicis, hoc tu cõfiteris, illum clamitasse se ciuẽ esse Romanum: apud te nomẽ ciuitatis ne tantũ quidẽ valuisse, vt dilationẽ aliquã crucis, vt crudelissimi teterrimique supplicii aliquã paruam morã saltẽ posset afferre. Hoc teneo, hîc hæreo Iudices, hoc sum cõtentus vno: omitto ac negligo cætera: sua cõfessione induatur ac iuguletur necesse est. Qui esset, ignorabas? speculatorẽ esse suspicabare? nõ quæro qua suspicione: tua te accuso oratione. ciuẽ R. se esse dicebat. Si tu apud Persas, aut in extrema India deprehẽsus Verres, ad supplicium ducerere: quid aliud clamitares, nisi te ciuẽ esse Romanũ? & si tibi ignoto apud ignotos, apud barbaros, apud homines in extremis atq; vltimis gẽtibus positos, nobile & illustre apud omnes nomẽ tuæ ciuitatis profuisset: ille, quisquis erat, quẽ tu in crucẽ rapiebas, qui tibi esset ignotus, quũ ciuem se R. esse diceret, apud te Prætorẽ si non effugium, ne morã quidem mortis mentione atque vsurpatione ciuitatis assequi potuit? Homines tenues, obscuro loco nati nauigãt, adeunt ad ea loca, quæ nunquã antea viderunt: vbi neque noti esse iis, quò venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt: hac vna tamen fiducia ciuitatis non modo apud nostros Magistratus, qui & legum & existimationis periculo cõ tinentur: neque apud ciues solùm Romanos, qui & sermonis, & iuris, & multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrantur: sed quocunque venerint, hanc sibi rem præsidio sperant esse futurum. CICERO. 558

Hac una tamen. Apud Gellium, Hac vna tantùm, lib. I, cap. VII. Ego vulgatam sequor, quam o- CICERO.

tametsi satis habent, tamen, si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse quàm postulant: nam & si qua vis istum de vestra seueritate eripuerit, id quod neque metuo Iudices, neque vllo modo fieri posse video: sed si in hoc me ratio fefellerit, Siculi causam suam perisse querentur, & mecum pariter molestè ferent: populus quidem Romanus breui, quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit, ius suum me agente suis suffragiis ante Cal. Feb. recuperabit. Ac si de mea gloria & amplitudine quæritis Iudices: non est alienum meis rationibus, istum mihi ex hoc iudicio ereptum ad illud populi R. iudicium reseruari. Splendida est illa causa: probabilis mihi & facilis, populo grata atque iucũda. Denique si videor hîc, id quod ego nõ quæsiui, de vno isto voluisse crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. Sed mehercules vestra Reique publicæ causa Iudices, nolo in hoc delecto cõsilio tantum flagitium esse cõmissum: nolo eos Iudices, quos ego probarim atque delegerim, sic in hac vrbe notatos isto absoluto ambulare, vt non cæra, sed cœno obliti esse videantur. Quamobrẽ te quoque Hortensi, quia monendi locus est, ex hoc loco moneo, videas etiam atque etiam & consideres, quid agas, quò progrediare, quem hominem, & qua ratione defendas.

Et ueritas omnium postulat. Abundat, opinor, vox OMNIVM. HOTOM.

Quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit. Nemini enim, nisi qui Magistratum gereret, concionem aduocandi, & cum populo agendi potestas erat. AEdilis autem Cicero proximis comitiis ædilitiis designatus erat: vt iam sæpe diximus.

Non æra, sed cœno obliti. Notam dicit Censoriam, qua Censores quos Senatu mouerant, aut equo publico multarant, notare consueuerant.

Neque de illo quicquam tibi præfinio, quo minus ingenio mecum atque omni dicendi facultate contendas. cætera, si qua putas te occultius extra iudicium, quæ ad iudicium pertinent, facere posse: si quid artificio, consilio, potentia, gratia, copiis istius moliri cogitas: magnopere censeo desistas: & illa, quæ tentata iam & cœpta ab isto sunt, à me autẽ peruestigata & cognita, moneo vt extinguas, & longius progredi ne sinas. Magno tuo periculo peccabitur in hoc iudicio, maiore quàm putas. quòd enim te liberatum iam existimationis metu, defunctum honoribus, designatum COS. cogites: mihi crede ornamenta ista & beneficia populi R. non minore negotio retinentur, quàm comparantur. Tulit hæc ciuitas, quoad potuit, quoad necesse fuit, regiã istam vestram dominationem in iudiciis, & in omni Republica tulit. sed quo die populo R. Tribuni pl. restituti sunt, omnia ista vobis (si fortè nondum intelligitis) adempta atque erepta sunt. Omnium nunc oculi coniecti sunt hoc ipso tempore in vnumquenque nostrum, qua fide ego accusem, qua religione ii iudicent, qua tu ratione defendas. De omnibus nobis, si quis tantulum de recta regione deflexerit, nõ illa tacita existimatio, quam antea contemnere solebatis, sed vehemens ac liberum populi R. iudicium consequetur. Nulla tibi Quinte cum isto cognatio est, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimium in aliquo iudicio studium tuũ defendere solebas, earum habere in hoc homine nullam potes. quæ iste in prouincia palàm dictitabat, quum ea, quæ faciebat, tua se fiducia facere dicebat: ea ne vera putentur, tibi maximè est prouidendum. CICERO. 562

Ego mei iã rationẽ officii confido esse omnibus iniquissimis meis iam persolutam. nam istũ paucis horis primæ actionis omnium mortaliũ sententiis cõdemnaui. Reliquum iudiciũ nõ iam de mea fide, quæ perspecta est: neque de istius vita, quæ dãnata est: sed de iudicibus, &, verè vt dicã, de te futurum est. At quo tempore futurũ est? nam id maximè prouidendum est. etenim quũ omnibus in rebus, tum in Rep. permagni momenti est ratio atque inclinatio temporum. nempe eo, quum populus R. aliud genus hominum atque alium ordinem ad res iudicandas requirit: nempe ea lege de iudiciis iudicibúsque nobis promulgata, quam non is promulgauit, cuius nomine proscriptam videtis, sed hic reus. hic inquã sua spe atque opinione, quam de vobis habet, legem illam scribendam promulgandámque curauit. Itaque, quum primò agere cœpimus lex nõ erat promulgata: quum iste vestra seueritate permotus, multa signa dederat, quãobrem responsurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat. Posteaquam iste recreari & confirmari visus est, lex statim promulgata est: cui legi quum vestra dignitas vehementer aduersaretur, istius spes falsa & insignis impudẽtia maximè suffragatur. Hic si quid erit cõmissum à quoquam vestrum, quod reprehendatur: aut populus R. iudicabit de eo homine, quem iam antea iudiciis indignum putauit: aut ii, qui propter offensionem iudiciorum de veteribus iudicibus lege noua noui Iudices erunt constituti. Mihi porrò, vt ego non dicam, quis omnium mortalium nõ intelligit, quàm longe progredi sit necesse? CICERO. 563 *aduersetur, l.*

Ea lege promulgata. Dictum est actione priore, de lege, quam tulit Aurelius Cotta Prætor, vt iudicia cum equestri ordine & Tribunis ærariis communicarentur. HOTOM.

Vehementer aduersaretur: Vetus liber, Aduersetur: quod magis placet.

De veteribus iudicibus. Hanc scripturam sententia confirmat, tametsi non Iudicibus in aliis, sed Iudiciis legatur. Est enim sensus, Equites R. qui ex veterum iudicum numero constituti erunt noui iudices. Nam annis ab hinc decem equites R. iudicabant: vt sæpe antea demonstrauimus.

CICERO. 564 Potero silere Hortensi, potero dissimulare, quum tātum Resp. vulnus acceperit, vt expilatæ prouinciæ, vexati socii, dii immortales spoliati, ciues R. cruciati & necati impunè me actore esse videātur: potero hoc onus tātum aut in hoc iudicio deponere, aut diutius tacitus sustinere: non agitanda res erit: non in medium proferenda: non populi R. fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, vt aut fidem suam corrumpi paterētur, aut iudicium corrumperent, in discrimen ac iudicium vocandi? Quæret aliquis fortasse, Tantúmne igitur laborem, tantas inimicitias tot hominum suscepturus es? Nō studio quidem hercule vllo, neque voluntate. Sed non idem mihi licet, quod iis qui nobili genere nati sunt: quibus omnia populi R. beneficia dormientibus deferuntur: longe alia mihi lege in hac ciuitate & conditione viuendum est. venit enim mihi in mentem M. Catonis hominis sapientissimi: qui quū se virtute, nō genere populo R. commēdari putaret, quum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni & propagari vellet, hominum potētissimorum suscepit inimicitias, & maximis in laboribus vsque ad summam senectutem summa cum gloria vixit. Posteáque Pompeius humili atque obscuro loco natus, nónne plurimis inimicitiis, maximisque suis periculis ac doloribus amplissimos honores est adeptus? Modò L. Fimbriam, C. Marium, C. Celium vidimus non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendere, vt ad istos honores peruenirent, ad quos vos per ludum & per negligentiam peruenistis. Hæc eadem est nostræ rationis regio & via: horum nos hominum sectam atque instituta persequimur.

HOTOM. *Hominum potentissimorum suscepit inimicitias.* Multa in hanc eandem rationem Liuius, libro decadis quartæ nono: ex quibus hæc sunt, quæ subiiciam, vt quærendi labor absit. Orationes & pro se multæ, & pro aliis, & in alios. Nam non solùm accusando, sed etiam causam dicendo fatigauit inimicos. simultates multò plures & exercuerunt eum, & ipse exercuit eas. nec facile dixeris, vtrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitauerit nobilitatem. Asperi proculdubio animi, & linguæ acerbæ & immodicè liberæ fuit: sed inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ: contemptor gratiæ, diuitiarū: in parsimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis animíque: quem ne senectus quidē, quæ soluit omnia, fregerit: qui sextum & octogesimum annum agens, causam dixerit, ipse pro se orauerit, scripseritque: nonagesimo anno Sergium Galbam ad populi adduxerit iudicium. hæc ille. Hunc autem Sergium absolutum productis filiis prætextatis, auctor est Valerius Max. lib. VIII, & Cicero pro Murena.

CICERO. 565 Videmus quanta sit in inuidia, quantóque in odio apud quosdam homines nobiles nouorum hominum virtus & industria: si tantulum oculos deiecerimus, præsto esse insidias: si vllum locum aperuerimus suspicioni aut crimini, accipiendum esse statim vulnus: esse nobis semper vigilandum, semper laborandū videmus. Inimicitiæ sunt: subeantur. labores: suscipiantur. Etenim tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quàm indictæ & apertæ. Hominum nobilium non ferè quisquam nostræ industriæ fauet, nullis nostris officiis beneuolentiam illorum allicere possumus: quasi natura & genere disiuncti sint, ita dissident à nobis animo ac voluntate. Quare quid habent eorum inimicitiæ periculi, quorum animos iam antè habueris inimicos & inuidos, quàm vllas inimicitias susceperis? Quamobrē mihi Iudices, optandum est illud, in hoc reo finem accusandi facere, quum & populo R. satisfactum, & receptum officium Siculis necessariis meis erit persolutum. Deliberatum autem est, si res opinionem meam, quam de vobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi, ad quos maximè culpa corrumpendi iudicii, sed etiam illos ad quos conscientiæ contagio pertinebit. Proinde siqui sunt qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpēdum iudicium velint esse, ita sint parati, vt disceptante populo R. mecum sibi rem videant futuram. & si me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, satis vehementem, satis perseuerantem, satis vigilantem esse cognorunt: existiment in iis hominibus, quorum ego inimicitias populi R. salutis causa suscepero, multo grauiorem atque acriorem futurum.

HOTOM. *Tacitæ magis & occultæ.* De hac sententia dictum est libro Accusat. 1, pag. 172.

CICERO. 566 Nunc te Iupiter Optime Maxime, cuius iste donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum, dignū regio munere tibi factum ab Regibus, tibi dicatū atque promissum, per nefariū scelus de regiis manibus extorsit: cuiúsque sanctissimum & pulcherrimum simulacrū Syracusis sustulit: téque Iuno regina, cuius duo fana duabus in insulis posita sociorum, Melitæ & Sami, sanctissima & antiquissima simili scelere idem iste omnibus donis ornamentísque nudauit: téque Minerua, quam item iste duobus in clarissimis & religiosissimis templis expilauit: Athenis, quum auri grande pondus: Syracusis,

» quũ omnia præter tectum & parietes abstulit: téque Latona,& Apollo,& Diana,quorũ iste De-
» li nõ fanum, sed,vt hominum opinio & religio fert,sedẽ antiquã, diuinúmque domicilium no
» cturno latrocinio,atque impetu cõpilauit:etiam te Apollo,quem iste Chio sustulit:téque etiam
» atque etiã Diana,quam Pergæ spoliauit,cuius simulacrũ sanctissimum Segestæ, his apud Sege
» stanos consecratum,semel ipsorum religione,iterum P. Africani victoria, tollendũ asportan-
» dúmque curauit:téque Mercuri,quem Verres in villa,&in priuata aliqua palæstra posuit,P.A-
» fricanus in vrbe sociorum, & in gymnasio Tyndaritanorũ iuuentutis illorum custodẽ & præ-
» sidem voluit esse: téque Hercules,quem iste Agrigenti nocte intempesta, seruorum instructa &
» comparata manu conuellere ex suis sedibus, atque auferre conatus est:téque sanctissima mater
» Idæa, quam apud Enguinos augustissimo & religiosissimo in templo sic spoliatam reliquit, vt
» nunc nomen modò Africani, & vestigia violatæ religionis maneant, monimenta victoriæ fa-
» níque ornamenta non extent:

Nunc te Iupiter. Cõclusio vniuersæ accusationis: in qua Deos deasque omnes quorum religionem Verres violarat, obsecrat atque obtestatur, vt quam ipsi fidem in suscipienda atque agenda causa dederant,eandem iudicibus in iudicando disceptandóque præbeant. vbi simul memoria violatarum omnium religionum, de quibus libro superiore dictum est, cursim strictímque renouatur. HOTOM.

» Vósque omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum iudiciorúmque ar- CICERO.
» bitri & testes,celeberrimo in loco Prætorii locati Castor & Pollux, quorum è templo quæstũ 567
» sibi iste & prædam maximam improbissimè comparauit:omnésque dii, qui vehiculis thensa-
» rum solennes cœtus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quæstum,non ad religionum di
» gnitatem faciendum exigẽdúmque curauit:téque Ceres,& Libera,quarum sacra, sicut opinio-
» nes hominum ac religiones ferunt, longè maximis atque occultissimis cerimoniis continen-
» tur:à quibus initia vitæ atque victus,legum,morum,mansuetudinis,humanitatis exempla ho-
» minibus & ciuitatibus data ac dispertita esse dicuntur: quarum sacra populus R.à Græcis asci
» ta & accepta,tanta religione & publicè & priuatim tuetur, non vt ab aliis huc allata, sed vt cæ-
» teris hinc tradita esse videantur: quæ ab isto vno sic polluta & violatà sunt,vt simulacrum Ce
» reris vnum,quod à viro non modò tangi, sed ne aspici quidem fasfuit, è sacrario Catinæ con-
» uellendum auertendúmque curauerit:alterum autẽ Ennæ ex sua sede ac domo sustulerit:quod
» erat tale, vt homines quum viderent,aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris nõ hu-
» mana manu factam esse sed cælo delapsam arbitrarentur:vos etiam atque etiam imploro & ap-
» pello sanctissimæ deæ, quæ illos Ennenses lacus lucósque colitis,cunctæque Siciliæ,quæ mihi
» defendenda tradita est,præsidetis:à quibus,inuentis frugibus & in orbem terrarum distributis,
» omnes gentes ac nationes vestri religione numinis continentur:

» Cæteros item deos deásque omnes imploro atque obtestor,quorum templis & religionibus CICERO.
» iste nefario quodam furore & audacia instinctus bellum sacrilegum semper, impiúmque ha- 568
» buit indictum:vt si in hoc reo atque in hac causa omnia mea consilia ad salutem sociorum,di-
» gnitatem populi R.fidem meam spectauerunt: si nullam ad rem,nisi ad officium & veritatem
» omnes meæ curæ,vigiliæ, cogitationésque laborarũt:quæ mea mens in suscipienda causa fuit,
» fides in agenda,eadem vestra in iudicanda sit, ᵃDeinde vti C. Verrem, si eius omnia sunt inau- ᵃ Denique
» dita & singularia facinora sceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, auaritiæ, crudelitatis, dignus
» exitus eiusmodi vita,atque factis vestro iudicio cõsequatur:vtque Resp. ᵇmeàque fides vna hac ᵇ mea fide,vnáque hac
» accusatione mea contenta sit: mihique posthac bonos potius defendere liceat, quàm improbos
» accusare necesse sit.

Deinde uti C.Verrem. Omnes alii libri, Denique. vtrunque rectè. sed hoc tamen tã multorum auctoritate librorum præponderat. HOTOM.

Vtque Resp. meàque fides una hac accusatione mea contenta sit. Suspicor de mendo: legendúmque potius arbitrarer, Mea fide, vnáq; hac accusatione. Qualis autẽ huius iudicii exitus fuerit, Asconius exponit: qui post priorem actionem Verrem in exilium sua sponte profectum esse scribit, neque sententiam iudicum expectasse. Hortensium autem nouo accusaudi genere ita perculsum fuisse, vt rationem defensionis omitteret: quod etiam Tullius in Bruto declarat. Hortensium tamen Verris defensionem scripsisse, Quintilianus multis in locis testatur.

ARGVMENTVM.

M. Fonteius M.F. eius qui Sulpitio Prætori bello sociali legatus, Asculi interfectus est, perfunctus Quæstura, legatione in Macedonia & Hispania, Prætor Galliam prouinciam obtinuit, eique triennium præfuit: quo tempore Cn. Pompeius Hispaniense bellum aduersus Sertoriũ administrauit. Romam reuersus repetundarum reus factus est, postulantibus Gallis, in his Induciomaro Treuirorum duce, claro & nobili. & accusatus à M. Pletorio, subscriptore M. Fabio. Ex multis criminibus tria hæc supersunt: oppressã ære alieno Galliam fuisse: quæstum ex viarum munitione factum, vt aut ne cogeret munire, aut id quod munitum esset, ne improbaret: denique portorium vini instituisse. Duabus autem actionibus accusatus est: idque ob legem, vt mea quidem opinio est, Seruiliam repetũdarum, quæ comperendinari reum iubebat, quemadmodum ex Verrina accusatione intelligitur. Fonteii defensionẽ Cicero suscepit: quam ferè deroganda fide & auctoritate testibus Gallis hominibus, cõsumpsit: quibus, quia nulla religione ac metu Deorũ immortaliũ teneantur, credi negat oportere. Nomen autem neque Quæstoris, ad cuius tribunal causa hæc acta est, neque Consulum, quibus habita est oratio, reperire potui. Apparet tamen post legem Aureliã, qua iudicia inter tres ordines cõmunicata sunt, causam actã fuisse. Desyderantur autẽ in hac oratione permulta. Quæ recuperare legẽdis auctoribus potuimus, ea descripsimus. Ex Ammiani quidem Marcellini lib. x v hic locus est, vbi Gallorum mores exposuit. Vini, inquit, auidum genus, affectans ad vini similitudinem multiplices potus: & inter eos humiles quidam obtusis ebrietate continua sensibus, quam furoris voluntariam speciem esse Catoniana sententia definiuit, raptantur discursibus vagis: vt verum illud videatur, quod ait defendens Fonteium Tullius, Gallos posthæc dilutius esse poturos, quod illi venenum esse arbitrabantur.

Pro M. Fonteio Oratio, XI.

Desunt permulta.

CICERO. 569

" Hoc Prætore oppressam esse ære alieno Galliam. à quibus versuras tantarum pecuniarum 1
" factas esse dicunt? à Gallis? nihil minus. à quibus igitur? à ciuibus R. qui negotiantur in Gallia.
" Cur eorum verba nõ audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? Insector vltrò, atque in-
" sto accusatori Iudices: insector inquam, ac flagito testeis. plus ego in hac causa laboris & operæ
" consumo in poscendis testibus, quàm cæteri defensores in refutandis. Audacter hoc dico Iudi-
" ces, non temerè confirmo. referta Gallia negotiatorum est, plena ciuium R. nemo Gallorum
" sine ciue R. quicquam negotii gerit, nummus in Gallia nullus sine ciuium R. tabulis commo-
" uetur. Videte quò descendam Iudices, quàm longè videar à consuetudine mea, & cautione, ac
" diligentia discedere. Vnæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet
" pecuniam Fõteio datam: vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum,
" pecuariorum numero testem producant: verè accusatum esse concedam. Prò dii immortales
" quæ est hæc causa? quæ defensio? prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit, quæ constat ex iis ge-
" neribus hominum & ciuitatum, qui (vt vetera mittam) partim nostra memoria bella cum
" populo R. acerba, ac diuturna gesserunt: partim modò ab nostris imperatoribus subacti, mo-
" dò bello domiti, modò triumphis ac monimẽtis notati, modò ab senatu agris vrbibúsque mul
" tati sunt: partim qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerunt, multóque eius su-
" dore ac labore sub populi R. imperium ditionémque ceciderunt. Est in eadem prouincia Nar- 3
" bo Martius, colonia nostrorum ciuium, specula populi R. ac propugnaculum istis ipsis natio-
" nibus oppositum & obiectum. est item vrbs Massilia, de qua ante dixi, fortissimorum fidelissi-
" morúmque sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula populo R. copiis, armísque propul-
" sarunt. est præterea numerus ciuium R. atque hominum honestissimorum.

F. HOTOMANI COMMENTARII.

A quibus uersuras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? Versura fieri propriè dicitur, quum creditoris conuersio quædam & mutatio fit: nimirum quum quis alii vt soluat, ab alio pecuniã mutuatur. nã vt Vertere solũ, pro mutare veteres dicebant, sic etiam Vertere creditorem pro mutare dictum ab illis videtur. Sed modò Versuram facere, simpliciter significat æs alienum con-

trahere.sic Verrina III,pag.301, Inspiciebamus Syracusis à Carpinatio confectas tabulas societatis, quæ significabant multis nominibus eos homines versurã à Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent.sic in Orat.pro Celio,Tabulas,qui in patris potestate est,nullas conficit: versuram nunquam omnino fecit vllam. Sensus ergo hic est, A quibus illos sãtum æris alieni contraxisse dicunt:à quibus tantam pecuniã fœnore sumpsisse:&, VERSVRAS FACTAS: vt pecuniam M.Fonteio imperanti & exigenti darent.

Qui negotiantur in Gallia. Non à mercatoribus.aliud est enim mercatorem esse,aliud negotiatorem:vt supra ostendisse memini:quod tamen hodie vulgò ignoratur.A negotiatoribus ergo,id est,à publicanis,aratoribus,pecuariis. vt infrà 584, Omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ,pecuaris,cæteri negotiatores,&c.

Tabulæ nullæ proferuntur. De tabulis cognosce ex Orat.pro Q.Roscio,pag.92.

Sine ciuium R.tabulis. Vt non pecuniæ rationem cum ciuibus R.contrahant: quam rationem ciues R.in suis tabulis perscribunt.

Negotiatorum,colonorum,pub. De hisce omnibus multa multis in locis Verrinæ accusationis explicauimus.Colonos tamen accipio hoc loco,qui in coloniam Narbonẽsem missi sunt:de qua paucis pòst versibus,& pagina insequenti, Vtrum colonis vestris,negotiatoribus vestris,&c.

Partim nostra memoria bella cum Populo R. Memoria Ciceronis nullum cũ Gallis bellum nobile gestum memoriæ mãdatum est : nisi quis Cimbricum bellum Gallicũ interpretetur. Florus quidem in Epitome de C.Cæcilio meminit, quem in Gallia transalpina Saluios rebellantes belli Italici tempore vicisse scribit.

Partim modò ab nostris imperatoribus. Loquitur de iis quæ ipsius memoria gesta sunt:de quibus nihil scriptum reperio. In Orat.pro Quintio C.Flaccum imperatorem nominat, qui bellum in Gallia administrabat.

Narbo Martius. Narbo,nota ciuitas.Martium autem dictum esse quidam putant,quòd C.Cæsar Dictator colonos ex Martia legione milites eò deduxisset. Sed quũ Velleius Paterculus hãc coloniam deductam scribat Porcio & Martio COSS. verisimilius videtur ex Martii nomine appellationem sumpsisse.In libro tamen Velleii priore,mendosè Marco legitur pro Martio.

Populo R.copiis armisque. Alii prope omnes, Copiis remisque. in libris manu scriptis PO. RO. Ego sic castigarem, Qui Gallicorum bellorum pericula à Populo R.copiis armisque propulsarunt. nam si copiis Populi R. ac non suis id fecissent, minorem multò gratiam apud Populum R.iniuissent.

Atque honestissimorum hominum. Vox ATQVE otiosa est.Sententia autem ad vocem Numerus requirere Maximus videtur:quare sic corrigendum putarem,Est præterea numerus ciuiũ R.maximus,hominum honestissimorum. Itaque pagina insequenti sic scribit, Quid?ciuium R. quæ voluntas est?nemo est ex tanto numero,&c.

" Huic prouinciæ,quæ ex hac gentium varietate constaret,M.Fonteius(vt dixi)præfuit:qui e- CICERO.
" rant hostes,subegit:qui *proximi fuerãt,eos ex iis agris,quibus erãt multati,decedere coegit.cæ- 570
" teris,qui idcirco magnis sæpe erant bellis superati,vt semper Populo R.parerent,magnos equi *proximè
" tatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à Populo R.gerebantur, magnas pecunias ad
" eorum stipendium,maximũ frumenti numerum ad Hispanense bellum tolerandũ imperauit.
" Hæc qui gessit,in iudicium vocatur:vos,qui in re non interfuistis, causam vnà cum Populo R.
" cognoscitis.dicunt contrà,quibus inuitissimis imperatum est:dicunt,qui ex agris ex *Cn.Pom *M.Fonteii
" peii decreto decedere sunt coacti:dicunt,qui ex bello,cæde & fuga nunc primùm audent contra
" M.Fonteiũ inermem consistere.Quid coloni Narbonenses,quid volunt? quid existimãt? hunc
" per vos volunt,se per hunc incolumes existimãt esse.Quid Massiliensium ciuitas? hunc præsen
" tem iis affecit honoribus,quos habuit amplissimos.vos autem absens orat atque obsecrat,vt sua
" religio,laudatio, auctoritas aliquid apud vestros animos momenti habuisse videatur.quid? ci-
" uium R.quæ voluntas est?nemo est ex tanto numero,quin hunc optimè de prouincia,de impe
" rio,de sociis & ciuibus meritum esse arbitretur.Quoniam igitur videtis qui oppugnent M.Fon
" teium,cognoscitis qui defensum velint,statuite nunc,quid vestra æquitas,quid Populi R.digni
" tas postulet:vtrum colonis vestris,negotiatoribus vestris, amicissimis atque antiquissimis so-
" ciis & credere & consulere malitis:an his,quibus neque propter iracundiam fidem, neque pro-
" pter infidelitatem honorem habere debetis.

Qui proximi fuerant. Emendo, Proximè:vt sit,Qui proximè,id est,paulo antè hostes fuerant. HOTOM.

In toto orbe terrarum. Bellum hoc tempore Populus R.gerebat cum Sertorio in Hispania,duce Põpeio:cum Isauris & piratis in Cilicia,duce Seruilio:cũ Dardanis in Thracia,duce Curione: cum Mithridate in Asia,duce Lucullo:cum Spartaco in Italia,duce Vareno.

Ad Hispaniense bellum. Quod Pompeio duce aduersus Sertorium gerebatur.

Causam vnà cum Populo R. cognoscitis. Non quò Populus R. quasi sententiam laturus cognosceret: vt in certis criminibus, quorum quæstiones ad Populum R. pertinere dicuntur, de quibus diximus Verrina I I I. hoc enim iudicium est repetūdarum, lege populi constitutum: cui legi custodes ac vindices præpositi sunt: vt Verrina V I I, Quo confugient socii? ad Senatum deuenient, qui de Verre supplicium sumat? non est vsitatum, non Senatorium. ad Populum R. cōfugient? facilis est causa populi. Legem enim sociorū causa iussisse, & ei legi custodes ac vindices præpo suisse dicet. hic locus est igitur vnus, quò perfugiant, &c. Sed CVM POPVLO R. id est, præsente & inspectante populo R. qui circum subsellia Iudicum coronā faciebat. Iudices autem hoc iudicio Senatores, Equites & Tribunos ærarios fuisse patet ex pag. 579.

Ex Cn. Pompeij decreto. Proximè dixerat M. Fonteii. Eos, inquit, ex iis agris, quibus erant multati, decedere coegit. Et sanè quorsum attinebat Pompeii mentionem facere, non dispicio: quum ipsius Fonteii mētio magnopere ad causam sententiámque pertineat. præterea quomodo Cn. Pompeii decreto? quū id aut S. C. aut Prætoris Gallici decreto factum dici oporteat? nam neque dum Pompeius Consul tum fuerat: neque, vt opinor, imperiū in Gallia gesserat. Quare M. Fonteii, non dubito quin sit corrigendum: de quo tamen ex integra & non contaminata oratione planius constaret.

Religio, laudatio, auctoritas. De laudationibus prouincialium cognosce ex Verr. I I, pag. 138.

CICERO. Quid si maiorem etiam hominum honestissimorum copiam *affert, qui huius virtuti, atque
571 innocentiæ testimonio possint esse? taménne plus Gallorum consensio valebit, quàm summa
*affero l. auctoritas omnium? Quū Galliæ Fōteius præesset, scitis Iudices maximos Populi R. exercitus in duabus Hispaniis, clarissimósq; imperatores fuisse, quàm multi Equites R. quàm multi Tribuni militum, quales, & quot, & quoties Legati ad eos exercitus. Præterea Cn. Pompeius maximus atque ornatissimus hiemauit in Gallia, M. Fonteio imperante. Satisne vobis multos, satis idoneos testes, & cōscios videtur ipsa fortuna esse voluisse earum rerū, quæ M. Fonteio Prætore gererētur in Gallia? quem ex tanto hominum numero testem in hac causa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos iam laudatore & teste vtemur. Dubitabitis etiam diutius Iudices, quin illud, quod initio vobis proposui, verissimū sit, aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi vt M. Fonteio oppresso testimoniis eorum quibus multa Reipub. causa inuitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum cæteri sint, quū videāt eos oppugnari, quibus oppressis Populi R. imperium incolume esse nō possit? Obiectum est etiam, quæstum M. Fonteium ex viarum munitione fecisse: vt aut ne cogeret munire: aut id, quod munitū esset, ne improbaret. Si & coacti sunt munire omnes, & multorum opera improbata sunt, certè vtrunque falsum est: & ob vacationem pretium datum, quum immunis nemo fuerit: & ob probationem, quum multa improbata sint.

HOTOM. *Copiam affert.* Corrige, Copiam affero: vt in omnibus antiquis.

Gallorum consensio. Consensio, in malam partem: quasi conspiratio, cōiuratio. sic Verrina V I I, Quid igitur? nullíne motus in Sicilia seruorum Verre Prætore? nullæne consensiones factæ?

In duabus Hispaniis. Ea quæ cis, & altera quæ vltra Iberum flumen posita est.

Clarissimósque imperatores. Pompeium, Metellum, Perpennam.

Auctor placeat. Auctor, testis cuius auctoritatem sequimur.

CICERO. Quid? si hoc crimen optimis hominibus delegare possumus, & ita vt non culpā in alios trās-
572 feramus, sed vti doceamus eos isti munitioni præfuisse, qui facilè officium suum & præstare, & probare possunt: taménne vos omnia in M. Fonteium iratis testibus freti confereris? Quū maioribus Reipub. negotiis M. Fōteius impediretur: & quū ad Remp. pertineret viam Domitiam munire: Legatis suis primariis uiris C. Annio Bellieno, & C. Fonteio negotiū dedit. Itaque præfuerunt, imperauerunt pro dignitate sua, quod visum est, & probauerunt. quod vos, si nulla alia ex re, ex literis quidem vestris, quas scripsistis, & missis & allatis certè scire potuistis, quas si antea non legistis, nūc ex nobis quid de iis rebus Fonteius ad Legatos suos scripserit, quid ad eum illi rescripserint, cognoscite. Literæ ad C. Annium Legatum, ad C. Fonteium Legatū. Literæ à C. Annio Legato, à C. Fonteio Legato. Satis opinor esse perspicuum Iudices, hanc rationem munitionis neque ad M. Fonteium pertinere, & ab iis esse tractatam, quos nemo possit reprehendere. Cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi inuidiosissimum & maximum esse voluerunt. Crimen à Pletorio Iudices ita constitutum est: Fonteio non in Gallia primùm venisse in mentem, vt portorium vini institueret, sed in Italia hac proposita ratione Roma profectum: itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exe-
Crodimi gisse, Crodimum Porcium & Numium ternos victoriatos, Nulchalone serene Vrabinos & victoriatos mille. atque in his locis se Crodimi & Nulchalone ab his portorium esse exactū, si qui Cobiamacho, qui vicus inter Tolosam & Narbonē est, diuerterētur, neque Tolosam ire vellet.

Optanti hominibus delegare. Placet sic: quum in aliis quibusdam Nominibus, in aliis Denegare legamus. & locutio est idem significans, quod in alium transferre, vel reiicere. Celius ad Ciceronem scribens lib. VIII, Tamen in hoc deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quòd hunc laborem alteri delegaui.

Viam Domitiam munire. Dictam, opinor, & munitam à Cn. Domitio, qui Proconsul cum Gallis & Allobrogibus bellum gessit: vide Florum in Epit. lib. LXI.

Legatis suis. De Legatis scripsi Verrina II.

Ex literis quidem nostris. Quum in hoc cõsilio Iudices sedeant, vt antè dixi, ex Senatu, equitibus, & Tribunis ærariis: hæc ad Senatores tantum pertinet oratio. Senatus enim de vectigalibus & summa Reipub. consulebatur.

De iis rebus. De literis à Senatu ad Fonteium missis.

Portorium vini. Portorium, vectigal quod in portu pro exportandis mercibus soluitur, vnde qui hoc vectigal publicani redemerunt, Portitores dicuntur.

Crodunni Porcium. Crodunni, opinor, legendum est, vt paucis pòst versibus. Totus autem hic locus valde corruptus est.

Ternos victoriatos. De Victoriatis Plinius lib. XXXIII scribit his verbis, Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodia percussus est: antea enim, hic numus ex Illyrico aduectus, mercis loco habebatur. est autem signatus Victoria, & inde nomen. Est autẽ Victoriatus semis denarii: & nunc, inquit Volusius Metianus, tantundẽ valet quantum olim quinarius. Varro libro de analogia III, Nam quam rationem, inquit, duo ad vnum habent, eandem habent XX ad decem in numis, in similibus. si est ad vnum victoriatum denarius, sic ad alterum victoriatum alter denarius. Ita enim locum illum corrigendum esse arbitramur.

Quid æquo Quæsitore. Prætor qui capitis iudicio præest, & cũ consilio de causa cognoscit, Quæsitor dicitur: & ipsum iudicium, Quæstio: quòd eo iudicio is qui accusatus est, nocens néc ne sit, cum consilio quæritur.

10 Elesiodolus tantum senos denarios ab his, qui ad hostem portarent, exegisset. Video Iudices esse crimen, & genere ipso magnum: vectigal enim esse impositum fructibus nostris dicitur, & pecuniam permagnam ratione ista cogi potuisse cõfiteor, & inuidiã: vel maximè enim inimici hanc rem sermonibus diuulgare voluerunt. Sed ego ita existimo, quo maius crimen sit id, quod ostendatur esse falsum, hoc maiorem ab eo iniuriam fieri, qui id cõfingat; vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorum qui audiunt, vt difficilis aditus veritati relinquatur. CICERO. 573

Desiderantur quæ de crimine vinario erant reliqua, necnon quæ ad bellum Vocontiorum, & dispositionem hibernorum pertinebant.

11 At hoc Galli negant, actio rerum & vis argumentorum coargui potest. Igitur testibus Iudices, non credere cupidis, & iratis, & coniuratis, & ab religione remotis non solùm potestis, sed etiam debetis. Etenim si, quia Galli dicunt, idcirco M. Fonteius nocens existimandus est, quid mihi opus est sapiẽte iudice? quid æquo Quæsitore? quid Oratore non stulto? dicunt enim Galli, negare non possumus. Hic si ingeniosi, & periti, & æqui Iudicis has partes esse existimatis, vt quoniam quidem testes dicunt, sine vlla dubitatione credendum sit, salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest.

Salus ipsa virorum fortium innocentiam. Dicit deam salutem, cui templum in Quirinali dedicatum est. Sic Terent. in Adelphis,

ipsa si cupiat Salus
Seruare prorsus non potest hanc familiam.

Sin autem in rebus iudicãdis non minimam partem ad vnamquanque rem existimandam, momentóque suo ponderãdam sapientia Iudicis tenet: næ multo vestræ maiores grauioréisque partes sunt ad cogitãdum, quàm ad dicendum meæ. mihi enim semper vnaquaque de re, testis non solùm semel, verumetiam breuiter interrogãdus, & sæpe etiam non interrogãdus, ne aut irato facultas ad dicendũ data, aut cupido auctoritas attributa esse videatur. Vos & sæpius eandem rem animis agitare, & diutius vnoquoque de teste cogitare potestis: & si quem nos interrogare noluimus, quæ causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. Quamobrem si hoc Iudices, præscriptum lege aut officio putatis, testibus credere: nihil est cur alius alio iudice melior, aut sapientior existimetur. vnum est enim & simplex aurium iudicium, & promiscuè & communiter stultis ac sapientibus ab natura datum. Quid est igitur, vbi elucere possit prudentia? vbi discernatur stultus auditor & credulus ab religioso & sapienti iudice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à testibus, coniectura & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta CICERO. 574 13

Breuiter est

coniectura & cogitatione

cura, quanto timore dicantur. An verò vos id in testimoniis hominum barbarorũ dubitabitis, quod persæpe & nostra, & patrum memoria sapiẽtissimi Iudices de clarissimis nostræ ciuitatis viris dubitandũ non putauerũt: qui Cn. & Q. Cepionibus, L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem & auctoritatem in testimonio cupiditatis atque inimicitiarum suspicio derogauit.

HOTOM. *Non solum semel, sed etiam breuiter interrogandus.* Fortasse, Breuiter est interrogandus. Testes autẽ & ab ipsis accusatoribus & à defensorib⁹ interrogari solitos, notũ est omnib⁹ ex scriptis Asconii.

Si quein nos interrogare nolimus. Hoc se facturum non obscurè significat.

Coniectura & cogitatione traduntur. Corrigendum sic putarem, Coniecturæ & cogitationi traduntur. Nam locus erit hoc modo perspicuus: & eandem habebit sentẽtiam quam ille in Orat. pro Sex. Roscio 79, Quæ posita sunt in suspicionibus, ea vestris ingeniis coiecturæque committo.

Cn. & Q. Cepionibus. Valerius Max. Caium & Quintum appellat libro VIII, cap. de testibus. vbi hæc omnia exempla paulo dilucidius commemorat.

Hominem nouum. Homines noui nobilibus opponũtur. qua de re nobis alio loco explicatum est.

CICERO. 575 Ecquem hominem vidimus, ecquem vere cõmemorare possumus parem consilio, grauitate, constantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamẽtis M. AEmylio Scauro fuisse: tamen huius, cuius iniurati nutu propè terrarũ orbis regebatur, iurati testimonio neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum est. Noluerunt ii, qui iudicabant, hanc patere inimicitiis viam: quem quisque odisset, vt eum testimonio posset tollere. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quãta auctoritas: quis ignorat? tamẽ is, cuius etiam sermo testimonii auctoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis iudicibus diuinum ac singulare Iudices cõsilium, qui se non solum de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe, aut metu deprauatum, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitiis profectũ videretur. quæ si Iudex nõ amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circunspiciet, si, quicquid ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profectò satis erit id, quod dixi anteà, non surdum Iudicem huic muneri atque officio præesse: nihil erit quamobrem ille nescio quis sapiens homo ac multarum rerum peritus, ad res iudicandas requiratur. An verò illi Equites R. quos nos vidimus, qui nuper in Repub. iudiciisq; maximis floruerunt, habuerũt tantum animi, tantum roboris, vt M. Scauro testi non crederent: vos Belgarum atque Allobrogum testimoniis non credere timetis? Si inimico testi credi non oportuit, inimicior Marcello Crassus, aut Fimbriæ Scaurus ex ciuilibus studiis atque obtrectatione domestica, quàm huic Galli?

HOTOM. *M. AEmylio Scauro.* Hic est M. Scaurus, cuius pater, quanuis patritius, propter paupertatem carbonariam exercuit. qui nullo præsidio fortunæ, sed eloquentia & labore summos quosque magistratus adeptus est: princeps etiam Senatus fuit.

In C. Fimbriam. Valerius eo quem suprà dixi loco, C. Flauium.

Quantus in L. Crasso. Hæc eadem eodem loco Valerius.

Illi Equites R. quos nos vidimus. Senatores Romuli instituto soli semper iudicauerãt. C. Gracchus postea legem tulit, vt ad equestrẽ ordinem iudicia trãsferrentur. Iudicarunt annos amplius XL. deinde L. Sylla victor solis Senatoribus iudicia restituit. Postremò L. Aurelius Cotta Hortensio Metello coss. id est decem post legem à Sylla latã annis iudicia inter tres ordines communicauit, Senatũ scilicet, Equites, & Tribunos ærarios. Florus, Appianus, Plutarchus, Asconius.

CICERO. 579 Quorum qui optima in causa sunt, Equites, frumentum, pecuniam semel atque iterum, ac sæpius inuitissimi dare coacti sunt: cæteri, partim ex veteribus bellis agro multati, partim ab hoc ipso, bello superati & oppressi. ii, qui ob aliquod emolumentũ suum cupidius aliquid dicere videntur, iis credi non oportuit: credo maius emolumentum Cepionibus & Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeii damnatione, quũ studiorũ suorum obtrectatorem sustulissent, quàm cunctæ Galliæ ex M. Fonteii calamitate, in qua illa prouincia propè suam immunitatem ac libertatem positã esse arbitratur. An si homines ipsos spectare conuenit (id quod in teste profectò valere plurimum debet) non modò cum summis ciuitatis nostræ viris, sed cũ infimo ciue R. quisquam amplissimus Galliæ comparandus est? scit Induciomarus quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore quo nostrũ vnusquisque, quũ in eum locum productus est? Recordamini Iudices quantopere laborare soleatis, non modò quid dicatis pro testimonio, sed etiam quibus verbis vtamini, ne quod minus moderatè positũ, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbũ esse videatur. vultu deniq; laboratis, ne qua significari possit suspicio cupiditatis: vt &, quum proditis, existimatio sit quædam tacita de vobis pudoris ac religionis: &, quũ discedïtis, ea diligenter conseruata ac retenta videatur. Credo hæc eadem Induciomarũ in testimonio timuisse,

aut cogitasse: qui primùm illud verbum cõsideratissimum nostræ consuetudinis, Arbitror, quo nos etiam tunc vtimur, quũ ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit.

Qui optima in causa sunt. Qui optima conditione sub imperium ditionémque Populi R. subiuncti sunt. HOTOM.

Sit Induciomarus quid sit. Hic est Induciomarus princeps Treuirorum, qui à C. Cæsare bello victus atque interfectus est.

Primùm illud verbum, Arbitror. Hoc idem lib. Acad quæst. I I, testatur his verbis, Quam rationem maiorum etiam comprobat diligentia: qui primùm iurare ex sui animi sententia quenque voluerunt: deinde ita teneri, si sciens falleret, quòd inscitia multa versaretur in vita: tum qui testimonium diceret, vt arbitrari se diceret etiam quod ipse vidisset: quæque iurati iudices cognouissent, vt ea non esse facta, sed vt videri pronuntiarent.

Verebatur enim videlicet nequid apud vos Populúmq; R. de existimatione sua deperderet. CICERO. 577
nequa fama consequeretur eiusmodi, Induciomarum talem virum tam cupidè, tam temerè dixisse. non intelligebat, se in testimonio nihil præter vocem, & os, & audaciã neque ciuibus suis, neque accusatoribus nostris præstare debere. An verò istas nationes religione [*]iusiurãdi, ac metu deorum immortalium in testimoniis dicendis commoueri arbitramini? quæ tantum à cæterarum gentium more ac natura dissentiũt, quòd cæteræ pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones: illæ in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem ac veniam petunt, istæ cum ipsis diis immortalibus bella gesserunt. Hæ sunt nationes, quæ quondam tam longò ab suis sedibus Delphos vsque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terræ vexandum ac spoliandum profectæ sunt. Ab iisdem gentibus sanctis, & in testimonio religiosis obsessum Capitolium est, atque ille Iupiter, cuius nomine maiores nostri sanctã testimoniorum fidem esse voluerunt. Postremò his quicquam sanctum ac religiosum videri potest, qui etiam siquando aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant, vt ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam prius scelere violarint? Quis enim ignorat eos vsque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbarã consuetudinem hominum immolandorũ? Quamobrem quali fide, quali pietate existimatis esse eos qui etiam deos immortales arbitrentur hominum scelere & sanguine facillimè posse placari?

[*] iurisiurandi t.

Religione iusiurandi. Corrige Iurisiurandi, vt aliis in libris omnibus. HOTOM.

Delphos vsque ad Apollinem Pythium. Nota est historia ex Pausania in Phocicis, & Iustini libro XXIV extremo: quam & Strabo attigit lib. IV, & Liuius lib. XLIX.

Sanctam testimoniorum fidem. Ipse in libro de Off. I I I, in hanc sententiam, Qui igitur iusiurandum violat, is fidem violat: quam in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. vt in Catonis oratione est, maiores nostri esse voluerunt.

Humanis hostiis. Hunc Gallorum morem cognosce ex Comment. Cæsaris libro de bello Galli. VI. Plinius libro XXX scribit vsque ad suam memoriã eum morem à Gallis retentum, ac conseruatum fuisse: sed Tiberii Cæsaris principatũ Druidas eorũ sustulisse. hoc amplius, DCLVII demum anno vrbis Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso COSS. Senatusconsultũ factum esse, ne homo immolaretur, palámque ad illud vsque tempus sacra prodigiosa celebrata. Multa etiam hac de re scribit Eusebius libro de Præparat. Euang. IV.

Cum his vos testibus vestram religionem coniungetis? ab his quicquam sanctè aut moderatè dictum putabitis? hoc vestræ mentes tam castæ, tam integræ sibi suscipient, vt quum omnes Legati nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt: omnes Equites R. qui in illa prouincia fuerunt, omnes negotiatores eius prouinciæ: denique omnes in Gallia, qui sunt socii Populi R. atque amici, M. Fonteium incolumem esse cupiãt, iurati priuatim & publicè laudent: vos tamen Gallis credere malitis? Quid vt secuti esse videamini? voluntatémne hominum? grauior igitur vobis erit hostium volũtas, quàm ciuium? an dignitatem testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio ac nomini, bonis ac fidelibus, & sociis & ciuibus anteferre? An verò dubitatis Iudices, quin insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeant & gerant cum Populi R. nomine? sic existimatis eos hic sagatos bracatósque versari animo demisso atque humili, vt solent ii, qui affecti iniuriis, ad opem iudicũ supplices inferioresque confugiunt? Nihil verò minus. Hi contra vagantur læti atque erecti passim toto foro, cum quibusdam minis & barbaro atque immani terrore verborum: quod ego profectò non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul Iudices audissem: quum præciperent vt caueretis ne hoc absoluto, nouum aliquod bellum Gallicum concitaretur. CICERO. 578

Illo triennio in Galliam venerunt. Quo Fonteius Galliæ præfuit. Prætoriæ prouinciæ annũ vnum HOTOM.

obtinebantur:sed plerunque prorogabantur, vt Verri, vt Pisoni, vt aliis innumeris.

Sagum: brachatísque uersari. Sagum, opinor, non militarem vestem Romanorum similem signi ficat: sed stragulæ vestis genus, non absimile cilicio. Suetonius in Othone illiusmodi sagi mentionem facit his verbis, Ferebatur & vagari noctibus solitus, & in validũ quenque obuiorum vel potulentum corripere, ac distéto sago impositũ in sublime iactare. Tacitus de moribus Germanorum, Nudi, aut sagulo leues, nulla cultus iactatio. Et paulo pòst, Tegmen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum. De brachis autem & sagis Diodorus lib. v i sic scribit, Vestes autem ad terrorem intonsas, ac coloris varii ferunt, quas illi vocant brachas. Sagula gerunt virgata: hyeme quidem crassiora, æstate subtilia.

CICERO. 579 *legationibus fl. obitis conuictus virorum, bonorum testimoniis, inuisus

" Si M. Fonteium Iudices in causa deficerent omnia: si turpi adolescentia, vita infami, magi-
" stratibus, quos ante oculos vestros gessit, *conuictis virorũ bonorum testimoniis, legationibus
" flagitiosè obitis, inuisus suis omnibus in iudicium vocaretur: si in eo iudicio colonorum Popu
" li R. Narbonensium, fidelissimorũ sociorum Massiliensium, ciuium R. omnium testimoniis
" tabulisque premeretur: tamen esset vobis magnopere prouidendũ, ne quos ita afflictos à vestris
" patribus maioribúsque accepissetis, vt contemnendi essent, eos pertimuisse, & eorũ minis & ter-
" rore commoti esse videremini. Nunc verò, quũ lædat nemo bonus, laodent omnes vestri ciues
" atque socii, oppugnent ii, qui sæpissimè hanc vrbem & hoc imperium oppugnarunt: quúmque
" inimici M. Fonteii vobis ac Populo R. minentur, amici ac propinqui supplicent vobis: dubi-
" tabitis non modò vestris ciuibus, qui maximè gloria ac laude ducuntur, verumetiã exteris na-
" tionibus ac gentibus ostẽdere; vos in sententiis ferendis ciui parcere, quàm hosti cedere maluis-
" se? Magna mehercule causa Iudices absolutionis cũ cæteris causis hæc est, ne qua insignis huic
" imperio macula atque ignominia suscipiatur, si hoc ita perlatum erit in Galliam, Senatũ, Equi
" tésque Populi R. non testimoniis Gallorum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem
" iudicasse. Ita verò, si illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius,
" qui Induciomaro isti minaci atque arroganti par in belligerando esse possit: excitandus Cn. Do
" mitius & Maximus, qui nationem Allobrogum & reliquias suis iterum armis conficiat atque
" opprimat: aut quoniam id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus M. Pletorius,
" vt suos nouos clientes à bello faciendo deterreat, vt eorum iratos animos atque horribiles im-
" petus deprecetur,

HOTOM. *Conuictis virorum bonorum testimoniis.* Conuictus, alii nonulli: & sic puto emendandum. sed vtrocunque modo, mendum tamen subest. nam verbum Magistratibus, quò se referat, non habet. quare haud scio an sic potius sit legendum, Magistratibus quos ante oculos vestros gessit, legationibus flagitiosè obitis, conuictus virorum bonorum testimoniis, inuisus suis omnibus. Nihil tamen affirmo: tantùm sententiam meam testificor,

Qui maximè gloria & laude ducuntur. Qui maximè ignominiam oderunt, quam ex damnatione Fonteii ciuis sui & multis honoribus affecti consequentur.

Senatum Equitésque. Apparet quod suprà dixi, sedisse in hoc cõsilio Iudices ex tribus ordinibus. nam Ordinem cum Asconio Tribunorum ærariorum dignitatem appello. Tribunos enim ærarios quũ Senatũ appellat, præter eos Senatores qui sine potestate tum erãt, intelligi voluit.

Excitandus nobis erit ab inferis C. Marius. Marius IIII COS. Ambronum Teutonúmque gẽtem ferocissimam, quæ cum exercitu numerosissimo in Italiam inuaserat, prælio vicit: qua victoria Romam nuntiata V COS. absens creatus est. Quintum Consul Catulo cum Cimbris difficile bellum gerenti præsidio fuit, hostésque superauit.

Cn. Domitius & Maximus. Q. Fabius Max. cum Allobrogibus, Cn. Domitius quum Aruernis, acerba & diuturna bella gesserunt. vt ipse alibi scribit, & Cæsar libro 1. de quorum victoriis cognosce ex Floro in Epit. lib. LXI.

M. Pletorius. Hic est M. Pletorius Fonteii accusator, in quem Ciceronis iocus memoratur à Quintiliano libro VI, Eius, inquit, matrem dixit dum vixisset, ludum habuisse. dicebantur autem dum vixit infames fœminæ ad eam conuenire solitæ: post mortem eius bona venibant. quanquam hîc Ludus per trãnslationem dictus est: Magistri, per ambiguitatem. hæc Fabius.

CICERO. 580

" Aut, si non poterit, M. Fabium subscriptorem eius rogabimus, vt Allobrogum animos mi-
" tiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen amplissimum: vt velint isti aut quiescere, id quod
" victi ac subacti solent: aut, quũ minantur, intelligere, se Populo R. non metum belli, sed spem
" triumphi ostendere. Quod si in turpi reo patiendum non esset, vt quicquam isti se minis profe-
" cisse arbitrarentur: quid faciendum vobis in M. Fonteio arbitramini? de quo homine Iudices
" (iam enim mihi videor hoc propè causa duabus actionibus perorata debere dicere) de quo vos
" homine Iudices ne ab inimicis quidem vllum fictum probrosum non modò crimen, sed ne ma
" ledictum quidem audistis. Ecquis vnquam reus, præsertim in hac vitæ ratione versatus, in hono

ribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis, sic accusatus est, vt nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore obiiceretur, si non vera, attamen ficta, cum aliqua ratione ac supicione? M. AEmylium Scaurum summum nostræ ciuitatis virum scimus accusatum à M. Bruto. extant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta, falsò, quis negat? veruntamen ab inimico dicta & obiecta. Quàm multa M. Aquilius audiuit in suo iudicio? quàm multa L. Cotta? denique P. Rutilius? qui etsi dãnatus est, mihi videtur tamẽ inter viros optimos atque innocentissimos esse numerãdus. Ille igitur ipse homo sanctissimus ac temperatissimus multa audiuit in sua causa, quæ ad suspicionem stuprorum ac libinũ pertinerent.

M. Fabium subscriptorem. De subscriptoribus satis multa diximus in Diuinat. in C. Verrem. HOTOM.

Causa duabus actionibus perorata. Hunc locum & alium simillimũ qui sequitur, explicauimus in Comment. Verrinæ II, vnde ea assumentur, quæ huc pertinebunt.

In potestatibus, in imperiis gerendis. Cum potestate esse dicuntur, qui à populo alicui negotio præficiuntur: cum imperio, quibus nominatim à populo dabatur imperium. vt illi quidem, Minores magistratus fuerint: qui videlicet minoribus auspiciis creabantur: veluti Quæstores, Tribuni ærarii, Tribuni militares, Triumuiri capitales, Treuiri ære, auro, argento. Maiores verò, qui maioribus auspiciis: qui in imperio, & item cum imperio esse dicuntur: Tribuni plebis Consules, Prætores, Dictatores.

M. AEmylium Scaurum accusatum à M. Bruto. Ter accusatum Scaurum reperio, primùm à Cn. Domitio Trib. pleb. quòd eius opera sacra multa Populi R. deminuta esse diceret. iterum à Q. Seruilio Cæpione lege Seruilia repetundarũ: tertiò à Q. Vario Tribuno pleb. lege Varia proditionis. quæ omnia ex Asconio didicimus. sed M. Bruti qualis accusatio fuerit, legisse non memini.

M. Aquilius. Repetundarum à P. Lentulo accusatus, vt Verrina I, pag. 134. Is est qui quũ causam diceret, Iudices rogare noluit. cuius patronus M. Antonius quũ pro eo peroraret, tunicam discidit, vt honestas cicatrices ostenderet. testis Cicero lib. de Orat. II, & Verr. v II, 486.

L. Cotta. Quem P. Africanus posteaquam bis Cõsul & Censor fuisset, in iudicium vocauit. in Diuina. 134. absolutus est tamen, ne nimiis aduersariis viribus abiectus videretur. vt in Orat. pro Muræna, & apud Valerium Max. libro VIII.

P. Rutilius. Cognomento Rufus, de quo persæpe Tullius cõmemorat. vt in Bruto, Qui quanquam, inquit, innocentissimus in iudiciũ vocatus esset, quo iudicio conuulsam esse penitus scimus Rempub. quũ essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus & M. Antonius Consulares, eorum adhibere neutrum voluit, dixit ipse pro sese. Et in Pisonem, Damnatio ista quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod specimen habuit hæc ciuitas innocentiæ. maior mihi iudicũ & Reipub. pœna illa visa est, quàm Rutilii. De eodem Florus in Epit. sic scribit, P. Rutilius vir summæ innocentiæ, qui Legatus C. Marii Procõsulis à publicanorũ iniuriis Asiã defenderat, inuisus Equestri ordini, penes quem iudicia erãt, repetundarum damnatus, in exiliũ missus est.

Extat oratio hominis (vt opinio mea fert) nostrorum hominum longè ingeniosissimi, atque CICERO. eloquẽtissimi C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonẽ turpia ac flagitiosa dicũtur: at 581 in quem virũ? qui tãta virtute atque integritate fuit, vt etiã illis optimis temporibus, quũ hominem inuenire nequã neminẽ posses, solus tamẽ Frugi nominaretur: quẽ quũ in concionẽ Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret, quẽ Pisonem? quòd erãt plures, Cogis me, inquit, dicere inimicũ meum Frugi. Is igitur vir, quem ne inimicus quidẽ satis in appellãdo significare poterat, nisi ante laudasset: qui vno cognomine declarabatur, nõ modò quis esset, sed etiã qualis esset: tamẽ in falsam atque iniquã probrorũ insimulationem vocabatur. M. Fõteius ita duabus actionibus accusatus est, vt obiectum nihil sit, quo significari vestigiũ libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ possit. Non modo nullũ facinus huius protulerunt, sed ne dictũ quidem aliquod reprehenderunt. Quòd si aut quantam voluntatẽ habent ad hunc opprimẽdum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent aut ad ementiendum animi, aut ad fingendum ingenii, non meliore fortuna ad probra nunc audienda Fonteius, quàm illi de quibus anteà commemoraui, fuisset. Frugi igitur hominem iudices, frugi inquã, & in omnibus vitæ partibus moderatum ac temperãtem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis videtis positum in vestra fide ac potestate, atque ita, vt commissus sit fidei, permissus potestati.

Eloquentissimi C. Gracchi. Idem scribit in Bruto, & in Oratore multis locis. HOTOM.

Quum hominem inuenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. Ergo Frugi hominem cum homine nequam, quasi contraria inter se, opponit. in Tuscul. III, hoc modo: Frugalitas, vt opinor, à fruge: qua nihil melius è terra oritur. nequitia ab eo, quòd nequicquã est in tali homine ex quo idem nihili dicitur. Hæc Cicero. feréque nequitiæ verbum ita propriè vsurpatur, vt ponatur in hominibus luxu diffluẽtibus. quos nepotes etiam vulgò appellamus. ex quo Prætoris

bonis alicui interdicentis formula concepta est: quemadmodũ Paulus Iurisconsultus testatur. Quandoquidem tibi bona paterna habita, quæ nequitia tua disperdis, liberósque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercióque interdico.

Viator quæreret. Viatoribus enim Tribuni pleb. vtebantur: Consules & Prætores Lictoribus.

CICERO. 582 Videre igitur vtrum sit æquius: hominem honestissimum, virum fortissimum, ciuem optimum dedi inimicissimis atque immanissimis nationibus, an reddi amicis: præsertim quum tot res sint, quæ vestris animis pro huius innocẽtis salute supplicent: primùm generis antiquitas: quam Tusculo ex clarissimo municipio profectam in monimentis rerum gestarũ incisam ac notatam videmus, tum autem continuæ Præturæ, quæ & cæteris ornamentis, & existimatione innocentiæ maximè floruerunt: deinde recens memoria parentis, cuius sanguine non solùm Asculanorum manus, à qua interfectus est, sed totũ illud sociale bellum macula sceleris imbutum est: postremò ipse quũ in omnib' vitæ partibus honestus atque integer, tum in re militari quũ summi consilii & maximi animi, tum verò vsu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominũ, qui nunc sunt, exercitus. Quare si etiã monẽdi estis à me, quod nõ estis iudices: 31 videor hoc leuiter pro mea auctoritate vobis præcipere posse, vt ex eo genere homines, quorũ cognita virtus, industria, felicitas in re militari sit, diligenter vobis retinendos existimetis. fuit enim maior talium virorum in hac Rep. copia: quæ quum esset, tamen eorum nõ modò saluti, sed etiam honori consulebatur. Quid nunc vobis faciendũ est, studiis militaribus apud iuuentutem obsoletis, hominibus autem ac summis ducibus partim ætate, partim ciuitatis discordiis hac Reip. calamitate consumptis, quũ tot bella aut à nobis necessario suscipiãtur, aut subitò atque improuisa nascantur: nónne & hominem ipsum ad dubia Reip. tempora reseruandum, & cæteros studio laudis ac virtutis inflamandos putatis? 32

HOTOM. *In monimentis rerum gestarum.* In statuis.

Asculanorum manus à qua interfectus est. Quum Italiæ populi sese ad bellum Populo R. inferẽdum compararent, obsidésque inter se ciuitates darent, Seruilius ea de re admonitus, Asculum profectus quum Asculanos vehementius obiurgare instituisset, qui tum diem festum celebrabant, ab iis vnà cum Fonteio Legato suo, omnibúsque ciuibus R. qui in eo oppido erant, interfectus est. Appianus.

Totum illud sociale bellum. Quod propter negatam Italicis populis ciuitatem exortum est. nota est historia ex Appiano, & aliis.

Partim ciuitatis discordiis Ciuilibus bellis. Appianus auctor est amplius centum millia hominũ Syllæ victoria cæsa esse, & præterea Senatores nonaginta: eorũ autem qui cũ imperio aut potestate essent, XV, Equitũ duo millia supra DC. Quod enim scribit [illegible], sic interpretor, qui cum imperio aut potestate essent. nam Consules quinque tantùm interfecti sunt. Valerius Max. scribit quatuor millia & septingẽtos diræ proscriptionis edicto iugulatos Syllam in tabulas publicas retulisse.

CICERO. 583 Recordamini quos Legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Rutili', quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit: scietis fuisse tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullã Prætorios homines, belli gerẽdi peritissimos: præterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulum, P. Crassum, non literis homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditos. Agè verò nunc inferte oculos in curiam, introspicite penitus in omnes Reipub. partes: vtrum videtis nihil posse accidere, vt tales viri desiderãdi sint: an, si acciderit, eorum hominum copia Populum R. abundare? Quæ si diligenter attendetis, profectò Iudices virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad vsum ad disciplinam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunámque felicem, domi vobis ac liberis vestris retinere, quàm inimicissimis Populi R. nationibus & crudelissimis tradere & condemnare maletis. At infestis propè signis inferuntur Galli in Fõteium, & in- 33 34

*non & l. stant atque vrgent summo cum studio, summa cum audacia: nos verò Iudices *& multis & fir-

*resistemus l. mis præsidiis, vobis adiutoribus isti immani atque intolerandæ barbariæ *resistemus. Primùm obiicitur cõtra istorum impetus Macedonia fidelis & amica Populo R. prouincia: quæ quum se ac suas vrbes non solùm consilio, sed etiam manu Fonteii conseruatam esse dicat, vt illa per hunc à Thracum aduentu ac depopulatione defensa fuit, sic ab huius nunc capite Gallorũ impetus terrorésque depellit. Constituitur ex altera parte vlterior Hispania, quæ profectò nõ modò religione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam sceleratorum hominum periuria testimoniis ac laudationibus suis refutare. Atque ex ipsa etiam Gallia fidelissima & grauissima auxilia sumuntur. 35

HOTOM. *Quos Legatos nuper in bello.* Legendũ videtur In bello sociali. nã eo bello omnes illi interierunt.

Quos L. Iulius, P. Rutilius. Horum omnium & potestatem, & cædem cognoscet lector studiosus ex vna aut altera pagina libri primi περὶ τῶν ἐμφυλ. apud Appianum cap. de Bello sociali. nam ne-

que longam interpretationem hic locus postulat: & si postularet, locum illum Appiani totum hunc in locum adscribi oporteret.

Et multis & firmis. Vetus codex, & aliquot impressi, Non & multis, quod placet: vt cum interrogatione legatur.

Obiicitur contra istorum impetus Macedonia. In Macedonia & Hispania Legatũ fuisse ex eo loco coniecturã capio, vbi paulò antè dixerat, Legationibus flagitiosè obitis: 579. ab vtraque autẽ significat missas publicè Legationes, quæ Fonteium, vt moris erat, laudarent.

Venit huic subsidio misero atque innocẽti Massiliensiũ cuncta ciuitas, quæ nõ solùm ob eam CICERO.
causam laborat, vt huic, à quo ipsa seruata est, parẽ gratiã referre videatur, sed etiam, quòd ea con- 584
ditione atque eo fato se in iis terris collocatã esse arbitratur, nequid nostris hominibus istæ gentes nocere possint. Pugnat pariter pro salute M. Fõteii Narbonẽsis colonia, quæ per hũc ipsa nuper obsidione hostiũ liberata, nũc eiusdem miseriis ac periculis cõmouetur. Denique, vt oportet bello Gallico, vt maiorũ iura, moréſque præscribunt, nemo est ciuis R. qui sibi vlla excusatione vtendũ putet. Omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, cæteri negotiatores vno animo M. Fonteiũ atque vna voce defendunt. Quòd si tantas auxiliorũ nostrorũ copias Induciomarus ipse despexerit, dux Allobrogũ cæterorúmque Gallorũ, num etiam de matris hunc complexu lectissimæ miserrimæque fœminæ vobis inspectãtibus auellet atq; abstrahet? præsertim quũ virgo Vestalis ex altera parte germanũ fratrem cõplexa teneat, vestrámque Iudices ac populi R. fidẽ imploret: quæ pro vobis liberísque vestris tot annos in diis immortalibus placãdis occupata est, vt ea nũc pro salute sua, fratrisq; sui animos vestros placare possit: cui miseræ quod præsidiũ, quod solatiũ reliquũ est, hoc amisso? nã cæteræ fœminæ gignere ipsæ sibi præsidia, & habere domi fortunarũ omnium sociũ participémque possunt: huic verò virgini quid est præter fratrem, quod aut iucundum, aut charum esse possit? Nolite pati Iudices aras deorum immortalium, Vestæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro iudicio commoueri.

Vt oportet bello Gallico. Appianus ἐμφυλ. β, sic scribit, οὕτω δὴ Ῥωμαίοις ἐπίφοβοι, ὡς νόμον τεθῆναι ἀτελεῖς στρατείας ἱερέας καὶ γέροντας ἐξεστράτευσθαι, πλὴν εἰ μὴ Κελτικὸς πόλεμος εἴη, τότε δὲ καὶ γέροντας καὶ ἱερέας στρατεύεσθαι. Vsque eo, inquit, NOTOM.
Galli Romanis terribiles & formidolosi sunt, vt in lege de vacatione militiæ, quæ sacerdotib' & senibus permittitur, illud ascriptũ sit, nisi si bellum Gallicũ exoriatur. tum enim & senes & sacerdotes in militiã proficisci. Liuius quoque lib. VIII tradit, exorto tumultu Gallico, Mamercũ COS. iussum scribere exercitũ sine vlla vacationis venia. quin opificũ quoque vulg', & sellularii, minimè militiæ idoneũ genus, exciti dicuntur. Idẽ præterea lib. X, vbi de eodẽ nuntio cõmemorat, Senatus, inquit, iustitiũ indici, delectũ omnis generis hominum haberi iussit, nec ingenui modò, aut iuniores sacramento adacti sunt: sed seniorum etiam cohortes factæ, Libertinique centuriati. Plutarchus præterea in vita M. Marcelli, de Gallis loquens: οὓς μάλιστα, inquit, Ῥωμαῖοι δεῖσαι δοκοῦσιν, ἅτε δὴ καὶ τὴν πόλιν ὑπ' αὐτῶν ἀποβαλόντες. ἐξ οὗπερ δὴ καὶ νόμον ἔθεντο, ἀπηλλάχθαι στρατείας τοὺς ἱερέας, πλὴν εἰ μὴ Γαλατικὸς πάλιν ἐπέλθοι πόλεμος. id est, Quos maxime Romani metuisse videntur, quippe à quibus vrbe pulsi aliquando fuerant. ac iam tum legem tulerãt, vt vacatio militiæ sacerdotibus esset, præterquam si rursus Gallicũ bellum exoriretur. Itẽ in Camillo, οὕτω δ' ἦν ὁ φόβος τῶν ἰσχυρὸς, ὥστε θέσθαι νόμον ἀφεῖσθαι τοὺς ἱερεῖς στρατείας, χωρὶς ἂν μὴ Γαλατικὸς ᾖ πόλεμος. id est, Tãtus erat Gallorũ metus, vt legẽ Romani tulerint, vt sacerdotes militiæ vacationem haberent, præterquã si bellũ Gallicũ exoriretur. Tumultu tamen, non bello Gallico, hanc fuisse consuetudinem Cicero Philippica octaua docet his verbis: Grauius autem esse tumultum, quàm bellum hinc intelligi potest, quòd bello Gallico vacationes valent, tumultu non valent.

De matris hunc complexu. Vtranque & matrẽ scilicet, & sororẽ in Epilogo productas esse, & locus demõstrat, & patet ex more qui ex his verbis Verr. III cognoscitur, quæ infrà subscribã: Cur cogis sodalis vxorẽ, sodalis socrũ, domũ deniq; totã sodalis mortui cõtra te testimoniũ dicere: prudentissimas lectissimásq; fœminas in tantũ virorũ conuentũ insolitas inuitásque prodire cogis?

Cæteræ fœminæ gignere ipsæ præsidia. Sex erãt Vestales, vt scribit Dionysius Hal. quas annos XXX cœlibes esse oportebat. ac primo quidẽ decennio religionẽ discebant, altero sacra faciebãt, tertio alias docebãt. quo exacto licebat illis, relictis sacerdotii insignibus, nubere. sed hoc, inquit, & perpaucæ fecerũt, & quib' hoc accidit, exit' vitæ infelices euenerũt. hæc ex Dionysio & Plutarcho.

Prospicite ne ignis ille æternus nocturnis Fõteiæ laborib' vigiliísq; seruatus, sacerdotis Ve- CICERO.
stæ lacrymis extinctus esse dicatur. Tẽdet ad vos virgo Vestalis manus supplices easdẽ, quas pro 585
vobis diis immortalib' tẽdere cõsueuit. Cauete ne periculosum superbúmq; sit, eius vos obsecrationẽ repudiare, cuius preces si dii aspernarentur, hæc salua esse non possent. Videtísne subitò Iudices virum fortissimum M. Fonteium parentis & sororis commemoratione lacrymas profudisse? qui nunquam in acie pertimuerit, qui se armatus sæpe in hostium manum multitudinémque immiserit, quum in eiusmodi periculis eadem se solatia suis relinquere arbitraretur, quæ suus pater sibi reliquisset: idem nunc perturbato animo pertimescit, ne non modò ornamento

» & adiumento non sit finis, sed etiam cum acerbissimo luctu dedecus æternũ miseris atque igno-
» miniam relinquat. O fortunam longè disparem M. Fontei, si deligere potuisses, vt potius telis
» tibi Gallorum, quàm periuriis intereundũ esset: tum enim vitæ socia virtus, mortis comes glo-
» ria fuisset: nunc verò qui est dolor, victoriæ te atque imperii pœnas ad eorum arbitriũ sufferre,
» qui aut victi armis sunt, aut inuitissimi paruerunt? A quo periculo defendite Iudices ciuem for-
» tem atque innocentem: curate vt nostris testibus plus, quàm alienigenis credidisse videamini:
» plus salutí ciuiũ, quàm hostium libidini cõsuluisse: grauiorem duxisse eius obsecrationem, quæ
» vestris sacris præsit, quàm eorum audaciã, qui cum omnium sacris delubrísque bella gesserunt.
» Postremò prospicite Iudices, id quod ad dignitatẽ popoli R. maximè pertinet, vt plus apud vos
» preces virginis Vestalis, quàm minæ Gallorum valuisse videantur.

FRANCISCI HOTOMANI IN ORATIONEM M. T. Ciceronis pro A. Cæcina Commentarii.

ARGVMENTVM.

M. Fulcinius Tarquiniẽsis vxori Cesenniæ moriens omniũ suorum bonorum vsumfructũ reliquit, vt frueretur vnà cũ filio hærede instituto. Mortuo filio, & auctione bonorum constituta, Sex. Ebutius, eius mulieris cognitor, fundũ ex iis quendã mercatus est: eíque fundus ille ab argẽtario ad cuius tabulã auctio fiebat, vẽditus addictúsque in tabulas relatus est. Nõ ita multo pòst Cesennia A. Cæcinæ Volaterrano nupsit: quo hærede instituto, decessit. Ebutius continuò in eũ fundũ quem emerat, proficiscitur, suũ esse illum affirmans, sibíque emisse: idque etiã ex argentarii tabulis demõstrans: & hoc amplius, non posse hæredem esse Cesenniæ Cæcinã, ꝙ Volaterranis adẽpta esset à Sylla victore ciuitas. Itaque quũ in illũ Cæcina fundũ ingredi vellet, coactis armatísque hominibus per vim eũ ab eius fundi aditu ingressúque prohibuit. Repulsus Cæcina interdictũ de armatis hominibus à Prætore impetrat: vt vnde deiectus esset, eò restitueretur. Ebutius restituisse se defendebat, id est, imperio Prætoris paruisse: (hæc enim fuit veterum iudiciorum inanis quædam subtilitas) quamuis reuera non restituisset: sed quia Prætor non aliter restitui iusserat, nisi si deiecisset. Deiectum autem Cæcinam non fuisse, quum in eo fundo non esset: sed tantùm repulsum, ac prohibitum: deiici enim eum duntaxat, qui ex eo, in quo erat, loco depellitur. Quibus omnibus respondet Cicero mea sentẽtia, calumniosè, & ad tempus causámque nimis accommodatè. Quum enim id quod de loco dicebat Ebutius, deiectum videlicet à Prætore neminẽ intelligi, nisi qui quũ in loco esset, ex eo depulsus est, hoc tãtùm significet, neminẽ deiici, nisi qui locũ illũ aut possideat aut teneat, id est, nisi in eo sit: tamẽ callidissimè verba ipsa Nõ deieci, sed eieci, quæ frigidissima prima specie vidẽtur esse, vrget, atque insectatur: sentẽtiam illorũ calumniosè dissimulans, & defensionẽ illã, quasi perridiculam ac planè nugatoriã pluribus verbis exagitãs. etiã ad extremũ vtens illa calumnia: quũ Prætores vim armis factã, etiam si deiectus nõ possideat, restitui iubeant, alia ratione nõ iubeant: nõ esse quærendũ, possideátne Cæcina, annon: quia vis armatis hominibus facta sit. Nam respõderi nullo negotio poterat, in vi armis facta, etiã si is qui deiicitur nõ possideat, in loco tamen esse illum oportere. quòd si, quũ iuris in eã rem nihil habeat, neque eã possideat, tamen ingredi velit, sine vlla iniuria prohiberi ac repelli posse. Secũdo loco respõdet Cæcinã posse disse. quod ex eo confirmat, quia sit hæres vsufructuariæ, quæ sine cõtrouersia possidebat. quod apertè falsum ac nugatoriũ est: vt vel iis qui primoribus labris ius ciuile degustarũt, facilè intellectu est. In extremo de Volaterranorũ iure sic respõdet: ius nõ fuisse populo R. ciuitatẽ adimere Volaterranis: & neminem inuitũ ciuitatẽ aut libertatẽ amittere. Genus causæ iudiciale est. status definitionis. Intẽtio est, Deiecisti Cæcinã, quòd eum in fundũ Fulcinianũ ingredi prohibuisti. depulsio, Non deieci. Quæstio est, An deiecerit. Ratio, In fundo enim nõ erat. Firmamentũ, Deiici etiam qui ingressu tãtũ prohibetur: tametsi de loco nõ depellatur. sed hoc firmamẽto ad speciẽ vtitur, nõ ad veritatẽ: infirmat enim rationis verba, non rationis sententiã. nam reuera ratio hæc erat: Neque possidebat Cæcina, neque tenebat. deiici non dicitur, nisi qui saltẽ in loco est. quare deiectus nõ est. Iudicatio igitur nulla est, quæ ex cõflictione rationis ac firmamenti nascitur: quũ firmamentũ cũ ratione nõ cõmittatur. Quib' c o s s. acta sit, nõdũ reperi. apparet tamẽ diu post Syllæ mortẽ actã esse, P. Dolabella Prætore vrbano. Agitur autẽ ad Recuperatores ab eo datos, quũ bis iã ampliata fuisset. Et hic fuit, opinor, Cæcina Volaterran', equestris ordinis, quadrigarum dominus, quẽ Plinius scribit lib. x, cõprehensas hirundines in vrbẽ secũ auferẽtẽ, victoriæ nũtias amicis misisse, in eundẽ nidũ remeãtes illito victoriæ colore. ꝙ nisi mendũ est apud Gel. lib. v i, cap. 16, vbi hæc oratio Pro A. Licinio nominatur, nomẽ habuit Cæcina Licinii. de quo tamen affirmare non ausim. De hac oratione Cicero in Bruto sic scribit: Tota mihi causa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, verba ambigua distinximus.

Pro A. Cæcina Oratio, XII.

CICERO. 589

Si, quantum in agro locísque desertis audacia potest, tantum in foro, atque in iudiciis impudentia valeret, nó minus *in causa cederet A. Cæcina Sex. Ebutii impudẽtiæ, quàm tum in vi facienda cessit audaciæ. Verùm & illud considerati hominis esse putauit, qua de re iure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc constantis, quicum vi & armis certare noluisset, eum iure iudicióque superare. Ac mihi quidem quũ audax præcipuè fuisse videtur Ebutius in conuocandis hominibus & armandis, tum impudens in iudicio: non solùm quòd in iudicium venire ausus est, (nam id quidem tametsi improbè fit in aperta re, tamen malitia est iam vsitatum) sed quòd non dubitauit id ipsum quod arguitur, confiteri. nisi fortè hoc rationis habuit, quoniam si facta vis *non esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset: quia contra ius morémque facta sit, A. Cæcinam cum amicis metu perterritũ profugisse: nũc quoque in iudicio, si causa more institutóque omnium defendatur, uos inferiores in agendo non futuros. sin è consuetudine recedatur, se, quo impudentius egerit, hoc superiorem discessurum. Quasi verò aut in iudicio possit idem improbitas, quod in vi confidentia: aut non eo libentius tum audaciæ cesserimus, quo nunc impudentiæ facilius obsisteremus. Itaque longè alia ratione Recuperatores ad agẽdã causam hac actione venio, atque initio venerã: tum enim nostræ causæ spes erat posita in defensione mea, nunc in confessione aduersarii: tum in nostris, nunc verò in illorũ testibus: de quibus ego anteà laborabam, ne, si improbi essent, falsi aliquid dicerent: si probi existimarentur, quod dixissent, probarent.

*nunc in l.

*abest h.

F. HOTOMANI COMMENTARII.

Tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret. Romæ in foro iudicia exercebantur: priuata plurimùm in comitio: vt apparet ex lib. Macrobii Saturn. I I, Plauto in Pœnulo, & Varrone de lingua Latina I V. Comitiũ autẽ in foro fuisse Plinius lib. X V demonstrat his verbis, Colitur ficus arbor in foro ipso atq; comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi cõditis. & sic accipio locũ libri Rhetor. ad Her. I I, In foro aut in comitio causam coniicito. quem locum postea explicacabimus.

Non minus in causa cederet. Aquila R. & Fab. Quintilianus, Non minus nunc in causa: quod particula TVM quæ proximè sequitur, rectum esse ostendit.

Considerati hominis esse putauit. Quũ illius cessit audaciæ, & se in fugam coniecit. Hoc enim dicit, vt consideratione & prudentia adductus, non autem ignauia & inani metu perculsus fugisse Cæcina videatur.

Et hoc constantis. In proposito susceptóque consilio permanentis. non temerè deserentis eã controuersiam, quam prudenter & consideratè susceperat.

Iure iudicióque superare. Ius, quod Prætor decreuit, quum iudicium cõstituit. Iudicium, iudicum siue Recuperatorum à Prætore datorum cognitio atque disceptatio.

Non dubitauit idipsum quod arguitur confiteri. Conuocatos à se homines, & armatos fuisse: sed dissimulat Cicero defensionem Ebutii. Defendebat enim, quantum ego existimare possum, se ob eam causam armasse, ne vis sibi afferretur, ac de suo fundo vi à Cæcina deiiceretur. quinetiã nõ modò id confitebatur, sed etiã profitebatur, ac præ se ferebat. testes enim eos ipse sumpserat, quemadmodum Cæcina in ipsius fundum per vim armatis hominibus ingredi conatus esset: & eum prohibuisset, non deiecisset. Atque hoc videlicet quasi grauissimo in sua causa firmamento vtebatur. pag. 595.

Hoc rationis habuit. Quum in iudicium venire ausus est.

Quoniam si facta vis non esset moribus. Tolle negationem, quæ in hoc vno (vt opinor) libro legitur, ab imperito aliquo & temerario correctore sine causa posita. nã sæpe postea in hac ipsa Oratione de vi quæ moribus fiebat, loquitur: vt pag. 593, Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. Et 594, Ad eum fundum profectus est, ex quo ex conuentu vim fieri oportebat. & 603, Quũ ad vim faciendã veniretur. & 623, Ipse portò Cæcina cur se moribus deduci volebat? Quid sit igitur Vim fieri moribus, videamus. Ex his sanè locis, quos cõmemorauimus, & siqui sunt præterea similes, illud manifestò intelligitur, moris fuisse, vt quũ de agro quopiã controuersia institueretur, quia propter cõmoda possessionis magna iurgia, & pugnæ interdum ac cædes oriebantur, litigatores de amicorũ sententia diem inter se sumerẽt, qua die in rẽ præsentẽ, id est, in agrũ illum vnà veni-

rent, & in eo agro vim aliquã alter alteri faceret, non verã & ſolidam, ſed fictam & ſimulatam. Ex tota autem oratione illud apertè cõſtat, quòd is qui detruſus erat, à Prætore ex edicto poſtulabat, vt vnde vi deiectus eſſet quum poſſideret, eò reſtitueretur Prætor decernebat. Quũ reſtitui iuſſus ab aduerſario peteret vt ſe reſtitueret, reſpõdebat aduerſarius ſe reſtituiſſe. altero igitur reſtitutũ ſe negãte, ſponſio fiebat. Recuperatores ſumebantur: apud quos quærebatur, reſtitutúſne eſſet, qui fuerat deiectus, annõ: id eſt, paruiſſétne deiector edicto atque imperio Prætoris, annon. Hoc autẽ iudicio (vt ſæpe poſtea docebimus) reuera nihil aliud quærebatur, quàm vter poſſideret. nam ſi nõ poſſidere aduerſariũ deiector probaret, vincebat: & edicto Prætoris paruiſſe iudicabatur. nõ enim aliter erat reſtituere iuſſus, niſi ſi poſſeſſorẽ deieciſſet. Deiectionis enim inuidia probationis onus in deiectorẽ reiiciebat. vt patet ex pag. 622, Oſtẽdo, ſi ſine armatis coactíſve hominibus deiectus quiſquã ſit, eum qui fateatur ſe deieciſſe, vincere ſponſionẽ, ſi oſtẽdat eum non poſſediſſe. Hæc igitur vis eſt, opinor, & deiectio, quã moribus fieri dicit: quã infrà pag. 622 Vim quotidianã appellat: quo ex loco liquido hæc õnia quæ modò diximus, cõfirmantur. Et omnino niſi me vehemẽter animus fallit, hæc ipſa vis eſt, quã A. Gellius lib. XX, cap. IX vim ciuilẽ ac feſtucariam appellat: quã veræ vi ac ſolidæ opponit. de qua Ennius dixerat, Nõ ex iure manu conſertum, ſed mage ferro Rem repetũt, regnúmque petũt, vadũt ſolida vi. Vt etiã perſpicuè appareat cõſertionem illã manuũ, de qua toto illo capite diſputat, nihil aliud fuiſſe, quàm vim hãc, ac deductionẽ, quæ moribus (vt Cicero dicit) fiebat: & quã dicit olim præſente Prætore fieri ſolitã, qui ipſe in rẽ præſentẽ, agrúmque litigioſum proficiſcebatur. Verba autẽ Iuriſcõſulti, quæ Gellius protulit, quæ in vulgatis libris valde corrupta ſunt, ſic legẽda ac reſtituẽda putamus: Manũ cõſerere, eſt qua de re diſceptabatur in re præſẽti (ſiue ager, ſiue quid aliud eſt) quũ aduerſari' aduerſariũ ſimul manu prẽderet, in ea re omnibus verbis vindicare, id eſt, vindicia correpta (Vindiciã autẽ hic ſurculũ ſiue feſtucã, opinor, appellat: quæ aliter Vindicta dicitur, vt quũ ſerui Vindicta id eſt virga manumitti dicũtur: propius enim ad Vindicii nomẽ, vnde Vindicta deducta eſt, accedit) manus in re atq; in loco præſenti conſerere: quod apud Prætorẽ (id eſt, præſente in agro Prætore) ex XII tabulis fiebat. in quib' ita ſcriptũ eſt: Siqui in iure manũ cõſerũt. Sed poſtquã Prætores propagatis Italiæ finibus, latis Iuriſdictionibus, negotiis occupati, proficiſci vindiciarũ dicendarũ cauſa lõginquas in res grauabãtur: inſtitutũ eſt cõtra XII tabulas tacito cõſenſu, vt litigantes nõ in iure apud Prætorẽ manum cõſererent, ſed ex iure manuconſertũ vocarent, id eſt, alter alterũ ex iure ad conſerendã manũ in rem, de qua ageretur, vocaret. atque profecti ſimul in agrũ de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, veluti vnã glebã, in ius in vrbẽ ad Prætorẽ deferrẽt: & in ea gleba, tanquã in toto agro, vindicarẽt. hæc Gellius. In quib' illud obſeruãdũ eſt, hãc manuũ conſertionẽ etiam tum fieri ſolitã quũ de poſſeſſore cõſtaret: & actor vindicatione, id eſt, in rem actione vti vellet. quod etiã Cicero demonſtrat in Orat pro Murena, & lib de Orat. I, Multiſque, inquit, præeſſem, qui aut interdicto tecũ contenderent, aut te ex iure manuconſertũ vocarent, ꝙ in alienas poſſeſſiones tã temerè irruiſſes. agerẽt enim tecũ lege Pythagorei omnes, vindicarẽntque, &c. Interdictũ autẽ eo in loco non hoc de vi quotidiana & feſtucaria ſignificat: ſed de vi hominibus armatis coactíſque: in qua ſcilicet nõ ex iure manuconſertũ vocari ſolet: ſed vis reuera adhibita eſt. Quare duabus de cauſis manuconſertũ vocabatur: primùm quũ de poſſeſſione agendum eſſet: & interdictũ VNDE VI ſimplici & ciuili, poſtulandũ: deinde quũ in rẽ actione, ſiue vindicatione vtendũ eſſet. eo enim cõſertio fiebat, vt in re præſenti vindicari poſſet. Superioris exẽplũ eſt in Epiſto. ad Trebatiũ, lib. VII: Tantum metuo, inquit, ne artificiũ tuũ tibi parum proſit, nam vt audio, iſtic Non ex iure manuconſertũ, ſed mage ferro Rem repetunt. Et tu ſoles ad vim faciendã adhiberi: & quæ ſequũtur. Eſt autem Manuconſertũ confictũ vocabulũ, coniunctúmq; ex manus & cõſerere. De vi ciuili & feſtucaria loc' eſt inſignis in lib. de Orat. III, quẽ, opinione mea, nõ multi intellexerũt. Etiam, inquit, hac inſtituendo diuiſione vtuntur, ſed ita nõ vt iure, aut iudicio, vt denique recuperare amiſſam poſſeſſionẽ, ſed, vt ex iure ciuili, ſurculo defringẽdo vſurpare videãtur. id eſt, nõ planè obtinẽt hãc poſſeſſionẽ quaſi certã & liquidã: ſed quaſi litigioſam vſurpãt, oratoribus qui eã ſuã eſſe putant, interdictũ relinquentes, & litis intendẽdæ facultatem. nam hypotheſim quidẽ iã obtinẽt, ac poſſidẽt, eã que vtũtur, quaſi ſine cõtrouerſia. Hic locus declarat moris fuiſſe, vt qui deiiceret, ſurculũ ſiue feſtucã aduerſarii, dicis cauſa defringeret. nã quòd defringi ſurculũ ex vineto vel ſylua quidã putant, vt in ius afferatur, mihi nõ fit veriſimile, quũ ex verbis Gellii glebam tantum afferri ſolere appareat, ſiue ager, inquit, ſiue quid aliud eſt.

Si cauſa more inſtitutóque omniũ defendatur. Si nobis permittatur vti hoc interdicto, & ex eo reſtituamur. Dicit hũc eſſe morem maiorum, vt dominus de ſuo fundo depulſus & in eum ingredi prohibitus (quanuis reuera deiectus nõ ſit, ſi verba cõſectemur) vti poſſit hoc interdicto. Ebutius qui Cæcinam neque dominũ neque poſſeſſorẽ eſſe diceret, negabat ei vti hoc interdicto licere, quod dominis aut poſſeſſoribus tantùm datur.

Recuperatores. In priuatis iudiciis arbitratu Prætoris aut Iudex dabatur vnus, qui de facto cognosceret: aut Recuperatores tres. neq; verò certas fuisse causas existimandū est, in quib' modò Iudex, modò Recuperatores darentur: vt plerique putant, in controuersiis possessionum Recuperatores dari solitos. nā & de iniuriarū causa ad Recuperatores acta mētio fit apud Gel. lib. x x, cap. I, & lib. de Inuent. I I, & de corona murali apud Liuiū lib. x x x v I, de pecunia credita apud Plautū in Bacchid. Postquam quidem Prætor Recuperatores dedit,

Damnatus demum, vi coactus reddidit

Ducentos & mille Philippum. Item de eorum causa, qui iugerū numerum ex edicto Prætoris professi non essent, Verrina v, his verbis: Iudicium in aratorem in quadruplū. ex quo iudicum numero: ex cohorte Prætoris, præclara, honestissimorum. quid amplius? minus te iugerum professum esse dico: Recuperatores reiice, quòd aduersum edictū feceris. Denique hoc planum est ex his eiusdem Orationis verbis, Cœpit Scandilius Recuperatores, aut iudicem postulare. A recuperando verò dictos apparet, quòd per eos suū ius priuati homines recuperarent; vt infrà dicitur, Si alia ratione ius nostrum recuperare possemus.

Hac actione. Tertia. nunc enim tertium agitur hæc causa: quū Iudices anteà bis sibi nō liquere dixissent, & amplius cognoscendum pronuntiassent. Hæc enim fuit iudiciorum cōsuetudo, de qua diximus in Verrina I I & I I I, & paulo pòst latius explicabimus.

In confessione aduersarij. Qui conuocatos & armatos à se fuisse homines fatetur. hoc enim non modò non negabat, sed etiam profitebatur, ac præ se ferebat: vt suprà diximus.

» Nunc sum animo æquissimo: si enim sunt viri boni, me adiuuant, quū id iurati dicunt, quod CICERO.
» ego iniuratus insimulo: sin autē minus idonei, me non lædunt, quū siue creditur his hoc ipsum 587
» quod nos arguimus, siue fides non habetur, de aduersarii testium fide derogatur. Veruntamen *arguimus, confi* 4
» quum illorum causæ actionem considero, non video quid impudentius dici possit. quū autem *vestram fine*
» vestram in iudicando dubitationem, vereor ne id, quod videntur impudenter fecisse, astutè &
» callidè fecerint. nam si negassent vim hominibus armatis esse factam, facilè honestissimis testibus in re perspicua tenerentur: sin confessi essent, & id, quod nullo tempore iure fieri potest, tum ab se iure factum esse defenderent, sperarunt id, quod assequuti sunt, se iniecturos vobis causam deliberandi & iudicandi iustam moram ac religionem. Simul illud, quod indignissimum est, futurū arbitrati sunt, vt in hac causa non de improbitate Sex. Ebutii, sed de iure ciuili iudicium fieri videretur. Qua in re si mihi esset vnius A. Cæcinæ causa agenda, profiterer satis idoneum 5
» esse me defensorem, propterea quòd fidem meam diligentiámque præstarem: quæ quū sunt in
» actore causæ, nihil est, in re præsertim aperta ac simplici, quod excellens ingenium requiratur.
» sed quū de eo iure mihi dicendum sit, quod pertineat ad omnes, quod constitutū sit à maioribus,
» conseruatū vsque ad hoc tempus. quo sublato non solùm pars aliqua iuris diminuta, sed etiam
» vis ea, quæ iuri maximè est aduersaria, iudicio cōfirmata esse videatur: video summi ingenii causam esse: non vti demonstretur quod ante oculos est, sed ne, siquis vobis error in tanta re sit obiectus, omnes potius me arbitrentur causæ, quàm vos religioni vestræ defuisse.

Hoc ipsum quod nos arguimus. Obscurus mihi locus, & vt arbitror mutilatus. deesse autem verbū NOTON.
aliquod opinor, vt sic legatur, Hoc ipsum quod nos arguimus, confitentur.

Illorum causæ actionem. Quomodo suam causam agant: qua ratione defensionem suā instituant.

Vestram in iudicando dubitationem. Bis enim sibi de hac causa non liquere responderant.

De iure ciuili iudicium fieri videretur. Ius ciuile, ius ciuiū interpretor. Quod enim Cæcina Volaterranus esset, cui municipio Sylla victor, itē vt cæteris Italiæ municipiis, ciuitatē ademerat, iure Quiritium ac ciuiū vti eum posse negabat: veluti hæreditatē à ciue R. accipere. solis enim ciuibus R. hæreditatū aditio permittebatur. Cæcina autem ab vxore sua Cesennia hæres fuerat institutus. ergo De iure ciuili sic accipio, de iure ciuium, vel de iure ciuitatis.

» Quanquam ego mihi sic persuadeo Recuperatores, non vos tam propter iuris obscurā du- CICERO. 6
» biámque rationem bis iam de eadem causa dubitasse, quàm, quòd videtur ad summā illius exi- 588
» stimationem hoc iudicium pertinere, moram ad condemnandum acquisisse, simul & illi spatium ad sese colligendum dedisse. Quod quoniam iam in consuetudinem venit, & id viri boni vestri similes in iudicando faciunt, reprehendendū fortasse minus, querendū vero magis etiam videtur: ideo quòd omnia iudicia aut distrahēdarum cōtrouersiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt: quorum alterum leuius est, propterea quòd & minus lædit, & persæpe disceptatore domestico diiudicatur: alterum est vehementissimū, quod & ad grauiores res pertinet, & non honorariam operam amici, sed seueritatem Iudicis ac vim requirit. quod est grauius, & cuius rei causa maximè iudicia constituta sunt, id iam mala consuetudine dissolutū est.
» Nam vt quæque res est turpissima, sic maximè, & maturissimè iudicanda est: at ea, in qua existimationis periculū est, tardissimè iudicatur. Qui igitur conuenit, quæ causa fuerit ad constituen- 8

» dum iudicium, eandem moram esse ad iudicandū? Siquis, quod spopōdit, qua in re verbo se vno
» obligauit, id nō facit: maturo iudicio sine vlla religione iudicis condemnatur. qui per tutelam,
» aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem fraudauitquempiam: in eo, quo deli-
» ctum maius est, eo pœna est tardior: est enim turpe iudicium, & facto quidem turpe.

HOTOM. *Quod videtur ad summam illius existimationem.* Quippe, quum hoc iudicio quæstioni publicæ de vi & coactis armatísque hominibus præiudicium fiat.

Moram acquisisse. Id est lubentissimè arripuisse occasionem differendæ & producendæ damnationis. Apparet duabus de causis ampliationem interponi solitam. primùm quum reuera nō liquebat iudicib⁹, & obscura erat causa. deinde si graue erat iudiciū, vtpote quod existimationem lædebat. nam si absoluēdus esset reus, prima actione iudicabatur. si videretur cōdemnādus, Amplius pronūtiabatur: nō ex iure scripto, sed ex cōsuetudine, vt modò declarat. & in hāc eandem rationē atq; sententiā sic loquitur Asconius in III Verrina: Et omnino, inquit, si videbatur iudicibus bona causa, absoluebāt reū: si mala, nō statim damnabāt, sed hac excusatione parcebāt.

Spatium ad sese colligendum dedisse. Sese colligere, non illud significat hoc loco quod Cicero dicit in Tusculana disputatione IV, dissipatas animi partes rursum in vnum locum cogere. sed hoc ἀφωνικῶς accipiendum est, quasi diceret, Ne tam celeriter damnetur post susceptū iudiciū, sed aliquod ei respondendi spatium inter susceptum iudicium & condemnationem daretur.

Disceptatore domestico diiudicatur. Dixi de hac consuetudine pro Quintio pag. 12, in illum locum, Si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur. Et putidum est eadem iterare.

Seueritatem iudicis. Nam illæ priuatorum causæ sunt, qui de suo negotio pro suo arbitratu transigere constituerēque possunt. hæ verò Reipublicæ: cuius ratio scriptis legibus constituta est. vt omnino eam in persequendo ipsius iure rationem tenere necesse sit, quæ certis scriptísque legibus præscripta & definita sit.

Quod est grauius. Quod puniendorum maleficiorum causa repertum est.

Cuius rei causa maximè iudicia constituta sunt, id iam dissolutū est. Locutionē huic similem obseruasse me in Verrinis, & annotasse memini: cuius neque hæc dissimilis est, qua vsum Varronem animaduerti initio lib. 1, de re Rust. Hoc libro, circūcisis reb⁹ quæ nō arbitror pertinere ad agriculturā.

Dissolutum est. Tardissimè, & post multas ampliationes dilationésque iudicatur.

At ea, in qua existimationis periculum est. Ita probo: quum in aliis partim De qua, partim At ea qua, vitiosè legatur.

Existimationis periculum est, tardissimè iudicatur. Vt in publicis omnibus iudiciis, & priuatis præterea quibusdā: ex quibus videlicet damnatio affert ignominiā, quæ modò commemorabo. nam illa tardissimè iudicantur, dū sæpius ampliatur causa, & pronuntiatur non liquere. Valerius Max. lib. VIII de causa quadam mentionem facit, quam septies ampliatam fuisse scribit.

Quæ causa fuerit ad constituendū iudicium. Videlicet grauitas criminis. nam propter illā, & vt maleficium in pœnā vocetur, iudiciū constituitur. At propter eandē sententia differtur. Cōstituere iudiciū vel quæstionem (vtrunque enim dicimus) in publicis duntaxat iudiciciis, dicitur Quæsitor, qui iudicū reiectione vtrinq; facta, certos cōstituit Iudices, qui sibi iurati in cōsilio adsint, & secū causā cognoscāt. In priuatis verò iudiciis, quū Prætor vrban⁹ iudici aut Recuperatorib⁹ à litigatorib⁹ acceptis potestatē de causa cognoscēdi & iudicādi facit, Iudiciū cōstituere dicitur.

Qua in re. Qua in sponsione. nam hoc quasi per parenthesim dictum intelligendum est.

Maturo iudicio. Prima actione, non ampliata causa.

Qui per tutelam. Quatuor hæc sunt priuata iudicia, quorum damnatio affert ignominiam. de tribus Cicero in Orat. pro Q. Roscio, pag. 97, de quarto in Orat. pro Sext. Roscio pag. 15, & Iulianus ex Prætoris edicto in Pandectis, Qui Pro socio tutelæ, mādati, depositi, suo nomine non contrario iudicio dānatus erit, &c. Quibus verbis eū duntaxat infamia notari significat, qui directa actione, nō qui contraria dānatus erit. Est autē Directa actio, ea formula quæ quū certā ob causam inuēta atque instituta sit, ad eādē ipsam causam accōmodatur. veluti Lex XII tab. Pro socio actionē instituit, aut ea ex lege scilicet instituta est. Quoniā vtriusq; causa instituta hæc actio est, Directa vtrinque nominatur. At in tribus cæteris negotiis inuēta primùm est actio tantum pupillo in tutorem, mandatori in mandatarium, & deponēti in depositarium. quare quæ his in causis dātur actiones, quia illæ ipsæ sunt maximè, quæ primū institutæ sunt, Directæ nominantur. Et quoniā vsu rerū postulante intellectū est vicissim quoque dādas esse tutori in pupillū, mādatario in mandatorē, depositario in deponentē certis de causis actiones: cōcessæ quoque sūt eædē ipsæ antiquitus institutæ cōceptæque formulæ, quas Directas, quū ad sua negotia referūtur, nominamus. sed quia nō ad suā causam propriè accōmodātur, Cōtrariæ nominātur. quasi dicas, Eædē ipsæ actiones, sed ad cōtrariā partē accōmodatæ. Ex quib⁹ illud quoq; intelligi facile est, quā ob causam qui cōtrario iudicio dānati sunt, infamia nō notentur. Quū enim Lex

XII tab. de tutore tantum, mãdatario, ac depositario mentionem fecisset, quũ infamiã damnatis infligeret, Prætor qui formulas contrariis in caussis accõmodauit, pœnæ grauitatem longius propagandã non putauit. siue quòd lege id cautũ non esset, siue quòd non tanto odio hi cõtrario iudicio damnati, digni viderentur: vt Vlpianus ostendit. Atque hæc quidem hactenus. Quid sit autem fiducia, diximus in eum locum Orat. pro Q. Roscio, qué supra notauimus. Et quoniam ex eo nomine Fiduciarii tutores apud Iurisconsultos dicti sunt, cuius appellationis rationem nondum à quoquam explicatam esse arbitramur, operæpretiũ est ea de re quid nostri iudicii sit, breuiter exponere. Vlpianus autem in Titulis, eius rei nobis coniiciendæ facultatem dedit. Ait enim eum tutorem dici propriè fiduciarium, qui quũ pater esset fiduciarius, filium sibi mancipatum manumisit, nec remancipauit. Ponamus ergo contractam fuisse fiduciam, id est vltrò citróque factã emancipationem (hæc enim etiam locutio vulgò perobscura ac perignota est) patrémque fiduciariũ, vero patri filium remancipasse. Pater verus, quoniã alter fidẽ similiter eius sequutus est, fiduciarius eodem modo dici deberet. at quoniam verus est pater, suam retinet meliorem appellationem. Præterea Tutor etiã fiduciarius, item vt alter, dici deberet. sed quoniam qui legitimi sunt hæredes, ii tutores sunt legitimi, pater qué lex ad manumissi filii hæreditatem vocat, suum hoc à lege nomen retinebit: dicetúrque Legitimus. At quoniã emãcipati frater hæres non est legitimus, quemadmodũ docet Caius in Institut. & Vlpianus in l. 1, D. Si à patre quis manum. fu. Tutor legitimus, vt patroni filius, appellari nõ potest. Patroni enim filius vt hæres est legitimus, sic tutor legitimus appellatur. Quod igitur agnatus ille proximus filii manumissi frater, quũ ad tutelam vocabitur, nomen habebit? Pater suum nomen fiduciarii tutoris, quò vsus non est, in illũ transferet, dicetúrque Tutor fiduciarius. Emancipati autem plerunque manumissi dicuntur, quòd emptores eorum, & pater scilicet fiduciarius, & pater verus, eos sibi venditos, quasi seruos de sua mittebant manu. qua de caussa & ipsi patronis, & eorum filii patronorum filiis hac in re comparantur: excepto tamen fiduciarii nomine, cuius rei caussam Iustinianus exponit.

In eo, quo delictum maius est, eo pœna est tardior. Indignè, inquit, quum in actione ex stipulatu, & verbi vnius obligatione, sententia statim pronuntietur (in quo tamen minor culpa est) hîc vbi graue delictum est, & scelus planè nefarium, differri ac procrastinari iudicium.

Est enim turpe iudicium: & facto quidem turpe. Vitiosa & praua distinctio sententiam elegãtissimam funditus euertit. Sermocinatio enim hæc est: in qua primùm contrà disputantiũ verba ponuntur: deinde responsio sequitur. hoc sensu, At enim (dicet aliquis) iudiciũ turpe est: & lædit existimationem: ob eámque caussam tardius & serius transigendum. non enim parua res est, neque leui momento æstimanda ciuis R. existimatio, cui Cicero obiectioni continuò sic refert, Et facto quidem turpe. Sanè, inquit, turpe hoc iudicium est: & ignominiam affert. nec iniuria, quum factum turpe sit, quo dignius est celeri & matura condemnatione.

Est enim turpe iudicium. Obiectio est, vt dixi: cui particula ENIM frequenter accommodatur. exempla crebra sunt apud hunc auctorem. vt Verrina III, Caussam enim, inquit, cognosci oportet. ea re quidé, quòd aliter condemnari reus non potest. & hac ipsa oratione, Vsus enim, inquit, eius & fructus fundi fuerat Cæsenniæ.

" Videte igitur quàm iniquè accidat, quia res indigna sit, ideo turpem existimationem sequi: CICERO. 589
" quia turpis existimatio sequatur, ideo rem indignam non iudicari. At siquis mihi hoc iudex, Recuperatórve dicat, Potuisti enim leuiore actione confligere: potuisti ad tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire: quare aut mutã actioné, aut noli mihi instare, vt iudicé. tamen is aut timidior videatur, quàm fortem: aut cupidior, quàm sapientem iudicem esse æquum est, si aut mihi præscribat quemadmodum meũ ius persequar, aut ipse id, quod ad se delatum sit, non audeat iudicare. Etenim si Prætor is, qui iudicia dat, nunquam petitori præstituit, qua actione illum vti velit: videte quàm iniquum sit, constituta iam re, iudicem, quid agi potuerit, aut quid possit, non quid actum sit, quærere. Veruntamen nimiæ vestræ benignitati pareremus, si alia ratione ius nostrum recuperare possemus: nunc verò quis est, qui aut vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere, aut eius rei leuiorem actionem nobis aliquam demõstrare possit? ex quo genere peccati, vt illi clamitant, vel iniuriarum, vel capitis iudicia constituta sunt, in eo potestis atrocitatem nostram reprehendere, quũ videatis nihil aliud actũ, nisi possessionem per interdictum esse repetitã? Verùm siue vos existimationis illius periculum, siue iuris dubitatio tardiores fecit adhuc ad iudicandum: alterius rei caussam vosmetipsi iam vobis sæpius prolato iudicio sustulistis: alterius ego vobis hodierno die caussam profectò auferã, ne diutius de controuersia nostra, ac de communi iure dubitetis. 9

Nõ iudicari. Sic libri veteres nõnulli. ĩ aliis Vĩdicari: quòd sẽtẽtiæ ratio nõ obscurè repudiat. HOTOM.

Leuiore actione confligere. Quàm hac, quæ est de vi armata & iniuria, vnde turpis existimatio sequitur.

Tamen is aut timidior. Vsitata defectio,quam alibi notasse meminimus. subauditur autem, Etsi fortis & sapientis hominis personam sustineat.

Aut cupidior. Cupiditatis verbũ ferè ĩ vitio ponitur. hoc loco cupidũ dicit iudicẽ,q alteri faueat.

Quod ad se delatum sit. De quo iudicandi potestas illi à Prætore facta est.

Si Prætor is,qui iudicia dat. Multi enim Romæ Prætores: sed alii quæstiones exercebant capitales.eum verò intelligit,qui iuri dicundo præerat,qui Vrbanus dicebatur. Hic enim iudicia priuata constituebat,id est,agendi potestatem litigatoribus,iudicandi verò priuatis hominibus iudicibus sumptis,permittebat.

Constituta iam re. Accepto à Prætore iudicio,& re ad Iudices delata.

Vestræ benignitati. Humanitati, comitati,qua erga aduersarios vtimini. & hanc reprehendit, quum dicit Nimiæ.

Vel iniuriarum,vel capitis iudicia. Hoc est quod scribit Vlpianus sub tit.de iniuriis:Lex Cornelia de iniuriis competit ei,qui iniuriarũ agere volet ob eam rem,quòd domum suam vi introitam esse dicat.& ad legem Iul.de vi pub.Hac,inquit,lege tenetur,qui hominib^9 armatis possessorem domo agróue suo deiecerit,exeusserit,expugnauerit.& sub tit.sequẽti,Siquis aliquẽ deiecerit ex agro suo hominibus congregatis sine armis,vis priuatæ postulari poterit.

Per interdictum. Decreta quædam Prætoris,quibus ille aliquid fieri iubebat aut vetabat,Interdicta dicebantur,præsertim in possessionum controuersiis. Vnde autẽ dicta sint,diu quæsitũ est. nam ab Interdicere deductum vocabulum non videtur, quòd quũ Interdicere verbum Prohibere significet, & denuntiare nequid fiat: pleraque interdicta iubeant, non prohibeant. Ego ex eo deriuatam appellationem puto,quòd inter hoc Prætoris decretũ & principalis negotii controuersiæ vel disceptationem aliquid fieri aut iuberetur, aut vetaretur: quasi hoc decretum interea dictum atque interpositum esset, dum actionem principalis causæ aliquando litigator postularet. itáque puto sensisse ac disputasse Iurisconsultos, quorum obtinuisse sententiã Tribonianus scribit:nõ autem,quod ille nescio quo auctore tradidit,quòd inter duos dicantur.nisi fortè non DVOS, sed DVO scribendum sit. Exempli causa,Quũ in fundo essem, deiecisti tu me ex eo,vi armatis aut nõ armatis hominibus,quòd tuum esse illum fundum diceres. Prætor me per interdictum restitui iubet:hoc est dicere,Iubet me possidere interea,dum ille cõstituto iudicio planum fecerit,ac docuerit,se illius esse fundi dominũ.hoc ita esse,ex iis quæ pòst dicentur, facilè ac dilucidè constabit.Interdictum ergo nihil planè aliud est quàm Actio,aut vt verius loquamur,Actionis species: nisi quòd actionibus de re principali disceptatur,veluti de dominio ac proprietate:Interdictis autẽ non ferè nisi de possessionibus. Sed quoniã vbi non constat vter possessor sit, petitoria actio institui non potest, quia & ciuilis & naturalis ratio postulat (inquit Iustinianus) vt alius possideat,alius à possidente petat: propterea inter hanc de possessione contentionem & principalis causæ disceptationẽ hæc quasi actio ac iudiciũ à Prætore dabatur,quo vter esset possessor cõstitueretur.Hæc ergo inter Actionem & Interdictũ similitudo est,quòd vtrunque à Prætore datur vt l.35.parag.nõ solùm,D.de Procur.vtrunque certa cõceptáque verborum formula cõstituitur,in vtroque sponsiones fiunt,vtroque Iudex aut Recuperatores dantur: neque omnino præter eã quam modò exposui, differentiã vllam adhuc inter illa dispicere potui.Sublatis autẽ iudiciis ordinariis,id est,quũ Prætorũ Iurisdictio sublata est,ab illis postulari actiones desierunt,tum interdicta quoque (vt Iustinianus ait) vnà cum cæteris formulis interciderũt.Sic enim intelligendũ est,quod apud Iurisconsultos passim legim^9, iudiciorũ alia esse ordinaria,alia extraordinaria.Ordinaria enim dicebãtur, quũ ordine pri^9 ad Prætorẽ in ius adibatur,ac formula ab eo cõceptióq; actionis postulabatur:deinde ad iudicẽ disceptabatur. Extraordinaria verò,quũ sublata Prætorũ iurisdictione rectà ad iudicẽ aditur.quamobrẽ Vlpianus in l.pecuniæ,D.de verb.sig.actionũ nomine formulas intelligi scribit,quæ in ordinariis iudiciis in vsu erant.Persecutionis autem verbo(inquit)extraordinarias persecutiones puto cõtineri: vtputa Fideicõmissorum,& siquæ aliæ sunt, quæ nõ habent iuris ordinarii executionem. Paulus autẽ in l.actio,D.de negot.gest.Nec refert,ait,directa quis an vtili actione agat,vel conueniatur.planè in extraordinariis iudiciis vbi cõceptio formularũ nõ obseruatur,hæc subtilitas superuacua est.Quæ õnia iuris studiosus ex Orat.pro Q.Roscio pag.100,facilius intelliget.

CICERO. » Et si fortè videbor altius initium rei demõstrandæ petisse,quàm me ratio iuris,& ius, de quo 10
590 » iudiciũ est,& natura causæ coegerit,quæso vt ignoscatis.non enim minus laborat A.Cæcina,ne
» summo iure egisse,quàm ne certũ ius nõ obtinuisse videatur. M.Fulcini^9 fuit Recuperatores,
» è municipio Tarquiniensi,qui & domi suæ cum primis honestus existimatus est,& Romæ ar-
» gentariam non ignobilem fecit.is habuit in matrimonio Cesenniam,eodem è municipio,sum-
» mo loco natam,& probatissimã fœminam, sicut & viuus multis ipse rebus ostẽdit, & in morte
» sua testamento declarauit. Huic Cesenniæ fundum in agro Tarquiniensi vendidit temporibus 11

illis difficillimis solutionis. Quũ vteretur dote vxoris numerata, quo mulieri esset res cautior, curauit vt in eo fundo dos collocaretur. Aliquanto pòst iam argẽtaria dissoluta, Fulcinius huic fundo vxoris cõtinentia quædam prædia atque adiuncta mercatur. Moritur Fulcinius: multa enim, quæ sunt in re, quia remota sunt à causa, prætermittam. Testamento facit hæredem, quẽ habebat è Cesennia filium: vsumfructum omnium bonorum suorum Cesenniæ legat, vt frueretur vnà cum filio. Magnus honos viri iucundus mulieri fuisset, si diuturnũ esse licuisset: frueretur enim bonis cum eo, quem suis bonis hæredem esse cupiebat, & ex quo maximum fructũ 12
ipsa capiebat: sed hunc fructum mature fortuna ademit: nam breui tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est, hæredem P. Cesennium fecit, vxori grande pondus argẽti, matrique partem bonorum maiorem legauit.

Ratio iuris. Huiusce causæ difficultas atque obscuritas. vt Ius de quo iudicium est, Ius Cæcinæ de quo in hoc iudicio quæritur. HOTOM.

Ne summo iure egisse. Hoc quid sit, diximus in Orat. pro Quintio. Summo autem egisset iure Cæcina, si quũ actione leuiore confligere potuisset, vti tamen odio & maleuolentia animi inductus, ista actione voluisset.

Ne certum ius non obt. Certum ius, bonam causam, veram & iustam causam.

E municipio Tarquiniensi. De municipiis, dixi in orat. pro Sex. Roscio.

Argentariam non ignobilem fecit. Argentarii Latinè dicti sunt, qui Græcè Trapezitæ dicebantur: apud quos pecuniæ deponi solebant, quas occupare aliquis atque exercere vellet. inde enim fœnore vulgò sumebantur. præerant etiam auctionibus faciendis. nam ad eorum tabernam plerunque fiebant, & in tabulas quod cuique expensum aut acceptum esset, referebant.

Temporibus illis difficillimis solutionis. Sic omnes libri veteres.: Magis tamen placerer, Solutionibus. Quod si Solutionis legamus, ordo hic erit, Temporibus solutionis, difficillimis. id est, quo tempore argentarii difficultate rei nummariæ laborabant, neque sine maxima difficultate æs alienum dissoluere poterant. Tempora autem Syllana significat, quibus ciuitatem ille multis Italiæ municipiis ademit, eáque omnibus iniuriis cumulauit. Hoc autem ideo subiecit, ne quia fundi venditi mentionem fecerat, suspicionem faceret hominem esse illum dissolutum, & minus studiosum rei familiaris.

Magnus honos viri. Honorificum fuisse aliquid amici testamento accipere, dictum est in Orat. pro Quintio copiosè: vnde assumi poterunt, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur.

Itaque in partem mulieres vocatæ sunt. Quũ esset hæc auctio hæreditaria cõstituta, Ebutius CICERO. 13
iste, qui iandiu Cesenniæ viduitate ac solitudine aleretur, ac se eius in familiaritatem insinuasset hac ratione, vt cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controuersiásque susciperet: versabatur quoque eo tempore in his rationibus auctionis & partitionis, atque etiam se ipse inferebat & intrudebat, & in eam opinionem Cesenniam adducebat, vt mulier imperita nihil putaret agi callide posse, vbi non adesset Ebutius. Quam personam iam ex 14
quotidiana cognoscitis vita Recuperatores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarũ, defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres periti iuris & callidi: hanc personam imponite Ebutio: is enim Cesenniæ fuit Ebutius: ne forte quæratis, Nũ propinquus, nihil alienius: amicus aut à patre, aut à viro traditus, nihil minus. quis igitur? ille, quẽ supra deformaui, volũtarius amicus mulieris, nó necessitudine aliqua, sed ficto officio, simulatáque sedulitate coniunctus, magis opportuna opera nonnũquam, quàm aliquando fideli. Quũ esset, vt dicere instituerã, cõstituta auctio Romæ, suadebant amici cognatique Cesen- 15
niæ id, quod ipsi quoque mulieri in mentem veniebat, quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo eius antiquo continens esset, nullam esse rationem, amittere eiusmodi occasionem, quum præsertim pecunia ex partitione deberetur: nusquã eam posse melius collocari. Itaque mulier facere constituit. mandat, vt fundum sibi emat.

Quum esset hæc auctio hæreditaria constituta. Cósuetudo veterum. Quum esset aliqua hæreditas plures in partes distribuenda, quo commodior esset partitio, auctione constituta, pecuniæ ex rebus hæreditariis diuenditis redactæ partitio fiebat. HOTOM.

Cognitoris viduarum. Cognitor, qui præsentis negotium causámque suscepit: Procurator, qui absentis. Hoc dictum est, & demóstratum alibi frequentissime. De cognitoribus extant sententiæ apud Paulum iurisconsultum: lib. 1. vbi tamen titulus corruptè legitur De curatoribus & cognitoribus, pro De procuratoribus, &c. Cognitorem autem Ebutium Cicero viduarum per contemptionem appellat, quasi viduarũ tantùm negotia susciperet, inter quas solas peritus iuris & callidus existimaretur. vt si diceret, neminem eius opera vti velle, præter viduas mulieres imperitas, & quæ hominem ignorarent.

Nullam esse rationem amittere eiusmodi occasionem. Vsitata locutio, pro Quamobrẽ amitti debeat. sic

in Lucullo, Nec verò esse vllam rationem disputare cum iis qui nihil probarent.

CICERO. 592 Cui tandem? cui putat istan non in mentem venit omnibus hominis illius ad hoc munus, & ad omnia mulieris negotia parati, sine quo nihil satis cautè, nihil satis callidè agi posset? rectè attenditis. Ebutio negotium datur. Adest ad tabulam. Licetur Ebutius: deterrentur emptores multi, partim gratia Cesenniæ, partim etiam pretio: fundus addicitur Ebutio, pecuniam argẽtario promittit Ebutius. Quo testimonio nunc vir optimus vtitur, sibi emptum esse. Quasi verò aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquã fuerit, qui dubitarit quin emeretur Cesenniæ, quũ id plerique scirent, omnes ferè audissent, hi coniectura assequi possent, quum pecunia Cesenniæ ex illa hæreditate deberetur, eam porrò in prædiis collocari maximè expediret: essent autem prædia quæ mulieri maximè conuenirent, ea venirent: liceretur is, quẽ Cesenniæ dare operam nemo miraretur, sibi emere nemo posset suspicari. Hac emptione facta, pecunia soluitur à Cesennia. Cuius rei putat iste rationẽ reddi non posse, quòd ipse tabulas auerterit: se autem habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptáque relata, quasi id aliter fieri oportuerit. Quũ omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus, Cesennia fundum possedit, locauítque: neque ita multo pòst. A. Cæcinæ nupsit. Vt in pauca conferam, testamento facto mulier moritur. Facit hæredem ex deunce & semuncia Cæcinã, ex duabus sextulis M. Fulcinium libertum superioris viri, Ebutio sextulam aspergit. Hanc sextulam illa mercedem isti esse voluit assiduitatis & molestiæ, siquam susceperat. Iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controuersiarum putat.

HOTOM. *Adest ad tabulam.* Olim ad argentariorũ tabernas auctiones fieri in foro solebant, vt cui quæque res addicta esset, ei argentarius expensam pecuniam in tabulas referret. vt modò ostendit, quum ait, Pecuniam argentario promittit. & paulo pòst, Se autem habere argentarii tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptáque relata. & Quintil. lib. x i, Hortensius, inquit, auctione dimissa, quod cuique vendidisset, testibus argentariorum tabulis reddidit. quod Seneca in prologo Declamationũ commemorat his verbis, Hortẽsius à Sisenna prouocatus in auctione persedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores, ordine suo recensuit argentariis recognoscentibus, ita vt in nullo falleretur. & Suetonius in Nerone, Perfidiæ verò tantæ, vt non modò argentarios pretiis rerum coemptarum fraudaret, &c. itémque Vlpianus in l. item videndum, D. de petit. hæred. & aliis locis sexcentis. Ad easdem tabernas tabulæ figebãtur, in quibus quarum rerum auctio futura esset, perscriptũ erat. atque illæ tabulæ scilicet, Auctionariæ dicebantur. Cicero in Catil. Meo beneficio tabulæ nouæ proferẽtur, sed auctionariæ. Hinc Tabula Valeria in epistola ad Terentiam, id est Valerii argentarii, ad cuius tabernam bona Ciceronis auctione vendebantur. Nã ad me, inquit, P. Valerius homo perofficiosus scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Vesta ad tabulã Valeriam ducta esses. & in epist. ad Att. lib. x i i, vbi de Scapulanis hortis loquitur, quos emere cogitabat, vt in iis fanum defunctæ Tulliolæ ædificaret: De hortis, inquit, Scapulanis hoc videtur effici posse, vt præconi subiiciantur, id nisi fit, excludemur. sin ad tabulam venimus, vincemus facultatem Othonis nostra cupiditate. & libro insequẽti, Quid vis? inquam. At ego ad tabulam. vt si rectè possem, Scapulanos hortos. id est, Properabam ad tabulam, ad quam Scapulanorũ hortorum auctio futura est.

Tabula Valeria. nota.

Id plerique scirent. Emi Cesenniæ.

Pecunia soluitur à Cesennia. Nota locutio: pro Ex numis Cesenniæ. idem lib. epist. ad Att. i v, Homines, non modò non recusare, sed etiam hoc dicere, se à me soluere. & lib. v i i, Frater laborat, vt tibi quod debet, ab Egnatio soluat. Plautus in Captiuis: Sequere me: viaticum vt dem ab Trapezita tibi. Græci *παρ' ἐμοῦ τὰ χρήματα ἐκτίνειν.*

Tabulas auertit. Cesenniæ. in quibus expensa Ebutio pecunia relata erat, quam ipse Cesenniæ nomine argentario soluerat.

Sibi expensa pecunia lata sit, acceptáque relata. Expensa pecunia refertur, etiam quæ adnumerata nõ est. vt quum alicui res addicta est certo pretio, argentarius expensam illi tantam pecuniam refert. quum hoc tantùm significet, ab illo deberi. Sensus nunc qui sit, opinor nõ obscurum est.

CICERO. 593 Iam principio ausus est dicere, nõ posse hæredem esse Cesenniæ Cæcinam: quòd is deteriore iure esset, quàm cæteri ciues, propter incommodum Volaterranorum, calamitatémque ciuilem. Itaque homo timidus imperitúsque, qui neque animi neque consilii satis haberet, nõ putauit esse tanti hæreditatem, vt de ciuitate in dubium veniret: concessit credo Ebutio, quantũ vellet de Cesenniæ bonis vt haberet: imò, vt viro forti ac sapienti dignum fuit, ita calumniam stultitiámque obtriuit ac contudit. In possessione bonorum quum esset, & quum ipse sextulam suam nimium exaggeraret, nomine hæredis arbitrũ familiæ herciscundæ postulauit. Atque illis paucis diebus, posteaquam videt nihil se ab A. Cæcina posse litium terrore abradere, homini Romæ in foro denuntiat, fundũ illum, de quo ante dixi, cuius istum emptorem demonstraui

» fuisse mandato Cesenniæ, suum esse, seque sibi emisse. Quid ais?' istius ille fundus est, quem sine 'tuus
» ulla cotrouersia quadriennium, boc est, 'ex quo tempore fundus venitr, quoad vixit, possedir 'Cesennia...
» Cesennia: vsus enim, inquir, eius & fructus fundi, restaměto virt, fuerat Cesenniæ. Quū hoc no- 20
» uæ litis genus tam malitiosè intenderet, placuit Cæcinæ de amicorū sententia constituere, quo
» die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. Colloquuntur, dies
» ex vtriusque cōmodo sumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam: ex quo
» loco fundus is, de quo agitur, nō longè abest. Ibi certior fit à pluribus, homines permultos libe-
» ros atque seruos coegisse & armasse Ebutium. Quum id partim mirarentur, partim non ere-
» derent, ecce ipse Ebutius in castellum venir, denuntiat Cæcinæ se armatos habere, abiturum eū
» non esse, si accessisset.

Propter incommodum Volaterranorum. L. Sylla rerū potitus Italiæ municipiis ciuitatē ademit. Cicero in Orat. pro domo s. Liuius, Appianus, & alii. boc præter alia eam vim habebat, vt nemo ex iis mnnicipiis hæreditatem à populo R. posset accipere. pag. 624, 625 Volaterras autem bienniū obsessas, & omnibus iniuriis à Sylla Dictatore affectas, notum est ex historia. Sed buic loco respondet postea Cicero copiosè, pag. 623. HOTOM.

Nomine heredis. Ambiguè dictum. Nam hæredis nomine dicimus, pro Quasi hæres esset. & ridiculè hoc significat, quasi qui tā parua ex parte hæres esset, indign⁹ hæredis nomine videretur.

Homini Romæ in foro denuntiat. Ex hoc loco, & illo altero pag. 623, intelligi potest, moris fuisse, vt qui litem instituere & aliquid petere vellet, prius de ea re debitori denuntiaret. idest, tanto antè prædiceret, litem se & controuersiam ei velle intendere, nisi cedendum putaret.

Quid ais? istius ille fundus est. Sic omnes quos vidi, & scripti, & impressi. Ego cōtra omniū auctoritatem sic restituo, Tuus ille fundus est? neque est cur meam sententiam quæ aperta est, pluribus confirmem. Verba sunr Cæcinæ, vt apparet, quibus Ebutii responsio subiecta est.

Possedit Cesennia. Hoc loco nota interrogationis ponenda est: & intelligendum sermocinationem esse Cæcinæ & Ebutii.

Testamento viri fuerat Cesenniæ. Quare mortua Cesennia, redit ad fundidominum & proprietarium (vt Iurisconsulti loquuntur) vsusfructus. nam vsumfructum, simul cum vsufructuatio extingui atque interire, nemo ignorar.

Tam malitiosè intenderet. Hoc loco Intenderet, dictum putemus pro Strueret, aut Compararet. Lis enim tum propriè, quum iudicium postulatur, intenditur. hæc autem ante vllum vadimonium facta sunt. Vlpianus in l. sed & si, par. etiā si, D. de petit. hæred. Mouere cōtrouersiam pro eodem dixit, quod hoc loco Tullius Litē intendere. Hoc, inquit, ideo adiectum est, quoniā post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quinimo post contrdisplay controuersiā moram. quanquam enim litis contestatæ mentio fiat in Senatusconsulto, tamen & post motā controuersiam omnes possessores pares fiunt: & quasi prædones tenētur, & hoc iure hodie vtimur. cœpit enim scire rem ad se non pertinentem possideri is, qui non interpellatur. hæc ille. Conuenire autem hoc propriè dicitur: quo verbo Iurisconsulti plurimùm vtūtur. sed pro Mouere cōtrouersiam Caius in l. si quo tempore, sub eod. tit. sic vsurpat: Si quo tempore cōueniebatur possessor hæreditatis, pauciores res possidebat, deinde aliarum quoque rerum possessionem assumpsit, siue ante iudiciū acceptū, siue postea acquisierit actionē, eā quoque victus restituere debebit.

In rem præsentem veniretur. Dictum est iam antea moris fuisse, vt in possessionum controuersiis vterque aduersarius aliquot homines aduocaret, cum quibus in fundum, de quo controuersia esset, proficisceretur: ibique illis præsentibus vis sine armis per simulationem fieret: vt ipsis postea testibus vti posset de fundo se deiectum: & interdictum postularet. Hāc consuetudinē significat in lib. de Off 1, his verbis, Vt si constitueris te cuipiam aduocatum in rem præsentem esse venturum, atque interim grauiter filius ægrotare cœperit, non sit contra officium non facere quod dixeris. & in lib. de Orat. 1, An verò si de re ipsa, si de finibus, quum in rem præsentem nō venimus, si de tabulis & perscriptionibus controuersia est, &c.

» Cæcinæ placuit & amicis, quoad videretur saluo capite fieri posse, experiri. Tū de castello CICERO. 21
» descendunt, in fundum proficiscuntur. Videtur temerè commissum. Verū, vt opinor, hoc fuit 594
» causæ: tam temerè istum re commissurum, quàm verbis nuntiabatur, nemo putauit. Atque iste
» ad omnes introitus, quà adiri poterat non modo in eum fundum, de quo cōtrouersia fuerat, sed
» etiam in illū proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos homines opponit. Itaque primo
» quum in antiquum fundum ingredi vellet, quòd eà proxime accedi poterat: frequentes armati
» obstiterunt. Quo loco depulsus Cæcina, tamen quà potuit ad eum fundum 'profectus, ex quo 'profectus est, ex 21, 2
» ex conuentu vim fieri oportebat. Eius autem fundi extremam partem oleæ directo ordine de-
» finiunt. Ad eas quum accederetur, iste cum omnibus copiis præsto fuit, seruúmque suum no-
» mine Antiochum ad se vocauit, & clara voce imperauit, vt eum, qui illum olearum ordinem

» intrasset, occideret. Homo mea sententia prudentissimus Cæcina, tamen in hac re plus mihi a-
» nimi quàm consilii videtur habuisse: nam quum & armatorum multitudinem videret, & eam
» vocem Ebutii, quam commemoraui, audisset, tamen accessit propius, & iam ingrediens intra
» finem eius loci, quem oleæ terminabant, impetum armati Antiochi, cæterorúmque tela atque
» incursos refugit. Eodem tempore se in fugam conferũt vnà amici aduocatíque eius metu per-
» territi, quemadmodum illorum testẽ dicere audistis. His rebus ita gestis, P. Dolabella Prætor
» interdixit, vt est consuetudo, de vi hominibus armatis, sine vlla exceptione, tantum, vt, vnde de-
» iecisset, restitueret.

HOTOM. *Quam verbis nuntiabatur.* Nuntiabat, magis arrideret.

Armatos homines opponit. Qua de causa? quum vsitata illa vi & simplici vti posset, posteaquam in fundum Cæcina ingressus esset. opinor, quoniam quum postea Cæcina interdicto vteretur, Ebutius qui deiecisset, probare iussus se possidere, nõ autem Cæcinam, difficilem habiturus erat possessionis suæ probationem: eóque in possessionem inuadere maluit. præsertim quum etiam manente vsufructu possessionem retinere potuisset, vt scribit Venuleius in l. penult. D. de acqui. vel amitt. poss. vsumfructum alterius impedire alterius possessionem. Hoc igitur erat Ebutii consilium, vt celerius in fundum illum proficisceretur: & quia suum esse illum dicebat, si in eum Cæcina ingredi vellet, eum aditu prohiberet. Existimo autem id habuisse rationis Ebutium, tametsi causæ Cicero seruiat, & multa ad tempus dicat: vt ipse mortua Cesennia quàmcelerrime posset in fundi possessionem inuadere. & quia eodem die Cæcinam cò venturum intelligebat, conuocasse homines qui testes essent, aut non deiectum, sed prohibitum duntaxat esse Cæcinam: (licebat enim videlicet alienum sui fundi & possessionis aditu prohibere: vt etiam Iurisconsulti tradunt in l. 1, parag. eum qui, & l. 3, parag. eum igitur, D. de vi & vi arm.) aut si armatos Cæcina ipse adduxisset, eorúmque opera Ebutium cum suis comitibus deiecisset, vim armatis hominibus factam, & vi deiectum Ebutium fuisse testarentur. atque hoc illud est, quod postea dicet pag. 595: In eas ipsas res, quas improbissimè fecit, testimonia sumpsit, & eis in causa testimoniis vtitur. Omnino igitur id erat causæ (si maximè inter illos conuenisset, vt vis certa die fieret, quod tamen confictum ad tempus ab Oratore potius crediderim) vt aut fructibus percipiendis, aut locando fundo, aut alia quauis ratione in possessionem inuaderet, & non pateretur Cæcinam ingredi, ne si ille deiectus esset, interdicto vti posset. Videbat enim Ebutius nullum esse interdictum comparatum in illa causa, si quis aditu sui fundi alienũ prohibuisset. Nam hoc illud est quod ipse tantopere defendebat, eiectum non deiectum esse Cæcinã: ob eámque causam interdictũ in quo Deiecti nominantur, ei nõ competere. Falsum autẽ esse, & ad tempus confictũ quod Cicero dixit de constituto, id est de die sumpta, qua in tẽ præsentem veniretur: ex eo coniectura ducor ad credendum, quòd infrà pag. 603, sic loquitur: At verò hoc quidem iam vetus est, quum ad vim faciendam veniretur, si quos armatos quamuis procul cõspexissent, vt statim testificati discederent, optimè sponsionẽ facere possent, ni aduersus edictũ Prætoris vis facta esset. ex quo existimari potest dissimilẽ hãc causam fuisse: alioqui hoc iure Oratorem in simili causa vsurum fuisse.

Ad eum fundum profectus. Sic omnes veteres. Corrigendum putarem, Profectus est. Hoc autem loco mea sententia causæ seruit Orator, vt non modò prohibitus, sed etiam deiectus Cæcina videatur. item vt in illo qui proximè sequitur: Ingrediens iam intra finem eius loci &c.

Ex conuentu uim fieri. Vim illam vsitatam, quæ dicis causa & per simulationem fiebat.

Plus animi, quàm consilii. Plus animi, plus audaciæ: sed hoc frequẽtius in vitio: illud, quia in laude plerunque ponitur, maluit dicere.

Sine ulla exceptione. Idest purè ac simpliciter decreuit vt restitueret, neque addidit Quũ Cæcina possideret. sed siue possideret, siue non possideret, restitui iussit. quod planum est ex pag. 622. vbi si vis simpliciter & sine armatis hominibus facta est, addi hanc exceptionẽ solere ostẽdit, Quũ is qui deiectus est, possideret: si per eiusmodi rationem ac vim, non solere: sed purum dari interdictum, vt siue possideret, siue non possideret, tamen restituatur. Hanc exceptionem, quia de ea Cicero postea copiosissimè disputat, significat Cornelius Tacitus in dialogo de Oratore his verbis: Quis de exceptione & formula perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcina legimus? Aliud tamẽ genus exceptionis fuisse, quod in hac quoque causa, si actor prior vi armatis hominibus conuenisset, adscribi soleret, idem ostendit in epist. ad Trebatium: cuius initium est Adeóne, libro VII. Et tu soles, inquit, ad vim faciundam adhiberi? Neque est quòd vllam exceptionem in interdicto pertimescas, quòd tu prior vi hominibus armatis conueneris. scio enim te non esse procacem in lacessendo.

Restituisse se dixit. Quod restituisse se dixit, non sic accipiendum est, quasi reuera se in fundum litigiosum reduxisse Cæcinam contenderet. hoc enim falsum esse ex Oratione intelligitur.

Sed hoc eâ vim habet, quasi diceret Restituere nô debere. Hic enim mos fuit in istis sponsionibus, vt restituere iussus statim se restituisse diceret. quod ita intelligi volebat, quasi edicto atque imperio Praetoris, cui ciuem modestè parere oportebat, paruisset. Quum enim sub ea conditione esset restituere iussus, Si deiecisset, nô deiecisse se contendebat: cóque Praetoris imperio & interdicto morem gessisse. hoc confirmatur apertissimè pag. 622, & 607.

Restituisse se dixit. Sponsio facta est. Hac de sponsione vobis iudicandum est. Maximè fuit CICERO. 595
optandum Caecinae Recuperatores, vt controuersiae nihil heberet: secundo loco, vt ne cum tā
improbo homine: tertio, vt cum tam stulto haberet: etenim nô minus nos stultitia illius sub-
leuat, quàm laedit improbitas. Improbus fuit, quòd homines coegit, armauit, coactis armatis-
que vim fecit: laesit in eo Caecinam. Subleuauit ibidem: nam in eas ipsas res, quas improbissimè
fecit, testimonia sumpsit, & eis in causa testimoniis vtitur. Itaque mihi certum est Recuperato- 24
res, antequam ad meam defensionem, meósque testes venio, illius vti côfessione & testimoniis,
Quid confitetur, atque ita libenter confitetur, vt non solum fateri, sed etiam profiteri videatur
Recuperatores: Conuocaui homines, coegi, armaui: terrore mortis ac periculo capitis, ne acce-
deres, obstiti. Ferro (inquit) ferro, & hoc dicit in iudicio, te reieci atque perterrui. Quid? testes
quid aiût? P. Vetilius propinquus Ebutii se Ebutio cû armatis seruis venisse aduocatum. Quid
praeterea? fuisse complures armatos. Quid aliud? minatum esse Ebutium Caecinae. Quid ego de
hoc teste dicam, nisi hoc, Recuperatores: vt ideirco non minus ei credatis, quòd homo minus i-
doneus habetur: sed ideo credatis, quòd ex illa parte id dicit, quod illi causae maximè est alienû.
A. Terentius alter testis non modo Ebutium, sed etiam seipsum arguit. in Ebutium hoc dicit, 25
armatos homines fuisse. De se autem hoc praedicat: Antiocho Ebutii seruo imperasse, vt in Cae-
cinam aduenientem cum ferro inuaderet.

Sponsio facta est. De sponsione abundè explicatum est in Orat. pro Quintio: & absurdum est eadem saepius inculcare. HOTOM.

Vt controuersiae nihil haberet. Nihil dico. sed si vetus aliquis codex reperiretur, in quo sic scriptum esset, Primùm vt controuersiae: valde hanc lectionem comprobarem.

In eas ipsas res quas improbissimè fecit, testimonium sumpsit. Oratoriè quae aduersarius iuuandae ac subleuandae suae causae gratia fecerat, & secû facere magnopere videbantur, in illû, tanquâ ei aduersaria, retorquet. Testimonium autem Ebutius duabus de rebus sumpserat. primùm in suum fundum Caecinam per vim ingredi conatû esse: deinde (quia interdicto illum vsurum intelligebat) nô deiectû, sed prohibitû duntaxat esse illû, ne ingrederetur. & quos Orator criminatur côuocatos & armatos homines fuisse, eos in eâ rê aduocatos, vt testes essent, a se fuisse defendebat.

Quod ex illa parte id dicit. Sic accipio, Quod, quum ex illa parte sit, idest, stet à parte aduersarii, tamen hoc dicit, quod illius causae maximè est aduersarium.

Quid loquar amplius hoc de homine, in quem ego dicere, quû rogarer à Caecina, nunquam CICERO.
volui, ne arguere illum rei capitalis viderer? de eo dubito nûc, quomodo aut loquar, aut taceâ, 596
quum ipse hoc de se iuratus praedicet. Deinde L. Celius non solum Ebutium cû armatis dixit
fuisse compluribus, verùm etiam cum aduocatis perpaucis eò venisse Caecinâ. De hoc ego teste 26
detrahâ: cui aequè atq; meo testi vt credatis, postulo. P. Memmius sequutus est, qui suû nô paruû
beneficium cômemorauit in amicos Caecinae, quibus sese viam per fratris sui fundum dedisse
dixit, quâ effugere possent, quum essent metu omnes perterriti. Huic ego testi gratias agâ, quòd
& in re misericordem se praebuit, & testimonio religiosum. A. Attilius, & eius filius L. Attilius 27
& armatos ibi fuisse, & se suos armatos adduxisse dixerût. etiam hoc amplius: quû Ebutius Cae
cinae malum minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, vt moribus deductio fieret. Hoc idem P.
Rutilius dixit, & eo libentius dixit, vt aliquo in iudicio eius testimonio creditû putaretur. Duo
praeterea testes nihil de vi, sed de ipsa emptione fundi dixerunt: P. Cesennius auctor fundi, non
tam auctoritate graui, quàm corpore: & argêtarius Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec
minus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus est Phormio, nihil de vi dixerût, ni-
hil praeterea quod ad vestrû iudicium pertineret. Decimo verò loco testis expectatus, & ad ex- 28
tremum reseruatus dixit Senator populi R. splendor ordinis, decus atque ornamentum iudi-
ciorum, exemplar antiquae religionis Fidiculanius Falcula: qui quû ita vehemens acérque ve-
nisset, ut non modò Caecinam periurio suo laederet, sed etiam mihi videretur irasci: ita eum pla
cidum mollémque reddidi, vt non auderet, sicut meministis, iterum dicere, quot millia fundus
suus abesset ab vrbe.

Vt moribus deductio fieret. Vide pag. 586.

P. Cesennius auctor fundi. Hic est P. Cesennius, quem suprà pag. 590 haeredem à M. Fulcinio institutum dixit. & Auctor fundi, quia auctione haereditaria constituta, Cesennia (vt Cicero dicebat) fundum de eo sibi per Ebutium cognitorem emerat. Auctor enim is dicitur, à quo quis au- HOTOM.

ctoritatem, id est, ius dominii in rem quampiam accepit. Ipse Verrina VI, Tum illi intellexerunt se id quod à malo auctore emissent, diutius obtinere non posse: id est ab eo, qui vendendi auctoritatem nullam habebat. Declinatum autem vocabulum arbitror ab auctionibus, in quibus ei qui plurimum auget, res addicitur: & ex ea auctione atque adiectione sua auctoritatem sibi in rem emptam comparat. Nam ab Augendo deductum Grammatici veteres testantur: & nota illa ostendit quæ est apud Valerium Probum, qua veteres vtebantur A V C. quæ Auctor significat: & in antiquis monimentis sic scriptum esse plerique testantur. Quum ergo Auctor is propriè diceretur, cui propter summam auctionem & licitationem, res addicta esset, & Auctoritas ius ex ea auctione quæsitum: trãslatum postea fuisse vocabulum putamus ad eos, qui rem quoquomodo abalienarent. vt quum quæreretur ex eo qui rem acceperat, vnde sibi ius in eam comparasset, suum illum quasi auctorem nominaret, qui sibi suam auctoritatẽ tradidisset. vnde sensim in eos quoque quorum sententiam & cõsilium sequimur, quasi ius quoddam ita sentiendi certum & constitutum haberent, consuetudine sermonis translatum est. Nam verbi gratia, quum institutum est, vt legum quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent, id est, vt S.C. prius aliquid decerneretur, postea illud idem à populo iuberetur: ea lex hanc vim habebat, vt quasi in euictionibus, possessionúmque controuersiis possessor suum auctorem à quo ius suum adeptus est laudat, ita populus consilii sui auctorẽ ac suasorem Senatum laudare posset. Auctorem autem Galli *Garend* appellãt. Quòd si quis vel [illegible] vel [illegible] vocabula nobis obiiciat, indéque propter literarum similitudinem Auctoritatem dictam putet, is Dionis verba audiat, qui libro LV sic scribit: [illegible] id est, Consultabant autẽ Senatores (absente Cæsare scilicet) & eorum sententia perscribebatur. non tamen, quasi rata, effectum habebat: sed erat Auctoritas, vt eorum sententia nota esset. Tale enim quiddã vis huius verbi declarat: quod vno verbo Græcè exprimi non potest. Hæc Dion. Sed de Auctoritatis verbo postea disputabimus.

Nec minus niger, nec minus confidens. Verba sunt Getæ serui, act. I, scena VI.

Est parasitus quidam Phormio,

Homo confidens: qui, illum di omnes perduint. Sed Niger, opinor, ex histrionis, quem illas partes agentem viderat, colore dixit: tametsi improbitatis quoque argumẽtum videri hoc voluit. Athenæus quidem libro *δειπνοσοφιστῶν* VI, verba parasiti cuiusdam profert, ex quibus existimari potest moris fuisse, vt nigri parasiti in scenam producerentur. [illegible] Verba sunt Alexis comici, in Gubernatore.

Petri Victorij varijs lectionibus.

CICERO. 597 Nam quum dixisset minus abesse LIII, populus cum risu acclamauit ipsa esse: meminerant enim omnes, quantum in Albiano iudicio accepisset. In eum quid dicam, nisi id, quod negare 29
non possit, venisse in consilium publicæ quæstionis, quum eius consilii iudex non esset: & in eo cõsilio, quũ causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere: dum incognita re iudicare voluisset, maluisse condemnare, quàm absoluere: quum, si vno minus damnarent, condemnari reus non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse? Verum grauius aliquid in quempiam dici potest, quàm ad hominem cõdemnandum, quem nunquam vidisset, neque audisset, adductum pretio esse: an certius quicquam obiici potest, quàm quod is cui obiicitur, ne nutu quidẽ infirmare conatur? Veruntamen is testis, vt 30
(alfuisse L) facilè intelligeretis eum nõ abfuisse animo, quũ ab illis causa ageretur, testésque dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse: quũ omnes ante eum dixissent testes, armatos cũ Ebutio fuisse complures: solus dixit non fuisse. Visus est mihi primò veterator intelligere præclarè, quid causa optaret: & tantummodo errare, quòd omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent: quũ subitò ecce idem qui solet, suos solos seruos armatos fuisse dixit. Quid huic tu homini facias? nónne concedas interdum, vt excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecetur? verum Recuperatores his testibus non credidistis, quum, quid liqueret, non habuistis? At controuersia non erat, quin verum dicerent. 31

HOTOM. *Minus abesse* LIII. Subaudi passuum millibus. & apparet hoc dicto significare Tulliũ tot millia sestertiûm, pro pretio corruptionis, Falculam accepisse. quod si ita est, scutatos accepit CIↃCCCXXV. Sed in Orat. pro Cluentio longe maiorem summam reperio. Video enim accepta dictum H-S quadringenta millia. Fidiculanius, inquit, quid fecisse dicebatur? accepisse à Cluentio H-S CCCC. nimirum vt Oppianicum quem Cluentius accusabat, dãnaret. Quare aut hoc, aut illo loco mẽdum omnino est. Vtro autem in loco sit, obscurum est. tametsi aliarum pecuniarum summam reputanti, quæ ad Iunianum iudicium corrumpendũ Staleno datæ sunt, maior illa pecunia videtur quadringentorũ H-S. nam XL tantùm in singulos Iudices distribuenda

data dicitur: quæ summa nostratium aureorum efficit mille dũtaxat. quum quadringenta H-S, decem millia scutatorum efficiant. vt ex hoc loco ille potius Cluentianæ corrigendus, & pro CCCC, LIII reponendum esse videatur.

In Albiano iudicio. In iudicio Statii Albiani Oppianici, quem A. Cluentius Habitus veneficii accusabat.

Quum eius consilii iudex non esset. Quum ex ipsius decuria Iudices eo tempore non darentur. de decuriis iudicum dixi in Verrinis Orationibus, non vno loco. Facile autẽ (vt scribit Asconius) pro veris iudicibus improbi supponi poterant, volente hoc iudice quæstionis, & illis patientibus, qui veri Iudices erant: quia nisi citati non considebant, & graue onus erat, & incõmodum iudicare. Cæsar quoque initio libri de bello ciuili III, iudiciorum quorundam mentionem facit, quibus nõnulli ambitus damnati erant: quæ iudicia, inquit, aliis audientibus iudicibus, aliis sententiam ferentibus singulis diebus erant perfecta.

Quum causam non audisset. Vide Asconium in Ver. III, ferè in extremo.

Si uno minus damnaret. Erant Iudices XXXII, vt ex Cluentiana intelligitur: & sexdecim corrũpendos AElius Stalenus iudex ipse decimus septimus susceperat. quũ vnus deesset, C. Fidiculanius Falcula ad complendam Oppianici damnationem dicebatur esse suppositus. Hæc autem ad tempus dicuntur vt causæ seruiat, nam in Cluentiana Fidiculanium excusat.

Non abfuisse animo. Aldus, & omnes, quos vidi, veteres & scripti, & impressi, Affuisse. quod quum perspicuè rectũ sit, nõ satis sanũ oportet hominẽ fuisse, qui hanc nouã lectionẽ induxit.

Tantisper de aliquo reo cogitasse. Facetè dictum. non attendebat, inquit, dum alii testimonium dicerent: sed interea cogitabat an vnquam simili fortuna vti posset, quali in Oppianici aut Safinii iudicio vsus erat.

Intelligere præclarè quid causa optaret. Mirè inuertit aduersarii defensionẽ: Armatos enim & conuocatos à se homines fuisse prædicabat Ebutius. sed ita, vt propterea armatos fuisse diceret, quia per vim Cæcina in ipsius fundum ingredi conaretur: & secum præclarè actum esse, quòd eum comitatum secum habuerit. At hanc Orator defensionem aduersarii causæ maximè aduersariam videri vult. Qua de causa dicit, existimasse se primò ex verbis Falculæ, præclarè illũ intelligere, quid causa optaret, quum armatos cum Ebutio vllos fuisse negaret.

Quum subitò esse idem qui soles. Terentius Redire ad ingenium dixit in Adelphis act. 1, scen. 2. Parmeno, Si mihi fidem das te taciturum, dicam. Philotis, Ad ingenium redis. Cicero in Diuin. Redit ad se, atque ad mores suos.

Quum quid liqueret non habuistis. Quum duabus iam actionibus respondistis vobis non liquere, & Amplius pronuntiastis.

At controuersia non erat. Quum & ego petitor, & Ebutius reus ea de re consentiremus.

" An in coacta multitudine, in armis, in telis, in præsenti metu mortis, perspicuo periculo CICERO. 598
" cædis dubium vobis fuit, an esse vis aliqua videretur, nécne? quibus igitur in rebus vis intelligi
" potest, si in his nõ intelligetur? an vero illa defensio vobis præclara visa est: Nõ deieci, sed obsti-
" ti: non enim te sum passus in fundum ingredi, sed armatos homines opposui: vt intelligeres, si
" in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum. Quid ais? is, qui armis perterritus, fuga-
" tus, pulsus est, non videtur esse deiectus? Posterius de verbo videbimus: nunc rem ipsam pona-
" mus, quam illi non negãt: & eius rei ius actionémque quæramus. Est hæc res posita, quæ ab ad-
" uersario non negatur: Cæcinam, quum ad constitutam diem tempúsque venisset, vt & ius ac de-
" ductio moribus fieret, pulsum prohibitúmque esse vi coactis hominibus & armatis. Quum
" hoc constet, ego homo imperitus iuris, ignarus negotiorum ac litium, hanc puto me habere
" actionem, vt per interdictum, meum ius teneam, atque iniuriam tuam persequar. Fac in hoc er-
" rare me, nec vllo modo posse per hoc interdictum id assequi, quod velim: te vti in hac re ma-
" gistro volo. Quæro, sitne aliqua huius rei actio, an nulla. cõuocari homines propter possessio-
" nis controuersiam non oportet, armari multitudinem, iuris retinendi causa, non conuenit: nec
" iuri quicquam tam inimicum, quàm vis: nec æquitati quicquam tam infestum est, quàm con-
" uocati homines & armati. Quod quum ita sit, résque eiusmodi sit, vt in primis à Magistratibus
" animaduertẽda esse videatur, iterũ quæro, sitne eius rei aliqua actio, an nulla: nullam esse dices?

Non deieci, sed obstiti. Defensio Ebutii: non tam, opinor, nugatoria, quàm Cicero vult videri, HOTOM. nam quo minus Ebutius obstaret, ne in ipsius fundũ ipso inuito Cæcina ingrederetur, & vim vi repelleret, nulla lege prohibebatur. hæc enim erat illius oratio, Non te sum passus in fundũ meum ingredi: sed armatos opposui, qui periculum, quod mihi tu intentabas, à me meísque fortunis propulsarent. Sed quum deiecisse se fateri nolit, illud intelligi potest, quod paulo infrà apertius ostendit, prohibere quidẽ aditu ingredi volentẽ licere, ingressum verò deiicere, vi quidem armatis hominibus, non licere. Et hoc ipsum quod modò dicebamus cõfirmat Vlpianus

his verbis sub tit. de vi & vi arm. Eum, inquit, qui neque animo neque corpore possidebat: ingredi autem incipere possidere prohibeatur: verius est nó videri deiectum. Deiicitur enim qui amittit possessioné, non qui accipit. vim vi repellere licere, Cassius scribit, idque ius natura cóparatur. Apparet autem, inquit, ex eo, arma armis repellere licere.

Non enim te sum passus in fundum ingredi. Vera defensio & probabilis, quum Cæcina dominus nó esset. Quòd si esset dominus, vt Cicero defendit, tum quid iuris sit ostédit Vlpianus in l. 3, D. de vi & vi arm. Si autem quum dominus veniret in possessionem, armati eum prohibuerunt, qui inuaserant possessionem: videri eum armis deiectum.

Vt ius ac deductio moribus fieret. Sic legitur in omnibus libris, quos quidem adhuc viderim. sed ex compluribus locis VIS nó IVS legendum esse manifestò intelligitur. vt pag. 594, 586, 603, 625: neque hæc nostra sentétia indiget vllius confirmationis. sic in Orat. pro Quintio, pag. 31, Ius non auferatur: pro Vis non afferatur, scriptú erat, errore manifesto: vt in eú locú diximus.

Ego homo imperitus iuris. Hæc dicuntur non εἰρωνικῶς: sed in imperiti hominis persona, qui de hoc negotio consilium exquireret.

Iuris retinendi causa non conuenit. Nisi vt vi vis repellatur. Armasse autem defendebat se homines Ebutius, vt vim Cæcinæ & eius conuocatorum repelleret.

A magistratibus animaduertenda. Magistratus dicit, Quæsitores rerum capitalium, qui à quærendo, id est cognoscendo, atque animaduertendo Quæsitores dicuntur. Ergo hoc dicit esse crimen publicum, & quod ab iis, qui cum imperio sunt, animaduerti debeat. nam priuatarum rerum Iudices, priuati homines erant, & sine Magistratu atque imperio.

CICERO. 599

" Audire cupio qui in pace & otio, quum manú fecerit, copias pararit, multitudinem hominú " coegerit, armarit, instruxerit, homines inermes, qui ad constitutú experiundi iuris gratia venis" sét, armis, viris, terrore periculóq; mortis repulerit, fugarit, auerterit, hoc dicat, Feci equidé, quæ " dicis, omnia, & ea sunt & turbulenta, & temeraria, & periculosa: quid ergo est? impune feci: ná, " quid agas mecú ex iure ciuili ac prætorio, nó habes. Itáne vero Recuperatores? hoc vos audie" tis? & apud vos dici patiemini sæpius? quú maiores nostri táta diligentia prudentiáque fuerint, " vt omnia omniú non modò tátarum rerum, sed etiam tenuissimarum iura statuerint, persecu" tíque sint, vt hoc genus vnum vel maximum prætermitterent, vt, si qui me exire domo mea co" egisset armis, haberem actionem: si qui introire prohibuissent, non haberem? nondum de Cæci" næ causa disputo, nondum de iure possessionis nostræ loquor, tantum de tua defensione C. Pi" so queror. Quando ita dicis, & ita constituis, Si Cæcina, quum in fundo esset, inde deiectus esset, " tum per hoc interdictú eum restitui oportuisse: nunc verò deiectú nullo modo esse inde, vbi nó " fuerit: hoc interdicto nihil nos assecutos esse: quæro, si te hodie domum tuam redeunté coacti " homines & armati non modò limine tectóque ædium tuarum, sed primo aditu vestibulóque " prohibuerint, quid acturus sis? monet amicus meus te L. Calphurnius, vt idem dicas, quod ipse " antea dixit, iniuriarum. Quid ad causam possessionis? quid ad restituédum eum, qué oporteret " restitui? quid denique ad ius ciuile, aut ad actoris actioné, & ad animaduersioné ages iniuriarú?

oportet L.
aut actoris ad interdictum atque animaduersioné ages iniuriarú

Ad constitutum experiundi iuris gratia. Constitutum, vocabulum ad ius ciuile pertinens. & significat diem tempúsque litigatoribus indictum, quo se in loco certo ac constituto sistant. Ipse in Orat. pro Cælio, Quum sit iis cófitendum, nunquam se ne congressu quidem & constituto cœpisse de tantis iniuriis experiri. Et in epist. ad Att. lib. XI. ep. 1, Atque eo die cogitabá in Anagnino, postero autem die in Tusculano, ibi vnum diem v. Cal. igitur ad constitutum. Et eleganter transtulit in epist. ad Marium, Si quod constitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas. Varro de re rust. lib. II, Scrofam enim mane salutaui: quum alius eum salutasset, alius eo mitiatus esset, qui tam serò venisset ad constitutú.

Ex iure ciuili ac Prætorio non habes. Actiones primùm à Iuriscósultis ex legibus XII tabularum constitutæ sunt: quæ Ciuiles iccirco in libris Pandectarum appellantur, quòd iure ciuili comparatæ sint. sed quum multis in causis deesse actiones, Prætores animaduerterét, alias item pro suo ipsi iure atque imperio constituerunt: quæ ideo Prætoriæ in iisdem libris nominantur. Vtriusque tamen generis actiones Prætor vrbanus, qui iuri dicúdo præerat, litigatoribus, qui eas postulabant, dare solebat, & agendi potestatem petitoribus permittere. Hoc loco non est prætermittendum silentio, quod ex Valerio Max. didicimus: Iuris Prætorii ac ciuilis ita dissimilem rationem fuisse, vt Iurisconsultorum alii aliam atque aliam disciplinam ac scientiá profiterentur. itaque Q. Scæuola, inquit, clarissimus legú vates, & certissimus, quotiescunque de iure Prætorio cósulebatur, ad Furiú, & Cascelliú, quia huic sciétiæ dediti erant, cósultores reiiciebat.

Vt hoc genus vnum vel maximum prætermitterent. Hoc cum exclamatione pronuntiandum & magna admiratione: alioqui enim deesse quippiam videretur. & particula VT vim habet interrogationis: ac si diceret, Tamen vsque eò imperitos existimabimus, vt &c.

Si qui introire prohibuissent. Sed huic loco facile respondere poterat Ebutius, sumere pro vero & confesso Ciceronem, quod erat in controuersia. non in suum fundum introire Cæcinam prohibui, sed in meum.

Primo aditu uestibulóque. His verbis confirmatur Cæcilii Galli iurisconsulti sententia, quam Gellius & Macrobius commemorant, Vestibulum esse non in ipsis ædibus, neque ædium partem: sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem de via aditus accessúsque ad fores ædium sit. Ipsa enim ianua procul à via fiebat, area intersita quæ vacaret.

Quem oporteret restitui. Omnes alii Oportet. quod cur immutemus, causa nulla est.

Quid denique ad ius ciuile, aut ad actoris actionem, & ad animaduersionem ages? iniuriarũ? Obscurus locus, &, vt opinor, deprauatus. nam etiã in aliis propè omnibus pro ACTIONEM reperio NOTIONEM. Ego sic legendũ potius existimarem, Quid denique ad ius ciuile aut actoris, ad notionem & animaduersionẽ ages iniuriarum? vt sit sensus, Iniuriarum iudicio ages ad notionem & animaduersionem: quid hoc ad ius aut ciuile aut actoris pertinebit? Vt enim in damnatũ animaduertatur, nihilomagis ius possessionis qui deiectus est obtinebit. Notionis enim verbum in hac quoque significatione ponitur.

Plus tibi ego largiar. Non solum egeris, verùm etiã condemnaris licet: nunquid magis possidebis? actio enim iniuriarum nõ ius possessionis assequitur, sed dolorem imminutæ libertatis iudicio pœnáque mitigat. Prætor interea Piso tanta de re tacebit? quemadmodũ te restituat in ædes tuas, non habebit? qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factam iubet, qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarum itinerúmque controuersiis interdicit, is repente obmutescet? in atrocissima re quid faciat non habebit? & C. Pisone domo tectísque suis prohibito, prohibito inquam per homines coactos & armatos, Prætor quemadmodum more & exemplo opitulari possit non habebit? quid enim dicet? aut quid tu tam insigni accepta iniuria postulabis? Vnde vi prohibitus sis, nemo vnquam interdixit. nouum est, non dico inusitatum, verùm omnino inauditum. Vnde deiectus? quid proficies, quum illi hoc respondebunt tibi, quod tu nunc mihi: armatos se tibi obstitisse ne in ædes accederes: deiici porrò nullo modo potuisse, qui non accesserit. Deiicior ego, inquis, si quis meorũ deiicitur. Omnino iam bene agis: à verbis enim recedis, & æquitate vteris: nam verba ipsa si sequi volumus, quomodo tu deiiceris, quum seruus tuus deiicitur? Verũ ita est, vti dicis: te deiectũ debeo intelligere, etiam si tactus non fueris: nónne? age nunc, si ne quidem tuorum quisquam loco motus erit, atque omnes in ædibus adseruati ac retẽti, tu solus prohibitus & à tuis ædibus vi atque armis perterritus: vtrum hanc actionem habebis, qua nos vsi sumus, an aliam quampiam, an omnino nullam? CICERO. 600

Actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur. Ea tamen vis est illius, & efficientia. nam quũ qui deiecit iniuriarum damnatus est, nunquam se iudicio à deiecto absoluet, nisi possessionem ei restituat. & profectò sic est, vt deiecto & iniuriarum actio dari soleat, vt paulo antè ex Vlpiano docuimus, & hoc ipsum interdictum. ita tamen vt iniuriarum actio interdictum extinguat. [redacted]

Aut uim fieri uetat. Hæc genera interdictorũ Iurisconsulti persecuti sunt lib. Pandect. XLIII.

Vnde ui prohibitus sis, nemo unquam interdixit. Ita est. & suprà diximus, hoc ipsum Vlpiani tempore sine controuersia fuisse, vt si quum dominus veniret in possessionem, armati eum prohiberent, qui inuaserant possessionem: ei tanquam armis deiecto interdictum Vnde vi competeret. neque hoc disputasse arbitror aut Pisonem, aut Calphurnium, sed illud tantùm, non esse dominum prohibitum: id est, non esse Cæcinæ fundum à quo depulsus est.

Deiicio enim, inquis, si quis meorum deiectus est. Quid si pars familiæ deiecta est, pars relicta? Vlpianus in l. I, De vi & vi arm. respondit, si serui quidam deiecti sunt, alii detenti & vincti, aut etiam eis imperatum, vi me deiectum intelligi. desiisse enim te possidere, quum serui ab alio possideantur. Quid ergo si non sit imperatũ? ego per eos retineri possessionem puto, eóque deiectum dominum non videri. quod sanè ex superiori eiusdem Vlpiani responso confirmatur, his verbis: Apud Viuianum relatum est, Si quis me vi deiecerit, meos non deiecerit, non posse me hoc interdicto experiri: quia per eos retineo possessionem, qui vi deiecti non sunt.

Omnes in ædibus adseruati ac retenti. Si retentis imperatum esset, quo tempore Vlpianus scripsit dari solere interdictum, ex eius verbis suprà scriptis intelligitur: si non imperatum, non dari.

Nullam esse actionẽ dicere in re tam insigni, támque atroci, neque prudẽtiæ, neque auctoritatis tuæ est: alia si qua fortè est, quæ nos fugerit, dic quæ sit: cupio discere. Hæc si est, qua nos vsi sumus, te iudice vincamus necesse est: non enim vereor ne hoc dicas, in eadem causa eodem interdicto te oportere restitui, Cæcinam non oportere. Etenim cui perspicum non sit, ad incertum reuocari bona, fortunas, possessiones omnium, si vlla ex parte sententia huius interdicti diminuta, aut infirmata sit: si auctoritate virorum talium *ius armatorum hominum iudicio *approbatum videatur, in quo iudicio non de armis dubitatũ, sed de verbis quæsitũ esse dicatur? CICERO. 601

*ais *approbata

Quod uis Caecinae facta non est. Quippe qui non possidebat. hoc enim est Ebutii causae firmamentum: vt infrà ostendam. scribit autem Labeo, eum qui per vim possessionem suam retinuit, vi non possidere. l. 1, D. de vi & vi arm. Quare haec mihi Ebutii defensio probatur, vt in possessione retinenda non videatur esse vis facta, si qui non possidebat prohibitus est introitu. HOTOM.

Nemo, inquit, occisus est, neque saucius. Tum enim aut iniuriarum actio daretur, aut quaestio de vi publica decerneretur. Locus autem non est istis actionibus, nisi quum res ad manus & ad pugnam venerit.

Tu uim negabis esse factam. Negari certè non posset, si ei qui possideret, vis esset allata. sed quia non possidere Caecinam contendebat Ebutius, bona ratione hac defensione vtebatur. alioqui verum esset, quod Tullius oratoriè vociferatur. & hoc est quod scribit Vlpianus in l. 3, De vi & vi arm. Qui armati venerunt, etsi armis non vsi sunt ad deiiciendum, si deiecerint, armata vis facta esse videtur. sufficit enim terror armorum, vt videantur armis deiecisse.

Quòd si vi pulsos dicimus exercitus esse eos, qui metu ac tenui saepe suspicione periculi fugerũt, & si nõ solùm impulsu scutorũ, neque conflictu corporum, neque ictu comminus, neque coniectione telorum, sed saepe clamore ipso militum, aut instructione aspectúque signorũ magnas copias pulsas esse & vidimus & audiuimus: quae vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? & quod vehemẽs in re militari putatur, id leue in iure ciuili iudicabitur? & quod exercit' armatos mouet, id aduocationem togatorũ non videbitur mouisse? & vulnus corporis magis istã vim, quàm terror animi declarabit? & sauciatio quaeretur, quũ fugam factã esse constabit? tuus enim testis hoc dixit, metu perterritis nostris aduocatis, locum quà effugerent, demonstrasse. Qui non modò vt fugerent, sed etiam ipsius fugae tutam viam quaesierunt, his vis adhibita non videbitur? quid igitur fugiebant? propter metum: quid metuebant? vim videlicet. Potestis igitur principia negare, quum extrema cõceditis? fugisse perterritos confitemini: causam fugae dicitis eandem, quam omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum, incursionem atque impetum armorum: haec vbi conceduntur esse facta, ibi vis facta negabitur? At verò hoc quidem iam vetus est, & maiorum exemplo multis in rebus vsitatum: quum ad vim faciũdam veniretur, si quos armatos quanuis procul cõspexissent, vt statim testificati discederent, optimè sponsionem facere possent, ni aduersus edictum Praetoris vis facta esset. CICERO. 603

Quùm ad uim faciundam ueniretur. Ex conuentu, vt vis fieret moribus, de quo pag. 306. HOTOM.

si quos armatos, quanuis procul conspexissent. Hunc tamen morem sic interpretatur Vlpianus in l. 3. supradicta. Si quis, ait, visis armatis, qui aliò tendebant, metu hoc deterritus profugerit, non videtur vi deiectus: quia non hoc animo fuerunt, qui armati erant, sed aliò tendebant. proinde etsi quum armatos audisset venire, metu possessione decesserit: siue verum, siue falsum audisset, dicendum est non armis esse eum deiectum: nisi possessio ab his fuerit occupata. Et in l. metum, D. de eo quod metus causa: Si fundum, inquit, meum dereliquero, audito quòd quis cum armis veniret, an huic edicto locus sit. Et Pomponius refert, Labeonem existimare edicto locum non esse, sed & VNDE VI interdictum cessare: quoniam non videar neque vi deiectus, qui deiici non expectaui, sed profugi. aliter atque si posteaquã armati ingressi sunt, tunc discessi. huic enim edicto locum fore.

Itáne verò? scire esse armatos satis est, vt vim factam probes: in manus eorum incidere non est satis? aspectus armatorum ad vim probandam valebit: incursus & impetus non valebit? qui abierit, facilius sibi vim factam probabit, quàm qui effugerit? At ego dico hoc: si, vt primò in castello Caecinae dixit Ebutius, se homines coegisse & armasse, neque illum, si eò accessisset, abiturum, statim Caecina discessisset: dubitare vos non debuisse, quin Caecinae facta vis esset. Si verò, simulac procul conspexit armatos, recessisset, eò minus dubitaretis. omnis enim vis est, quae periculo aut decedere nos alicũde cogit, aut prohibet accedere. Quòd si aliter statuetis, videte ne hoc vos statuatis, qui viuus discesserit, ei vim non esse factã: ne hoc omnibus in possessionum cõtrouersiis praescribatis, vt confligendum sibi & armis decertandum putent: ne, quemadmodũ in bello poena ignauis ab imperatoribus constituitur, sic in iudiciis deterior causa sit eorum qui fugerint, quàm qui ad extremum vsque contenderint. Quum de iure & legitimis hominum controuersiis loquimur, & in his rebus vim nominamus, pertenuis vis intelligi debet. Vidi armatos, quanuis paucos, magna vis est. Decessi vnius hominis telo perterritus, deiectus detrusúsque sum. Hoc si ita statuetis, non modò non erit cur depugnare quisquam posthac possessionis causa velit, sed ne illud quidem, cur repugnare. Sin autem vim sine caede, sine vulneratione, sine sanguine nullam intelligetis, statuetis homines possessionis cupidiores, quàm vitae esse oportere. Age verò, de vi te ipsum habebo iudicem Ebuti: responde, si tibi videtur: in fundum Caecina vtrum noluit tandem, an non potuit accedere? quum te obstitisse & repudiasse dicis, certè hunc voluisse concedis. HOTOM. 604

ter quos cōuenit.(Id est pactorū alia propriè pacta dicūtur, & generis sui nomē retinent, quū qui inter se pepigerint: alia cōuenta nominātur, quū quid inter quos cōuenit.) Pacta sunt quæ legibus obseruāda sunt, hoc modo(nūc priorē speciem interpretatur)Rē vbi pagūt, oratione pagūt: in comitio, aut in foro āte meridiē causam cōiicito. Sunt itē pacta(nunc speciē alterā explicat) quæ sine legibus obseruātur ex conuentu, quæ iuri præstare dicuntur. Hæc ille. Exemplum autē prioris speciei sanè quemadmodū intelligendū sit, non video. nisi fortè sic scribi oporteat, Rem vbi agant, oratione pagant: in foro, aut in comitio. vt sit sensus, Pacta dici ea speciatim, quæ legū imperio facta sunt. veluti, in XII tabulis lex est, vt in forū, aut in comitium litigatores inter se iudicium denuntient. si denuntiatio illa, siue condictio(vt olim dicebatur)facta sit, & vt eo in loco iudicium fieret conuenerit, hæc conuentio Pactum vocatur: sed Legitimum, quippe quod ex lege factum sit, & ex eadem obseruandum. id est, Lex id pactum facere litigatores iussit: neque tam ex consensu, quàm ex legis iussu conuentio facta est. Rem enim pro Causam dictum est vetusto more: vt apud Horatium, Tēne relinquam, an rem? vnde Rei(vt Cicero scribit)vtrique litigatores dicti. nam quod sequitur IN COMITIO, aut in foro, ante meridiem causam coniicito, mendosum quoque ex libro Gellii XVII, cap. II, esse constat. vbi lex duodecim tabularum ad iudicem pertinens ita profertur, Ante meridiem causam conscito, quu perorant ambo præsentes: post meridiem præsenti litem addicito, si ambo præsentes. Sol occasus suprema tēpestas esto. Quinetiam hoc eodē modo in duobus antiquis Rhetoricorum libris scriptum est: ad quorum marginem hanc glossam adscriptam reperio, Cōscito, id est cognoscito: scilicet tu Iudex. Vt mihi etiam in mentem venerit suspicari verba illa In comitio, aut in foro, ad superius membrū pertinere. Quinetiam quod in extremo scriptū ita est, IVRI præstare dicuntur: apertè deprauatum est, & sententiā habet aut nullā, aut falsam & ineptā. Est enim auctori propositū docere, Ius esse vel constare ex conuentis, itē vti ex pactis. itaque in antiquis omnibus, quos vidi, libris, non IVRI, sed IVRE in sexto casu scriptū reperio. quasi dixisset, valere & rata esse. tametsi longē facilior & apertior esset sentētia, propositoq; sermoni accōmodatior, si IVS PRAESTARE legeremus: id est, tribuere, præbere, cōstituere. neque verò sum nescius quid significet Causæ cōiectio, apud Asconium: sed hoc ad hunc locum nō pertinet. IVRE autē præstare, pro valere vel rata esse, eodē modo dicemus, vt Cicero lib. de Orat. II, ferè initio, Eloquētiā florere & præstare. Atque hæc quidē de Pactis legitimis, de quibus etiā ab Vlpiano fit mentio in l. legitima. D. de pactis. Sequitur vt de Conuētis breuiter explicemus. Cōuentorū igitur Iuriscōsulti tres species fecerūt: primam eorū quæ propriu nomen habent, & à populo R. cōprobata sunt, quorúmque causa antiquitus actionis formula iure ciuili constituta est: veluti, emptio, venditio, locatio, conductio, & quæ sunt in eodē genere. alterā eorum quæ neque nomē, neque suā habent actionem ac formulam constitutam: sed ea præscriptis verbis cōcipienda est: veluti quæ causam subiectā habent, vt do vt des, do vt facias, & quæ sunt generis eiusdē. tertiam eorū quæ modò Nuda pacta, modò Pacta conuenta, modò præcisè Pacta nominantur, quæ solus Prætor pro suo imperio valere iubet: & per exceptionem(nō etiam per actionē, vt attentè cōsideranti constabit)tuetur. de quibus ipsis duo tractatus, De pactis scilicet, & De transactionibus sine dubio intelligendi sunt. Quod vt planius perspicere possimus, illud scire oportet, conuentiones nullas iure ciuili ratas fuisse, id est obligationes nō peperisse, nisi quæ horum quatuor aliquo cōfirmatæ essent, re, stipulatione, cōsensu, aut nominibus. quòd si quæ esset nuda cōuētio, id est à nullo illorū quatuor cōfirmata, vim nullā habebat. veluti quum mihi Cornelius centū deberet, cōuenit inter nos ne peterem. si ea cōuentio stipulatione nulla firmata est, vim nullā habebit. adeò vt mihi centū petenti Prætor actionē denegare nō possit, quippe mihi iure ciuili cōpetentē. Prætor tamē aliquis quū animaduerteret nihil esse tā congruū humanæ fidei, quàm quod inter quos cōuenit, seruare: edixit se pacta cōuenta per exceptionē seruaturum. Dicet aliquis, Nunquid hæc cōuentio quā nudā appellas, cōsensu firmata est: itē vti emptio, locatio, & similes? Verùm intelligēdum est, earū cōuentionū quæ cōsensu firmatæ sunt, duo tantū genera à iure ciuili comprobata esse: vnum earū quæ nomine aliquo appellatæ sunt, & quarū causa certa actionis formula cōstituta est: vt empti, vendiri, locati: alterū earum quæ nō nomen, sed causam habēt: id est, quæ vt daretur aliquid aut fieret, institutæ sunt: veluti quatuor innominati, quos vocant, cōtractus. Præter has duas species innumera sunt inter homines pactionū genera, quæ sanè cōsensu cōstant. quomodo enim pactio vel cōuentio sine cōsensu intelligetur? sed illa omnia iuri ciuili ignota sūt, & à solo Prætore cōfirmata, vt exceptionē parere possint. quāobrē Vlpian', Sed quū nulla subest causa, inquit, præter conuentionē, hîc cōstat nō posse cōstitui obligationē. Igitur nuda pactio obligationē nō parit, sed parit exceptionē. hæc ille. Exēpla quoque alii multa suppeditāt in l. iurisgētiū, parag. quinimo, l. si vnus, parag. pactus ne peteret, & l. ab emptione, sub eo. tit. in quib' pactū nudū manifestò ei obligationi quæ cōsensu cōtrahi solet, opponitur. Ei autē qui stipulatione fit, opponitur apud

Ex quibus locis,& aliis præterea innumeris hanc esse huius legis,de qua meminit Cicero,sentétiam existimamus,vt quum aliarum rerum vsus annuus auctoritatem,id est ius dominii bona fide possidenti afferat, fundi nonnisi biennis vsus afferre possit. vt mihi quidem hoc in loco non BIENNIVM, sed BIENNEM potius legendú esse videatur, & in illo Topicorum persimili, BIENNIS:quasi in Lege scriptum hoc modo fuisset,VSVS, AVCTORITAS FVNDI, BIENNIS ESTO. CAETERARVM RERVM, ANNVVS ESTO. Quorum verborum sensus hic est apertissimus: Vsus biénis,esto auctoritas fundi.cæterarum rerum,annuus.vt si quæratur,quod ius sit in eam rem possessori:&,vt modò loquimur,quis titulus:respondere possit, Quia bona fide annum aut biennium ea re vsus sit. quam coniecturam Venuleii verba confirmant,qui Auctoritatis verbo, pro iure ex vsucapione quæsito,perspicuè vsus est in l.vlt. D. de euictionib. Si alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero, amitti auctoritaté placet: Et Ciceronis paulo infrà pag.615, Aquæductus,haustus,iter, actus à patre:sed rata auctoritas harú rerú omniú a iure ciuili sumitur. Et ité in Orat. pro domo s. Multæ sút domus in hac vrbe,atq; haud scio an penè cunctæ iure optimo, sed iure priuato, iure hæreditario,iure auctoritatis,iure mancipii, iure nexi. Nam Auctoritatis verbum ipse etiam Budæus eo in loco similiter interpretatur.Confirmat præterea nostram opinionem quòd in Topicis,in libris quidem omnibus quos adhuc viderim,sine coniunctione locus sic legitur, quemadmodum hunc nostrum legendum esse suspicamur,Quoniam vsus auctoritas fundi biennium est.Item illud,Et sunt cæterarum rerum omnium,quarú annuus est vsus. Subauditur enim verbum antecedens,Auctoritas: vt ordo & sensus hic sit,Quoniam vsus biennis fundi, est rata ipsius auctoritas: sit etiam ædiú. at in lege ædes nó appellantur. & sunt cæterarum rerú omnium, quarum annuus vsus,est rata auctoritas:idest, quarum annua possessio ratam auctoritatem,hoc est,ius dominii fixum & firmum afferre solet.nam Annuus & Biennis cóparare atque opponere videtur. vt Plinius lib. 11, cap. 82, Vtpote,inquit, quum quidam annuo & bienni spatio durauerint. Quæ quanuis ita sese habeant, nihil tamen affirmare volumus,sed assensionem nostram sustinebimus,dum alii maioris auctoritatis viri coniecturam hanc nostram bona aliqua & probabili ratione aut confirment, aut repudient.Nos disputandi finem faciemus, si vnum illud addiderimus,nó videri absurdam oportere verborum implicationem, qua vsum esse Tullium suspicamur,quum sic diceret,Lex vsum,auctoritatem fundi iubet esse,biennem.quod videlicet Legis verborum notissimum ordinem sequeretur, in qua, vt diximus, scriptum hoc modo fuisse arbitramur, Vsus, auctoritas fundi,biennis esto.Cæterarum rerum, annuus esto.Ac de hoc quidem verbo Auctoritas,quæ sit ipsius origo ac notatio,paulò suprà in hanc ipsam Orationem explicauimus.

Vtimur eodem iure in ædibus. Rationem exponit in Topicis,suprà dicto loco.

Quæ in Lege non appellantur. Quarum in Lege non fit mentio.

Qua velit. Is cui seruitus debetur.

Si via sit in Brutiis immunita. Brutii,Italiæ populi,ad fretum Siculum siti. Tusculum verò oppidum proxime vrbem:atque,vt Strabo scribit, in ipsius vrbis cóspectu.Eius ager Tusculanus: in quo, vt alibi diximus, Romani ciues villas habebant amœnissimas. in his M. Scaurus, M. Cicero,Q.Hortensius, L.Lucullus,& alii quàm multi. Sésus ergo est apertissimus,Si verba,inquit,sequeremur,quæ potestatem faciút,vt quà velit is cui seruitus debetur, si via vbi illa debetur immunita est,iumentum agat: agere liceret vel per amœnissimum & ornatissimum quemuis agrum,qualis est ager M. Scauri: quam ille grauissimam contumeliam sibi factam interpretaretur.quum agro illo suo nihil neque iucundius neque suauius quicquam habeat.

Actio est in auctorem præsentem. Auctorem,omnes libri veteres:& rectum est,opinor,sic emendari. nam quam actionem Cicero nominat, eam his conceptam fuisse verbis ex Valerio Probo didicimus, Quando in iure te conspicio,postulo anne fias auctor.

Quàm rem, cuius caussa verba sunt, non considerarent. Insolens locutio:cuius similem non memini me legisse:Quàm non considerarent,pro Vt non considerarent.

Amitteret hereditatem. Quippe qui pupillus non esset,vtpote non impubes.nam pubertatis primus annus,quartusdecimus.

Intelligitis enim. Alii Intelligetis.& sic emenda.

Restituisse dicere te restituisse. Notetur locus,cui similes sunt alii quammulti: ex quibus verú esse intelligitur quod antea diximus,sponsionis verbis quibus quis Restituisse se dicit,nó factú ipsú comprehendi:hoc est,non facto ipso ac reuera dicere sponsorem se restituisse.quippe qui nullo modo restituerit. ná hoc ipso in loco qui restituisse se dicit, nó restituit.& si hoc aliis verbis efferret,sic diceret,Restituere nó debeo:quippe qui nó deiecerim. Sed quòd Magistratus imperio parere ciué necesse est,vti hac illi oratione nó licet,Nó restituá,aut Restituere nó debeo.Quocirca restituisse se cótédit:id est,Magistratus edicto atq; imperio moré gessisse: sed sub ea tamé có-

ditione qua & restituere iubebat. Iubebat autem restituere, si deiecisset. non deiecerat: quare ma-
gistratus imperio paruerat: & hoc modo restituerat. similis locus pag. 610, Si glebis aliquem
deieceris, iussúsque sis quem hominibus armatis deieceris, restituere: restituisse te dices?

CICERO. Si verò ne habeas quidem seruum præter eum, qui me deiecerit, clames videlicet, Si habeo fa
608 miliam, à familia mea fateor te esse deiectum. Neque dubium est, quin, si ad rem iudicandã ver-
bo ducimur, non re familiam intelligamus, quæ constet ex seruis pluribus: quin vnus homo fa
milia non sit. Verbum certè hoc non modò postulat, sed etiam cogit. At verò ratio iuris, inter- 56
dictique vis, & Prætorum voluntas, & hominum prudentium consilium & auctoritas respuat
hanc defensionem & pro nihilo putet. Quid ergo? isti homines Latinè non loquuntur? imò ve-
rò tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam voluntatem: quum sibi hoc propo-
suerint, vt siue me tu deieceris, siue tuorum quispiam, siue seruorum, siue amicorum, vt seruos
non numero distinguant, sed appellẽt vno familiæ nomine. De liberis autem, quisquis est, pro- 57
curatoris nomine appelletur: non quo omnes sint aut appellentur procuratores, qui negotii no
stri aliquid gerant: sed in hac re, cognita sententia interdicti, verba exquiri omnia noluerunt.
non enim alia causa est æquitatis in vno seruo & in pluribus: non alia ratio iuris in hoc genere
duntaxat, vtrum me tuus procurator deiecerit is, qui legitimè procurator dicitur omnium re-
rum eius, qui in Italia non sit, absítve Reip. causa, quasi quidam penè dominus, hoc est alieni
iuris vicarius: aut tuus colonus aut vicinus, aut cliens, aut libertus, aut quiuis, qui illam vim de-
iectionémque tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. Quare si ad eum restituendum, qui vi deiectus 58
est, eandem vim habet æquitatis ratio: ea intellecta certè nihil ad rem pertinet, quæ verborum
vis sit, ac nominum.

HOTOM. *Hominum prudentium vt silium & auctoritas respuat hanc defensionem, & pro nihilo putet.* In hanc rationem
respondit Vlpianus hoc modo in l. 1, D. de vi & vi arm. Familiæ autem appellatio seruos con-
tinet. sed quæritur, quem numerum seruorum contineat: vtrùm plurium, an verò duorum, vel
trium? sed verius est, in hoc interdicto, etiã si vnus seruus vi deiecerit, familiã videri vi deiecisse.

Qui legitimè procurator dicitur omnium rerum eius. Hoc est, quod scribit Vlpianus in l. 1, D. de pro-
cur. quosdam non putare, vnius rei mandatum suscipientem procuratorẽ esse: sicuti nec is qui-
dem, qui rem perferendam, vel epistolam vel nuntium perferendum suscepit, propriè procu-
rator appelletur. sed verius est, inquit, eũ quoque procuratorẽ esse, qui ad vnam rem datus sit.

Eius qui in Italia non sit. Nam qui, vt sæpe antea diximus, præsentis negotium suscipiebat, Co-
gnitor dicebatur. & ita scripsisse arbitramur Asconium: tametsi verbum ABSENTIS desit. vt
alibi ostendimus ex Festo Pompeio: & hic locus manifestò demonstrat.

Qui in Italia non sit. Nam quum quis esset in Italia, cogi ipse poterat vadimonium promittere.
Suetonius in Caligula, Comprehendit, inquit, meritoria vehicula, adeò vt plerique litigato-
rum. quòd occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa caderent.

Aut cliens, aut libertus. De Clientibus cognosce ex Orat. pro Sex Roscio.

CICERO. Tam restitues, si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo præpositus negotio, quàm si procura-
609 tor deiecerit: non quo omnes sint procuratores, qui aliquid nostri negotii gerunt, sed quòd in
hac re quæri nihil attinet. Tã restitues, si vnus seruulus, quàm si familia deiecerit vniuersa: non
quo idem sit seruulus quod familia, verùm quia non, quibus verbis quidque dicatur, quæritur,
sed quæ res agatur. Etiam vt iam lõgius à verbo decedamus, ab æquitate ne tantulum quidem:
si tuus seruus nullus fuerit, & omnes alieni ac mercenarii, tamẽ & ipsi tuæ familiæ & genere &
nomine continebuntur. Perge porrò hoc idem interdictũ sequi. HOMINIBVS COACTIS. 59
Neminem coegeris, ipsi conuenerint sua sponte: certè cogit is, qui congregat homines & cõuo-
cat. Coacti sunt ii, qui ab aliquo sunt vnum in locum congregati. si non modò conuocati non
sunt, sed ne conuenerunt quidem, sed ii modò fuerunt, qui etiam antea, non vis vt fieret: verùm
colendi, aut pascendi causa esse in agro consueuerant, defendes homines coactos non fuisse, &
verbo quidem superabis, me ipso iudice: re autem ne consistes quidẽ vllo iudice: vim enim mul
titudinis restitui voluerunt, non solùm conuocatæ multitudinis, sed quia plerunque vbi mul-
titudine opus est, homines cogi solent, ideo de coactis compositum interdictũ est: quod etiam
si verbo differre videbitur, re tamen erit vnum, & omnibus in causis idẽ valebit, in quibus per-
spicitur vna atque eadem causa æquitatis. ARMATISVE. Quid dicemus? armatos si Latine lo- 60
qui volumus, quos appellare vere possumus? opinor eos, qui scutis, telísq; parati ornatique sũt.

HOTOM. *Si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo præpositus negotio.* Modò vel mandato tuo id fecerit, vel ratum
habueris. Rectius enim, ait Vlpianus, dicitur Ratihabitionem in maleficio, mandato compara
ri l. 1, parag. deiecisse, & l. 3, parag. quum procurator, D. de vi & vi arm.

Si vnus seruulus. Idem in l. 1, Sed verius est, in hoc interdicto, etiam si vnus seruus me deiece-
rit, familiam videri deiecisse.

Omner alieni ac mercenarii. Idē, Si filiosfa. vel mercenarius vi deiecerit, vtile interdictū cōpetit.

Armatisue. Nihil muto: sed magis placeret Armatisque: vt infrà 611, Ea fit plerunque per homines coactos armatósque.

Quid igitur? si glebis, aut saxis, aut fustibus aliquem de fundo præcipitē egeris, iussúsque sis, CICERO. quem hominibus armatis deieceris, restituere: restituisse te dices? verba si valent, si causæ non ra- 610 tione, sed vocibus ponderantur: me auctore dicito. Vindices profectò nō fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quæ de terra ipsi tollerent: nō esse arma cespites neque glebas: non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramum defringerent arboris: arma esse suis nominibus, alia ad tegēdum, alia ad nocendum: quæ qui non habuerint, eos inermes fuisse vinces. Verùm si quidem erit armorum iudicium, tum ista dicito. iuris iudicium quū erit & æquitatis, caue in ista tam frigida, tam ieiuna calumnia delitescas. nō enim reperies quenquā Iudicem, aut Recuperatorē, qui, tanquam si arma militis inspicienda sint, ita probet armatum: sed perinde valebit, quasi armatissimi fuerint, si reperiētur ita parati fuisse, vt vim vitæ, aut corpori potuerint afferre. Atque vt magis intelligas quàm verba nihil valeant: Si tu solus, aut quiuis vnus cum scuto, cum gladio impetum in me fecisset, atque ego ita deiectus essem, auderésne dicere interdictum esse de armatis hominibus, hic autem hominem armatum vnum fuisse? nō opinor tam impudens esses. Atqui vide ne multo nunc sis impudētior: nam tum quidem omnes mortales implorare posses, quòd homines in tuo negotio Latinè loqui obliuiscerentur: quòd inermes armati iudicarētur: quòd quum interdictum esset de pluribus, commissa res esset ab vno, vnus homo plures esse homines iudicarentur.

Sed perinde valebit, quasi armatissimi fuerint. In hanc sententiam Vlpianus in l. 3 sic scribit: Armis HOTOM. deiectum, quomodo accipimus? Arma sunt omnia tela: hoc est, & fustes, & lapides, non solùm gladii, hastæ, & frameæ, id est romphææ. planè & si vnus vel alter fustes vel gladiū tenuit, armis possessor deiectus videtur. plus dicitur. Etsi inermes venerunt, si in ipsa contrectatione, qui inermes venerant, eò processerunt, vt fustes aut lapides sumerent: vis erit armata. Qui armati venerunt, etsi non armis vsi sunt ad deiiciēdum: si deiecerint, armata vis facta esse videtur. sufficit enim terror armorum, vt videantur armis deiecisse.

Verùm in his causis non verba veniunt in iudicium, sed ea res cuius causa verba hæc in in- CICERO. terdictum coniecta sunt. vim, quæ ad caput & ad vitam pertinet, restitui sine vlla exceptione 611 voluerunt. ea fit plerunque per homines coactos armatósque. quæ si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse voluerunt: non enim maior est iniuria, si tua familia, quàm si tuus villicus: non si tui serui, quàm si alieni ac mercenarii: non si tuus procurator, quàm si vicinus aut libertus tuus: non si coactis hominibus, quàm si voluntariis, aut etiam assiduis, ac domesticis: non si armatis, quàm si inermibus, qui vim haberent armatorum ad nocendum: non si pluribus, quàm si vno armato. quibus enim rebus plerunque vis fit, eiusmodi hæ res appellātur interdicto. si per alias res eadē facta vis est: ea, tametsi verbis interdicti non concluditur, tamen sententia iuris atque auctoritate retinetur. Venio nunc ad illud tuum: Non deieci, si non sivi accedere. puto te ipsum Piso perspicere, quāto ista sit angustior iniquiórque defensio, quàm si illa vterere: Non fuerunt armati, cum fustibus & saxis fuerunt. Si mehercule mihi non copioso homini ad dicendum, optio detur, vtrum malim defendere, non esse deiectum eum, cui vi & armis ingredienti sit occursum: an armatos non fuisse eos, qui sine scutis ac sine ferro fuerint: omnino ad probandum vtranque rem videam infirmam nugatoriámque esse: ad dicendū autem, in altera videar mihi aliquid reperire posse, non fuisse armatos eos, qui neque ferri quicquam, neque scutum vllum habuerint: hic verò hæream, si mihi defendendum sit, eum, qui pulsus, fugatúsque sit, non esse deiectum.

Vim quæ ad caput, & ad vitam pertinet, restitui sine ulla exceptione voluerunt. Exceptionē significat, quem- HOTOM. admodum suprà demōstrauimus, adscriptionē quæ in interdicto subiicitur, QVVM QVI DEIECTVS EST POSSIDERET. pag. 622.

Non deieci, si non sivi accedere. Firmissima defensio, vt suprà ostendi. nam si ingressum deiecisset, omnino restitui oporteret. vt Paulus scribit in l. Fulcinius, eod. tit. & clarius postea Cicero pag. 622 vbi siue possideat, siue non possideat, qui armis deiectus est, restituēdum dicit. at qui per vim (inquit Labeo) possessionem suam retinuit, vi non possidet. d. l. s, parag. cum qui.

Atque illud in tota defensione tua mihi maximè mirum videbatur, te dicere Iurisconsulto- CICERO. rum auctoritati obtemperari non oportere. Quod ego, tametsi non nūc primùm, neque in hac 612 causa solùm audio, tamen admodum mirabar, abs te quamobrem diceretur: nam cæteri tum ad istam hortationem decurrunt, quū se in causa putant habere æquum & bonum, quod defendant. si contrà verbis & literis, & (vt dici solet) summo iure contenditur, solent eiusmodi iniquitati & boni & æqui nomen dignitatémque opponere. tum illud, quod dicitur, * irridētur: tum au

** siti lingua non impetit.*

» cupia verborum & literarum tendiculas in inuidiam vocant:tum vociferantur ex æquo & bo-
» no,non ex callido versutóque iure rem iudicari oportere:scriptum sequi,calumniatoris esse:bo
» níque iudicis,voluntatem scriptoris auctoritatémque defendere.In ista verò causa,quum tu sis
» is,qui te verbo literáque defendas,quum tuæ sint eæ partes,vnde deiectus es:an inde quò prohi-
L. ᵃeiectus es,nō » bitus es accedere:ᵃeiectus,nō deiectus: quū tua sit hæc oratio,Fateor me homines coegisse,fateor
» armasse,fateor tibi mortem esse minitatum,fateor hoc interdicto Prætoris vindicari,si volun-
» tas & æquitas valeat.Sed ego inuenio in interdicto verbum vnum,vbi delitescam, Non deieci
» te ex eo loco,quem in locum prohibui ne venires.In ista defensione accusas eos, qui consulun-
» tur,quòd æquitatis censeant rationem,non verbi haberi oportere.& hoc loco Scæuolam dixi-
ᵇquum » sti causam apud Cētumuiros non tenuisse: quem ego anteà commemoraui,ᵇquòd idem faceret,
» quod tu nūc:tametsi ille in aliqua causa faciebat,tu in nulla facis:tamen probasse nemini quod
» defendit,quia verbis oppugnare æquitatem videbatur.

HOTOM. *Iurisconsultorum auctoritati obtemperari non oportere.* De iuriscōsultorum auctoritate Iustinianus sic loquitur in lib. Instit. iuris 1, Responsa prudentum sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere.nam antiquitus cōstitutum erat, vt essent qui iura publicè interpretarentur:quibus à Cæsare ius respondendi datum est,qui Iurisconsulti appellabantur. quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant,vt iudici recedere à responso eorum non liceret:vt est constitutum.hæc ille.Neque hoc mirum cuiquam videri debet,quum præsertim homines plerunque(vt Quintilianus scribit) indocti, sæpe etiam rustici, iudices darentur:&, vt alibi restatur, rure etiam plerunque accerserentur.cuiusmodi tres isti fortasse Recuperatores fuerunt:quos Cicero,nunquā sanè valde honorificè appellauit. Iudices ergo istius generis imperiti homines ferè ad Iurisconsultos confugiebant, qui sua eis responsa scripta dabant.Pomponius sub tit.de Origine iuris,Ante tempora Augusti,publicè respōdendi ius,non à Principibus dabatur:sed qui fiduciam studiorum suorum habebant,consulētibus respondebant:neque responsa vtique signata dabant, sed plerunque iudicibus ipsis scribebant aut testabantur,qui illos consuluerāt.primus D.Augustus,vt maior iuris auctoritas haberetur,cōstituit vt ex auctoritate eius responderent. Porrò autem vt totam Iurisconsultorum rationem breuiter explicemus,illud intelligi oportet:quū ius(vt idem Quintilianus scribit)aliud certum esset, nimirū quod scripto aut moribus constaret:aliud dubiū,quod æquitatis regula examinandum esset:Iurisconsultos in hoc vno genere responsa dedisse,iúsque constituisse. Iuris autem omnis quæstio,vt idem alibi ostēdit,aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis coniectura cōtinebatur.veluti quū in hac causa quæreretur,An Deiecti verbo etiam is,qui prohibitus esset accedere,contineatur,cōsulti Iurisperiti sunt.Sed ad rem.Ex hac disputatione facile est existimare,Iurisperitos à Cæcina consultos,eius causam probasse.quod etiam in peroratione ostendit his verbis, Auctoritatem sapientissimorū hominum facere nobiscum: opinor, quòd Cæcinam possessorem fuisse quū deiiceretur,existimarent.scribit enim Paulus in l.Fulcinius,D.eod. vi possideri,& ob eam causam interdictum competere,etiam si nō dominus(quum tamē possideret) vi deiectus esset. Veritum igitur Pisonem Ebutii patronum ne illorum auctoritas iudicibus errorē obiiceret,hanc disputationem instituisse,vt diceret,non semper Iurisconsultorum responsa sequi oportere.Quod contrà Cicero callidè & astutè defendens,ius ciuile vniuersum collaudat,& eius auctoritatem confirmat.quum contra vnam illius partem,eámque infirmam aduersarius diceret:sed hoc scilicet habuit rationis, quòd omnia iura ciuilia per Iurisperitos describerentur:vt in vniuerso iure ciuili Iurisperitorū nomen valere posse videatur.

vt dici solet, summo iure. Hoc quid sit,explicauimus in Orat.pro Quintio.

*Tum illud quod dicitur * deridene.* In lacuna, sic libri veteres,Si veni be. Locus est mutilus : quem restituere sine melioris ope codicis,non possumus.Quòd si tamen vllus cōiecturæ locus est,fortasse ipsa illa verba desiderātur,quæ eadem in re ac disputatione Antonius ex XII tabulis protulit in libro de Orat.1, VTI LINGVA NVNCVPASSIT. Tu si, inquit, causam ageres militis,patrem eius,vt soles,dicendo à mortuis excitasses, &c.vt totum illud VTI LINGVA NVNCVPASSIT, non in XII tabulis,sed in magistri carmine scriptum videretur.

Aucupia verborum, & literarum tendiculas. Græcè similiter dicitur: vt apud Platonē in Theæteto, [illegible]

Quum tuæ sint eæ partes. Partes dicuntur personarum, quæ comœdias agunt : ad quas hoc loco alludit. Et paulo pòst idem dicit aliis verbis, Quum tua sit hæc oratio.nam VNDE DEIECTVS ES. A. I. Q. P. E. A. E. N. DEIECTVS:verba sunt Ebutii. Gallicè simili metaphora dicimus, *le rolle, que vous tenez.*

Eiectus, non deiectus. Libri veteres,Eiectus es,non deiectus.Et sic emenda.

Quum tua sit hæc oratio. Subauditur,inquā:vt sit, Quū inquam, hæ tuæ sint partes,atque oratio.

Eos qui consuluntur. Iuris peritos.

Antea commemoraui, quòd idem faceres. Omnes propè alii libri, Anteà non cōmemoraui. quod per-perspicuè falsum est, vt patet ex pag. 606. sed pro Quòd idem, valde placeret vt restitueremus Quum idem.

Tamen probasse memini, quod defendit. Ita placet. quum in aliis plerisque partim Non probasse, partim Probasse memini quod defendis, legamus. quæ sentētia perabsurda est. nam cum verbo Cōmemoraui hæc sententia manifestò contexitur.

» Quum id miror, te hoc in hac re alieno tempore, & contra quàm ista causa postulasset, defen- CICERO. 613
» disse: tum illud vulgo in iudiciis & nonnunquā ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirum
» videri solet, nec Iurisconsultis cōcedi, nec ius ciuile in causis semper valere oportere. nam qui
» hoc disputant, si id dicunt, non rectè aliquid statuere eos, qui consulantur, nō hoc debent dicere,
» iuri ciuili, sed hominibus stultis obtemperari non oportere: sin illos rectè respōdere concedunt,
» & aliter iudicari dicunt oportere, malè iudicari oportere dicunt. Neque enim fieri potest, vt a-
» liud iudicari de iure, aliud responderi oporteat, nec vt quisquam iuris numeretur peritus, qui id
» statuat esse ius, quod non oporteat iudicari. At est aliquando cōtrà iudicatum. primùm vtrum
» rectè, an perperam: si rectè, id fuit ius, quod iudicatum est: sin aliter, non dubium est, vtrum Iudi
» ces, an Iurisconsulti vituperādi sint: deinde si de iure vario quippiam iudicatum est, non potius
» contra Iurisconsultos statuunt, si aliter pronuntiatum est ac Mutio placuit, quàm ex eorum au
» ctoritate, si vt Manilius statuebat, sic est iudicatum. Etenim ipse Crassus non ita causam apud
» Centumuiros egit, vt contra Iurisconsultos diceret: sed vt hoc doceret, illud quod Scæuola de-
» fendebat, non esse iuris. & in eam rem non solùm rationes afferret, sed etiam Q. Mutio socero
» suo, multisque peritissimis hominibus auctoribus vteretur. Nam qui ius ciuile contemnēdum
» putat, is vincula reuellit non modò iudiciorum, sed etiam vtilitatis, vitæque communis. qui au
» tem interpretes iuris vituperat, si imperitos iuris esse dicit, de hominibus, nō de iure ciuili detra-
» hit: sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines lædit, sed leges, ac iura labefactat.

Nec ius ciuile in causis semper valere oportere. Ius ciuile συνεκδοχικῶς (quod adhuc neminem animaduertisse valde miror) quum partem eius vnam significet: nimirum Responsa prudentum. nam ius ciuile dicitur, quod in legibus, senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistit: vt ipse scribit in Topicis. sed Pomponius Iurisconsultus in l. 2, D. de origine iuris, ius illud quod sine scripto in sola prudētium interpretatione cōsistit, propriè ius ciuile appellari scribit, & generis nomē propriū ac peculiare sibi facere. HOTOM.

Non hoc debent dicere iuri ciuili. Hoc dicit, Iurisperitorum responsis iuris nomē, nisi quū æquitati consentanea sunt, non tribuitur. Aliter tamē sensisse videtur Paulus Iurisconsultus sub titu. de iust. & iure. Prætor, inquit, ius reddere dicitur, etiam quum iniquè decernit, relatione scilicet facta non ad id quod ita Prætor fecit, sed ad illud quod Prætorem facere cōuenit. Et profectò ita est, vt Iuris nomine, his quidem locis, non tam illa æqui verique regula intelligatur, quàm vis à populo delata & permissa, cui sua voluntate ciues obtemperant.

Iuris numeretur peritus. ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον. nam vt interdum fallatur, non tamen Iurisconsulti nomen ac dignitatem amittit. Iurisconsultus autem, vt est in libro de Orat. 1, dicitur, qui legum & consuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vtuntur, & ad respondendum & ad agendum, & ad cauendum peritus est.

Id fuit ius, quod iudicatum est. Non illud quod consulti responderant. quare contra ius ciuile iudicatum non est.

Si de iure vario. Id est, quum alii aliter respondissent. nam, vt scribit Quintilianus, Iurisconsultis diuersas inter se opiniones tueri concessum erat.

Si aliter pronuntiatum est, ac Mutio placuit. Hoc loco duos Mutios patrem & filiū significat, qui ambo Pontifices fuerunt, & iidem iurisperitissimi: vt ipse scribit in libro de Legib. 1. quorum alter P. Mutius Scæuola pater, quo COS. C. Gracchus cæsus est: alter Q. Mutius, de quo Cicero ius ciuile didicit, socer L. Crassi Oratoris: vt & paulo pòst, & in libris de Orat. ostendit. nā L. Crassus Liciniam, Scæuolæ & Læliæ filiam, in vxorem duxit.

Vt Manilius statuebat. M. Manilius summus Iurisconsultus, vt Cicero testatur in 1 de Oratore & de Finib' libro. Pomponius sub tit. de orig. iuris, Post hos, inquit, P. Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. ex his P. Mutius decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres. extant & volumina inscripta Manilii monumenta.

Qui ius ciuile contemnendum putat. Oratoriè, quum de iuris ciuilis particula, nimirum de Iurisconsultorum responsis agatur, vniuersi iuris ciuilis laudationē instituit: quasi de toto ciuili iure aduersarii detrahant.

» Quod vobis, venire in mentem profectò necesse est: nihil enim in ciuitate tam diligenter, CICERO. 614

» quàm ius ciuile retinendum. Etenim hoc sublato, nihil est quare exploratum cuiquã possit esse
» quid suum, aut quid alienũ sit: nihil est quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse
» possit. Itaque in cæteris controuersiis atque iudiciis, quũ quæritur, aliquid factum, néc ne sit, ve-
» rum an falsum profetatur, & fictus testis subornari solet, & imponi falsæ tabulæ, nonnunquam
» honesto ac probabili nomine bono viro iudici error obiici, improbo facultas dari, vt, quum
*testimonium » sciens perperam iudicarit, *testamentũ aut tabulas sequutus esse videatur. In iure nihil est eius-
» modi Recuperatores, non tabulæ falsæ, non testis improbus: denique nimia ista, quæ domi-
» natur in ciuitate, potentia, in hoc solo genere quiescit: quid agat, quomodo aggrediatur iudi-
» cem, quà denique digitum profetat, non habet. illũd enim potest dici iudici ab aliquo non tam
» verecundo homine, quàm gratioso, Iudica hoc factum esse, aut nunquam esse factum, vel cogi-
» tatum. crede huic testi: has comproba tabulas. hoc nõ potest, Cui filius agnatus sit, eius testamen
» tum non esse ruptum, iudica: quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi. Non est aditus
» ad huiuscemodi res neque potentiæ cuiusquam, neque gratiæ. denique quo maius hoc, san-
» ctiúsque videatur, ne pretio quidem corrumpi iudex in eiusmodi causa potest. iste vester testis,
» qui ausus est dicere fecisse videri eum, de quo ne cuius rei argueretur quidem scire potuisset, ipse
» nunquam auderet iudicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset.

HOTOM. *Leges ac iura labefactat.* Quorum illi sunt interpretes, populi consensu ac voluntate constituti.

AEquabile inter omnes. Hoc ad ius certũ pertinet, quod aut scripto cõstare, aut moribus, ex Quintiliano docuimus. at Iurisconsulti de iure dubio respondent.

Imponi falsæ tabulæ. Sic omnes scripti & impressi: haud scio tamen annon potius INTERPONI scriptum fuerit. præsertim quum ab hoc in illud facilis sit lapsus: quũ syllabam Ter plerique sic scribant vt apicem in capite literæ appingãt, t'. sic in Orat. pro Pompeio, memini Intencionem in omnibus antiquis libris pro Internecionem scriptum fuisse.

Testamentum aut tabulas Omnes manuscripti Testm̃, linea superimposita. vt mihi non Testamentum, sed Testimonium legendum esse videatur. primùm quòd quum de testibus ac de tabulis & modò paulo antè, & vno præterea interiecto versu sit loquutus: vtrunque hoc verbum eleganter & commodè ad vtrunque illud referri potest. deinde quòd quum in tabulis testamenta scribantur, & Tabulæ pro Testamento plerunque vsurpentur, ineptè Testamentum aut Tabulas coniunctè ac sine causa posuisset.

Quæ dominatur in ciuitate potentia. De potentia, cognosce ex Orat. pro Quintio.

Cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum. Nam agnatione posthumi rumpitur testamentum. Vlpianus in l. 3, D. de iniust. rupt. irrito fact. test. Posthumi per virilem sexum descendentes ad similitudinem filiorum nominatim exhæredandi sunt, ne testamentum agnascendo rumpant. Cicero de Orat. 1, Num quis eo testamento, quod paterfa. antè fecit quàm ei filius natus est, hæreditatem fecit? nemo. quia constat agnascendo rumpi testamentum.

Quod mulier sine tutore auctore promiserit. Olim mulieres sub tutoris potestate atque auctoritate perpetuò fuerunt. Cicero pro Muræna, Nam quũ multa præclarè legibus essent constituta, ea Iurisconsultorũ ingeniis pleraque corrupta ac deprauata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatẽ consilii maiores in tutorum potestate esse voluerunt. hi inuenerunt genera tutorum quæ potestate mulierum cõtinerentur. Vlpianus in Titulis, capite de Tutelis: Tutores, inquit, constituuntur tam masculis, quàm fœminis. Sed masculis quidem impuberibus duntaxat propter ætatis infirmitatem: fœminis autẽ tam impuberibus, quàm puberibus, & propter sexus infirmitatem, & propter forensium rerum ignorantiam. M. Cato pro Lege Oppia disserens apud Liuium, sic loquitur: Maiores nostri nullam ne priuatam quidẽ rem agere fœminas sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum. Et L. Valerius Tribunus pl. in oratione contraria, in extremo: Nunquam, inquit, saluis suis exuitur seruitus muliebris. Quædã tamẽ inter mulierum & pupillorum tutelã interfuisse & Cicero in Topicis significat his verbis, Non quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipsi mulieri sine tutore auctore soluas, ita quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè possis eodem modo soluere. Et Vlpianus in Titulis, capite de Tutelis, cuius verba subiiciam: Moribus tutor datur mulieri, pupillóve, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest) qui Prætorianus tutor dicitur, qui à Prætore vrbis dari consueuit. Pupillorum pupillarúmque tutores & negotia gerunt, & auctoritatem interponũt, mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponũt. Tutoris auctoritas necessaria est, mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si ciuile negotiũ gerant, si libertæ suæ permittant in contubernio alieni serui morari, si mancipia alienent: pupillis autem hoc amplius, etiam in rerum nec mancipi alienatione, tutoris auctoritate opus est.

Deberi uiro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. Nam, vt modò diximus, sub tutorum potestate

mulietes perpetuò fuerunt.

O rem præclaram, vobísque ob hoc retinendã Recuperatores: quod enim est ius ciuile, quod neque inflecti gratia, neque perfringi potẽtia, neque adulterari pecunia possit: quod si non modò oppressum, sed etiam desertum aut neglĩgẽtius adseruatum erit, nihil est, quod quisquam se se habere certum, aut à patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. Quid enim refert, ædes, aut fundum relictum à patre, aut aliqua ratione habere bene partum: si incertum sit, *quæ, cum omnia tua iure mãcipii sint, ea possísne retinere? si parum sit communitum ius? si ciuili ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest: quid inquam prodest fundum habere, si, quæ decẽtissimè descripta à maioribus iura finium, possessionũ, aquarum, itinerũmque sunt, hæc pertubari aliqua ratione, commutarique possunt? Mihi credite, maior hæreditas venit vnicuique vestrũ in iisdem bonis à iure & à legibus, quàm ab iis, à quibus illa ipsa bona relicta sunt. nam vt perueniat ad me fundus, testamento alicuius fieri potest: vt retineã quod meum factum sit, sine iure ciuili non potest. fundus à patre relinqui potest: at vsucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis ac periculi litium, non à patre relinquitur, sed à legib. aquæductus, haustus, iter, actus, à patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium à iure ciuili sumitur. Quapropter nõ minus diligenter ea, quæ à maioribus accepistis, publica patrimonia iuris, quàm priuatæ rei vestræ retinere debetis: non solùm quòd hæc iure ciuili septa sunt, sed etiam quòd patrimonium vnius incommodo dimittitur, ius amitti non potest sine magno incommodo ciuitatis. CICERO.

*quæ tua communi iure mancipii

Quod enim est ius ciuile. Mirè iuris scripti & certi laudatione iurisconsultorum responsis auctoritatem conciliat. nam vtrunque hoc caput, de quo modò explicauimus, ex duodecim, vt arbitramur, tabulis exscriptum est. HOTOM.

Neque inflecti gratia, neque perfringi potentia. Ex hoc loco intelligitur quod alibi diximus, Gratiã hoc differre à potẽtia, quod illa cum superioribus, hæc cum inferioribus rationem habet. vt si quem priuatum hominem apud Consules, cæterósque magistratus, & primos ciuitatis gratiosum esse dicamus: horum verò magnam esse potentiam in istos Recuperatores.

Quæ cum omnia tua iure mancipii sint. Sic omnes libri veteres. Ego contra omnium auctoritatem paucis immutatis, sic puto corrigendum: Quæ tua communi iure mancipii sint, &c. Mancipi autem res sunt, vt Vlpianus in Titulis exponit, prædia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam vrbana qualis domus: item iura prædiorum rusticorum: velut via, iter, actus, & aquæductus: item serui & quadrupedes, quæ dorso, collóve domãtur, velut boues, muli, equi, asini. cæteræ res nec mancipi sunt. Mancipatio propria species alienationis est rerum mãcipi: eáque fit certis verbis, libripende & quinque testibus præsentibus. res mobiles non nisi præsentes mancipati possunt, & non plures, quàm quæ manu capi possunt. immobiles autem etiam plures simul, & quæ diuersis locis sunt, mancipari possunt. Hæc Vlpianus. In capite proximo mendum est apertissimum: Traditio propria est rerum. addendum est enim Nec mancipi: quod propter insequens simile verbum (vt alibi persæpe) omissum est. nam Vlpianus Mancipationem dicit esse propriam alienationem rerum mancipi: Traditionem rerum nec mancipi: Vsucapionem & In iure cessionem vtrarúmque cõmunem. Est ergo ius mancipii, ius dominii in iis rebus quæ mancipi sunt quæsitum (eo more quem Caius explicat in libro 1 Institutionum) quarũ rerum nomine euictio præstatur, vt ab eo qui emisset, repeti non possent. Plautus in Curculio.

Cappadox, Memini, & mancupio tibi dabo. Curculio, Egóne ab lenone quicquam
Mancupio accipiam, quibus sui nihil est, nisi vna lingua,
Qui abiurant, siquid creditum est: alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alienísque imperatis.
Nec vobis auctor vllus est, nec vosmet estis vlli.

Vnde Mãceps etiam dicitur in eadem Scena, vt Auctor, qui quũ in auctione emerit, & manu rem venditã ceperit, alteri postea mancipium suum, id est ius dominii atque auctoritatem tradit. Curculio, Ego mancupem nihil moror, nec lenonum alium quenquam. Idem in Persa,

Dorpalus, Iste qui tabellas affert, adduxit simul
Forma expetenda liberalem mulierem
Furtiuam, abductam ex Arabia penitissima:
Eam te volo accurare, vt istic veneat:
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.

Si ciuili ac publica lege. Id est, si ciuium ac populi lege.

Vt retineam quod meum factum sit. Hoc eam vim habet, vt ciuis testamento alicuius hæreditatem possit accipere, peregrinus nõ possit: vt sæpe in hac Oratione ostenditur. nam quum hæreditatis aditio per in iure cessionem fieret, hæc autem inter ciues R. tantùm valeret, vt ipse docet in

Topicis:sequitur,vt peregrinus hæres à ciue R.institui non possit.

Vsucapio fundi. Id est, ius dominii,atque auctoritas, quam vsus fundi biennis affert.& hoc verè dicitur.nam ciuium hoc ius erat proprium: peregrini vsucapere non poterant. vt in lege XII tab.quam ipse memorat lib.Off.1.Aduersus hostem æterna auctoritas esto.Hostis enim,inquit, apud maiores nostros is dicebatur,quem nunc peregrinum dicimus.

Aquæductus, haustus,iter. Harum seruitutum explicationem imperiti iuris cognoscent ex libro Pandect.VIII,vel Institut.II.

Rata auctoritas. Ius dominii firmum ac fixum.& vide suprà 607.

A iure ciuili sumitur. At non ex iurisconsultorum responsis. ex quo quàm religiosè causæ seruiat intelligitur.

CICERO. 616 In hac ipsa causa Recuperatores, si hoc nos non obtinebimus, vi armatis hominibus deiectum esse eum,quem vi armatis hominibus pulsum,fugatúmque esse constet,Cæcina rem non amittet, quem ipsam animo forti, si tempus ita ferret amitteret: In possessionem in præsentia nõ restituetur,nihil amplius:Populi R.causa,ciuitatis ius,bona,fortunæ,possessiones que in dubium,incertúmque reuocabuntur:vestra auctoritate hoc cõstituetur,hoc præscribetur:quicum tu posthac de possessione contendes,eum si ingressum modò deieceris,in prædiũ restituas oportebit:sin autem ingredienti,cum armata multitudine obuius fueris, & ita venientem repuleris, fugaris,auerteris,non restitues.tum statueritis vim in cæde solùm,non in animo libidinis: nisi cruor appareat,vim non esse factam:iniuriarum delictum esse,qui prohibitus sit:nisi ex eo loco vbi vestigium impresserit,deiici neminem posse.iuris retinere sententiam & æquitatem plurimum valere oportere, an verbo ac litera ius omne torqueri, vos statuite Recuperatores, vtrum vtilius esse videatur.Hoc loco percommodè accidit,quòd non adest is qui paulo antè affuit, & adesse nobis frequenter in hac causa solet, vir ornatissimus C.Aquilius. Nam ipso præsente,de virtute eius & prudentia timidius dicerem, quòd & ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude,& me similis ratio pudoris à præsentis laude tardaret.cuius auctoritati dictum est ab illa causa concedi nimium non oportere. 76 77

HOTOM. *Sin autem ingredienti cum armata multitudine obuius fueris.* Iam suprà dictum est,verum hoc esse,vt qui non possidentem prohibuit,non restituat.at qui possidentem,quamuis dominus non esset,repulit,restituere debere.l.Fulcinius,De vi & vi arm.

Tum statueritis uim in cæde solùm,non in animo libidinis. Omnes libri veteres, Tu res si equos,vestes,si vim non in cæde solùm sed animo libidinis.Qui locus quemadmodum restitui possit,diuinare non possum:sed huius rei lectores admonere volui,ne lacunosum & hiantem locum in integri & synceri loco numerarent.

Nisi cruor appareat,uim non esse factam. Quod contra iure ciuili constitutum est,vt siquis aliquem deiecerit ex agro suo hominibus etiam sine armis congregatis:vis priuatæ postulari possit.l.siquis,D.de vi priuata.& l.penul. Tu vim putas esse solùm,si homines vulnerentur: Vis enim est & tunc,quoties quis id quod sibi deberi putat,non per iudicem reposcit. Sed hac defensione vtebatur Ebutius,in retinenda possessione vim factam non intelligi,si qui prohibitus est,non possidebat.Quod si aliter vim factam esse contenderet,quæ aut iniuriarũ actione,aut publica quæstione de vi publica aut priuata vindicanda esset,tum vim factam non putari,nisi res ad manus & ad pugnam venisset.

Iniuriarum delictum esse. Ne hic quidem locus est integer.

Vir ornatissimus C.Aquilius. Hic est,opinor,idẽ ipse Aquilius, qui in Quintiana causa Iudex fuit, de quo in primæ Orationis initium explicauimus.

CICERO. 617 Vereor de tali viro ne plus dicam,quàm vos aut sentiatis,aut apud vos commemorari velitis:quãpropter hoc dicam,nunquam eius auctoritatẽ in nimium valere, cuius prudentiam populus R.in cauendo,non in decipiendo perspexerit:qui iuris ciuilis rationem nunquã ab æquitate seiũxerit:qui tot annos ingenium,laborem,fidem suam populo R.promptam,expositámque præbuerit:qui ita iustus & bonus vir est,vt natura,non disciplina cõsultus esse videatur:ita peritus ac prudens,vt ex iure ciuili, non scientia solùm quædam, verumetiam bonitas nata videatur:cuius tantum est ingenium,ita prompta fides,vt,quicquid inde haurias,purũ,liquidúmque te haurire sentias. Quare permagnam initis à nobis gratiam, quum eum auctorem [a]vestræ defensionis esse dicitis. Illud autem miror,cur vos aliquid contra me sentire dicatis,quum eum auctorem vos pro me appelletis,[b]vestrum nominetis. Veruntamen quid ait iste [c]vester auctor? omnibus,quicquid verbis actũ pronuntiatúmque sit,cõuenit. ego ex isto genere Consultorum non neminem,vt opinor, istum ipsum, quo [d]vos auctore rem istã agere & defensionem causæ constituere dicitis. qui quũ istam disputationem mecum ingressus esset,nõ posse probari quenquam esse deiectum,nisi ex eo loco, in quo fuisset: rem & sententiã interdicti mecum facere fa- 78 79

[a] nostra l.
[b] nostrum l.
[c] noster l.
[d] nos l.

» tebatur, verbo me excludi dicebat, à verbo autem posse recedi non arbitrabatur. Quũ exemplis
» vterer multis, etiam illa *materia æquitatis, ab verbo & ab scripto plurimis sæpe in rebus *ius
» æqui bonique rationem esse seiunctam, sempérque *id valuisse plurimum, quod in se auctorita
» tis habuisset æquitatisque plurimum: consolatus est me, & ostendit in hac ipsa causa nihil esse
» quòd laborarem: nam verba ipsa sponsionis facere mecum, si vellem diligenter attendere.

*me tuerer æquitate, *uacat *id ius

HOTOM.

In cauendo. In vadimoniis concipiendis, in litium actionibus, exceptionibúsve constituendis, id est iudiciorum formulis concipiendis, quæ à Prætore litigatores postularent. hæc enim tum erat iurisconsultorum procuratio.

Qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiunxerit. Eãdem ipsius discipulo Ser. Sulpitio laudem hic ipse tribuit, Philippica IX extrema: quem ego sanè Seruium nõ ea tantùm in re, verũ etiam in cauendo respondendóque præceptoris vestigia ingressum ac persequutũ esse, animaduerti. Quæ mihi res in memoriã reuocat opinionem, quam duos ab hinc annos amplexus, ac nuper Francisci Duareni Iurisconsulti doctissimi literis atque assensione confirmatus, nunc vix possum ex animo dimittere. versum videlicet illum integrum, qui apud Vlpianum legitur in l. 1, De dolo malo, MACHINATIONEM QVANDAM ALTERIVS DECIPIENDI CAVSA, non Labeonis, aut Vlpiani, sed vel studiosi alicuius, vel fortasse Triboniani fuisse. alioqui enim stultissimè à Labeone Seruium reprehendi, quum ipsius definitio nihil aliud contineat, quàm hoc ipsum, quod Seruiũ dixisse locus hoc modo scriptus significat. Probabile autem esse Sulpitium præceptoris sui sententiam amplexum, dolum malum ita definisse, vt permultis in locis Aquilium Cicero fecisse testatur: nimirum Quũ aliud agitur, aliud simulatur: neque differentiam ac proprietatem illam quam adhibere Labeo voluit, adiicere voluisse: non dialecticæ imperitia, qua in arte excelluisse illũ Cicero testatur: sed quòd (vt videtur) in negotiis rebúsque cõtrahẽdis nemo aliud agere, aliud simulare, nisi animo alterius inducẽdi fraudãdíq; possit. Quòd si mihi pace Dei Opt. Max. quod institui opus absoluere aliquãdo liceat, spero fore, vt Pãdectarum libri multis mẽdis & fœdis maculis, itémque alienis notis repurgati in lucẽ edantur. Notas autem intelligo qualis illa est Triboniani in l. 1. D. de Interrogat. in iure faciẽdis: quam septem versibus constantem aut literarum varietate, aut sanè significatione aliqua distingui, vt à Callistrati verbis internosceretur, oportuit. Sed hæc hactenus. nunc quod instat agamus.

Purum liquidúmque te haurire sentias. Nulla calliditate, aut astutia admixtum, nihil non syncerum & purum.

vestræ defensionis esse dicitis. Nostræ defensionis Aldus, & omnes libri veteres. quod qui corrigendum putauit, hallucinatus est. Significat enim Cicero suam causam C. Aquilio probatam esse: idcirco dicit, Magnam à nobis initis gratiam, quũ causam nostram tanto viro probari dicitis.

Contra me sentire. C. Aquilium.

vestrum nominetis. Nostrũ nominetis, Aldus & omnes tum scripti, tum impressi veteres. Et sic sine controuersia corrigendum.

Quid ait iste uester auctor. Noster auctor, iidem omnes, vno Aldino excepto. quam scripturã, vt germanam & incorruptam, retineo.

Omnibus, quicquid uerbis actum pronuntiatúmque sit conuenit. Deest quiddam: vt tamẽ sensum cõiicere possimus. hoc enim dixisse videtur, Placet, inquis, hoc omnibus: (& subaudi Consultis) Quibus quidque verbis actum pronuntiatúmque sit, spectari conuenit. Et hoc est quod dicit pag. proxima, Id verum, id æquum, id vtile omnibus esse, spectari quo cõsilio & qua sententia, non quibus quidque verbis esset actum. Huic autem illius obiectioni sic respondet, Ego in istũ numerũ consultorũ, qui scilicet hoc responderunt, non ascribã, opinor, illum, qui tam dissimili ratione vsus est. & mox Aquilii responsum subiicit: qui rem & sententiam interdicti cum Cæcina facere dicebat. Coniecturã adiuuat locus pag. 609, Quia non quibus quidque verbis dicatur, quæritur: sed quæ res agatur.

Istum ipsum. C. Aquilium.

Quo nos auctore. Aut Nos corrigendũ necessariò est, vt in libris quibusdã impressis legitur: aut versu insequenti sic reponendum, vt veterum codicum auctoritas postulat, Causæ nos constituere dicitis.

In quo fuisset. Sic accipio, Quem possedisset. Et sic puto aut dixisse, aut certè intellexisse Aquilium. sed artificiosè & oratoriè verba Tullius ad suum commodum vtilitatémque deflectit.

Etiam illa materia æquitatis. Etiam illa me tuerer æquitate: corrigendum putarem. Omnino enim locus mendo non caret.

ius æqui bonique. Vocem IVS ex suo remotam loco in hunc postea irrepsisse alienum, arbitror: & proximo in versu reponendam. vt sic legamus, Sempérque id ius valuisse plurimum.

» Quonam inquã modo? Quia certè, inquit, deiectus est Cæcina vi hominibus armatis aliquo

CICERO.

618

ex loco: si non ex eo loco, quem in locum venire voluit, at ex eo certè, vnde fugit. Quid tum: Prætor, inquit, interdixit, vt, vnde deiectus esset, eò restitueretur: hoc est, quicũque is locus esset vnde deiectus esset. Ebutius autẽ, qui fatetur aliquo ex loco deiectũ esse Cæcinam, is, quo modo se re-
stituisse dixit, necesse est malè fecerit spõsionem. Quid est Piso: placet tibi pugnare verbis: placet 81
causam iuris & æquitatis, & non nostræ possessionis, sed omnioo possessionum omnium constituere in verbo: ego, quod mihi videretur, quod à maioribus factitatum, quod horum auctoritate, quibus iudicandum est, dignum esset, ostendi: id verum, id æquum, id vtile omnibus esse, spectari quo cõsilio & qua sententia, oon quibus quidque verbis esset actum. Tu me ad verbum vocas: oon antè venio, quàm recusaro. nego oportere, nego obtineri posse, nego vllã rem esse, quæ aut comprehendi satis, aut caueri, aut excipi possit, si aut præterito aliquo verbo, aut ambiguè posi-
to, sententia & re cognita non id quod iotelligitur, sed id quod dicitur, valebit. Quooiam satis 82
recusaui, venio iam quò vocas. Quæro abs te, simoe deiectus, noo de Fulciniano fundo: neque e-
l. iussit — nim Prætor, si ex eo fundo essem deiectus, ita me restitui 'iussisset: sed eò, vnde deiectus essem.
l. proximo — sum ex 'proximi vicini fundo deiectus, quà adibam ad istum fundum: sum de via, sum certè a-
licunde, siue de priuato siue de publico: eò restitui sum iussus. Restituisse te dixisti: nego me ex
l. decreto — 'edicto Prætoris restitutum esse. Quid ad hæc dicimus: aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio, aut nostro defensio tua conficiatur oecesse est.

HOTOM. *Is quo modo se restituisse dixit, necesse est malè fecerit sponsionem.* Hoc ipsum est, quod paulo antè nominauit Ius callidum & versutuo. nam, vt suprà ostendimus, sponsionis seotentia oõ est ex verbis & syllabis æstimanda. quũ hac spoosiooe vulgò vterentur, & se restituisse contenderent, qui hoc significabant Restituere non debere. Sed quia apertè hoc dicere non audebãt, ne viderentur magistratui necobedientes esse, restituisse se dicebant. quasi quis diceret, Parui Prætoris imperio: non enim me restituere iussit, nisi si deiecissem: non deieci: non iussit igitur restituere. & profectò ita est, vt hanc quoque calliditatem Cicero non probet: quemadmodũ pagina io sequenti ostendit in illo loco, Velim Recuperatores, &c.

Ita me restitui iussisset. Omnes ferè veteres, etiam impressi, Iussit. quod sine dubio rectum est. hæc coim verba SI EX EO FVNDO ESSEM DEIECTVS: & illa EO VNDE DEIECTVS ESSEM, Prætoris verba sunt, & grandioribus literis scribenda. Sensus est tamen subobscurus, sed qui facilè sic eliciatur: Quoniam verbis & syllabis decertandũ putas, mihi placet conditio. Iam quũ Prætor sic dixit, Eò vnde deiectus sum: non Fulcinianũ fundũ significauit. vnde (hoc enim tibi nunc temporis causa coocedam & largiar) deiectus non sum: sed proximũ. Tu verò qui de Fulciniano fuodo intelligens exceptione vsus es, Restitui, si deieci: & non deiecisse te defeodis: malè sponsionem fecisti. Decretũ enim Prætoris noo est sub exceptione cõceptum, Si deiectus sum: vt de Fulciniano fundo disputandũ sit: sed purè & simpliciter, EO VNDE. Quare quũ omnino nullũ io locũ me restitueris: causam amiseris necesse est. Hoc ex iis quæ suprà diximus oullo negotio intelligetur. Qui defendebat, & se restituisse dicebat, hoc (vt diximus) duntaxat significabat, Noo deieci: eum scilicet locũ intelligens, de qoo erat controuersia. Iam si Iudex nõ mentem Prætoris, sed verba & syllabas spectaret, qui nõ certum fuodũ nominauit: reum sine dubio condẽnaret. Nam quũ fateatur aliquo ex loco eiectũ esse aduersarium, neque cum vllũ io locum restituerit, necesse est malè fecerit sponsionẽ. & hoc est quod dicit pag. insequẽti, Si Prætor non distioxit locum, quò me restitui iuberet, & restitui iussit, non sum ex decreto restitutus.

Ex proximi vicini fundo. Plerique alii, Proximo. quod magis placet.

Ex edicto Prætoris. Aldus & omnes propè alii libri, Ex decreto Prætoris. quòmodo legendũ est omnino. quũ id non in Prætoris edictis conscriptũ esset: vt de possidendis eorum bonis, qui vadimonium deseruissent, vbi dicitur Ex edicto possidere: sed interdicto tãtùm imperatum. quod interdictum, vt suprà diximus, Decreti nomine atque appellatione continetur.

CICERO. 619 Si ad interdicti sententiam confugis, &, de quo fundo actum sit tum, quũ Ebutius restituere 83
iubebatur, id quærendum dicis, neque æquitatem rei verbi laqueo capi putas oportere: in meis castris præsidiisque versaris: mea, mea est ista defeosio, ego hoc vociferor, ego omnes homines deósque testor: quũ maiores vim armatã nulla iuris defensione texeriot, non vestigiũ eius qui deiectus sit, sed factum illius qui deiecerit, io iudicium venire: deiectum esse, qui fugatus sit: vim
esse factam, cui periculũ mortis sit ioiectum. Istum locum fugis & reformidas: & me ex hoc, vt 84
ita dicam, campo æquitatis ad istas verborũ angustias & ad omnes literarum angulos reuocas. In iis ipsis intercludere insidiis, quas mihi conaris opponere. Nõ deieci, sed eieci. Peracutũ hoc tibi videtur: hic est mucro defensionis tuæ: in eũ ipsum causa tua incurrat, necesse est: ego enim tibi refero: si nõ sum ex eo loco deiectus, quò prohibit' sum accedere: at ex eo sum deiectus, quò accessi, vnde fugi: si Prætor oon distinxit locũ, quò me restitui iuberet, & restitui iossit, nõ sum
'decreto l. — ex 'edicto restitotus. Velim Recuperatores, hoc totum si vobis versutius, quàm mea cõsuetudo 85

defendendi fert, videbitur, sic existimetis: primùm alium, non me excogitasse: deinde huius rationis non modò non inuentorem, sed ne probatorem quidem esse me: idque me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse: me pro meo posse iure dicere: neque in hac re quam ego protuli, quæri oportere quibus verbis Prætor interdixit, sed de quo loco sit actum, quû interdixit: neque in vi armatorum spectari oportere in quo loco sit facta vis, verùm sitne facta. te verò nullo modo posse defendere: in qua re tu velis, verba spectari oportere: in qua re nolis, non oportere.

Ego enim tibi refero. Referre, contradicere, ad defensionem alterius afferre, & contra alterius responsionem opponere. Græci ἀνθυποφέρειν dicunt, Iuriscōsulti Replicare. Hic ipse in Partition. Denique vnicuique rationi opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, causa omnino esse non posset. itaque ea quæ sic referuntur, Continentia causarum vocentur. Et paulo pòst, Firmamentum autem, quod contrà ad labefactandam rationem refertur, siue quo accusatio stare non potest. Et in Orat. pro Quintio, Quid à nobis autem C. Aquili refertur? HOTOM.

Ex edicto restituitur. Aldus, & omnes, puto, alii Ex decreto. quod verum esse paulo antè demonstrauimus.

Veruntamen ecquid mihi respondetur ad illud quod anteà dixi, non solùm re & sententia, sed verbis quoque hoc interdictum ita esse compositum, vt nihil commutãdum videretur? Attendite diligenter quæso Recuperatores: est enim vestri ingenii non meũ, sed maiorum prudentiam cognoscere: non enim sum id dicturus, quod ego inuenerim, sed quod illos non fugerit. Quum de vi interdicitur, duo genera causarum esse intelligebant, ad quæ interdictum pertineret: vnum, si qui ex eo loco in quo esset: alterum, si ab eo loco quò veniret, vi deiectus esset. & horum vtrunque, neque præterea quicquam potest accidere Recuperatores. id adeò, si placet, considerate. Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit, ex eo me loco deiecerit: si qui mihi præsto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, & me introire prohibuerit, non ex eo, sed ab eo loco me deiecerit. Ad hæc duo genera rerum, vnum verbum, quod satis declararet vtrasque res, inuenerũt: vt siue ex fundo, siue à fundo deiectus essem, vno atque eodem interdicto restituerer, VNDE TV. hoc verbum, Vnde, vtrunque declarat, & ex quo loco & à quo loco. Vnde deiectus est 'Cæcina: ex vrbe. Vnde 'deiecisti: ab vrbe. Vnde deiecti Galli: à Capitolio. Vnde qui cum Graccho fuerunt: ex Capitolio. Videtis igitur hoc vno verbo significari res duas, & ex quo, & à quo loco. Quũ autem eò restitui iubet, ita iubet: vt si Galli à maioribus nostris postularent, vt eò restituerentur, vnde deiecti essent, & aliqua vi hoc assequi possent: non opinor eos in cuniculum, quà aggressi erant, sed in Capitolium restitui 'oportere. CICERO. 620

l. Cinna. l. deiectus Carbo. oporteret l.

Duo genera causarum esse intelligebant. Notanda locutio, nobis præsertim iuris ciuilis studiosis, qui in hoc genere vulgò sic loquimur, Duos casus, & duobus casibus contingere. HOTOM.

Vnde deiectus est Cæcina: ex vrbe. unde deiecisti: ab urbe. Complures tum impressi, tum manuscripti, Vnde deiectus est Cinna: ex vrbe. vnde deiectus Carbo: ab vrbe. Quod mihi maiorẽ in modum arridet. nam illud quid valeat, aut quorsum pertineat, difficillimè intelligitur. Quum autẽ exempla hæc afferri intelligamus, quibus id quod proximè dixit confirmet: verisimile est ex historia sumpta esse potius, quàm ineptè & absurdè conficta: vt illa de Gallis & Graccho, quæ proximè sequuntur. De Cinna autem nota est historia. quum Consul esset, & legem, quam Marius de nouis ciuibus promulgarat, per vim ferret, ab Octauio collega cum Sextio Tribuno pleb. pulsum esse, in eiúsque locum L. Merulam creatum. pulsus est postea similiter vnà cum Mario: quum ope Appii Claudii Tribuni pleb. cui Ianiculi custodia mandata erat, in vrbem ingressus, Ianiculum occupasset. Sed de Carbone exemplũ est obscurius. nam hoc eodem tempore simul cum aliis omnibus ex vrbe deiectus est, hoc est cum Cinna, Mario & Sertorio: quũ, vt dixi, Ianiculum occupassent. ab vrbe verò deiectum non memini.

Vnde deiecti Galli: à Capitolio. Nota est historia. Galli vrbe capta & incensa. quum arcem vnam Capitolii reliqui ex Romanis tenerent, nocte sublustri alii aliis innixi, subleuantésque inuicem, in summum euasere. Clangore anserum M. Manlius excitatus primũ, qui iam in summo constiterat, deturbat, cuius casus prolapsi quũ proximos sterneret, tota prolapsa acies in præceps delata est. Hæc Liuius, Plut. & alii.

Vnde qui cum Graccho fuerunt: ex Capitolio. Cum Tyberio Graccho. nam, vt Appianus & Plutarchus scribunt, P. Scipio Nasica Pont. Max. in Capitolium, quò Gracchus cum multitudine conuenerat, vt leges ciuitati maximè salutares ferret, cum Senatu profectus impetum in Gracchi comites fecit: eósque non modò ex Capitolio deiecit, sed etiam ex rupe præcipites exturbauit.

In cuniculum. Cuniculum egisse Gallos in Capitolium iterum Philippi. I C C significat his

verbis: Adesse in Capitolio iussit. quod in templum ipse nescio quà, per Gallorum cuniculum ascendit. Ea tamen de re nullus, quod sciam, alius scriptor commemorauit.

Sed in Capitolium restitui oportere. Oporteret, omnes libri veteres. quod perspicuè rectum est, & per se intelligitur,

CICERO. 621

» Hoc enim intelligitur, Vnde deiecisti, siue ex quo loco, siue à quo loco, eò restituas. hoc iam
» simplex est, in eum locum restituas: siue ex hoc loco deiecisti, restitue in hunc locum: siue ab hoc
» loco, restitue in eum locum, non ex quo, sed à quo deiectus. Vt siqui ex alto, quum ad patriam ac
» cessisset, tempestate subitò reiectus optaret, *vt quum esset à patria deiectus, eò restitueretur: hoc
» opinor optaret, vt à quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in
» ipsam vrbem, quam petebat: sic (quoniam vim verborum necessariò similitudine rerum au-
» cupamur) qui postulat, vt à quo loco deiectus est, *hoc est vnde deiectus est, restituatur. quũ ver-
» ba nos eò ducunt, tum res ipsa *eo hoc sentire atque intelligere cogit. Etenim Piso (redeo nunc
» ad illa principia defensionis meæ) siquis te ex ædibus tuis vi hominibus armatis deiecerit, quid
» ageres? opinor, hoc interdicto, quo nos vsi sumus, persequerere. Quid, siqui iam de foro redeun-
» tem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit? quid ages? vtêre eodem interdi-
» cto. Quum igitur Prætor interdixerit, Vnde deiectus es, vt eò restituaris, tu hoc idem, quod ego
» dico & quod perspicuum est, interpretabere, quũ illud verbum Vnde, in vtranque rem valeat,
» eóque tu restitui sis iussus, tam te in ædes tuas restitui oportere, si è vestibulo, quàm si ex inte-
» riore ædiũ parte deiectus sis. Vt verò iam Recuperatores nulla dubitatio sit (siue rem, siue verba
» spectare vultis) quin secundum nos iudicetis, exoritur hîc iam obrutis rebus omnibus & perdi-
» tis illa defensio, eum deiici posse, qui tum possideat: qui nõ possideat, nullo modo posse: itaque
» si ego sim à tuis ædibus deiectus, restitui non oportere: si ipse sis, oportere.

*ut unde esset deiectus, eo

*eò restituatur hoc postulat, ut u. d. est, eò restituatur.

*necat

HOTOM.

Optaret, ut quum esset à patria deiectus, eò restitueretur. Consideretur locus, & cogitetur quorsum illud pertineat membrum superius. nam siue CVM pro Quoniam, siue pro Postquam positum dicamus, sententia tamen non admodum apta videbitur: deinde vt hæc verba sic maneant, apparet tamen, vt disputationi seruiant, tale quiddam desiderari, Vnde esset deiectus. Nam in his verbis omnis versatur disquisitio. quippe illa sunt, quæ confictis exemplis declarat. vt mihi veniat in mentem suspicari, non hoc modo scripsisse Ciceronem, sed illo potius, Optaret, vt vnde esset deiectus, eò restitueretur. quod nisi esset, verba quæ consequuntur, omnino quò referrentur non haberent.

Qui postulat, ut à quo loco deiectus est, hoc est unde deiectus est restituatur. Mutilatum esse locum & ex verbis intelligitur, & ex litura librorum veterum perspicitur: in quibus hoc amplius legitur, Hoc postulat, vt vnde deiectus est, eò restituatur. Ex quibus verbis restitui locus minimo negotio poterit, si sic legamus, Qui postulat, vt à quo loco deiectus est, eò restituatur: hoc postulat, vt vnde deiectus est, eò restituatur. Nam hæc eò pertinẽt, vt quemadmodum hoc verbo VNDE duo illa A QVO intelligi docuit, & in eam rem exemplum de deiecto à tempestate protulit: sic vicissim duo hæc A QVO, hoc vno & singulari VNDE contineri demonstret. in quam rem etiam proximè exemplum de Pisone à suis ædibus deiecto proferet.

Res ipsa eo hoc sentire. Corrige, Res ipsa hoc sentire.

In utranque rem valeat. Et à quo, & ex quo loco.

Eóque tu restitui. EO QVE, verbo scilicet: vt sit pronomen, & referatur ad verbum VNDE.

Vt verò iam Recuperatores. Hæc sunt, quæ appellantur μωρίαι Rhetorum: quæ melius fuisset sempiterna obliuione deleri, quàm cum summo omnium incõmodo à tam multis artis magistris enuntiari. Firmissimam & primam Ebutii defensionem in postremum locum, quasi iam eneruata & afflicta eius causa, coniicit: eámque leuiter & negligenter, quasi ad rem minus pertinentem percurrit, quum in illa vna totius causæ firmamentum statúsque versetur. Qua de re lubet huius ipsius verba ex Oratione Pro Cluentio subscribere, ex quibus ipsius in agẽdo fides atque integritas intelligatur. Errat, inquit, vehementer, siquis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. omnes enim illæ orationes causarum & temporum sunt, nõ hominum ipsorum, ac patronorum. nam si causæ ipsæ pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem: nunc adhibemur, vt ea dicamus, non quæ nostra auctoritate constituantur, sed quæ ex re ipsa causáque ducantur.

Eum deiici posse, qui tum possideat. Quod verissimum & rectissimum esse, quis non videt? itaque sine controuersia scribit sic Vlpianus in l. 1, D. de vi & vi arma. Interdictum, inquit, hoc nulli competit, nisi ei, qui tunc quum deiiceretur, possidebat: nec alius deiici visus est, quàm qui possidet. Siue autem corpore, siue animo possidens quis deiectus est: palàm est eum vi deiectum videri. idcircóque siquis de agro suo vel de domo processisset, nemine seruorum relicto: mox reuer-

tens prohibitus sit ingredi ad ipsum prædium: vel siquis eum in medio itinere detinuerit, & ipse possederit: vi deiectus videtur. ademisti enim ei possessionem, quam animo retinebat, etsi non corpore.

» Numera quàm multa in ista defensione falsa sint Piso. ac primùm illud attẽde, te iam ex illa CICERO.
» ratione esse depulsum, quod negabas quenquã deiici posse, nisi qui in eo loco *esset: nunc iã posse 622
» concedis: eum, qui nõ possideat, negas deiici posse. Cur ergo aut in illud quotidianũ interdictũ, *L.* *fuerit: nunc*
» Vnde ille me vi deiecit, additur, Quũ ego possiderẽ, si deiici nemo potest, qui nõ possidet: aut in *qui possideat, eũ,*
» hoc interdictũ, De hominib' armatis, nõ additur Si oportet quæri, possederit nécne? Negas deii *etiãsi non fuerit*
» ci nisi qui possideat: ostẽdo, si sine armatis coactísve hominib' deiectus quisquã sit, eum, qui fatea *in eo loco, deiici*
» tur se deiecisse, vincere spõsionem, si ostendat eum nõ possedisse. Negas deiici, nisi qui possideat: *posse concedis.*
» ostendo, ex hoc interdicto De armatis hominibus, qui possit ostendere non possedisse eum qui *Cur*
» deiectus sit, condemnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectum. Dupliciter ho-
» mines deiiciuntur, aut sine coactis armatísve hominibus, aut per eiusmodi rationem *aut vim. **et*
» Ad duas dissimiles res duo deuincta interdicta sunt. in illa vi quotidiana non satis est posse do-
» cere se deiectum: nisi ostendere possit, quum possideret, tum deiectum. ne id quidem satis est, nisi
» docet ita se possedisse, vt nec vi, nec clàm, nec precario possederit. Itaque is, qui se restituisse *di- **dicit,*
» xit, magna voce sæpe confiteri solet, se vi deiecisse: verùm illud addit, Non possidebat: vel e-
» tiam, quum hoc ipsum concessit, vincit tamen sponsione, si planum facit, ab se illum aut vi, aut
» clam, aut precario possedisse.

Quòd negabas quenquam deiici posse, nisi qui in eo loco esset. Non hoc præcisè Piso negabat, quod planè frigidum ac nugatorium fuisset: sed hoc defendebat, si in fundum Cæcina ingressus postea vi armatis hominibus deiectus esset, hoc quidem illum vti potuisse interdicto: quia verò tantùm prohibitus est ingredi, deiectum nullo modo fuisse. id quod sine controuersia verum est. HOTOM.

Nisi qui in eo loco esset: nunc iam posse concedis: eum qui non possideat, negas deiici posse. Sic Aldi liber. Alii, opinor, omnes Nisi qui in eo loco fuerit: nunc qui possideat, eum, etiam si non fuerit in eo loco, deiici posse cõcedis. Quam lectionem haud scio qua de causa librarius cum hac corrupta & contaminata commutarit. sensus est enim illius apertissimus. Anteà semper negauit Ebutius deiectum Cæcinam ex fundo Fulciniano, quod in eo non fuisset: nunc hoc dicit, deiectum tantùm qui possidet. cui Cicero sic refert, Possessio duplex est: aut animi scilicet, aut corporis. absens enim corpore, animo tamen retinere possessionem potest. Finge nunc eius qui animo tantùm possidebat, familiam deiectam esse: si nemo potest deiici, nisi qui in loco est, deiectus nõ dicetur: itáque sentire anteà videbatur Ebutius. sin deiicitur quicunque possidet, vt modò defendit: deiectum quoque hunc dici necesse est: quare pugnantia loquitur Ebutius. Sed huic calumniæ facillimè respondetur. nam quæ anteà dixit Ebutius, de eo qui non possidet intelligenda sunt: vt copiosè suprà multis in locis ostendimus. Siquis enim quáuis non possideret, quum tamen in loco esset, ex eo vi armatis hominibus deiectus est, decreto Prætoris restituendus est.

Cur ergo aut in illud quotidianum. Summa hæc est: Hoc interdictum datur ei qui armatis hominibus depulsus est, quamuis non possideat: ergo etiam is, qui non possidet, deiectus dicitur. Sed facilè responderi poterat, tenere saltem eum debuisse, qui deiectus dicatur, si non possideret: id est in loco esse debuisse: alioqui deiectũm eum dici non posse.

Illud quotidianum interdictum. Quod Prætor interposuit in vi quotidiana & simulata, quum deductio moribus facta est.

Quum ego possiderem. Hæc est exceptio, de qua suprà loquutus est pag 594.

Si ostendat eum non possedisse. Nam (vt suprà diximus) deiectionis inuidia probationis onus in deiectores reiicit. qua de causa in vi quæ fit moribus, is qui in loco erat nõ illubenter cedit, ac vim fieri sibi patitur: vt probatione deiector oneretur.

Vincere sponsionem. Hanc sponsionem Ni ex edicto restituerit. vt suprà 607, & paulo pòst.

Per eiusmodi rationem aut vim. Et vim, quin sit legendum, nemo mea sententia dubitabit, qui loci sententiam diligenter animaduerterit.

In illa vi quotidiana. Vim quotidianam appellat, quã suprà multis in locis, Quæ moribus fit, & deiectionem, vel deductionem moribus, vel quæ ex conuentu fit, nominauit. Gellius ciuilem & festucariam, ex festuca, opinor, qua in conflictione vtebantur, appellat.

Nisi ostendere possit, quum possideret, vi deiectum. Non quò ei qui deiectus est, probationis onus incumbat. alioqui enim deiici nemo vellet: & aperta esset audacibus hominibus fenestra vim possessoribus afferendi, eósque deiiciendi. sed quũ is qui deiecit, quod potuit probauit, tum contrà deiectus pugnat: & se possedisse, si potest, ostendit.

Nec vi, nec clam, nec precario. Vi possidere quis dicatur, facilè ex superioribus intelligitur. Clàm

possidere Vlpianus sic definit in l. v i, D. de acquir. possess. Clàm possidere eum dicimus, qui furtiuè ingressus est possessionem eo ignorante, quem sibi controuersiam facturum suspicabatur, & ne faceret, timebat. Et paulo pòst, Itaque clam nanciscitur possessionem, qui futuram controuersiam metuens, ignorante eo quem metuit, furtiuè possessionem ingreditur. Precario verò possidemus (ait Vlpianus) quod precibus petenti vtendum conceditur tandiu, quandiu is qui concesserit, patitur.

Qui se restituere dixit. Dicit, in præsenti, magis arrideret. Omnes tamen libri veteres cum hac scriptura consentiunt. Sensum autem explicauimus pag. 607.

CICERO. » Videtisne quot defensionibus eum, qui sine armis ac multitudine vim fecerit, vti posse ma- 93
613 » iores voluerunt: hunc verò, qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad cædem
» confugerit, nudum in causa destitutúmque videtis: vt, qui armatus de possessione contendis-
» set, inermis planè de sponsione certaret. Ecquid igitur interest Piso inter hæc interdicta? ec-
» quid interest, verum hoc additum, Quum A. Cæcina possederit, necne? Ecquid te ratio iuris,
» ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas maiorum commouet? si esset additum,
'oportebit » de eo quæri oporteret: additum non est, tamen 'oportebit. Atque ego in hoc Cæcinam non de- 94
» fendo: possedit enim Cæcina Recuperatores: & id tametsi extra causam est, percurram tamen
» breui, vt non minus hominem ipsum, quàm ius commune defensum velitis. Cesenniam pos-
» sedisse propter vsumfructum non negas. Qui colonus habuit conductum de Cesennia fun-
» dum, quum idem ex eadem conductione fuerit in fundo, dubium est quin, si Cesennia tum
» possidebat, quum erat colonus in fundo, post eius mortem hæres eodem iure possederit? dein-
» de ipse Cæcina quum circuiret prædia, venit in istum fundum, rationes à colono accepit. sunt
» in eam rem testimonia. Postea cur Ebuti de isto potius fundo, quàm de alio, si quem habes, Cæci- 95
» næ denuntiabas, si Cæcina non possidebat? Ipse porrò Cæcina cur se moribus deduci volebat,
* » ídque tibi amicorum, etiam de ipsius C. Aquilii sententia responderat? At enim Sylla legem tu-
» lit. Vt nihil de illo tempore, nihil de calamitate Reipub. querar, hoc tibi respondeo, adscripsis-
» se eundem Syllam in eandem legem, Si quid ius nó esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum.
» Quid est quod ius non sit, quod populus iubere, aut vetare non possit?

HOTOM. *Additum non est tamen oportebit.* Apparet eum interrogandi nota pronuntiandum.

Tametsi extra causam est. At contrà, in hoc summa iudicii causáque tota consistit: quemadmodum vel leuiter causam intuenti perspicuum est.

Hæres eodem iure possederit. Non, opinor, tam fuit Cicero imperitus, vt quod æquissimum esset non videret: sed, vt in Cluentiana testatur, causæ seruit. De iure verò Vlpianus sic scribit in l. si quis domum, D. locati. Si fructuarius, inquit, locauerit fundum in quinquennium, & decesserit, hæredem eius non teneri, vt frui præstaret. & hoc perspicuè verum est: vt cuiuis vel mediocriter erudito licet intelligere. Iustinianus sub titul. de rerum diuisi. Licet vsufructuarius maturis fructibus, nondū tamen perceptis decesserit: ad hæredes eius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur.

Postea cur Ebuti. Postea pro Præterea. vt apud Plautum in Mercatore,

Nescio quid animo meo ægrè est pater.

Postea nocte hac quieui non satis ex sententia. Hic ipse pro Roscio Amer. Nonne cogitas, te à sectoribus huc adductum esse? quid postea? nescimus per ista tempora, &c.

Cæcinæ denuntiabas si Cæcina non possidebat? Denuntiare, vt alibi diximus, aliud nihil est, quàm litem & iudicium ostentare, nisi petitioni satisfiat. Quum igitur denuntiare sit petitoris, possessori autem, vt scribit Vlpianus, satis sit quod possidet, rectè & probabiliter concludit, quia denūtiauit Ebutius, possessorem fateri fuisse Cæcinam. Quid ad hæc respondere potuit Ebutius? denuntiatione non amitti ius possessionis, item vt actione.

Cur se moribus deduci volebat. Etenim, vt proxima pagina ostendit, deducuntur ii soli, qui possident, aut certè qui in fundo sunt: & ob eam causam deduci se facilè patiūtur, quòd probationis onus in deiectorem reiiciunt.

Sententia responderat? Hoc amplius alii tum impressi, tum antiqui libri, Et ad eam * Vt inane spatium relinquatur. quod aliqua ex parte repleri facilè poterit ex iis, quæ suprà dixit, vt sic legamus, Et ad eam rem diem constituerat, amicos conuocarat. Sed alia multo plura deesse abrupta sententia quæ proximè consequitur, manifestò declarat. itémque illud quod scribit in sequenti pagina, Deinde nihil rationis affers, quamobrem si libertas adimi nullo modo possit, ciuitas possit.

At enim Sylla legem tulit. Dicit legem, qua victor Sylla ciuitatem Volaterranis ademerat.

Si quid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum. Legum principium hoc erat: Consul, vel Præ

tor, vel alius magiſtratus, qui cum popùlo egerat, populum iure rogauit: populúſque iure ſciuit. Extremum illud, Siquid ius non fuit rogari, eius ea lege nihilum rogatum: conſtat ex prima in Antonium,& lege quadam apud Frõtinum de aquæ ductibus, & libro Valerii Probi, De notis antiquis, in quo tamen quædã corrupta ſunt:itémque ex Orat.pro domo ſua, his verbis, Quæ tua fuit conſecratio? Tuleram, inquit, vt mibi liceret. quid non exceperas, vt ſiquod ius non eſſet rogare, ne eſſet rogatum? Etiam in Epiſto.ad Atticum, libro III, Epiſtola Ad v Cal. vbi rogationem de ſe reſtituendo ſcriptam commemorauit, his notis vtitur, quæ hoc ſignificãt, S. N. L. N. R. vbi tamen I pro L. corruptè legitur. Verùm vt ad rem reuertamur, quid ita Syllæ non fuit ius id rogare: hoc intelligitur ex eadẽ Oratione, Quũ hoc, inquit, iuris à maioribus proditum ſit, vt nemo ciuis R. aut libertatem, aut ciuitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit. Et paulo pòſt, Ius à maioribus noſtris ita comparatum eſt, vt ciuis R. libertatem nemo poſſit inuitus amittere. Et pro Balbo, Iure noſtro neque mutare ciuitatem quiſquam inuitus poteſt, neque, ſi velit, mutare non poteſt. Et eadem rurſus Orat. O iura præclara, atque diuinitus iam inde à principio Romani nominis à maioribus noſtris comparata: nequis inuitus ciuitate mutetur, néve in ciuitate maneat innitus. hæc ſunt enim fundamẽta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quenque iuris & retinendi & dimittendi eſſe dominum. Et multa in hanc ſententiam.

„ Vt ne lõgius abeam, declarat iſta adſcriptio eſſe aliquid: nã niſi eſſet, hoc in omnibus legibus CICERO.
„ non adſcriberetur. Sed quæro abs te, putéſne, ſi populus iuſſerit me tuum, aut item te meum ſer 624 96
„ uum eſſe, id iuſſum ratũatque firmũ futurum? Perſpicis hoc nihil eſſe, vt in cæteris quæ rogaui. *
„ Primùm illud concedis, non quicquid populus iuſſerit ratum eſſe oportere: deinde nihil ratio-
„ nis affers, quamobrem ſi libertas adimi nullo modo poſſit, ciuitas poſſit: nam & eodem modo
„ de vtraque re traditum nobis eſt: & ſi ſemel ciuitas adimi poteſt, retineri libertas non poteſt. quĩ
„ enim poteſt iure Quiritum liber eſſe is, qui in numero Quiritum non eſt? Atque ego hãc adole- 97
„ ſcentulus cauſam quũ agerem contra hominem diſertiſſimum noſtræ ciuitatis Cottam, pro-
„ baui. Quũ Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemuiris religionem iniecíſ-
„ ſet, non poſſe ſacramentum noſtrum iuſtum iudicari, quòd Arretinis adempta ciuitas eſſet, &
„ ego vehementius contendiſſem ciuitatem adimi nõ potuiſſe: Decemuiri prima actione non iu
„ dicauerũt: poſtea re quæſita & deliberata, ſacramentũ noſtrũ iuſtum iudicauerunt. atque hoc &
„ contradicente Cotta, & Sylla viuo iudicatũ eſt. Iam verò in cæteris, vt omnes, qui in eadem cau
„ ſa ſunt, & lege agant, & ſuum ius perſequãtur, & omnes iure ciuili ſine cuiuſquã aut magiſtra-
„ tus, aut iudicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione vtantur, quid ego commemorem?
„ dubium nemini veſtrũ eſt. Certè quæri hoc ſolere me non præterit, vt ex me ea, quæ tibi in men 98
„ tem non veniunt, audias: quemadmodũ, ſi ciuitas adimi non poſſit, in colonias Latinas ſæpe no
„ ſtri ciues profecti 'ſint, aut ſua voluntate, aut legis multa profecti ſunt: quam multam ſi ſuffer- 'ſint. aut
„ re voluiſſent, tamen manere in ciuitate potuiſſent.

Perſpicis hoc nihil eſſe ut in cæteris quæ rogaui. Scripti libri pro Vt in cæteris, ET ea terris, quæ inter. Melior aliquis quærendus: et tantiſper aſteriſci nota in margine relinquenda. NOTOM.

Nihil rationis affers. Apparet de eo ſuperius Tullium diſputaſſe: & multa omnino deeſſe.

Hominem diſertiſſimum noſtræ ciuitatis Cottam. Dicit C. Cottam, quem in Bruto dilaudat, & ex omnibus ætatis ſuæ oratoribus eum P. Sulpitio primas tuliſſe ſcribit.

Arretinæ mulieris. Ex Arretio, Tuſciæ oppido. Ciuitas eſt, inquit Strabo, mediterranea, mõtuoſis locis proxima, ſtadia mille ac ducenta ab vrbe Roma diſtans. Municipiis ademptam à Sylla victore ciuitatem dictum eſt pag. 593.

Decemuiris religionem iniecíſſet. Ex hoc loco & alio præterea ſimillimo in Oratione pro domo ſua coniecturam capio Decemuiros Romæ creatos fuiſſe, qui de cauſis ciuitatis ac libertatis cognoſcerent: item vt de cauſis capitalibus Triũuiros, & de certis item cauſis Centumuiros. Verba illius Orat. hæc ſunt: Si Decemuiri ſacramentum in libertatem iniuſtũ iudicaſſent, tamen quotieſcunque vellet quis, hoc in genere ſe rem iudicatam referre poſſe voluerunt.

Sacramentum noſtrum iuſtum iudicari. De ſacramento vide quæ diximus in Orat. pro Quintio. Nã abſurdum ſit eadem inculcare.

Prima actione non iudicauerunt. Hunc locum alibi quoque explicanimus initio Verrinæ II, & huius Orationis.

Et Sylla viuo. Idem pro domo ſua, Populus R. L. Sylla Dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis ciuitatem ademit, ademit iiſdem agros. de agris ratum fuit: fuit enim populi poteſtas. de ciuitate, ne tandiu quidem valuit, quandiu illa Syllani temporis arma valuerunt.

Et lege agant, & ſuum ius perſequantur. Lege agere, modò nihil aliud ſignificat, quàm litem intendere. vnde Legis actiones dictæ ſunt: quas Pomponius in l. 2, De orig. iuris, ex legibus XII ta-

bularum à Iurisconsultis conceptas & constitutas esse scribit. Ergo Lege agere hoc significat, Actionem intendere, quæ lege x i i tabularũ ciuibus populóque cōcedatur. Terentius in Phor. Vna iniuria est tecum. D. Lege agito ergo. Cicero Verr. i v: Quis vnquam isto Prætore Chelidone inuita lege agere potuit? Et libro de Orat. i, Alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex in x i i tabulis permiserat.

Et omnes iure ciuili. Exemplum apparet in Vsucapione, quæ vsque eò iuris ciuilis est, vt ea soli ciues vtantur; peregini vsucapere non possint. vt suprà demonstrauimus.

Ea quæ tibi in mentem non veniunt. Obscurus locus, quum infrà dicat, Qui hæc commemorant: & rursus, Vt hæc ex iure ciuili protulerunt.

Si ciuitas adimi non possit. Nam eorum qui in colonias deducebantur, partim rerum capitalium damnati erant, vt mox dicemus. quare inuiti ciuitatem amittere videbantur.

In colonias Latinas sæpe nostri ciues profecti sunt. Qua profectione media capitis diminutio contingebat: vt scribit Boetius. ciuitas enim amittebatur: vt ex simili loco intelligitur, quem ex Orat. pro domo sua subscribemus: Qui ciues R. inquit, in colonias Latinas proficiscebātur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, noménque dederant. qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant. Id autem vt esset faciendum, non ademptione ciuitatis, sed tecti & aquæ & ignis interdictione faciebant. Hæc ille. Deducebantur igitur Coloniæ eorũ hominum, qui aut sua voluntate nomen dederant, ciuitatémque mutabant: aut quibus tecto, aqua, & igni interdictum erat. nam (vt scribit Polybius) qui erant rerum capitalium damnati, in colonias Latinas, vt Præneste, Tybur, Neapolim in exilium proficiscebantur. Sunt autem coloniæ Latinæ, coloniæ in Latium deductæ, quibus tum quidem ius ciuitatis Romanæ concessum non erat. Nam antiquitus Latini neque suffragia ferebant, neque magistratus petere poterant. vnde etiam liberti alii dicuntur Ciues Ro. alii Latini Iuniani: velut i qui inter amicos manumissi erant, aut ab iis manumissi, qui tantùm in bonis, non etiam ex Iure Quiritium seruum illum habebant. Latini autem quibus modis ius Quiritium consequerentur, tradit Vlpianus in Titulis, capite tertio.

Aut sua voluntate. Ante hæc verba nota puncti desideratur. sua autem voluntate proficiscebantur, qui auctores erant, suúmque nomen profitebantur.

Legis mulcta. Quum eis tecto, aqua, & igni esset interdictum.

Quam mulctam si sufferre voluissent, tamen manere in ciuitate potuissent. Alii nonnulli Noluissent, tum manere. quod falsum est, vt ex simili loco intelligitur hac ipsa pagina: Qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quam vitã amitterent. Nam tecto illis, & aqua, & igni interdicebatur: ac certa pœna sanciebatur, si quis eos tecto recepisset, aquáve & igni iuuisset. quòd si de ciuitate exire nollent, quandiu aere & vesci & tegi possent, tandiu eis in ciuitate manere licebat.

CICERO. „ Quid? quem Paterpatratus dedidit, aut suus pater populúsve vendidit, quo is iure amittit ci-
625 „ uitatem? vt religione ciuitas soluatur, ciuis R. traditur: qui quum est acceptus, est eorum qui-
„ bus est deditus. si non accipiunt, vt Mancinum Numantini, retinet integram causam & ius ci-
„ uitatis. Si pater vendidit eum quem in suam potestatem susceperat, ex potestate dimittit. Iam 99
„ populus quum eum vendidit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iudicat non
„ esse eum liberum, qui, vt liber sit, adire periculum noluit. Quum autem incensum vendidit,
„ hoc iudicat: quum ii qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum qui, quum liber esset,
„ censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse. Quòd si maximè iisce rebus adimi libertas
„ aut ciuitas potest, non intelligunt, qui hæc commemorant, si per has rationes adimi maiores
„ posse voluerunt, alio modo noluisse. Nam vt hæc ex iure ciuili protulerunt, sic afferant velim, 100
„ quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas erepta sit. nam quod ad exilium attinet, perspicuè
„ intelligi potest quale sit. Exilium enim, non supplicium est, sed profugium portúsque suppli-
„ cii. nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est,
„ sedem ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, vt apud cæteras ciuitates, male-
„ ficium vllum exilio esse multatum. sed quũ homines vincula, neces, ignominiásque vitant, quæ
„ sunt legibus constitutæ, confugiunt quasi ad aram, in exilium: qui si in ciuitate legis vim subire
„ vellent, non prius ciuitatem quàm vitam amitterent: quia nolunt, non adimitur his ciuitas, sed
„ ab his relinquitur atque deponitur.

HOTOM. *Quem Paterpatratus dedidit.* Paterpatratus, Fecialium princeps, qui, siquid cum hostibus patrandum, id est, aut belli aut pacis causa transigendum esset, populi Romani nomine patrabat. Dedebatur autem hostibus, qui cum eis pacem fecerat, quam populus Roma. ratam

habere nollet. Eam deditionem Paterpatratus, ex Fecialium collegio creatus, patrabat. De deditione exemplum est notum omnibus de T. Veturio, & Sp. Posthumio, qui à Samnitibus dediti, repudiati sunt: apud Liuium libro IX. De Mancino etiam nota est historia ex Plutarcho in Gracchorum vita, Liuio libro LV, & LVI: Valerio libro I, capite VI, & Cicerone libro de Offic. III, in Topicis, & libro de Oratore I, his verbis, Si C. Mancinum nobilissimum atque optimum virum, ac consularem, quum propter inuidiam Numantini fœderis Paterpatratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eúmque illi non recepissent, posteáque Mancinus domum reuenisset, neque in Senatum introire dubitasset, P. Rutilius M.F. Tribunus pleb. de Senatu iussit educi, quòd eum ciuem negaret esse: quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut Paterpatratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. Et apud Pomponium iurisconsultum l. vltim. D. de Legat. Eum, inquit, qui Legatum pulsasset, Q. Mutius dedi hostibus, quorum erant Legati, vtilius esse solitus est respondere. quem hostes si non recepissent, quæsitum est an ciuis R. remaneret: quibusdam existimantibus remanere, aliis contrà: quia quem semel populus iussisset dedi, ex ciuitate expulisse videretur, sicut faceret, quum aqua & igni interdiceret. in qua sententia videtur P. Mutius fuisse. Id autem maximè quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt: de quo tamen lex postea lata est, vt esset ciuis R. & Præturam quoque gessisse dicitur.

Si pater vendidit eum. Hæc erat non vera, sed simulata, & ficta venditio. nam venditionem in emancipationibus aut adoptionibus fieri solitam significat. de qua Caius sic scribit libro Inst. I: Emancipatio autem, hoc est manus traditio, quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui Fiduciarius nominatur. ergo iste naturalis pater filium suum Fiduciario patri mancipat, hoc est manu tradit: à quo Fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos numos quasi in similitudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis numis Fiduciario patri tradit. hoc secundò & tertiò fit, quũ Fiduciario patri mãcipat ac tradit: & sic de patris potestate exit. Tamen quum tertiò mancipatus fuerit filius à patre naturali Fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei à Fiduciario patre mancipetur, & à naturali patre manumittatur: vt si filius ille mortuus fuerit, ei in hæreditate naturalis pater, nõ Fiduciarius succedat. Hæc Caius. Vlpianus autem in Titulis, capite X. Liberi, inquit, parentum potestate liberantur emancipatione: id est, si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus, sui iuris fit. id enim Lex XII tabularum iubet his verbis, Si pater filium ter venundauit, filius à patre liber esto. Cæteri autem liberi, præter filium tam masculi, quàm fœminæ, vna mancipatione manumissionéque sui iuris fiunt.

Quem in suam potestatem susceperat. Ex legitimis nuptiis.

Ex potestate dimisit. Quare, quum iuris illum sui ac potestatis faciat, non inuitus in illa venditione libertatem amittit. & hoc est quod dicit in Oratione pro domo sua, Quod tu ipse potuisti in tua causa discere: credo enim, quanquam in illa adoptione legitimè factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctórne esses, vt in te P. Fonteius vitæ necísque potestatem haberet, vt in filio.

Quum eum vendidit, qui miles factus non est. Moris erat, vt conscripto exercitu, qui citatus non responderet, vnà cum bonis suis omnibus venderetur. Valerius Max. libro sexto exemplum de C. Vatieno protulit, qui, quòd sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, absciderat, publicatis eius bonis, in perpetua vincula damnatus est. Et de alio rursus, quem M. Curius Cõsul vnà cum omnibus eius bonis vendidit. de quo etiam meminit Florus in Epit. libro XIV. Suetonius in Augusto, quum eum in re militari multa ad antiquum morem reuocasse dixisset, Equitem, inquit, R. quòd duobus filiis adolescentibus causa detrectandi sacramenti pollices amputasset, ipsum bonáque subiecit hastæ: quem tamen quòd imminere emptioni publicanos videbat, liberto suo addixit, vt relegatum in agros pro libero esse sineret.

Quum autem mensum vendidit. Dionysius Halicar. libro IV Antiquit. pœnam incensis constitutam scribit, vt bona primùm eorum publicarentur, deinde virgis cæsi venderentur. Vlpianus autem in Titulis sic scribit: Maxima capitis diminutio est, per quam & ciuitas & libertas amittitur: veluti quum incensus aliquis venierit, &c.

Quum ii qui in seruitute iusta fuerint. Seruitus iusta, id est, seruitus iure gentium ac iure ciuili comprobata. nam, vt scribit Paulus Iurisconsul. in l. Postliminium, & Vlpianus in l. hostes, D. de capt. & postl. reu. liberi, qui à piratis aut latronibus capti venundantur, serui non sunt. vnde quæsitum est, si meus seruus à latronibus captus ad hostes peruenerit, inde in bello victis hostibus seruus venierit, an possit vsucapi. & Iabolenus in l. latrones, D. eod. Labeoni, Offilio, & Trebatio placere respondit, vsucapi non posse.

Censu liberentur. Serui, qui in peculio n-s centum millia haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, si eos domini in censum ciuium à Censoribus adscribi iuberent, libertatem consequebantur. Nam, vt scribit Asconius, more veterum Censi dicebantur, qui centum millia professione detulissent. & sic accipio quod veteres tradunt, Seruos, qui voluntate domini censebantur, libertatem consequutos esse. Cicero de Orat. 1, Quid de libertate, quo iudicium grauius esse nullum potest, nonne ex iure ciuili potest esse contentio, quum quæritur is qui domini voluntate census sit, si lustrum non sit conditum, sitne liber?

Quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas erepta sit. Cur ergo priuilegia de Cicerone & Clodio lata sunt, vt exularent? Respōsio ex more & instituto intelligitur. Nam primùm reo dies à Tribuno pleb. ad populum dicebatur: deinde citabatur, & ter antè intermissa die accusabatur, quàm multa irrogaretur. itaque trinundino accusatus à populo aut morte, aut alia pœna dānabatur: cum eo tamen vt ne pœna capitis cum pecunia cōiungeretur: id est, ne simul pecuniæ & capitis multa et à Tribuno diceretur. Magistratus autem sic populum rogabat, Velitis, iubeatis Quirites, vt Clodio, puta, aut M. Tullio, aqua & igni interdicatur. Si populus iuberet, pœna etiam sanciebatur, siquis M. Tulliū tecto recepisset, & aqua aut igni cæterisve rebus, quibus vita continetur, iuuaret. non ergo ferebatur vt exirent: sed tantùm, ne quis reciperet. quòd si minus verbo esset ciuitatem adimere, re quidem vera nihil aliud erat. Hoc autem primùm in eam rem valebat, vt ipsis manere in ciuitate liceret, siquidem aere solo viuere ac tegi vellent. deinde vt ne prius ciuitatem R. amisisse viderentur, quàm essent in eam recepti, quò vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant. Hæc Cicero disperse in Orat. pro domo s.

Exilium enim non supplicium est. Hoc est quod dicit in eadem Oratione. Exilium per se ipsum calamitatis nomen esse, non turpitudinis. quando igitur est turpe? re vera, quando est pœna peccati: opinione autem hominum, etiam si est pœna damnati. Ex quibus verbis intelligimus duo fuisse exilii genera: primum siquis sibi conscius ante dānationem sua sponte in exilium proficisceretur: vt C. Verres, & L. Tubulus, de quo mentio fit in libro de Finib. II: aut post damnationem, quum lex ferretur, vt aqua & igni damnato interdiceretur. vt Cn. Dolabellæ Verr. II r. Prius exilii genus etiam Athenis vsurpari solitum apparet ex his Demosthenis verbis in Orat. κατ' ἀριστοκρ. τοῖς δὲ φεύγουσι τὴν πρότερον ἔξεστιν εἰπόντα λόγον μεταστῆναι, καὶ οὐδ' ὁ διώκων, οὔτ' ἄλλος ἀνθρώπων οὐδεὶς κωλύει. Et de Romanorum lege ac consuetudine verba Polybii subiicienda sunt, quæ hunc locum apertè ac dilucidè declarant. κρίνει μὲν οὖν ὁ δῆμος καὶ διαφόρου πολλάκις, ὅταν ἀξιόχρεων ᾖ τὸ τίμημα τῆς ἀδικίας, καὶ μάλιστα τοὺς τὰς ἐπιφανεῖς ἐσχηκότας ἀρχάς. θανάτου δὲ κρίνει μόνος, καὶ γίνεταί τι περὶ ταύτην τὴν χρείαν παρ' αὐτοῖς ἄξιον ἐπαίνου καὶ μνήμης. τοῖς γὰρ θανάτου κρινομένοις ἐπὰν καταδικάζωνται, δίδωσι τὴν ἐξουσίαν τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἀπαλλάττεσθαι φανερῶς, κἂν ἔτι μία λείπηται φυλὴ τῶν ἐπικυρουσῶν τὴν κρίσιν ἀψηφοφόρητος, ἑκούσιον ἑαυτοῦ καταγνόντα φυγαδείαν. ἔστι δ' ἀσφάλεια τοῖς φεύγουσιν ἔν τε τῇ Νεαπολιτῶν καὶ Πραινεστίνων, ἔτι δὲ Τιβουρίνων πόλει, καὶ ταῖς ἄλλαις πρὸς ἃς ἔχουσιν ὅρκια.

Nulla in lege nostra reperietur. Posterioribus temporibus, quū vnius dominatu Resp. teneretur, dissimillima fuit legum ratio: vt constat ex verbis Vlpiani in l. siquis fortè, D. de pœnis. Et sunt, inquit, pœnæ quidem quæ aut vitam adimāt, aut seruitutem adiungant, aut ciuitatem auferant, aut exilium, aut coertionem corporis contineant.

CICERO. 626 » Nam quum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit, tum amittitur hæc ciuitas » denique, quum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam ciuitatem. Non me præ- 101 » terit Recuperatores, tametsi de hoc iure multa prætereo, tamen me longius prolapsum esse, » quàm ratio vestri iudicii postularit. verùm id feci, nō quòd vos in hac causa hanc defensionem » desiderare arbitrarer: sed vt omnes intelligerent, nec ademptam cuiquam ciuitatem esse, nec adimi posse. Hoc quum eos scire volui, quibus Sylla voluit iniuriam facere, tum omnes exteros nouos, veteresque ciues. neque enim ratio afferri potest, cur si cuiquam nouo ciui potuerit » adimi ciuitas, nō omnibus antiquissimis ciuibus possit. Nam ad hāc quidem causam nihil hoc 102 » pertinuisse, primùm ex eo intelligi potest, quòd vos ea de re iudicare non debetis: deinde quòd » Sylla ipse ita tulit de ciuitate, vt nō sustulerit horum nexa atque hæreditates. iubet enim eodem » iure esse, quo fuerint Ariminenses: quos quis ignorat duodecim coloniarū fuisse, & à Populo R. » hæreditates capere potuisse? Quòd si adimi ciuitas A. Cæcinæ lege potuisset, magis illam rationem tamen omnes boni quæreremus, quemadmodum spectatissimum, prudentissimúmque hominem, summo consilio, summa virtute, summa auctoritate domestica præditum, leuatum iniuria ciuem retinere possemus, quàm vti nunc, quum de iure ciuitatis nihil potuerit deperdere, » quisquam existat, nisi tui Sexte similis & stultitia & impudentia, qui huic ciuitatem ademptam » esse dicat.

l. patriciis, omnibus

HOTOM. *Quum ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit.* Rationem attulit in Orat pro Balbo. O iura, inquit, præclara atque diuinitus, iam inde à principio Romani nominis à maioribus nostris cōparata: ne quis nostrum plus, quàm vnius ciuitatis esse possit. dissimilitudo enim ciuitatum varietatem iuris habeat necesse est.

Nec adempta cuiquam ciuitatem esse, nec adimi posse. De Volaterranis ipe idem sic loquitur in Orat. pro domo s. Populus R. L. Sylla Dictatore ferēte, comitiis centuriatis municipiis ciuitatem ademit, ademit iisdem agros. de agris ratum est: fuit enim populi potestas de ciuitate ne tandiu quidem valuit, quandiu illa Syllani temporis arma valuerunt. Hanc verò Volaterranis quum etiā tum essent in armis L. Sylla victor Repub. recuperata comitiis cēturiatis ciuitatem eripere non potuit: hodiéque Volaterrani non modò ciues, sed etiam optimi ciues fruuntur nobiscum simul hac ciuitate.

Non omnibus antiquissimis ciuibus posse. Hoc amplius omnes ad vnum & scripti & impressi libri, Non omnibus patriciis, omnibus antiquissimis ciuibus. Quod sine vlla dubitatione retinendū ac reponendum est. nam Patricios pro antiquissimis ciuibus posuit. quum (vt scribit Liuius) Patricii dicerentur, qui progenies senatorum essent, quos Romulus crearat. hac ætate antiquissimæ cuiusque senatoriæ familiæ liberi.

Iudicare non debetis. Priuatis enim iudicibus iudicare, nisi ea de re de qua definitè iudicandi potestatem à Prætore acceperant, licebat: vt copiosè diximus in Orat. pro Q. Roscio.

Vt non sustulerit horum nexa atque hereditates. Ipse lib. de Orat. 3, & Varro de lingua v 1, nexum scribunt esse, omne id quod per libram & æs geritur. Gerebatur autem hoc modo, vt Caius in Insti tut. testatur, Adhibitis non minus quàm quinque testibus, ciuibus R. puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneam tenebat, qui appellabatur Libripens, is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicebat: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio: isque mihi emptus est hoc ære, æneàque libra deinde ære percutiebat libram, idque æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quasi pretii loco. Nexu igitur abalienationes & commercia fiebant. Ex his autem intelligitur solos ciues R. hoc iure nexus vsos esse: quippe quum is qui emebat iure Quiritium, mancipium idest rem quanlibet, quam manu caperet, suam esse diceret. Et hoc est quod ipse apertè ostendit in Topicis, Abalienatio, inquiens, est eius rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessio, inter quos ea iure fieri possunt. Quare quum ciuitas adimeretur, nexa quoque & similes abalienationes atque commercia adempta esse intelligebātur. nam iure ciuili, vt scribit Boetius, fieri aliquid nō inter alios, nisi inter ciues R. potest: quorū est etiam ius ciuile.

Atque hereditates. Idest, ius adeundarum hæreditatū. nam hæreditatis aditio per alterum illum abalienationis modum fiebat, idest per in iure cessionem. hæres enim apud Prætorem rem tenens ita vindicabat: Hanc ego rem ex iure Quiritium meam esse aio. deinde postquam is vindicasset, Prætor interrogabat eum qui cedebat, an contrà vindicaret. quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicauerat, eam rem addicebat.

" Qui quoniam Recuperatores suum ius non deseruit, neque quicquam illius audaciæ petulātiæque concessit, derelinquo iam communem causam, populíque R. ius in vestra fide ac religione depono. is homo ita se probatum vobis vestríque similibus semper voluit, vt id non minus in hac causa laborarit: nec contenderit aliud, quàm ne ius suum dissolutè relinquere videretur: nec minus vereretur ne contemnere Ebutium, quàm de eo contemptus esse existimaretur. Quapropter siquid extra iudicium est, quod homini tribuendum sit, habetis hominem singulari pudore, virtute cognita, & spectata fide *amplissimum, Etruriæ nomine totius in vtraque fortuna cognitum multis signis & virtutis, & humanitatis. Siquid in contraria parte in homine offendendum sit, habetis eum, vt nihil dicam amplius, qui se homines coegisse fateatur. sin hominibus remotis de causa quæritis: quum iudicium de vi sit, is qui arguitur vim se hominibus armatis fecisse fateatur: verbo se, non æquitate defendere conetur: id quoque ei verbum ipsum ereptum esse videatis: auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum: in iudicium nō venire, vtrum Cæcina possederit néc ne, tamen doceri possedisse: multo etiam minus quæri A. Cæcinæ fundus sit néc ne, me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Cæcinæ: quum hæc ita sint, statuite quid vos tempora Reip. de armatis hominibus, quid illius confessio de vi, quid nostra decisio de æquitate, quid ratio interdicti de iure admoneant, vt iudicetis.

CICERO. 103 627

104

*amplissimum Etruriæ totius, hominem in vtraque

Illius audaciæ petulantiæque concessit. Deesse quiddam post hæc verba & sententia ostendit mutila & cōtaminata, & relicta in vetere codice lacunula. deesse autem tale quippiam videtur, Nunc in ciuitatis controuersiam vocatur. HOTOM.

Derelinquo iam communem causam. Locus apertè mutilatus. hoc amplius, veteres libri, pro COMMVNEM, OMNEM.

Non minus in hac causa laborarit. Etiam post hæc verba deesse quippiam apparet.

De eo contemptus. Fortasse Ab eo. Libri tamen alicuius auctoritatem expectamus.

Etruriæ nomine totius in vtraque fortuna cognitum. Hoc quid sit, dispicere non possum. quamobrem explicandum aliis eruditioribus relinquam. Aperiam tamen quod mihi in mentē venit, & quibusdam probaui amicis meis, eruditis hominibus. Vereor vt vocabulum Hominem alieno lo-

co repositum in illud quod nunc legimus NOMINE sit mutatum: itáque scribi hunc totum locum oporteat. Habetis b. s. p. v. c. & spectata fide, amplissimum Etruriæ totius, hominem in vtraque fortuna cognitum, &c. Vtráque autem fortunam significat: tum secundam, quæ ciuile bellum antecessit, quo tempore & ciuitas & suffragii ius Italiæ populis datum est: tum aduersam, quæ Syllæ victoriam consecuta est, quum Sylla municipiis omnibus ciuitatem ademit, atque omnes (vt Valerius Max. scribit) Italiæ partes ciuilis sanguinis fluminibus inundauit.

Quum indicium de us sit. Enumeratio.

Auctoritatem sapientissimorum hominum. Iurisperitorum. pag. 611.

FRANCISCI HOTOMANI IN ORATIONEM M. T. Ciceronis pro Lege Manilia commentarii.

ARGVMENTVM.

M. AEmylio, L. Volcatio COSS. L. Lucullus qui bellum aduersus regem Mithridatē annos iam propè septem Proconsulari imperio administrarat, à Senatu reuocatus est. quum repente C. Manilius Tribunus pl. rogationem ad populum tulit, vt eius belli administratio Cn. Pompeio, qui tum summo cū imperio bello maritimo præfectus erat, trāsmitteretur. Rogationis capita Plutarchus in Pōpeio hæc enumerat. Vt prouincia vniuersa cui Lucullus præfuerat, omnéque ipsius imperiū, exercitus, & copiæ Pōpeio mandarētur: & hoc amplius Bithynia adiungeretur, cui Glabrio præerat: classis itē & copiæ omnes maritimæ quas ipse initio belli piratici habuerat. omnésque præterea prouinciæ, quibus solis superiore lege nō præfuerat, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis superior, & Armenia. Eam legē Cicero creatus Prætor hac Oratione suadet. Genus ergo deliberationis est, exornatione mixtum. Habita est iis COSS. quos nominaui. quod vt putem, facit, quòd hanc orationem Prætor habuit, vt sæpe in ea ostendit. Præturam autem eū gessisse Lepido, Volcatio COSS, Asconius apertè scribit in Orat. pro Cornelio: tametsi paucis pòst versibus in loco deprauato scriptum sit, anno insequenti, L. Cotta, L. Torquato COSS. & apparet ex duorum annorum ratione, quos ab AEdilitate vacuos ordinariis magistratibus intercedere oportebat. AEdilitatem enim gessit Q. Hortēsio, Q. Metello COSS. itémque ex eo, quòd hic annus est, ex quo ipse natus est, vnus & quadragesimus: qui annus est Præturæ legitimus. anno autē suo, omnibus fūctus honoribus: vt ipse dicit in lib. de offic. II. Legem autem hanc appellat, suo more: quum plebiscitum sit potius. Tribuno enim plebis rogationem ferente, & tributis comitiis, plebe sola per tribus fusē cōuocata, Plebiscitum dicitur. quum ex Centuriatis comitiis feratur, & à Cōsule, aut Prætore. vide Gel. lib. v, cap. XXVII.

Pro Lege Manilia, ad populum ORATIO, XIII.

QVANQVAM mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus Quirites: tamen hoc aditu laudis qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt. Nam quum antea per ætatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem: statuerémque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui. ita neque hic locus vacuus vnquā ab iis, qui vestram causam defenderent: & meus labor in priuatorū periculis castè integréque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimū consecutus. Nā quum propter dilationem comitiorum ter Prætor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facilè intellexi Quirites, & quid de me iudicaretis, & quid aliis præscriberetis. Nam quum & auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandum esse voluistis: & ad agendum facultatis tantum,

" quantum homini vigilanti ex forensi vsu propè quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: " certè, & siquid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fru- " ctum suo iudicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in primis mihi lætandum iure esse " video, quòd in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio " nemini deesse potest.

F. HOTOMANI COMMENTARII.

Frequens conspectus noster. Magistratus, quibus solis cum populo agendi ius erat, legem trinundino per præconem promulgari in foro iubebant, vt tertia die comitia haberentur, & populus suffragia ferret: idest legem latam aut iuberet, aut antiquaret. Eam, vt scribit Quintilianus libro 2.1, pro concione suadere aut dissuadere moris fuit. Lucius ergo Manilius Tribunus pl. comitia in foro habebat conuocatis tribubus, legémque ferebat, quam Cicero Prætor frequenti populo hac oratione suadet.

Hic autem locus. Templum in foro, rostris, vt Liuius scribit, nauium Antiatium exornatum. hic ipse paulo pòst pag. 649, Et his temporibus non pudebat magistratus populi R. in hunc ipsum locum ascendere, quum eum vobis maiores vestri exuuiis nauticis & classiũ spoliis ornatum reliquissent. & pa. 655, Testórque omnes Deos, & eos maximè qui huic loco templóque præsidet. Ex rostris igitur haberi solebant ad populũ cóciones à magistratibus: vt infrà dicemus: nã de superiore loco, magistratus cum populo: ex æquo & plano, patroni in iudiciis causas agebant. Rostra autem tum ante curiam Hostiliam fuisse Varro testatur, quorum inde vocabulum fictum tradit, quòd ibi Rostra ex hostibus capta, fixa essent.

Ad agendum amplissimus; ad dicendum ornatissimus. Ex Messalæ libro De minoribus magistratibus Gellius lib. noct. Att. XIII, docet aliud esse Agere cum populo, aliud Cócionem habere. Nam cum populo agere, inquit, est rogare quid populũ, quod suffragiis suis aut iubeat, aut vetet. Concionem autem habere, est verba facere ad populum, sine vlla rogatione. Ergo ad agendũ amplissimum appellat, quòd nullis nisi amplitudine præditis viris, magistratum scilicet gerentibus, agere cum populo liceret: ad concionandum autem siue ad dicendum ornatissimum, quòd ornamento esset iis, qui concionabantur, vt adolescentibus qui de laude alicuius pro Rostris Orationes ad populum habebant.

Optimo cuique maximè patuit. Licebat enim, etiam priuatis hominibus, quibus dicendi copiam magistratus fecerant, in superiorem locum ascendere, & concionari. Cicero in Vatinium, In illo augurato templo ac loco collocaris, quò auctoritatis exquirendæ causa cæteri Tribuni pl. principes ciuitatis producere cõsueuerunt. Idem lib. epist. ad Att. IV. ep. 1, Habui, inquit, cócionem: omnes magistratus præsentes, præter vnum Prætorem, & duos Tribunos pl. dederunt. Et epistola insequenti, de Clodio Tribunitio ac priuato loquens, Tum subito, inquit, ille in cócionem ascendit, quam Appius ei dedit. Appius autem Præturam tum gerebat. Asconius autem in Milonianæ argumento, Cócionem, inquit, Miloni post aliquot dies dedit M. Celius Tribunus pl. & Manilius Canianus eius collega.

Meæ vitæ rationes. Quas proximè declarat, quũ ait, Omne meũ temp' amicorũ temporib' &c.

Nam quum antea per ætatem. Nondum cognita & pertractata Repub. nam Quæsturam quidem gesserat, & AEdilitatem: sed illam in Sicilia: hanc ætate minore, quàm vt perfectum quidquã ingenio & huius loci auctoritate dignum afferre posset.

Huius auctoritatem loci. In quem non nisi magistratibus licebat ascendere. Itaque Verrina VII, pag. 561, quam Orationem AEdilis creatus habuit, Populus quidem R. inquit, quoniã mihi potestatem apud se agendi dedit, ius suum me agente ante Cal. Feb. recuperabit. & Verrina III, pag. 161, Hanc ego causam quum agam beneficio populi R. de loco superiore.

Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui. Transmittendum, id est tribuendum, addicendum. nam Temporibus in tertio casu posuit, quasi diceret, dedere & consecrare. Similis locutio in hac eadem Orat. pag. 644: Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit: id est, committendum. Statius, Operi transmittere noctem. Tempora autem negotia, pericula, necessitates, vt vulgus loquitur, significant. vt lib. De off II, Tãtum erat philosophiæ loci, quantum superfuerat amicorum & Reip. temporibus: id est negotiis, necessitatibus.

Ita neque hic locus. Sensus est, Eo pacto dum priuatis seruio, vestram mihi beneuolentiam conciliaui: quum interea tamen desertus hic locus non esset.

In priuatorum periculis. Eis enim qui in magistratu erant, diẽ dicere non licebat. loquitur enim de publicis iudiciis, quum dicit Pericula. nam in causis priuatis quæ cõsuetudo fuerit, dixi Verrina III, pag. 213.

Castè integréque versatur. Propter legem Cinciam hoc dicit, quæ donum pecuniámve ob causam orandam accipere vetabat. Liuius lib. 34, Tacitus XI, & XIII, Cicero in Catone, & de Ora-

tore t I. In hanc autem sententiam scribit in Oratione pro Muræna his verbis, Neque enim iam mihi licet, neque est integrum, vt meum laborem hominum periculis subleuãdis non impertiam. nam quum præmia mihi tãta pro hac industria sint data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperis, quum adeptus sis, deponere, esset hominis & astuti & ingrati.

Propter dilationem comitiorum. Differebantur plerunque propter obnuntiationes. nã si dũ comitia haberentur, Magistratus aliquis de cælo seruasset, obnuntiare poterat, & comitia in aliũ dię differre. Cicero ad Q. Fratrem, lib. 3, Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus, magna voluntate bonorum omnium. Plutarchus in Catone Vtic. *ἐπεὶ δὲ ἡ πρώτη κληθεῖσα φυλὴ ἐκεῖνον ἀπέδειξεν, ἐξαίφνης ὁ Πομπήϊος βροντῆς ἀκηκοέναι ψευσάμενος, αἴσχιστα διέλυσε τὴν ἐκκλησίαν· εἰθισμένοι δ᾽ ἀφοσιοῦσθαι τὰ τοιαῦτα, καὶ μηδὲν ἐπικυροῦν διοσημίας γενομένης.* Tribus Prima nominata Prætorẽ illum declarauit, quũ repente Pompeius mentitus se tonitru audisse, comitia turpissimè dissoluit. Solebant enim signo à Ioue dato arbitrari fas non esse cum populo agere, & quicquam ratum habere. Differebantur præterea per Tribunorum intercessionem: vt ibidem Plutarchus ostendit, Catonem quũ in comitiis AEdilitiis fraudem in tabellis factam animaduertisset, *διὰ δημάρχων ἐνστάντων τὴν ἀνάδειξιν λῦσαι.* id est per Tribunorum appellationem comitia designationémque AEdilis Fauonii diremisse. Has autem obnũtiationes, dilationésque comitiorum, candidatorum scilicet gratia faciebant: quum aliqui sibi paratam repulsam videbant.

Prætor primus. Prætorum certus numerus non fuit. nam pro eo ac tempus Reipub. postulabat, numerus auctus est, vt docet Pomponius Iurisc. sub T. de orig. iuris. AEtate Ciceronis octo fuerunt: vt ex Pisoniana intelligitur. Primum autem se declaratum fuisse docet etiam in eadem Orat. bis verbis, AEdilem priorem, Prætorem primum cunctis suffragiis populus R. faciebat: homini ille honorem, non generi: moribus, non maioribus meis: virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Docet præterea in Bruto: vt postea dicemus. & item Plutarchus in eius vita his verbis. *στρατηγίας μετιόντων ἅμα σὺν αὐτῷ πολλῶν καὶ μεγάλων, πρῶτος ἁπάντων ἀνηγορεύθη, καὶ τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι.* id est, Quum multi, iique summi viri Præturam simul cum eo peterent, primus omnium renuntiatus est: dicitúrque iudicia purè & incorruptè exercuisse. Qualem autem Prætor quæstionem exercuerit, notum est ex Cluentiana, & fragmentis Orationis pro Cornelio apud Asconium: vbi sic scriptum est, Postulatur apud me Prætorem de pecuniis repetundis. & ex Orat. pro Rab. Posth. De pecuniis repetũdis iudex sedi, Prætor quæsiui. Ex quibus locis error interpretis Plutarchi intelligitur, qui Licinium Macrum peculatus reum apud Ciceronem Prætorem postulatum fuisse scribit: quum apud Plutarchum scriptum sit, *χρημάτων κλοπῆς*: id est, vt Valerius Maximus exponit, repetundarum reus.

Centuriis cunctis. Maiores enim Magistratus, vt pote Censores, Consules, Prætores, iis comitiis fiebant quæ Centuriata dicebantur: quòd in iis populus non tributim, id est per x x x v tribus descriptus, neque ex generibus hominum: sed centuriatim, id est per centenas turmas ex censu, ordinibus, & ætate diuisus suffragia ferret.

Quid de me iudicaretis. Hoc demonstrat in Bruto his verbis, Nos autem non desistebamus cum omni genere exercitationis, tum maximè stylo nostrum illud quod erat, augere, quantuncunque erat. Atque (vt multa omittam) in hoc spatio, & in iis post AEdilitatem annis & Prætor primus, & incredibili populari voluntate sum factus. nam cum propter assiduitatem in causis & industriam, tum propter exquisitius & minimè vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi nouitate conuerteram.

Quid aliis præscriberetis. Quam vitæ rationem probaretis, & aliis ciuibus exemplo meo præstitueretis.

Nam quum & auctoritatis. Omnes alii, Nunc quum. & sic emenda.

Ei quoque rei. Dicendi facultati.

CICERO » Dicendũ est enim de Cn. Pompeii singulari eximiáque virtute: huius autem orationis dif-
619 » ficilius est exitum, quàm principium inuenire: itaque non mihi tam copia, quàm modus in di-
» cendo quærẽdus est. Atque vt inde oratio mea proficiscatur vnde hæc omnis causa ducitur: bel 4
» lum graue & periculosum vestris vectigalibus atque sociis à duobus potentissimis Regibus in-
» fertur, Mithridate, & Tigrane: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occu-
» pandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus R. honestissimis viris afferũtur ex Asia quo
» tidie literæ, quorum magnæ res aguntur in vestris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad
» me pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine, causam Reip. periculáque rerum suarum
» detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc vestra prouincia est, vicos exustos esse complures: Regnum A- 5
» riobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullũ
» magnis rebus gestis ab eo bello discedere: huic qui succurrerit, non satis esse paratum ad tantũ
» bellum administrandum: vnum ab omnibus sociis, & ciuibus ad id bellum imperatorem de-

posci atque experi: eundem hunc vnum ab hostibus metui, præterea neminem. Caosa quæ sit, videtis: nunc, quid agendum sit, considerate. Primù mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est enim eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare, atque inflammare debet: in quo agitur populi R. gloria, quæ vobis à maioribus cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est:

Duobus potentissimus regibus. Ipse in Lucullo Mithridatem regem post Alexandrum, maximum appellat. HOTOM.

Mithridate & Tigrane. Altero Ponti, altero Armeniæ rege, & superioris socero, vt Appianus: genero, vt Plutarchus scribit.

Alter relictus, alter lacessitus. Relictus, inuidiosè in Lucullū. Cæsis Mithridatis equitibus ad Galorum, quò se paolo antè Mithridates clade accepta receperat (quæ ciuitas hodie Garipo dicitur, ad Halym fluuium sita, in Galatia, nō procul ab Amiso) Lucullus Mithridatē persecutus à militibus (vt historici scribunt) desertus est: qui, quom nihil propius esset, quàm vt Rex caperetur, effusis de ipsius regis sententia thesauris & pecuniis omnibus, in eas sese relicto Rege proiecerunt. ita Rex in Armeniam ad socerū Tigraoem profugit. Eam fugam Cicero Luculli culpæ atque auaritiæ tacitè adscribit. nam cum eo Lucullus ad huiusce belli mandandam administrationem comparabatur.

Alter lacessitus. Hoc verbo res à L. Lucullo aduersus Tigranem gestas extenuar, eadē de causa: quum reuera non tam paruæ esseot, quàm eas videri vult. Etenim parua admodùm manu Tigranis ingentes copias prælio fuderat: vt scribit Appianus: & Tigranocertam vrbem regiam & opulentissimam occuparat. iterúmque ooo ita multo pòst eundem Tigranem profligarat, vt in extremam Armeniam relicto Mithridate profugerit.

Ad occupandam Asiam. Quam annos ab hinc centum & XXVI Cornelius Scipio sub imperium populi R. victo Antiocho rege subiunxerar.

Magnæ res aguntur. Magnæ opes, magnæ facultates. & Magnæ res occupatæ, non à Mithridate: sed occupatæ & impensæ in vectigalibus exercendis.

In vestris vectigalibus exercendis. Equitum R. societates quotannis mense Martio auctione in foro constituta à Censoribus vectigalia populi R. conducebant. hi quòd publica conducerenr, Publicani nominati sunt. Quum autem societatem, vr dixi, earum rerum coiissent: alii in operis erant, alii Romæ manebāt. & quæcūque societatis scire ioteresset: qui in operis erant, ad vnū quempiam de iis, qui Romæ essent, qui Magister societatis dicebatur, perscribebāt: ac vicissim qui in vrbe manserant, ad eum qui in prouincia Promagister dicebatur, literas mittebanr.

Vectigalibus exercendis. Quid est exercere vectigalia? decumas ab aratoribus exigere, scripturam à pecuariis, portoriū à mercatoribus. hæc enim sunt populi R. vectigalia. Sic infrà 633, Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia oobis peositaot, aut eos qui exercēt atque exiguot? De triplici genere vectigalium, in eum locum explicauimus.

Pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine. Nam ex equestri ordine publicano patre ortus, eum ordinē semper cōplexus est: vt testatur in Orat. pro Rabirio Posthumo. Plinius lib. XXXIII, M. Cicero demum stabiliuit equestre nomen in Cōsulatu suo, ei senatum cōcilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens.

Causam Reipub. Causa: negotiū, procuratio. Idem in epist. ad Lentulum, Itaque, inquit, Alexandrina causa, quæ oobis adhuc ioregra est, videtur ab illo planè esse deposita. & Philipp. V, Cæsar autem eam cōplexus est causam, quæ esset Senatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ gratissima. & Verrina V, 384, Cui Senatus dederat publicè causā, vt mihi fratrique meo gratias ageret.

Bithyniæ, quæ nunc vestra prouincia est. Nicomedes cognomēto Philopater, Nicomedis filius, qui patre Prusia necato Bithyniæ regnum occuparat, regno à Mithridate pulsus à Sylla restitutus est. hac de causa paucis pòst annis moriens popuiū R. regni soi hæredem fecit, regnúmque eius in prouinciæ formam redactum est. Appian. in Mithridatico, Florus in epit.

Vestra prouincia est. Regiunes extra Italiam quæ popoli R. imperio parerent, & ad quas administrandas magistratus mitterentur, qui in iis ius dicerent, Prouinciæ dicebaotur: qui non parebant, sed comiter populi R. maiestatem tuerentur, Liberi populi appellabantur. vt sæpe alibi docuimus.

Regnum Ariobarzanis. Cappadociam, ex qua ipsum bis antea pulsom & bis à Romaois restitutum Mithridates, Lucullo à Senato reuocato, tertiò deiecit: & tandio eo regno potitus est, dum Pompeius ipso & Tigrane deuictis, Ariobarzanem tertio loco restituir.

Huic qui successerit. Fuit tempus quum Successerit legendum arbitrarer: sed librorū omnium tum scriptorum tum impressorum summa consensio in hāc me opinionem deduxit, vt existimem hoc verbo vsum de industria Tullium, vt Glabrionis studium & cupiditatem notaret, at-

que obscurè perstringeret. tanquam si diceret, Qui cucurrerit, vt huic succederet: qui tam cupidè in eam prouinciam profectus sit. Græci hoc eodem modo ἀναδεδραμηκότα dicunt, & ὑποδεδραμηκότα. Plat. Menex. φανερῶς δὲ καὶ ἀναξίους ἀξίαν λέγει τι καὶ δόξαι δεῖν ἱκανῶς διαδεδραμηκότας κατὰ τὸν αὐτὸν πόνον τῷ ζῶντι. Glabrionem autem intelligi & ex eo coniicio quod infrà dicit, pag. 638, L. Lucullum partem militum Glabrioni tradidisse: & ex Plutarcho in vita Pompeii propè media historia: & ex Dione, cuius in fragmento lib. xxxv, hæc sunt verba, ἐταράχθησαν δὲ καὶ τὸν Ἀκίλιον τὸν ὕπατον, ὃς τῷ Λουκούλλῳ διάδοχος δὲ ἀπεστάλη ἐξεπέμφθη, πλασάμενοι ἐπιόντα. id est, Conturbati autem sunt tum aliis de causis, tum postquam Acilium Consulem, qui Lucullo successor missus erat, appropinquare finxerunt. Glabrionem autem ex Aciliorum familia fuisse, nemini obscurum est. Fuerat autem anno proximo Consul M. Acilius, cum C. Pisone: vt idem auctor paulo superius ostendit: & initio eius fragmenti Consulem eius anni successorem Lucullo missum testatur.

Causa quæ sit videtis. Causa, negotium, quæstio, consultatio.

CICERO. 630 — „ Agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna & grauia bel„la gesserunt: aguntur certissima populi R. vectigalia, & maxima, quibus amissis, & pacis orna„menta, & subsidia belli[1] frustra requiretis: aguntur bona multorum ciuiũ quibus est & à vobis, „& [2] ab imperatoribus Reip. consulendum. Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæte„ras gentes, atque auidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superio„re suscepta, quæ penitus iam insedit, atque inueterauit in populi R. nomine: quòd is, qui vna die „tota Asia, tot in ciuitatibus, vno nuntio, atque vna literarum significatione ciues R. necandos „trucidandósque denotauit, non modò adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed „ab illo tempore annum iam tertium & vigesimum regnat: & ita regnat, vt se non Ponto, neque „Cappadociæ latebris occultare velit, sed emergere è patrio regno, atque in vestris vectigalibus, „hoc est in Asiæ luce versari. Etenim adhuc ita vestri cum illo Rege contenderunt imperatores, „vt ab illo insignia victoriæ, non victoriam reportarent. Triumphauit L. Sylla, triumphauit L. „Muræna de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi imperatores: sed ita triumpharunt, vt ille „pulsus superatúsque regnaret. Veruntamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quòd egerunt: venia danda, quòd reliquerunt: propterea quòd ab eo bello Syllam in Italiam Resp. Mu„rænam Sylla reuocauit. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad obliuionem vete„ris belli, sed ad comparationem noui contulit.

[1] abest.
[2] à moderatoribus

HOTOM. *Magna & grauia bella gesserunt.* Infrà pag. 632.

Frustra requiretis. Abest vox prior à vetustis libris omnibus quos quidem viderim, & impressis quammultis. abest autem, vt dixi, non deest. nam Requirere modò significat carere, & ex alicuius rei absentia laborare, item vt aliis locis compluribus. Quare locum illum in Diuinat. Nihil de suis veteribus ornamentis requiret, Asconius sic interpretatur, Amissum sentiet: hoc est enim, nihil requiret: non sentiet sibi deesse aliquid ex iis rebus, quas nunquam habuit.

Et ab imperatoribus Reipub. Moderatoribus, suspicor esse corrigendum. nam Imperatores Reipub. qui dicuntur? Magistratus autem Reipublicæ moderatores appellari rectè possunt. itaque magistratum Tullius lib. de Orat. 1, definiens sic inquit, Sin autem quæreretur, quis esset qui ad Rempub. moderandam vsum & scientiam & studium suum contulisset, &c. hunc & Reipub. rectorem, & consilii publici auctorem esse habendum.

Appetentes gloriæ præter cæteras gentes. Quàm præclara hæc laudatio sit, intelligi licebit ex his Simonidis poetæ verbis apud Xenophontem in Tyranno, quæ propter sentẽtiæ & sermonis elegãtiam subscribemus. Καὶ γάρ μοι δοκεῖ, ὦ Ἱέρων, τούτῳ διαφέρειν ἀνὴρ τῶν ἄλλων ζώων, τῷ τιμῆς ὀρέγεσθαι. ἐπεὶ σιτίοις γε καὶ ποτοῖς, καὶ ὕπνοις, καὶ ἀφροδισίοις πάντα ὁμοίως ἥδεσθαι ἔοικε τὰ ζῷα· ἡ δὲ φιλοτιμία οὔτ' ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις ἐμφύεται, οὔτ' ἐν ἅπασιν ἀνθρώποις. οἷς δ' ἂν ἐμφυῇ τιμῆς τε καὶ ἐπαίνου ἔρως, οὗτοι εἰσὶν ἤδη οἱ πλεῖστον μὲν τῶν βοσκημάτων διαφέροντες, ἄνδρες δὲ καὶ οὐκέτι ἄνθρωποι μόνον νομιζόμενοι. & paulo pòst, καὶ γὰρ οὐδεμία ἀνθρωπίνη ἡδονὴ τοῦ θείου ἐγγυτέρω δοκεῖ εἶναι, ἢ ἡ περὶ τὰς τιμὰς εὐφροσύνη. id est, Etenim mihi quidem ea re videntur homines cæteris animantibus antecellere, quòd honoris sunt appetentes. quippe cibo, & potu, & somno, & rebus venereis æquabiliter omnia animantia fruuntur: at honoris & gloriæ studium neque in bestiis innatum est, neque adeò omnibus in hominib⁹. quibus verò honoris & laudis amor est ingenitus, hi sũi iam multo quàm pecudes & bestiæ præstantiores: iam verò non homines modò, sed viri existimãdi. Et paulò pòst, Neque enim vlla est humana iucunditas, quæ propius ad deorum voluptatem accedat, quàm lætitia quæ ex gloria percipitur.

Mithridatico bello superiore. Quod instauratum est Q. Pompeio L. Sylla coss. nam initio eius belli Mithridates Q. Oppium, vt Florus appellat, Proconsulem, vt Appianus (cui potius assentior) Proprætorem cepit, & in vincula coniecit: Manium Attilium asino insidentem Pergamũ vsque deduci iussit, præeunte præcone, & proclamante adesse Manium Attilium: eique vt Pergamum venit, aurũ liquefactũ in os infundi iussit. præfectis deinde Asiæ vniuersis mandauit,

quasi proconsules non dicantur etiã proprætores. vide quæ hic ipse disputat in pag. 652.

vt intra diem trigesimum Romanos & Italos omnes ad vnum, viros, mulieres, pueros, qui in Asia essent, trucidarent, & necatos ne sepelirent, sed eorum corpora feris obiicerent: vt auctor est Appianus. Occisa autem ciuium R. centum quinquaginta millia Plutarchus in vita Syllæ scribit: Valerius Maximus octoginta millia.

Insignia victoriæ. Triumphos.

Laus est tribuenda, quod egerunt. Quòd, coniunctio, pro Quantũ ad illud attinet quod egerunt. vt paulo pòst, Quòd reliquerunt, pro Quantum ad illud attinet quod reliquerunt. vt apud Terentium, Vt id ostenderem, quòd te isti facilem & festiuum putant, id non fieri ex vera vita. Et in Eunucho: Sanè quòd tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est.

Syllam in Italiam Respub. Oppressa à Mario, & Cinna, & Carbone, qui nobilitatem quæ in vrbe manserat, ferè totam trucidarunt, Sylla Reipub. hoste à Senatu iudicato. Pacem igitur, inquit Liuius, cum Mithridate fecit, ita vt his cederet prouinciis, Asia, Bitbynia, Cappadocia.

Murænam Sylla reuocauit. Propter pacem, quam ipse cum Mithridate fecerat. nam ille in Asia legatus à Sylla relictus cum duabus legionibus, vt Asiæ negotia constitueret, triumphi cupiditate incensus Regi bellum facere non desistebat, vsquedum per A. Gabinium à L. Sylla reuocatus est. Hac de re scribit idem in Orat. pro Muræna his verbis: Mithridatem L. Sylla maximo & fortissimo exercitu, pugna excitatum, non rudis imperator, vt aliud nihil dicam, cum bello inuectum totam in Asiam cum pace dimisit: quem L. Muræna pater huiusce vehementissimè vigilantissiméque vexatum, repressum magna ex parte, non oppressum reliquit.

Qui posteaquã maximas ædificasset ornassétque classes, exercitúsque permagnos quibuscũque ex gẽtibus potuisset, comparasset, Bosphoranis finitimis suis bellum inferre simulasset, vsque in Hispaniam Legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus: vt, quum duobus in locis disiunctissimis maximéque diuersis vno consilio ab vnis hostium copiis bellum terra maríque gereretur, vos ancipiti contentione distracti de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum Sertorianæ atque Hispaniensis, quæ multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeii diuino consilio ac singulari virtute depulsum est: in altera parte ita res à L. Lucullo summo viro est administrata, vt initia illa gestarum rerum magna atque præclara non felicitati eius, sed virtuti: hæc autem extrema quæ nuper acciderunt, non culpæ, sed fortunæ tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco: & dicã Quirites, vt neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa affícta esse videatur. Sed pro vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meæ, vídete quem vobis animum suscipiendũ putetis. Maiores vestri sæpe, mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis, bella gesserunt: vos, tot ciuium R. millibus vno nuntio atque vno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quòd erãt appellati superbius, Corinthum patres vestri totius Græciæ lumẽ extinctum esse voluerunt: vos eum Regem inultum esse patiemini, qui Legatũ populi R. consularẽ vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatũ necauit: illi libertatem ciuiũ R. imminutam nõ tulerunt: uos vitam ereptã negligetis? ius legationis verbo violatũ illi persecuti sunt: vos Legatũ populi R. omni supplicio interfectũ, inultũ relinquetis? CICERO. 631

Bosphoranis finitimis suis bellum inferre simulasset. Qui Bosphorum Thracium incolunt. nam Ponti ab occasu finis est Bosphorus Thraci⁹. His, vt Appianus scribit, Mibridates reuerso Sylla, quòd ab ipso desciuissent, bellum intulit, eísque sub imperium redactis Macharem filium sum regẽ imposuit. Tantas autem copias parasse dicitur, vt in suspicionem populo R. venerit, aduersus se bellũ illud moliri: eo magis quòd nondũ integrũ Cappadociæ regnũ Ariobazani restituisset. HOTOM.

Vsque in Hispaniam legatos Ecbatanis misit. Strabo Mediam duas in partes diuidit: quarum alterã, inquit, maiorem vocant: cuius metropolis fuit Ecbatana ciuitas, & Medici imperii caput. Media autem in Tigranis imperio, ad quẽ ipse profugerat. Legatos ipse nominat Oratione Verrina I I I, L. Magium & L. Fannium: qui à Mariano exercitu ad Mithridatem profugerant: vt Asconius auctor est.

Ad eos duces. Sertorium. & vide quæ dixi Ver. I I, pag. 293. nam ineptum est eadem iterare.

Duobus in locis disiunctissimis. In Asia & Hispania. ab illa enim quàm est hæc, nihil potest esse disiunctius.

Vno consilio, ab vnis hostium copiis. Sertorii enim copias cum suis coniuncturum se putabat: vt scribit hic ipse in Muræniana his verbis, Qui Rex tibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes & copias belli tantum ipse opibus conatúque inualuit, vt se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniuncturum putaret.

De imperio dimicaretis. Id est, non de aliqua imperii parte, sed omnino in imperii totius certamen ac discrimen deueniretis. & ANCIPITI, quoniam vtrinque bellum inferebatur, ab Asia scilicet, & Hispania.

Sertorianæ atque Hispaniensis. Q. Sertorius dux partium Marianarum, à L. Sylla victore proscriptus, in vlteriore Hispania ingens bellum aduersus populum R. excitauit, plurimásque ciuitates in potestatem suam redegit. Octauo ducatus sui anno Cn. Pompeio bellum ei inferente à M. Antonio & M. Perpenna aliisque coniuratis proditus, & in conuiuio interfectus est. Florus, Appianus, Plutarchus.

Initia illa gestarum rerum. Mithridatem enim prælio fudit in Ponto: vt ille in extremam Armeniam profugerit ad Tigranem. quorum vtrunque postea vno consilio, vnis copiis in se inuadentem repulit ac profligauit. Florus, Plut. Appian.

Hæc autem extrema. Clades accepta primùm à Fabio, deinde à L. Triario: Mithridatis reditus in Pontum & magnam sui regni partem: multarum nationum contracta belli societas cũ Tigrane & Mithridate aduersus populum R. de quibus pag. 636, 637.

Tot ciuium R. millibus. Centum & quinquaginta, vt Plutarchus testatur.

Legati quòd erant appellati superbius. Liuius & Asconius, quòd pulsati ac violati essent. Strabo, quòd sordes ex tectis in eos prætereuntes cõiectæ dicerẽtur. ipse in II Orat. cõtra Rullũ sic, Corinthi vestigiũ vix relictũ est. Erat enim posita in angustiis atque in faucibus Græciæ sic, vt terra claustra locorũ teneret, & duo maria maximè nauigatione diuersa penè coniungeret, quum pertenui discrimine separarentur. De legatorũ verò corporibus quæ sancta dicebantur, præterea quæ scripsimus Verr. III, Martianus in l. sanctũ, D. de rer. diuis. sic inquit, Sagmina herbæ quædam sunt, quas Legati populi R. ferre solebant, ne quis eos violaret: sicuti Græcorũ ferunt ea quæ vocantur κηρύκια.

Extinctum esse voluerint. Libri veteres Extinctam, vt ad Corinthũ referatur. nihil muto tamen: potest enim ad verbum LVMEN respondere. quod vsurpauit alludẽs, opinor, ad Leptinis dictũ, qui Corinthum alterum Græciæ oculum, Athenas alterum appellabat.

Legatum populi R. consularem. Florus legatum sine prænomine Aquilium nominat, & in vincula coniectum scribit. Quum autem Consularem Tullius appellet, non video quem alium intelligamus, nisi M. Aquilium, C. Marii sextùm Consulis collegam, qui seruile bellum in Sicilia confecit: & cuius tunicam Antonius orator diloricauit. Attilium tamen Appianus vbique nominat. sed menda sunt apud Græcos historicos in Romanorum nominibus innumera. De Attilii contumelia dixi paulo antè ex Appiano.

CICERO. 632
» Videte, ne, vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam relinquere, sic vobis
» turpissimum sit, illud quod accepistis tueri & conseruare non posse. Quid, quòd salus sociorũ
» summũ in periculum ac discrimen vocatur? Regno expulsus est Ariobarzanes Rex, socius po-
» puli R. atque amicus: imminent duo Reges toti Asiæ non solùm vobis inimicissimi, sed etiam
» vestris sociis atque amicis: ciuitates autẽ omnes cuncta Asia atque Græcia vestrũ auxiliũ expe-
» ctare propter periculi magnitudinẽ cogũtur: imperatorẽ à vobis certũ deposcere, quũ præser-
» tim vos alium miseritis, neque audent, neque se id facere summo sine periculo posse arbitran-
» tur: vident & sentiunt hoc idem quod & vos, vnum virum esse in quo summa sint omnia, & eũ
» propè esse, quo etiam carent ægrius: cuius aduentu ipso atque nomine, tametsi ille ad mari-
» timum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt, ac retardatos. Hi
» vos, quoniam liberè loqui nõ licet, tacitè rogant, vt se quoque, sicut cæterarum prouinciarum
» socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis, atque hoc etiã magis quàm
» cæteros, quòd eiusmodi in prouinciam homines cum imperio mittimus, vt etiam si ab hoste
» defendant, tamen ipsorum aduentus in vrbes sociorum non multum ab hostili expugnatione
» differant. Hunc audiebant antea, nunc præsentem vident tanta temperantia, tanta mansuetu-
L. commoratur. » dine, tanta humanitate, vt ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoraretur.
L. cum philippo, cum » Quare si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti maiores vestri cum Antiocho, cum Aeto-
» lis, cũ Pœnis bella gesserũt: quanto vos studio cõuenit, iniuriis prouocatos, sociorũ salutẽ vnà
» cũ imperii vestri dignitate defendere, præsertim quũ de vestris maximis vectigalibus agatur?

HOTOM.

Regno expulsus est Ariobarzanes. Hoc dictum est in enarratione pag. 629.

Socius populi R. atque amicus. Hoc quanti fuerit, ex his Liuii verbis intelligitur ex libro XXXII. Itaque pacem illi prius petendam à populo R. esse, quàm vt Rex, sociúsque & amicus appelletur. nominis eius honorem pro magnis erga se Regum meritis dare populum R. consuesse. Præterea ex verbis Cæsaris, qui lib. I de bello Gall. sic scribit, Vbi eò ventum est, Cæsar initio orationis sua Senatúsque in eum (de Ariouisto loquitur) beneficia commemorauit, quòd Rex appellatus esset à Senatu, quòd amicus, quòd munera amplissimè missa. Quam rem & paucis contigisse & à Romanis pro maximis hominum officiis consueuisse tribui dicebat. Illud autem animaduersione dignum, quod Dionysius Halicar. Liuius, Appianus, & Tacitus testantur Regibus appellatis Senatum dono mittere solitum auream coronam, auream pateram, sellam

curulem eburneã, & scipionem eburneũ, togam pictã, & palmatam tunicã. Sallustius autẽ in Iugurthino & Plutarchus in Põpeio demõstrant, Regibus à Senatu appellatis moris fuisse, vt in exteris regionibus solium suũ iuxta Imperatorũ populi R. sellam ponerẽt, & custodiæ causa turmam equitum R. haberẽt. Et alio loco, Amicos, inquit Sallustius, populi R. qui amicitiã diligenter colerent, nullum laborem suscipere: cæterùm ex omnibus maximè tutos esse. Valerius Maximus lib. v, cap. v i i, consuetudinem Imperatorum qui Regem aliquem appellabãt, fuisse docet, vt eum in suo tribunali ac sella curuli collocarent.

Vos alium miseritis. Glabrionem, opinor: ac ne illum quidem Appianus nominat: sed tantummodò à quodam reuocatum esse Lucullum scribit, quem populus R. Asiæ præfecerat.

Summo sine periculo. Ne Glabrionẽ offendãt, qui cũ summo imperio prouinciã administrabat.

Vnum uirum esse. Significat Cn. Pompeium.

Et eum propè esse. In bello maritimo aduersus prædones & piratas, quos toto mari mediterraneo persequebatur. Ergo maris mediterranei partem significat Asiæ finitimam. illud enim adúsque Ciliciæ fines & Amanum montem diffunditur.

Huiusmodi in prouinciam homines. Prætorem illum designat, quisquis is fuit, qui Asiam prouinciam administrabat. & non obscurè rapacem & improbum magistratum fuisse significat.

Diutissimè commoraretur. Commoratur, omnes antiqui libri: & sic emenda.

Cum Antiocho, cum AEtolis, cum Poenis. Hoc amplius libri omnes alii, Cum Antiocho, cum Philippo, cum AEtolis &c. quod sine causa omittendum non putamus. Antiocho rege Syriæ, qui cũ AEtolis societate facta Græciæ ciuitates fœderatas bello vexabat, & Lysimachiam vrbem in litore Thracio sitam repetebat, populus R. Attilio Glabrione duce bellum intulit: Philippo Macedoniæ regi, quòd Athenas sociorum vrbem obsideret. Pœnis autem Appio Claudio duce primùm bellum fecit propter ciuitatem Messanam fœderatam, quam illi, societate cum Hierone Syracusarum tyranno facta, oppugnabant. Polybius, Liuius, Appianus.

» Nam cæterarum prouinciarum vectigalia Quirites tanta sunt, vt his ad ipsas prouincias CICERO.
» tutandas vix contenti esse possimus. Asia verò tam opima est & fertilis, vt & vbertate agro- 633
» rum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ expor-
» tãtur, facilè omnibus terris antecellat. Itaque hæc vobis prouincia Quirites, si & belli vtilitatẽ,
» & pacis dignitatem sustinere vultis, non modò à calamitate, sed etiam à metu calamitatis est
» defendenda. Nam cæteris in rebus, quum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in
» vectigalibus non solùm aduentus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam quũ ho-
» stium copiæ non longè absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, a-
» gricultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit: ita neque ex portu, neque ex decu-
» mis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. quare sæpe totius anni fructus vno rumore
» periculi, atque vno belli terrore amittitur. Quo tandem animo esse existimatis aut eos qui ve-
» ctigalia vobis pensitant, aut eos qui exercent atque exigunt, quum duo Reges cum maximis co
» piis propè adsint: quum vna excursio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre
» possit: quum publicani familias maximas, quas in *salinis habent, quas in agris, quas in portu- *saltis
» bus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatísne vos illis rebus frui posse,
» nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conseruaueritis non solùm (vt antea dixi) calamitate, sed e-
» tiam calamitatis formidine liberatos?

Vbertate agrorum. Genera vectigalium tria complexus est. Decumas, quæ ex frumento, vino, oleo, & frugibus minutis: Scripturam, quæ ex pascuis: & Portorium, quod ex mercium exportatione recipitur. Hæc omnia Censores publicanis vendere cõstituta auctione solebant: qui quanti mancipes redemerant, tantum Quæstoribus Vrb. ad ærarium populi R. repræsentabant: id est, ante perceptos fructus persoluebant. Nam postea qui in operis erant Decumani, Pecuarii, Portitores, ea legibus Censoriis à prouincialibus exigebant: suisque commodis & rationibus in ea conductione consulebant. HOTOM.

Neque ex scriptura uectigal conseruari potest. Ex Scriptura, id est, ex publicis pascuis. vt in Orat. pro Flacco, Mirandum vero est, homines eos, quibus odio sunt nostræ secures, nomẽ acerbitati, scriptura, decumæ, portorium morti, libenter arripere facultatẽ lædendi. Vnde Scripturarius ager, vt scribit Festus, in quo vt pecora pascantur, certum æs est, quòd Publicanus scribendo cõficit rationem cum pastore. nam propriè Scriptura pecuariorum ratio dicitur.

Publicani maximas familias, quas in salinis habent. Vectigal ex salinis in Asia aut alia vlla prouincia fuisse, non memini me legisse. nã quod Liuius, Salinator qui dictus est, inuenit, id in prouincia nõ fuit. & omnino quum hic locus superiori respondeat, in quo de portu, decumis, & scriptura mentio facta est, triáque tribus respondere debeant: non video quorsum Salinarum mentio hic pertineat: aut non potius SALICTIS aut SALTIBVS quàm Salinis legendum esse videa

tur. Salictorum enim nomine pascua, quæ plerunque salicibus consita sunt, non difficile est intelligi. Pomponius autẽ in l. Siquis, D. de vsufructu, ex multis saltibus pastione fructus percipi testatur.

CICERO. 634 Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, quum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona ciuium R. pertinet: quorum vobis pro vestra sapientia Quirites habenda est ratio diligenter. Nam & publicani, homines honestissimi & ornatissimi, suas rationes & copias in illam prouinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res & fortunæ curæ vobis esse debent. etenim si vectigalia neruos esse Reip semper duximus, eum certè ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè esse dicemus. Deinde cæteris ex ordinibus homines naui & industrii partim in Asia negotiantur, quibus vos absentibus cõsulere debetis: partim suas & suorũ in ea prouincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis vestræ magnum eorum ciuium numerum calamitate prohibere; sapientiæ, videre multorum ciuium calamitatem à Rep. seiunctam esse non posse. Etenim illud primùm parui refert, vos publicanis amissa vectigalia posteà victoria recuperare; neque enim iisdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque aliis voluntas propter timorem. Deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id ~~quod~~ certè calamitate docti memoria retinere debemus. nam tum quum in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romæ solutione impedita fidem concidisse. non enim possunt vna in ciuitate multi rem atque fortunas amittere, vt non plures secum in eandem calamitatem trahant. à quo periculo prohibete Remp. & mihi credite id quod ipsi videtis: hæc fides atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis, & cohæret.

HOTOM. *Suas rationes & copias in illam prouinciam contulerunt.* Rationes pro facultatibus & rebus omnibus ad quæstum pertinentibus dictum puto. vnde Consulere, prospicere, prouidere suis rationibus, pro Suis commodis, apud hunc ipsum frequentissimè. nam Rationes pro literis & tabulis rationum, quæ calculis subducuntur, non video quemadmodum exponere possimus: quum satis constet Magistrum societatis in vrbe manere solitum, & omnium tabularum, rationum, ac literarum quæ vndique ab iis qui operas dabant Romam mittebantur, curam habuisse. de qua consuetudine dictum est Verrina IIII.

Firmamentum cæterorum ordinum. Similiter in Orat. pro Plancio, Flos equitum R. ornamentum ciuitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur.

Cæteris ex ordinibus. Negotiatores ex cæteris ordinibus fuerunt: sed magnam partem ex ordine publicanorum. ex eo enim genere aratores, pecuarii, portitores, argentarii. Senatores etiam qui hæreditates, legata, aut nomina sua in prouinciis persequebantur, negotiatores dicebantur.

Partim suas & suorum in ea prouincia pecunias collocatas habent. Innumeros tum in Asia publicanos ac fœneratores fuisse, totámque prouinciam omnibus incommodis vexasse, Plutarchus auctor est in vita Luculli.

A Repub. seiunctam esse non posse. Hoc est quod dicit lib. De officiis III, Singulorum enim facultates & copiæ, diuitiæ sunt ciuitatis.

Etenim illud primùm parui refert. Potest per ironiam dictum intelligi. magis tamen placeret, vt pro ETENIM, Nec enim reponeremus.

Iisdem redimendi facultas erit. Eidem societati, quæ hoc tempore vectigalia conduxit. Redimere, conducere est: vnde Redemptores, publicani mancipes, qui auctione constituta vectigalia redemerunt, & pecuniam pro iis repræsentarunt. sed de hoc vocabulo fusius explicauimus in Verrinam III.

~~*Id quod certè calamitate docti.* Quod, abundat, & sine controuersia ita legendum est, Id certè calamitate docti &c.~~

Permulti amiserunt. Mithridatis imperio trucidatis C L. ciuium Romanorum millibus.

Fidem concidisse. His temporibus, quibus erat opus pecunia, ii ex argentariorũ mensis sumere solebant, non modò qui suas pecunias apud eos collocarant: verùm etiam alii, qui modò soluendo esse viderentur. quem morem in pharmacopolis hoc tempore maximè retinemus. Sed de Romanorum consuetudine dixi copiosè Verrina III, pag. 194. Fidei autem anceps est ambiguúmque vocabulum. tam enim ad eum qui fidem habet refertur, nimirũ argentariũ, quàm ad eũ qui fidem seruat, pecuniámque dissoluit. Priorem sententiam hæc cõtinet loquutio apud Plautum frequens, Et rem & fidem perdidi: quod Gallicè dicimus *Credeum*. Posteriorem hic locus Cæsaris, ex libri De bello ciuili tertii principio, His rebus confectis, quũ fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, Cæsar constituit, vt arbitri darentur: per

eos fierent æstimationes possessionum & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque ex creditoribus traderentur. Sic apud Ciceronem nonnullis locis Fidem suam tueri, id est, debitam pecuniam persoluere. vt libro epist. ad Att. x i, Ego in cistophoro in Asia babeo ad H-S bis & vicies. huius pecuniæ petmutatione fidem nostram facilè tuebere.

Quæ in foro versatur. Apud argentarios. nam qui argentariam faciebant, suas circa forum tabernas habebant. vnde Circunforaneũ æs Cicero appellat epistoia t, lib. ad Att. i t. Liuius libro v t tertiæ decadis, Annibal, inquit, vocato præcone tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum tunc essent, iussit venire. id est, eas quæ rum erant: nam aliæ posteà sunt additæ. Has à Tarquinio rege in foro positas Dionysius Hal. lib. t t t, docet bis verbis: τήν τε ἀγορὰν ἐν ᾗ δικάζουσι καὶ ἐκκλησιάζουσι καὶ τὰς ἄλλας ἐπιτελοῦσι πολιτικὰς πράξεις, οὗτος ἐκόσμησεν, ἐργαστηρίοις τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις περιλαβών. id est, Forum in quo ius dicitur, & conciones fiunt, aliáque ad Remp. pertinentia transiguntur, ille tabernis & aliis ornamentis circundatum exornauit.

» Ruere illa non possunt, vt hæc non eodem labefactata motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum ciuium cum Repub. defenduntur. CICERO. 635

» Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam: potest enim hoc dici, belli genus esse ita necessarium, vt sit gerendum: non esse ita magnum, vt sit pertimescendum. In quo maximè laborandum est: ne fortè à vobis, quæ diligentissimè prouidenda sunt, contemnenda esse videantur. Atque vt omnes intelligant me L. Lucullo tãtum impertiri laudis, quantum forti viro, & sapientissimo homini, & magno imperatori debeatur: dico eius aduentu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas, esse deletas, vrbémque Asiæ clarissimam nobísque amicissimam Cyzicenorum, obsessã ab ipso Rege maxima multitudine, & oppugnatam vehementissimè, L. Luculli virtute, assiduitate, cõsilio summis obsidionis periculis liberatã: ab eodẽ imperatore classem magnam & ornatã, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse atque depressam: magnas hostium præterea copias multis prælíis esse deletas: patefactúmque nostris legionibus esse Pontum, qui antè populo R. ex omni aditu clausus esset: Sinopem atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata atque referta, cæteráſque vrbes Ponti, & Cappadociæ permultas vno aditu, atque aduentu esse captas: Regem spoliatum regno patrio atque auito, ad alios se Reges atque alias gentes supplicem contulisse: atque hæc omnia saluis populi R. sociis atque integris vectigalibus esse gesta.

Implicita est cum illis pecuniis Asiaticis. Societate negotiatorum. HOTOM.

Quare videte. Concinna frequentatio, qua hoc primo capite quæ dicta sunt cursim enumerat.

Ne forte à vobis. Satis aptus elicitur sensus. sed fortasse sine præpositione A, concinnior sententia videretur.

Me L. Lucullo tantum impertiri laudis. De eiusdem laude in libro qui Lucullus inscribitur, scribit his verbis, Pòst ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modò opinionem vicit omnium, quæ de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum: ídque eo fuit mirabilius, quòd ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, Quæsturæ diuturnum tempus, Muræna bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpserat. sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desiderauit indocilẽ vsus disciplinam. Et pag. insequenti, Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, præliis, oppugnationibus, naualibus pugnis, totiúsque belli instrumentis & apparatu, vt ille rex post Alexandrum maximus (de Mithridate loquitur) hunc à se maiorem ducem cognitum, quàm quempiam eorum quos legisset, fateretur.

Maximas Mithridatis copias. Appianus ad trecenta hominum millia fuisse scribit: Plutarchus peditum centum & viginti millia, equitum decem & sex millia.

Vrbémque Asiæ clarissimam. Florus in epit. lib. x c v, L. Lucullus, inquit, Proconsul ad Cyzicum vrbem exercitum Mithridatis fame ferróque deleuit, pulsúmque à Bithynia Regẽ variis belli ac naufragiorum casibus fractum coegit in Pontum profugere. De eadem obsidione Appian' pluribus verbis in Mithridatico, & Plutarchus in Lucullo. Cicero autem in Mureniana bis verbis, L. Luculli verò res tantæ extiterunt, vt neque maius bellum commemorari possit, neque maiore consilio & virtute gestum. nam quum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia constitisset, eámque vrbem sibi Mithridates Asiæ ianuam fore putauisset, qua effracta & reuulsa, tota pateret prouincia: perfecta ab Lucullo hæc sunt omnia, vt vrbs fidelissimorum sociorum defenderetur, vt omnes copiæ Regis diuturnitate obsidionis consumerentur. In Oratione autem pro Archia poeta, Populi, inquit, Romani laus est, vrbem amicissimam Cyzice-

norum eiusdem consilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque conseruatam.

Ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur. Hæc est, opinor, de qua in Oratione pro Muræna sic scribit: Quid illam pugnam naualem ad Tenedum, quum contento cursu, acerrimis ducibus, hostium classis Italiam spe atque animis inflata peteret, mediocri certamine & parua dimicatione commissam arbitraris? Et in Orat. pro Archia, Nostra semper feretur & prædicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis, & incredibililis apud Tenedum pugna illa naualis: nostra sunt trophæa, nostra monimenta, nostri triumphi. Sed apud Plutrachum & Appianum nō ad Tenedum, sed ad Lemnum (quæ non magno interuallo disiuncta est) prælium cum Sertorii duce commissum dicitur. neque classem illā in Italiam profectam scribunt, sed à Mithridate aduersus Lucullum missam, qui magnā partem exercitus regii Lampsacum obsidione soluta profugientis persequebatur. nam ei classi M. Varum Sertorii legatum Mithridates, vt Appianus scribit, præfecerat: eique Alexandrum quendam Paphlagonium, & Dionysium Eunuchum adiunxerat. Plutarchus autem Marium nominat Sertorii legatum ἑτερόφθαλμον quem in eo bello captum fuisse testatur.

Studio inflammato raperetur. Rapidè & summo impetu ferretur, infensissimis ducum animis & nocendi cupiditate incensissimis.

Patefactúmque nostris legionibus esse Pontum. Fugato Rege, & in Armeniam profecto, Lucullus maritimo itinere in Pontum profectus, omnes ferè vrbes occupauit. in his Amastrim & Heracleā, Sinopen & Amisum.

CICER. » Satis opinor hoc esse laudis: atque ita reputo, vt hoc vos intelligatis, à nullo istorum, qui
636 » huic obtrectant legi atque causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum. Requiretur » fortasse nunc quemadmodum, quum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellū. Cognoscite Quirites: non enim sine causa quæri videtur. primùm ex suo regno sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis, quà se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa, mœrórque patrius celeritatem persequendi retardaret: sic Mithridates fugiens, maximā vim auri atque argenti pulcherrimarúmque rerum omnium, quas & à maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, Rex ipse è manibus effugit. ita illū in persequendi studio mœror, hos lætitia retardauit. Hunc in illo timore & fuga Tigranes Rex Armenius excepit, diffidentémque rebus suis confirmauit, & afflictum erexit, perditúmque recreauit. Cuius in regnum posteaquàm L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatæ sunt: erat enim metus iniectus iis nationibus, quas nunquam populus R. neque lacessendas bello, neque tentandas putauit: erat etiā alia grauis atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum peruaserat, fani locupletissimi & religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse addúctum.

HOTOM. » *Medea illa quondam profugisse dicitur.* Hanc AEtæ Colchorum regis filiam fuisse scribit lib. De natura deorum III quo in libro hi versus ex vetere poeta recitantur,

Postquam propter appropinquat, iámque pene vt comprehendatur parat,
Puerum interea obtruncat, membráque articulatim diuidit,
Pérque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
Vt dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interea effugeret: illum vt mœror tardaret sequi,
Sibi salutem vi familiari pareret paricidio.

Cætera lege apud Ouidium lib. Metam. VII.

In Ponto omnem reliquit. Plutarchus & Appianus retardatos Luculli milites scribunt astutia & calliditate Mithridatis, qui quum propius nihil esse videret, quàm vt in fuga caperetur, mulum illis onustum auro opposuit, pecuniásque omnes effudit, quibus colligendis ac diripiēdis dum milites intenti essent, ab illorum manibus effugit.

Ita illum in per. ILLUM, AEtam, Medeæ patrem. HOS, Luculli milites. sed in illorum numero tacitè etiam Lucullum ipsum vult intelligi. nam his illum verberat verbis, vt causæ seruiat, & eum ab existimatione boni imperatoris remoueat.

Plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatæ sunt. Plutarchus numerat Medos, Adiabenos, Arabes, Albanos, Iberos, & qui circa Araxen sine rege sunt.

Fani locupletissimi. Fanum, opinor, Cumarū vrbis significat, quod à Muræna impulsu Archelai, qui à Mithridate ad illum desciuerat, direptum & spoliatum est. Appianus in Mithr. Μυρήνας

μὲν δὲ διὰ Καππαδοκίας ἀνίκα ἐσβαλὼν ἐς Κώμανα, κώμην ὑπὸ τῷ Μιθριδάτῃ μεγίστην, ἱερὸν ἀρχαῖον καὶ πλούσιον ἔχουσαν, ἱππέας τινὰς ἔκτεινε τοῦ Μιθριδάτου, καὶ πρέσβεσιν αὐτοῦ τὰς συνθήκας προτείνουσιν, οὐκ ἔφη συνθήκας ὁρᾶν· οὐ γὰρ συνεγέγραπτο Σύλλας, ἀλλ' ἔργῳ τὰ λεχθέντα βεβαιώσας, ἀνεχώρει. ταῦτα δὲ εἰπὼν ὁ Μουρήνας, ἐλεηλάτει, καὶ οὐδὲ τῶν ἱερῶν χρημάτων ἀπεχόμενος, ἐχείμαζεν ἐν Καππαδοκίᾳ. id est, Muræna per Cappadociam continuò Cumas aggressus, (vrbem earum quæ Mithridati parerent maximam, in qua religiosum fanum & opulentum erat) equites quosdam Mithridatis interfecit, & legatis ipsius fœdus proferentibus, respondit se fœdus non videre: neque enim Sylla conscripserat, sed reipsa quæ inter eos conuenerant confirmans, discesserat. quæ quum Muræna dixisset, statim regionem populatus est, neque à rebus sacris abstinuit, deinde in Cappadocia hyemauit. Hæc Appianus, cui historiã, quòd eã ex Plutarchi [Greek] magna ex parte ad verbum descriptam animaduertimus, Latinam facere destitimus.

» Ita nationes multæ atque magnæ nouo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus etsi vrbem ex Tigranis regno ceperat, & prœliis vsus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commouebatur. Hic iam plura non dicam. fuit enim illud extremum, vt ex iis locis à militibus nostris reditus magis maturus, quàm processus longior quæreretur. Mithridates autem & suam manum iam confirmarat, & eorum, qui se ex eius regno collegerant, & magnis aduentitiis multorum Regum & nationum copiis iuuabatur. Hoc iam ferè sic fieri solere accepimus, vt Regum afflictæ fortunæ facilè multorũ opes alliciant ad misericordiam, maximéque eorum, qui aut Reges sunt, aut viuunt in regno: quòd regale iis nomen magnum & sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quãtum incolumis nunquam est ausus optare. nam quum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus, quod ei præter spem acciderat, vt illam, posteaquã pulsus erat, terrã vnquam attingeret, sed in exercitũ vestrũ clarũ atque victorẽ impetum fecit. Sinite hoc loco Quirites (sicut poetæ solent, qui res Romanas scribũt) præterire me nostrã calamitatem: quæ tanta fuit, vt eam ad aures L. Luculli non ex prœlio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in ipso illo malo, grauissimáque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incõmodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus (quòd imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putauistis) partem militum, qui iam stipendiis confectis erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. CICERO. 637

Etsi urbem ex Tigranis regno ceperat. Tigranocerta, siue Tigranocertã (vtrũque enim dicitur) quã Tigranes ex suo nomine appellarat: in quam copiosissimos quosque & locupletissimos totius imperii sui ciues quasi in coloniam deduxerat: quam omnes vt Regi gratificarentur, certatim donis ac muneribus pretiosissimisque quibusque rebus ornarãt, atque instruxerant: in qua (inquit Plutarchus) præter alias opes immensas, talentorum octo millia Lucullum reperisse constat. Etsi ergo, inquit, noster exercitus vrbem opulentissimam ceperat, eámque (vt idem scribit) exceptis thesauris militi diripiendam Lucull concesserat, & octingẽtas præterea drachmas singulis militibus ex hostium spoliis dederat: tamen &c. Pungit Lucullum non obscurè. HOTOM.

Nimia longinquitate locorum. Confert in milites, quod vult tamẽ ad Lucullum pertinere intelligi, Dionis autem verba ad hũc locum pertinentia hæc sunt ex reliquiis libri XXXV. Λούκουλλος δὲ Τιγράνην μὲν οὐκ ἐπεδίωξεν, ἀλλὰ καὶ πάνυ ἐφ' ἡσυχίᾳ σωθῆναι εἴασε, καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ αἰτίαν ὡς οὐκ ἐθελήσας τὸν πόλεμον, ὅπως ἐπὶ πλεῖον ἄρχῃ, καταλῦσαι, ... ἔσχε. καὶ διὰ τοῦτο ... τοῖς στρατηγοῖς τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας ἀπέδωκαν, ... ὕστερον αὐτῷ τὸν κατ' ἐκεῖνον χρόνον ὕπατον, διάδοχον ἔπεμψαν. id est, Lucullus autem Tigranem non est persequutus: eíque longissimum spatium saluti suæ consulendi permisit. qua de causa, cum ab aliis, tum à suis ciuibus insimulatus est, prorogandi imperii studio bellum dirimi noluisse. ob eámque causam tũc Asiæ imperium ad Prætores trãstulerunt, ac postea quũ hoc ipsum rursus facere videretur, eum qui tum erat Consul, successorem ei miserunt.

Mithridates autem & suam manum iam confirmarat. Appianus manum ait fuisse militum quatuor millium: & totidem illi regem Tigranem tradidisse.

Regum afflicta fortuna. Hoc est quod dicit in Epistolis famil. Nihil tã miserabile, quàm ex beato miser.

Clarum atque victorem. Primùm in L. Flaccum, quem in Ponto Lucullus reliquerat. nam & illum fugauit, & quingentos ex illius militibus interfecit. deinde in C. Triarium Luculli legatũ, qui in Flacci locum cum exercitu nouo missus est. nam hic Lucullum aduentare sentiens, triũphi cupiditate impulsus prœlium cũ Mithridate cõmisit: quo in prœlio cæsi sũt Tribuni quatuor & viginti, centuriones centum quinquaginta, ciuium supra septem millia interfecta. vt Appianus & Plutarchus scribunt.

Sinite hoc loco. Simulata præteritio: quam Græci [Greek] appellant. quum id obliquè dicimus, quod velle tacere videbamur.

Non ex prælio nuntius. Acerbè dictū. significat enim ex eo prælio neminem omnino superfuisse.

Vestro iussu coacti. Maiestatis populi R. hæc pars erat, vt & imperium daret, & adimeret. Tota autem in hisce tribus versabatur, in dando scilicet adimendóque imperio, iubendis & abrogandis legibus, bellis inferendis aut dissoluendis.

Imperij diuturnitati. Consul cum Aurelio Cotta prouinciam Asiam (vt Plutarchus scribit) sortitus est: in eámque est anno insequenti cum exercitu aduersus Mithridatē profectus. Annos ergo septem totos in imperio permansit. nam totidem anni sunt ad Lepidi & Tulli consulatum, quo anno Prætor Cicero hāc legē suasit. Et de imperii diuturnitate Mamercus AEmylius Dictator quū de minuenda censura cum populo ageret, apud Liuium lib. I V, sic inquit, Maximā libertatis populi R. custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent: & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non posset.

Qui iam stipendiis confectis erant. Id est, Veterani, qui iam emeritis stipendiis erant. Ciues Romani ab anno X V I I ætatis, ad annum X L V annos nouem militare & stipendia facere iubebantur: vt patet ex Liuii libro X X I I I, & Dionysii Hal. lib. I I I. Hos autem Plutarchus Fimbrianos milites fuisse tradit: id est, eos qui duce C. Fimbria quū L. Valerium Flaccum Consulem occidissent, eum imperatorem delegerunt.

CICERO. » Multa præterea cōsulto, sed ea vos coniectura perspicitis, quantum illud bellū futurum pu-
638 » tetis, quod coniungant Reges potentissimi, renouent agitatæ nationes, suscipiant integræ gen» tes, nouus imperator vester accipiat vetere expulso exercitu. Satis mihi multa verba fecisse vi» deor, quare hoc bellū esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosū. Restat vt de impe» ratore ad id bellū deligendo, ac tātis rebus præficiendo dicendū esse videatur. Vtinā Quirites » virorū fortium atque innocentium copiā tantā haberetis, vt hæc vobis deliberatio difficilis es» set, quemnā potissimum tantis rebus ac tāto bello præficiendum putaretis. Nunc verò quum » sit vnus Cn. Pompeius, qui non modò eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam an» tiquitatis memoriam virtute superarit: quæ res est, quæ cuiusquam animum in hac causa du» bium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oporte» re, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scietior » vnquā aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo atque pueritiæ disciplina, bello maximo atque acerri» mis hostibus ad patris exercitum atque in militiæ disciplinam profectus est: qui extrema pue» ritia miles fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator: qui » sæpius cum hoste conflixit, quàm quisquam cum inimico concertauit: plura bella gessit, quàm » cæteri legerunt: plures prouincias confecit, quàm alii concupiuerunt: cuius adolescentia ad sci» entiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis: non offensionibus belli, sed victo» riis: non stipendiis, sed triumphis est traducta.

HOTOM. *Partem Glabrioni tradidit.* Opinor, qui Consul anno superiore fuerat cum C. Calpurnio Pisone. nam, vt suprà diximus, Dion successorem hunc Lucullo missum testatur. Appianus autem nomen reticuit, & tantummodo dicit Lucullū ab eo, qui missus erat in Asiam vt Lucullo succederet, reuocatum: & præconem in eius exercitum missum, qui abrogatum esse Lucullo imperium militibus renunciaret.

Quantum illud bellum futurum putetis. Deesse aliquid apparet, & (opinor) tale quiddā est, Tantum cogitate Quirites. quinetiam pro Futurum, Factum vitiosè legitur in aliis codicibus.

Coniungunt reges potentissimi. Mithridates & Tigranes.

Agitatæ nationes. Quæ vtriusque regis imperio parent.

Integræ gentes. Nondum bello à nobis lacessitæ. dixit suprà magnas aduentitias multorum regum & nationum copias.

Bello maximo, atque acerrimis hostibus. Cinna, Carbone, Sertorio: ciuili bello aduersus L. Syllam.

Ad patris exercitum. Cn. Pōpeii Strabonis, Catonis in Cōsulatu collegæ. Is bello Italico Proconsul, quum satis feliciter Remp. gessisset, anno insequenti Q. Pompeium Syllæ in consulatu collegam, qui ad capiendum iussu populi à Cn. Pōpeio exercitū profectus erat, in tribunali interficiendum curauit. Itáque in Italia Cinnano bello exercitū habuit, in quo exercitu hunc quoque Cn. Pompeium ipsius filium adolescentē fuisse Plutarchus auctor est. Eundem Cneū Cnei Pompeii patrem, anno vertente, quum Cinnam ab vrbis mœniis depelleret, fulgure simul cum aliis quammultis interemptum ex historia constat.

Extrema pueritia miles fuit. Similis locus in Orat. pro Balbo, Quid enim abest huic homini, &c. vsúsne rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum atque imperiorū maximorum: cuius plerique æquales minus sæpe castra viderunt, quàm hic trimphauit: qui tot habet triumphos, quot oræ sunt partésque terrarū: tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorū. Et lubet hoc loco particulā eius orationis, quā ipse Pompeius ad popu-

lù habuit, dum lex Gabinia de bello maritimo ferretur, describere. extat apud Dionē in hanc ferè sententiam. Magna me profectò Quirites, si quos mihi mandatis honores lætitia afficiunt: natura enim omnes homines beneficiis sibi à suis ciuibus tributis maiorē in modū delectantur, iisque acceptis exultāt. ego verò qui honoribus à vobis atque ornamētis omnibus tā sæpe sum affectus, sanè quàm satis magnā pro recentibus vestris in me beneficiis voluptatē animo capiā, constituere non possum: tametsi neque vos decere arbitror, ità in me affectos esse, vt satiari deferendis mihi honoribus non possitis: neque mihi cōuenire, in cōtinuis imperiis ac magistratibus versari. Etenim sic se res habet Quirites, vt mihi semper ab ineūte ætate Respub. gerēda fuerit: vobis verò aliorum quoque ratio habenda est. Ecquid memoria tenetis, quàm exercitus bello Cinoano puer adhuc, neque dum ineunte adolescentia, fuerim? quantos in labores in Sicilia, in Africa vixdum in iuniorum censum relatus subierim? quanta in Hispania pericula nondum in Senatum cooptatus susceperim? Quæ non eò dico Quirites, quasi in me ingrati atque immemores fueritis: nihil, nihil profectò minus. etenim præter ea ornamenta, quibus à vobis sum affectus, quæ & magna & multa sunt, cōmissa mihi Sertoriani belli administratio tū, quū alius qui eā aut vellet, aut posset suscipere, nemo reperiretur: & hoc amplius, triumphus cōtra leges decretus, summū planè & eximiū quendā mihi honorē ornamentúmq; attolerūt.

Miles fuit summi imperatoris. L. Syllæ ex Asia in Italiam victorem exercitum reportantis.

Maximi ipse exercitus imperator. Plutarchus & Florus eum in agro Piceno priuatū hominē, annos tres & viginti natū, voluntariū exercitum cōscripsisse tradunt, & cum tribus legionibus ad L. Syllam venisse, ad cúmque se nobilitatem omnē contulisse: vt deserta vrbe ad castra veniretur, complures in itinere Italiæ ciuitates sollicitasse: Scipionem & Carbonē aduersæ partis duces prælio lacessisse: mox ad Syllam cum exercitu instructissimo & paratissimo profectū, Imperatorem ab ipso Sylla salutatum: statimque in Celtiberiam missum esse.

Sæpius cum hoste confligit. Hostes publicè tantùm dicuntur, scilicet quibus bellum populi R. iussu à collegio Fecialiū indictū est: Inimici priuatim, à quibus animo alienati & disiuncti sumus.

Plura bella gessit. Quæ ante hoc tempus bella gesserit, quas prouincias confecerit, ex pagina insequenti cognosces.

» Quod denique genus belli esse potest, in quo illum nō exercuerit fortuna Reip: ciuile, Africanum, Transalpinū, Hispaniēse, mistū ex ciuitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, seruile, nauale, varia & diuersa genera & bellorum & hostium non solùm gesta ab hoc vno, sed etiam confecta, nullam rē esse declarant in vsu militari positam, quæ huius viri sciētiā fugere possit. Iam verò virtuti Cn. Pompeii quæ potest par oratio inueniri? quid est quod quisquam aut dignum illo, aut vobis nouum, aut cuiquam inauditum possit afferre? nō enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in cōficiēdo, consiliū in prouidēdo: quæ tāta sūt in hoc vno, quāta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audiuimus, nō fuerunt. Testis est Italia, quā ille ipse victor L. Sylla huius virtute & consilio cōfessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis vndique cinctam periculis, nō terrore belli, sed celeritate consilii explicauit. Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostiū copiis, eorum ipsorum sanguine redundauit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quæ sæpissimè plurimos hostes ab hoc superatos prostratósque cōspexit. Testis est iterum & sæpius Italia, quæ cū seruili bello tetro periculosóque premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum expectatione Pompeii, attenuatum atque imminutum est, aduentu sublatum ac sepultum. Testes verò iā omnes oræ, atque omnes exteræ gētes ac nationes: denique maria omnia tum vniuersa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus. CICERO. 639 29 30 31

Ciuile, Africanum. De quibus omnibus mox dicetur.

Virtutes imperatoriæ. De quibus lege Xenophontem lib. de Cyri vita & disciplina 1. HOTOM.

Testis est Italia. Italico bello extremo, ciuile exortum est: quo tempore diuisa Italia diuersas partes secuta est. In eo bello iam supra dictum est Cn. Pompeium voluntarium exercitum cōscripsisse, & prosperè rem gessisse.

Huius virtute & consilio. Alii prope omnes, Subsidio. quod rectum esse patet ex iis, quæ modò diximus. Annos enim tres & viginti natus subsidium L. Syllæ in Italiam attulit, & verisimile est hoc potius significasse Tullium, quàm à cōsilio hominem peradolescentē laudare voluisse.

Testis est Sicilia. Quam Perpenna & Carbo ex Italia pulsi vi occuparant ea spe, vt hoc propugnaculo aduersus Syllam vterentur. Ergo Senatusconsultum factum est, vt Pompeius eò cum imperio proficisceretur. Cuius audito aduentu Perpenna profugit. at Carbo captus, & à Pompeio damnatus, interfectus est. eius caput ad Syllam missum Appianus scribit. Hæc ex Plutarcho, Floro, & Appiano.

Testis est Africa. In quam postea missus est aduersus Cn. Domitium proscriptum, & Hiarbam Numidiæ regem, bellum aduersus Syllam molientes: quos prælio victos interemit. Quo bello intra dies XL confecto Romam rediit, & quatuor ac XX annos natus, adhuc eques R. quod quidem nemini antea contigerat, ex Africa triumphauit, Magnúsque à L. Sylla appellatus est. Florus, & Plutarchus.

Ipsorũ sanguine redundante. Plutarchus ex viginti hostiũ millibus tria tãtũ millia effugisse tradit.

Testis est Gallia. De bello transalpino apud Plutarchum in Pompeii quidem vita verbũ nullũ. Scribit autem Florus in epitome, & Plutarchus in Sertorii vita, Metellũ & Pompeium ab obsidione Calagurii oppidi (quod in Hispania est) depulsos, ac coactos diuersas regiones peteret Metellum vlteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam. quo tempore bellum hoc gessisse illũ arbitramur. scribit enim sic Plinius lib. VII, Et statim ad solis occasum transgressus, excitatis in Pyreneo trophæis, oppida DCCCLXXVI ab Alpibus ad fines Hispaniæ vlterioris in ditionem redacta victoriæ suæ adscripsit. Libro tamen tertio capite de Hispania citeriore, oppida DCCCXLVI, scriptum legimus.

Gallorum internecione. Omnes libri veteres Intensione. ex quo corrupto aliud corruptius natum est in impressis omnibus, Interemptione. quorum vtrunque repudio.

Testis est Hispania. In qua Sertorium octauum iam annum cum populo R. bellum gerentem deuicit. de Sertorio suprà pag. 631.

Testis est iterum & sæpius Italia. Seruili bello, quod à Spartaco gladiatore conflatum est. de Spartaco plenæ sunt historiæ. de Pompeio autẽ hoc dicit Tullius ad tempus. nã de Spartaco Crassus victoriam reportauit, & ouans in vrbem ingressus est. Atque hoc est, quod Crassum in hac Oratione grauiter tulisse Tullius significat ad Atticũ scribẽs, lib. I epist. Vereor, Proxim⁹ Põpeio sedebã: intellexi hominem moueri, vtrum Crassum inire eam gratiam quam ipse prætermisisset, an esse tantas res nostras, quæ tã libenti Senatu laudarentur ab eo præsertim, qui mihi laudem eo minus deberet, quòd meis omnibus literis in Pompeiana laude perstrictus esset. Scribit tamen Plutarchus missum tandem ad id bellũ Cn. Pompeium fuisse: opinor, qui Crasso succederet, eóque Crassum ea re audita continuò triumphi cupiditate prælium cum Spartaco commisisse: prosperéque rem gessisse, cæsis hostium XII millibus, & præterea trecentis. fortunam tamen eius victoriæ expertem esse Pompeium non siuisse: hostium enim quinque millia, qui ex eo prælio euaserant, illi profliganda reseruasse. Cæsis autem illis scripsisse Pompeium ad senatum, Crassum in acie gladiatores quidem fudisse, se verò bellum funditus euellisse.

Testes verò iam omnes oræ. Maritimo bello, aduersus piratas ortos ex Cilicia. de quibus latè scribit Appian. in Mithri. & Plutar. in Pompeio.

CICERO. 640 » Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit præsidium, vt tutus esset: » aut tam fuit abditus, vt lateret? quis nauigauit, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo » committeret, quum aut hyeme, aut referto prædonum mari nauigaretur? Hoc tantum bellum » tam turpe, tam vetus, tam latè diuisum atque dispersum quis vnquam arbitraretur aut ab om- » nibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno imperatore confici posse? quàm » prouinciam tenuistis à prædonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? » quem socium defendistis? cui præsidio classibus vestris fuistis? quàm multas existimatis insu- » las esse desertas? quàm multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas vrbes esse sociorum? » Sed quid ego longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit proprium populi R. longè à do- » mo bellare, & propugnaculis imperii sociorum fortunas, nõ sua tecta defendere. Sociis vestris » ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse, quum exercitus nostri Brũdusio nunquã nisi » summa hyeme transmiserint? Quid, ad nosquum ab exteris nationibus venirẽt, captos querar, » quum legati populi R. redempti sint? mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, quũ duode- » cim secures in prædonum potestatem peruenerint? quid aut Colophonem, aut Samum, nobi- » lissimas vrbes, innumerabilésque alias captas esse cõmemorem, quũ vestros portus, atque eos » portus quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestatem sciatis? An verò igno- » ratis portum Caietæ celeberrimum atque plenissimum nauium, inspectante Prætore à prædo- » nibus esse direptum.

HOTOM. *Tam turpe, tam vetus.* Nam Octauio & Cinna COSS. cœptum est, vt ex Appiano intelligitur, qui Proconsule Sylla in Asiam misso hoc bellum initium habuisse scribit. Confectum est autem hoc ipso anno Lepido & Tullo COSS. Vetus ergo, ad hinc annis videlicet tribus & viginti: exortis è Cilicia prædonibus: vnde Cilicum bellum in Verrinis Orationibus appellatur.

Aut ab omnibus annis. Bellum intra quadragesimum diem à Pompeio confectum tradunt Florus, Appianus, Plutarchus.

A prædonibus captas vrbes. Quadringentas, vt scribit Plutarchus.

Brundusio nunquam nisi summa hyeme transmiserint. Quare nominatim Brundusio? quia per hosce annos, quibus aduersus piratas & Mithridatem bellum gestum est, exercitus populi R. Brundusio transmittebãt. quæ ciuitas est in Calabria, portu nobili, vnde in Græciam iter est. sic infrà pag. 641, Pompeiũ Brundusio profectum dicit ad bellum contra piratas. Piratas maritimam orã circa Brundusium inuasisse scribit in libro qui Mithridaticus inscribitur.

Legati populi R. redempti sint. Hac de re nihil adhuc scriptum reperi.

Duodecim secures. Duos, inquit Plutarchus, Prætores, Sextilium & Bilinum in ipsis prætextis cum ministris lictoribúsque ac cæteris eius magistratus insignibus captiuos abduxerũt. Prætoribus autem senos lictores præire solitos, alibi sæpenumero dictũ est. In vrbe autem fasces tantùm & Prætoribus & Consulibus præferebantur: in prouinciis, etiam secures.

Colophonem aut Samum. Vrbes Ioniæ.

Vestros portus. Caietæ, Miseni, & Hostiæ.

Vitam & spiritum ducitis. Id est, eas res quibus vita & spiritus continetur. Frumentũ enim ex Asia, Africa, Sicilia, Sardinia eò comportabatur.

In prædonum fuisse potestatem. Sic Gellius libri 1, cap. 14. Ipse in Diuinat. Ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionémque essent. Apud Terentium, Ille vbi miser famelicus videt me esse in tantum honorem.

Portum Caietæ. Portus est Campaniæ, de quo Virgilius initio libri VII,

Tu quoque litoribus nostris AEneia nutrix,
AEternam moriens famam Caieta dedisti.

Inspectante Prætore. Quem Prætorem dicat, neque ex Plutarcho, neque ex Appiano, neque ex Dione cognoscere possumus. Fortasse tamen M. Antonium significat, qui ante Pompeiũ contra piratas missus malè rem gessit, & indicto Cretensibus bello ibidem interiit: vt Asconius tradit, & Florus in Epit. Coniecturam iuuat quod scribit Plutarchus, eius filiam à prædonibus captam fuisse.

» Ex Miseno autem eius ipsius liberos, qui cum prædonibus anteà ibi bellum gesserat, à præ- CICERO.
» donibus esse sublatos? nam quid ego Hostiense incommodum, atque illam labem, atque igno- 641
» miniam Reipub. querar, quum propè inspectãtibus vobis, classis ea, cui Consul populi R. præ-
» positus esset, à prædonib' capta atque oppressa est? Prò dii immortales, tantáne vnius hominis
» incredibilis ac diuina virtus tam breui tempore lucem afferre Reipub. potuit, vt vos, qui modò
» ante ostium Tyberinũ classem hostium videbatis, ii nũc nullã intra Oceani ostium prædonum
» nauem esse audiatis? Atque hæc qua celeritate gesta sint quanquam videtis, tamen à me in dicen
» do prætereunda non sunt. Quis enim vnquam aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus
» studiq; tam breui tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quàm celeriter Cn. Pom
» peio duce belli impetus nauigauit? qui Siciliam adiit, Africã explorauit, inde Sardiniam cum
» classe venit, nondum tempestiuo ad nauigandũ mari: atque hæc tria frumẽtaria subsidia Reip.
» firmissimis præsidiis classibúsque muniuit. inde se quũ in Italiam recepisset, duabus Hispaniis,
» & Gallia Cisalpina præsidiis ac nauibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris & in A-
» chaiam omnémque Græciam nauibus, Italiæ duo maria maximis classibus firmissimísque
» præsidiis adornauit: ipse autem, vt à Brundusio profectus est, vndequinquagesimo die totam ad
» imperium populi R. Ciliciam adiunxit: omnes, qui vbique prædones fuerunt, partim capti in-
» terfectíque sunt, partim vnius imperio ac potestati se dediderunt.

Ex Miseno autem. Italiæ promontorio, à Miseno AEneæ tibicine: de quo Virgilius libro AEneidos III, & VI. HOTOM.

Eius ipsius liberos. Eius Antonii filiam: quam tamen magna pecunia redemptam postea reddiderunt.

Hostiense incommodum. Hostiam vrbem ab Anco (vt Liuius scribit) Martio conditam Strabo libro Geog. V vrbis Romæ nauale appellat, quò Tyberis erumpit, eam præterlabens. extenditur autem in longum in Campaniam vsque & Samnitium mõtes. Hac autem ipsa de re Dion libro XXXVI sic scribit: Προχωρούντων δὲ αὐτοῖς τούτων, καὶ ἐς τὴν ἤπειρον ἀνέβαινον, καὶ πολλὰ καὶ ἐκείνους τοὺς μηδὲ χρωμένους τῇ θαλάσσῃ ἐλυμαίνοντο, καὶ ταῦτα οὐ τὴν ἔξω συμμαχίδα αὐτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὴν ἐποίουν. τά τε γὰρ κέρδη τὰ αὐτόθεν μείζω χρήσειν, καὶ πάντας τοὺς λοιποὺς ἐπὶ πλεῖον ἐκφοβήσειν, εἰ μηδὲ ἐκείνης ἀπέχοιντο, νομίζοντες, ἔς τε τὰς ἄλλας τὰς πόλεις, καὶ ἐς αὐτὰ τὰ ὤστια ἐσέπλεον, καὶ τάς τε ναῦς ἔκαιον, καὶ πάντ' ἥρπαζον, καὶ τέλος ὡς οὐδεμία σφῶν ἐπιστροφὴ ἐγίγνετο, τάς τε διατριβάς ἐν τῇ γῇ ἐποιοῦντο, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ὅσους μὴ διώλλυσαν, τά τε σκῦλα ὅσα ἐλάμβανον, ἀδεῶς ὥσγε καὶ ἐν οἰκείᾳ διετίθεντο. Id est, Prædones quũ illi se ad ipsorum amicitiã adiunxissent, in continentem etiam se intulerũt, multísque incõmodis etiam eos qui nauigare non solebant, affecerunt. idque non extra sociorũ suorum fines duntaxat, verùm in ipsa etiã Italia. nam & quòd maiores quæstus illinc se consequuturos, & aliis maiorem terrorem iniectum iri sperabant, si ne ab ea quidem abstinerent: cum in alias

eius vrbes,tum in ipsã Hostiam suas naues appulerunt: ibíque Romanorũ naues incenderunt, omniáque diripuerunt:& tandem quasi de reditione non cogitarent,& in terra morabantur, & eos omnes quos non interfecerant, prædãmque vniuersam securè tanquã in suis finibus deposuerunt. Hæc Dion. Hostiæ porrò situm & Tiberis cursus ab vrbe Roma vsque in mare descriptionem nemo,quòd sciam,elegantius descripsit Procopio,libro de bello Gottorum primo.

Consul populi R. Hic quis fuerit,adhuc reperire non potui.

Tantáne unius hominis. Tantámne,sine cõtrouersia reponendũ,vt ad vocabulũ Lucẽ referatur.

Intra Oceani ostium. A freto Herculeo,vnde Oceanus in mediam terram instuit.

Prætereunda non sunt. Sic omnes alii libri.quare nihil ausim immutare. planius tamen singulari numero legeretur, Prætereundum non est.

Aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus. Altero negotiatores significat,altero mercatores. quorum illi,sunt qui negotia in prouinciis obeũt,veluti publicanorum societates: Senatores etiam qui hæreditates,legata,aut nomina sua persequuntur: hi, qui Romam merces ab exteris nationibus important.

Belli impetus. Pompeii classis,in qua bellum impetu & violenta quadam incursione ferebatur.

Qui Siciliam adiit, Africam explorauit, inde Sardiniam cum classe uenit. Hæc omnia prædonum bello in mari mediterraneo gesta sunt. Sed SARDINIAM VENIT, pro IN SARDINIAM locutio suspecta est,quam tamen omnes ad vnum tum scripti tum impressi libri conseruant.

Duabus Hispaniis. Eam quæ est cis,& alteram quæ est vltra Iberum flumen.

Gallia Cisalpina. Italiæ parte ab Alpibus ad Rubiconẽ flumen,quæ Gallia dicta est ab iis Gallis,qui Tarquinio Prisco(vt Liuius libro quinto demonstrat)regnante, ducẽtis ante vrbem captam annis,Alpes trãsgressi,mediam prope Italiam occuparunt. Hanc igitur Romani Cisalpinam,alteram verò vnde venerant,Transalpinã vocarunt.Cæsar hanc Vlteriorem,illam Citeriorem perpetuò appellat.

Italiæ duo maria. Adriaticum & Tyrrhenum.

Vndequinquagesimo die. Florus in Epitome,intra quadragesimum diem.

Idem Cretensibus. Prædonibus,qui Cretam insulam occuparant:quos Q. Metellus eò cum imperio missus,oppugnabat.Florus in Epit.

CICERO. » Idem Cretensibus,quum ad eum vsque in Pamphiliam Legatos deprecatoresque misissent,
642 » spem deditionis non ademit,obsidésque imperauit.ita tantum bellum,tam diuturnũ,tam lon-
» gè latéque dispersum,quo bello omnes gentes ac nationes premebãtur, Cn. Pompeius extrema
» hyeme apparauit, ineunte verè suscepit, media æstate confecit. Est hæc diuina atque incredilis
» virtus Imperatoris.Quid cæteræ,quas paulo antè commemorare cœperã,quantæ atque quàm
» multæ sunt? non enim solùm bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quærenda
» da est,sed multæ sunt artes eximiæ,huius administræ comitésque virtutis. Ac primùm,quanta
» innocentia debent esse Imperatores?quanta deinde omnibus in rebus temperantia?quanta fide?
l. quanta » quanta facilitate?quanto ingenio?quãta humanitate?quæ breuiter,qualia sint in Cn. Pompeio
» consideremus:summa enim omnia sunt Quirites,sed ea magis ex aliorum contentione,quàm
» ipsa per sese cognosci atque intelligi possunt.Quem enim possumus Imperatorem aliquo in nu-
» mero putare,cuius in exercitu veneant Centuriatus,atque venierint?quid hunc hominem ma-
» gnum aut amplum de Repub. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum admi-
» nistrandum,aut propter cupiditatem prouinciæ magistratibus diuiserit,aut propter auaritiam
» Romæ in quæstu reliquerit? Vestra admurmuratio facit Quirites,vt agnoscere videamini, qui
» fecerint.ego autem neminem nomino:quare irasci mihi nemo poterit,nisi qui antè de se volue-
» rit confiteri. Itaque propter hanc auaritiã imperatorum quantas calamitates, quocunque ven-
» tum sit,nostri exercitus ferant,quis ignorat?

HOTOM. *Legatos deprecatorésque misissent.* Oppugnati à Metello legatos ad Cn. Pompeium miserunt, vt si facultas esset,insulam ei potius quàm Metello dederent:quem satis intelligebant acerrimum de ipsis supplicium sumpturum esse. Pompeius vt fructum eius laudis Metello præcerperet, L. Octauium Legatum ad Metellum misit,vt ab oppugnatione desisteret:ipséque Legatus in vrbem ingressus piratis contra Metellum præsidium tulit:sed Metellus nihilominus obsessos in deditionem compulit,& in eos pro suo iure animaduertit. Hæc quũ ita se habeant,tamen oratoriè Tullius quæ summa vituperatione digna sunt,laudi & gloriæ vertit.

Spem deditionis non ademit. Vide pag. 646.

Ineunte hyeme apparauit. Plutarchus confectum bellum scribit spatio trium mensium. Appianus sic, Intra septuaginta dies omnes piratarum naues,id est,amplius trecẽtæ in eius potestatem venêre,partim vi captæ,partim ipsis deditæ:cætum autem & x x diebus cunctas illorum vrbes, arces,perfugia,castella,receptacula in ditionem populi R. subiunxit,cæsis ipsorum plus minus decem millibus.

Multae sunt artes eximiae. Artes eximiæ, virtutes: vt libro de Finib. I I, vbi maximas artes appellat: & contrà, inertes, nulla virtute præditos. Sed lustremus, inquit, animo non has maximas artes quibus qui carebant, inertes à maioribus nominabantur.

Quanta facilitate. Sic permulti antiqui & impressi libri. alii Felicitate. quod perspicuè falsum est, quum de virtutibus loquatur: & Facilitatis nomine comitatem & humanitatem Pompeii significet. De qua Valerius Max. commemorans scribit, regem Armeniæ Tigranem, qui & per se magna cum populo R. bella gesserat, & infestissimum vrbi Mithridatem Ponto pulsum, viribus suis protexerat, in conspectu suo diutius iacere supplicem passum non esse: sed benignis verbis recreatum, diadema quod abiecerat, capiti reponere iussisse: certísque rebus imperatis in pristinum fortunæ habitum restituisse: æquè pulchrum esse iudicantem & vincere reges, & facere. quod idem Plutarchus etiam in ipsius vita testatur.

Qualia sint in Cn. Pompeio. Quanta sint, plerique libri veteres: & rectius omnino, meo iudicio.

Quem enim possumus. Apparet hæc dici in Lucullum, quum contra eum solum pugnet, qui sibi rerum gestarum gloriam eripi querebatur.

Pecuniam ex ærario depromptam. Imperatoribus in prouinciam ituris pecunia Senatusconsulto, ex ærario attribuebatur, quã Quæstores ærarii adnumerabant. patet ex Verrina I I I, Asconio, & aliis. Hæc pecunia, Attributa dicebatur: vt Varro demonstrat.

Propter cupiditatem prouinciæ. Magistratus populi R. propter auaritiã, prouinciarũ cupidissimos fuisse, nemo medocriter quidem eruditus ignorat.

Romæ in quæstu reliquerit. Apud argentarios.

Vestra admurmuratio. De admurmuratione populi & clamoribus cognosce ex Verr. I I, pag. 152.

Nostri exercitus ferant. Id est, afferant.

Itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros atque oppida ciuium R. nostri imperatores fecerũt, recordamini: tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Vtrum plures arbitramini per hosce annos militũ vestrorũ armis hostiũ vrbes, an hybernis sociorum ciuitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui seipsum nõ continet: neque seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iudices non vult. Hic miramur hunc hominem tantum excellere cæteris, cuius legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modò manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur. Iam verò quemadmodũ milites hybernent, quotidie sermones ac literæ perferuntur: non modò, vt sumptum faciat in militem, nemini vis affertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur: hyemis enim, non auaritiæ perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt. Agè verò, cæteris in rebus quali sit temperantia, considerate. vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum initum putatis: non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui tam celeriter in vltimas terras pertulerunt: sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: nõ auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit: non libido ad voluptatẽ, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem. postremò signa, & tabulas, cæteráque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimauit.

Per hosce annos in Italia. Quum aduersus Mithridatem, Cilices, Sertorium, Spartacum exercitus ducebant. nam cum his hostibus per hosce annos bellum gestum est. HOTOM.

Per agros atque oppida ciuiũ R. Nã Italicis populis ciuitas data est annis ab hinc circiter X V I I I.

Qui alios in se seueros esse iudices non vult. Leuiter, opinor, id perstringit, quod tum notum fuisse omnibus videtur: paratum scilicet in Lucullum repetundarum iudicium fuisse, sed eum ne id fieret omni studio prohibuisse. Sanè inimicos Lucullo fuisse, vel ex his Ciceronis verbis intelligitur in eo libro quem ipsius nomine inscripsit: Quinetiam, inquit, quũ victor à Mithridatico bello reuertisset, inimicorum calumnia triẽnio tardius quàm debuerat, triumphauit. nos enim Consules introduximus penè in vrbem currum clarissimi viri.

Hic miramur hunc hominem. Cn. Pompeium.

Sic in Asiam peruenerunt. Bello maritimo in Ciliciam & Pamphyliam.

Non modò manus. Non modò nihil rapuisse, sed ne pedem quidẽ vbi nõ licebat posuisse dicatur.

Incredibilem cursum initum. Rectius putarem Inuentum: vt in aliis codicibus quammultis. vt sit sensus, Quanam arte tanta celeritas reperta est? quæ res tantæ celeritati causam præbuit? nam vnde initus sit cursus, quærimus prò, Ex quo loco cœpit quis currere. quæ sententia huic loco nulla ratione conuenit.

Ab instituto cursu. Tangit Luculli factum, quem auaritia à persequendo Mithridate retardatum dixit suprà, pag. 636.

Non nobilitas urbis. Athenas, opinor, significat: quò ingressum Pompeium Plutarchus scribit rem sacram fecisse, & habita concione continuò decessisse.

Quæ cæteri tollenda esse arbitrantur. Ipse de ea re in Verrina VII sic scribit: At istorum villæ sociorum fidelissimorũ & plurimis & pulcherrimis spoliis ornatæ refertæque sunt. vbi pecunias exterarum nationum esse arbitramini, quibus nunc omnes egent, quum Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chion, Samum, totam denique Asiam, Achaiam, Græciam, Siciliam iam in paucis villis inclusas esse videtis?

CICERO. 644 » Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbe missum, sed de cælo delapsum intuẽtur: nunc denique incipiunt credere fuisse homines Romanos hac quondam abstinẽtia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falsò memoriæ proditum videbatur. nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, nõ sine causa maiores suos tum, quũ hac temperãtia magistratus habebamus, seruire populo R. quàm imperare aliis maluisse. Iam verò ita faciles aditus ad eum priuatorũ, ita liberæ querimoniæ de aliorum iniuriis esse dicũtur, vt is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur. Iam quantũ consilio, quantum dicendi grauitate & copia valeat, in quo ipso inest quædã dignitas imperatoria, vos Quirites hoc ipso in loco sæpe cognostis. Fidem verò eius inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimã esse iudicarint? Humanitate iam tanta est, vt difficile dictu sit, verũ hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellũ hoc transmittendum sit, qui ad omnia vestræ memoriæ bella conficienda diuino quodam consilio natus esse videatur? Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque administrandis atque imperio militari valet, certè nemini dubium est, quin ea in re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat? quum sciamus homines in tantis rebus, vt aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri?

HOTOM. *Homines R. hac quondam abstinentia.* Exempla veteris continentiæ vide apud Valerium Max. libro IV, capite III, & quod suprà ex Atheneo memorauimus, pag. 279.

Tantum bellum hoc transmittendum. Id est, committendum, mandandum: vt suprà ab initio, Omne meum tempus amicorum temporibus transmittendũ putaui. id est tribuẽdum, impẽdendum.

Quoniam auctoritas multum in bellis. Auctoritatem dicit grauem & vehementẽ opinionem de alicuius singulari virtute ac magnitudine conceptam.

CICERO. 645 » Quod igitur nomen vnquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit auctoritatẽ, tãta & tam præclara iudicia fecistis? an verò vllam vsquã esse oram tam desertam putatis, quò non illius diei fama peruaserit, quũ vniuersus populus R. referto foro, repletisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, vnum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? Itaque vt plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem quantum huius auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur: qui quo die à vobis maritimo bello præpositus est Imperator, tanta repente vilitas annonæ ex summa inopia & caritate rei frumentariæ consequuta est vnius spe & nomine, quantã vix ex summa vbertate agrorũ diuturna pax efficere potuisset. Iam verò accepta in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paulo antè inuitus admonui, quum socii pertimuissent, hostium opes animíque creuissent, quum satis firmum præsidium prouincia non haberet, amisissetis Asiam Quirites, nisi ipsum id temporis diuinitus Cn. Põpeium ad eas regiones fortuna populi R. attulisset. Huius aduentus & Mithridatem insolita inflãmatum victoria continuit, & Tigranem magnis copiis minitantem Asiæ retardauit. Et quisquã dubitabit, quid virtute profecturus sit, qui tantum auctoritate profecerit? aut quàm facilè imperio atque exercitu socios & vectigalia conseruaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

HOTOM. *Tanta & tam præclara iudicia fecistis.* Quum eques adhuc Romanus ante ætatem senatoriã triumphauit: adhuc Quæstor, tamen proconsulari imperio aduersus Sertoriũ missus sit: iterum eques triumpharit: consulatum antè alios magistratus gesserit: vt pag. 652.

Repletisque omnibus templis. Quæ circum forũ sunt. auctor libri de optimo genere Orat. & Asconius in Miloniana.

Ad commune omnium gentium. Maritimum.

Tanta repente vilitas annonæ. Quippe mercatores simul vt Pompeium maritimo bello præpositum audierunt, confisi fore vt prædones ex maritimis locis profugerent, & libera esset nauigatio, magnum frumenti numerum Romam adduxerunt. Appianus, Plutarchus.

Accepta in Ponto calamitate. C. Triario deuicto. pag. 657.

Ad eas regiones. Maritimo bello, ad Pamphiliã & Ciliciam. huius rei nulla in historiis mentio.

Agè verò, illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes populi R. auctoritatem, quòd ex locis tam longinquis támque diuersis, tam breui tempore omnes vnà huic se dediderunt? quòd Cretensium Legati, quũ in eorum insula noster imperator exercitúsque esset, ad Cn. Pompeium in vltimas propè terras venerunt, eique se omnes Cretensium ciuitates dedere velle dixerunt? Quid, idem ipse Mithridates, nónne ad eundem Cn. Pompeiũ Legatum vsque in Hispaniam misit? eúmque Pompeius Legatũ semper iudicauit: ii, quibus semper erat molestũ ad eum potissimùm esse missum, speculatorem quàm Legatũ iudicare maluerunt. Potestis igitur iam constituere Quirites, hanc auctoritatem multis postea rebus gestis, magníſque vestris iudiciis amplificatam, quantum apud illos Reges, quantum apud exteras nationes valiturã esse existimetis. Reliquũ est vt de felicitate, quam præstare de seipso nemo potest, meminisse & commemorare de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate deorum timidè & pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis imperatoribus non solùm propter virtutem, sed etiam propter fortunã, sæpius imperia mandata, atque exercitus esse commissos. Fuit enim profectò quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem & gloriã, & ad res magnas bene gerendas diuinitus adiuncta fortuna. De huius autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione dicendi: nõ vt in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed vt præterita meminisse, reliqua sperare videamur: ne aut inuisa diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata videatur. CICERO.

Quòd Cretensium Legati. Vide suprà 642. HOTOM.

In vltimas prope terras. Elatè, pro In Pamphiliam, 642.

Vsque in Hispaniam. Quum Quæstor aduersus Sertorium pro Consule missus est.

Ad eum potissimum esse missum. Quum ipse Quæstor tantùm: alii qui idem bellum administrabãt Q. Metellus, M. Perpenna, Consulares essent.

Maximo, Marcello, Scipioni, Mario. Horum omniũ vitæ & res gestæ à Plutarcho & aliis conscriptæ sunt. ex quibus quæ ad hunc locum pertinebunt, deligere est melius. nobis enim non historiam scribere propositum est, sed quasi digitos ad fontes intendere.

Itaque non sum prædicaturus Quirites, quantas ille res domi militiæque, terra marique, quantáque felicitate gesserit, vt eius semper voluntatibus non modò ciues assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatésque obsecundarint. Hoc breuissimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuisse, qui à diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas dii immortales ad Cn. Põpeium detulerunt. Quod vt illi proprium ac perpetuũ sit Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa (sicuti facitis) velle & optare debetis. Quare quum & bellum ita necessarium sit, vt negligi non possit, ita magnum, vt accuratissimè sit administrandum: & quũ ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis Quirites, quin hoc tantum boni, quod à diis immortalibus oblatum & datum est, in Rempub. conseruandã atque amplificandam conferatis? Quòd si Romæ Cn. Pompeius priuatus esset hoc tempore: tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittẽdus. Nunc quum ad cæteras summas vtilitates hæc quoque opportunitas adiungatur, vt in his ipsis locis adsit, vt habeat exercitum, vt ab iis qui habent accipere statim possit: quid expectamus? aut cur non ducibus diis immortalibus eidem, cui cætera summa cum salute Reip. cõmissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus? Atenim vir clarissimus, Reip. & vestris beneficiis amplissimis affectus Q. Catulus, itémque summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditus Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: CICERO.

Vt in his ipsis locis adsit. In prædonũ bello. nam Appianus in Mithridatico sic scribit, ἐπειδὴ τούτοις ὀξέως τε οὕτω καὶ παραδόξως ἠνυσμένοις, οἱ Ῥωμαῖοι τὸν Πομπήιον μέγα ἐπαίροντες ἔτι ὄντα περὶ Κιλικίαν, εἵλοντο τοῦ πρὸς Μιθριδάτην πολέμου στρατηγόν, ἐπὶ τῆς ὁμοίας ἐξουσίας αὐτοκράτορα ὄντα, ὅπῃ θέλοι, συντίθεσθαί τε καὶ πολεμεῖν, καὶ φίλους ἢ πολεμίους Ῥωμαίοις οὓς δοκιμάσειε ποιεῖσθαι. στρατιᾶς τε πάσης ὅση πέραν ἐστὶ τῆς Ἰταλίας, ἄρχειν ἐξουσίαν ἃ οὐδείς πω πάντα τὰ πρὸ τοῦδε ὁμοῦ πάντα ἔλαβε. καὶ ἴσως αὐτὸν καὶ διὰ τάδε Μέγαν στρατηγὸν ὀνομάζουσιν. id est, His ita celeriter & præter omnium opinionem confectis, Romani Pompeiũ, qui tum adhuc erat proximè Ciliciã, maiorem in modum efferentes, elegerunt ducem belli Mithridatici, cum eodem summo imperio ac potestate: vt quacunque ratione vellet & pacisceretur, & bellũ gereret, & amicos aut hostes Romanis, quos illi videretur, faceret. exercitúsque omnis qui extra Italiam esset, imperium ei dederunt. quæ nemini adhuc omnino antea simul omnia data fuerant. & fortasse eum etiam ob eam causam Magnum Imperatorem appellant. HOTOM.

Vestris amplissimis beneficiis affectus Q. Catulus. Omnibus functus honoribus. Consulatu quidem XII ab hinc annis, collega M. Æmylio Lepido. nam hæc sunt populi beneficia, vt sæpe dixi.

summis ornamentis honoris. Omnes adepti magistratus. Consulatum autem ante annos tres, collega C. Cæcilio Metello.

CICERO. 648 Quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse, & valere oportere confiteor: sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias fortissimorum virorum & clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus, ipsa re & ratione exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius, quòd ea omnia, quæ adhuc à me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, & necessarium bellum esse & magnũ, & in vno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? si vni omnia tribuẽda sunt, vnum dignissimum esse Pompeiũ: sed ad vnum tamen omnia deferri nõ oportere. Obsoleuit iam ista oratio, re multo magis quàm verbis refutata. nã tu idẽ Q. Hortensi multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi & in Senatu contra virum fortem A. Gabiniũ grauiter ornatéque dixisti, quũ is de vno imperatore contra prædones constituẽdo legem promulgasset: & ex hoc ipso loco permulta idem contra legem verba fecisti. quid tum per deos immortales, si plus apud populum R. auctoritas tua, quàm ipsius populi R. salus & vera causa valuisset, hodie hanc gloriã atque hoc orbis terræ imperium teneremus? an tibi tum imperiũ esse hoc videbatur, quũ populi R. Legati, Prætores, Quæstorésque capiebantur? quũ ex omnibus prouinciis commeatu & priuato & publico prohibebamur? quum ita clausa erant nobis omnia maria, vt neque priuatam rem maritimam, neque publicam iam obire possemus? Quæ ciuitas anteà vnquam fuit, nõ dico Atheniẽsium, quæ satis latè quondam mare tenuisse dicitur: non Carthaginensium, qui permultum classe maritimísque rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum vsque ad nostram memoriã disciplina naualis & gloria remansit: quæ ciuitas anteà vnquam tam tenuis, quæ tam parua insula fuit, quæ non portus suos, & agros, & aliquam partem regionis atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet?

HOTOM. *Omissis auctoritatibus, ipsa re ac ratione.* Similiter lib. 1 De nat. deo. Non tam, inquit, auctoritatis in disputando, quàm rationum momenta quærenda sunt. cuius ferè cõsimilis est apud Platonem sententia, in dialogo qui Laches inscribitur, ἐπιστήμῃ γάρ οἶμαι δεῖ κρίνεσθαι, ἀλλ' οὐ πλήθει, τὸ μέλλον καλῶς κρίνεσθαι.

Ad vnum tamen omnia deferri non oportere. Deferri hac lege ad Pompeium omnia Plutarchus docet in eius vita, his verbis, quæ quia ad hunc locum intelligendum magnopere conducunt, subscribemus. γράφει νόμον εἷς τῶν δημάρχων Μανίλιος (Μάλλιος legitur in libris quos vidi omnibus) ὅσης λευκόλλος ἄρχει χώρας καὶ δυνάμεως, πομπήϊον παραλαβόντα πᾶσαν. προσλαβόντα δὲ καὶ βιθυνίαν ἣν ἔχει γλαβρίων, πολεμεῖν μιθριδάτῃ καὶ τιγράνῃ τοῖς βασιλεῦσιν. ἔχοντα καὶ τὴν ναυτικὴν δύναμιν, καὶ τὸ κράτος τῆς θαλάσσης, ἐφ' οἷς ἔλαβεν ἐξ ἀρχῆς. τοῦτο δ' ἦν ἐφ' ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τὴν ῥωμαίων ἡγεμονίαν· ὧν γὰρ ἐδόκει μόνων ἐπαρχιῶν μὴ ἐφάπτεσθαι τῷ προτέρῳ νόμῳ, φρυγίας, λυκαονίας, γαλατίας, καππαδοκίας, κιλικίας, τῆς ἄνω κολχίδος, ἀρμενίας, αὗται προσετίθεντο μετὰ στρατοπέδων, καὶ δυνάμεων, αἷς λευκόλλος κατεπολέμησε μιθριδάτην καὶ τιγράνην. Manilius, inquit, vnus è Tribunis pl. legem fert, vt prouincia tota cui Lucullus præfuisset, omnéque illius imperium Pompeio trãsmitteretur: adiungeretur etiam Bithynia, quæ Glabrioni obuenerat: itáque bellum aduersus reges Mithridatem & Tigranẽ administraret. hoc amplius, classem quoque & copias omnes nauales haberet, quas initio belli maritimi habuerat. quod quidem aliud nihil erat, quàm ad vnũ vniuersum planè Romanorum imperiũ deferri. quas enim solas superiore lege prouincias non videbatur habuisse, Phrygiam, Lycaoniam, Galatiã, Cappadociam, Ciliciam, Colchidem superiorem, Armeniam, hæ omnes adiunctæ atque attributæ sunt, vnà cum exercitu & copiis, quibus Lucullus Mithridatem & Tigranem reges deuicerat.

Obsoleuit iam ista oratio. Reiecta ac repudiata est. translatè dicitur ab iis, quæ ex vsu remota reiiciuntur.

Contra virum fortem A. Gabinium. Tribunum pleb. qui legem tulit de administratione belli maritimi Pompeio mandanda. Extant apud Dionem Gabinii & Catuli orationes cõtrariæ. idémque Dion & præterea Plutarchus auctores sunt, legem magna Senatus dissensione latã esse: & alterũ Consulem quũ vehementius legi refragaretur, propè à plebe discerptum fuisse. Catulum quidem summa contentione primùm repugnasse: sed postea cognito tanto populi studio atque voluntate, destitisse. Cicero autẽ in Orat. pro Cornelio, apud Asconiũ, & ipse quoque Asconius L. Trebellium Tribunũ pleb. pertinaciter intercessisse scribunt, Senatuique promisisse, moriturum se autè, quàm illa lex perferretur: quũ Aulus Gabinius introuocare tribus cœpit, vt Trebellio magistratum abrogaret: & aliquandiu Trebellium ea re non perterritum adfuisse, perstitisséque in intercessione, quòd omnia magis, quàm perseueraturum esse Gabiniũ, arbitrabatur. sed postquam XVII tribus rogationem acceperũt, & vna mens esset populi qui supererat, vt iussum conficeret, remisit intercessionẽ Trebellius: atque legem Gabinius de piratis persequendis pertulit. Qua de re etiam Dion eodem loco meminit.

Ex hoc ipso loco. Ex superiore loco, ex Rostris.

Legati, Prætores, Quæstorésque capiebantur. De Legatis & Prætoribus suprà dictum est pagina 640. de Quæstoribus nihil compertum habeo.

Commeatu & publico & priuato. Puto me iam suprà dixisse tũ ex Plutarcho, tum ex Appiano, ante constitutũ Pompeii imperium summã Romæ fuisse rei frumẽtariæ caritatem & inopiã. Dion autem libro XXXVI, sic scribit. ὑπὸ γὰρ ἄλλο τι τῶν ἐπακτῶν ἐφοίτα σιτία, καὶ ἡ σιτοπομπία παντελῶς ἀπεκέκλ. ὥστε-

Vt neque priuatam rem. Mercatores nauigare non auderent.

Neque publicam iam obire. Magistratus qui in prouincias mittebantur, proficisci non auderent.

Satis latè quondam mare tenuisse dicitur. Quàm latè docet Dionys. Hal. lib. Antiquit. I, his verbis, Ἀθηναῖοι μὲν γὰρ αὐτῆς μόνον ἦρξαν τῆς παραλίου, δυεῖν δέοντα ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ οὐδὲ ταύτης ἁπάσης, ἀλλὰ τῆς ἐντὸς Εὐξείνου τε πόντου, καὶ τοῦ παμφυλίου πελάγους, ὅτε μάλιστα ἐν θαλάσσῃ ἐκράτουν. id est, Athenienses enim ipsius tantùm oræ maritimæ dominatũ annos duodeseptuaginta tenuerunt: ac ne illius quidem totius, sed intra Euxinum Pontum & Pamphilium pelagus: quo tempore maximè maritimis viribus pollerent.

Permultum classe maritimisque rebus. De Carthaginensibus Appianus in Libyco sic scribit: καὶ δυναστεύοντες ἤδη Λιβύης ἐκράτουν, καὶ πολλῆς θαλάσσης, ἐκδήμους τε πολέμους ἐστράτευον ἐς Σικελίαν, καὶ Σαρδὼ, καὶ νήσους ἄλλας, ὅσαι τῇδε τῆς θαλάσσης εἰσὶ, καὶ ἐς Ἰβηρίαν. πολλαχῆ δὲ καὶ ἀποικίας ἐξέπεμπον. ἥ τε ἀρχὴ αὐτοῖς ἐγένετο δυνάμει μὲν ἀξιόμαχος τῇ Ἑλληνικῇ, πλούτῳ δὲ μετὰ τὴν Περσικήν. id est, Quúmque iam magnã potentiam adepti essent, Libyam subiugarunt, marísque magnã partem & longinqua bella gerebant in Sicilia, Sardinia, aliísque insulis quæ sunt in illo mari, etiam in Hispania: multáque in loca colonias mittebant. ac potentia quidem hæc illorum fuit: vt quum viribus quidem Græcorum potentiã æquarent, opibus secundum Persas excellerẽt. Hæc ex versione nostra, quam magno studio institutam reliquimus, quòd Appiani libros & mendis refertos, & magna ex parte ex Plutarchi παραλλήλοις descriptos perspeximus. Quod sanè vehementer admirati sumus, quũ eadem ætate ambo fuerint: neque Plutarchi vllam Appianus mentionem faciat.

Non Rhodiorũ. De Rhodiis Strabo lib. XIV. his verbis: θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία, καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικὰ, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλε. id est, Mirifica autem iuris legúmque constitutio, & cura tum de aliis quibusque Reip. partibus, tum de rebus maritimis: ex quo factum est, vt diu maris imperium tenuerit, & piratas profligarit.

At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus R. cuius vsque ad no- CICERO.
stram memoriã nomen inuictum in naualibus pugnis permanserat, magna ac multo maxima 649
parte non modò vtilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit. Nos, quorũ maiores Antiochum 55
Regem classe Persénque superarunt, omnibúsque naualibus pugnis Carthaginenses, homines
in maritimis rebus exercitatissimos paratissimósque vicerũt: ii nullo in loco iam prædonibus
pares esse poteramus. Nos quoque, qui anteà non modò Italiã tutam habebamus, sed omnes so-
cios in vltimis oris auctoritate nostri imperii saluos præstare poteramus, tum quũ insula De-
los tam procul à nobis in Ægæo mari posita, quò omnes vndique cum mercibus atque oneri-
bus commeabant, referta diuitiis, parua, sine muro nihil timebat: iidem non modò prouinciis,
atque oris Italiæ maritimis ac portubus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus: & his tem-
poribus non pudebat magistratus populi R. in hunc ipsum locum ascendere, quum eum vobis
maiores vestri exuuiis nauticis & classium spoliis ornatum reliquissent. Bono te animo tum 56
Q. Hortensi populus R. & cæteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimauit ea quæ sen-
tiebatis: sed tamen in salute communi idem populus R. dolori suo maluit, quàm auctoritati ve-
stræ obtemperare. Itaque vna lex, vnus vir, vnus annus nõ modò nos illa miseria ac turpitudi-
ne liberauit, sed etiam effecit, vt aliquando verè videremur omnibus gẽtibus ac nationibus ter-
ra maríque imperare.

Non modò vtilitatis. Interceptis vectigalibus. HOTOM.

Sed etiam dignitatis. Ereptis XII securibus, captis quibusdã Legatis, Quæstorib. & Prætoribus.

Antiochum regem classe Persénque superarũt. Antiocho apud Thermopylas victo & Græcia expulso, C. Liuius præfectus Romanæ classis adiuuante Eumene rege Asiæ Polyxenidã Antiochi præfectum ad Corycum portũ nauali prælio vicerunt, tredecim naues ceperunt cum milite ac remige, X demerserunt. Anno insequente L. Æmylius Regillus, qui Liuio successerat, eundẽ Polyxenidam ad Myonesum nauali prælio vicit, XLII nauibus in ea pugna potitus: quarũ XIII captæ in potestatẽ ipsius venerunt, cæteræ incensæ aut demersæ. Hæc ex Liuio libro XXXVI & XXXVII. De Perse nauali pugna superato apud Plutarchũ nulla suspicio. quin poti. scribit Persen apud Oreũ cum Romanis prælio nauali prosperè decertasse, & XX naues onerarias cepisse, alias mersisse quæ frumẽto onustæ erant, & hoc amplius quatuor quinqueremibus potitũ esse.

Omnibúsque naualibus pugnis Carthaginenses. Annis à Carthagine cõdita septingentis Romani Siciliam eis ademerunt: pòst Sardiniam: secundo bello Punico Hispaniam: & cum maximis copiis inter se bellarẽt, Pœni duce Annibale Italiam annos quindecim perpetuos: Romani duce P. Scipione maiore Libyam populati sunt. donec Carthaginensibus imperii summam, naues, elephantos ademerunt, & stipendiũ ipsis imperarunt. Secundæ induciæ inter Romanos & Car-

thaginenses ad L annos durarunt: donec illis dissolotis tertium & postremum bellum inter se gesserunt: quo bello Romani Carthaginem euerterunt duce Scipione minore: eámque sacram esse voluerunt. Hæc ex Appiano, qoem Latinum facere instituebamns.

Cum mercibus atque oneribus commeabant. Deli portus summá esse opportunitatem, Strabo libro Geog. x scribit. situm enim esse percommodè in Asiam ex Italia & Græcia nauigantibus: nauigantium autem frequentiam ibi mercatum quendam efficere.

Nihil timebat. Propter populi R. societatem. nam paulo antè fuerat Atheniensium. at hoc tempore capta fuerat à Mithridatis ducibus: vt idem eodem libro scribit.

Appia iam via carebamus. M. Valerio Maximo, P. Decio Muræna COS I. anno vicesimo post initium Samnitici belli Appius Claudius Crassus Censor, cui postea Cæco fuit cognomen, Appiá viam à porta Capena vsque ad vrbem Capuam, muniendá curauit. Hoc ex Iulio Frontino. inde Brundusium vsque munita est, vt Strabo docet libro V: qui ad Tarracinam scribit Viam Appiam mare contingere: ἐστρωμένην μὲν ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντεσίου. Prædones verò vniuersum mare occuparant. quare Appiæ viæ pars maritima infesta.

Non pudebat magistratus populi R. Quibus solis licebat in concionem ascendere.

In hunc ipsum locum. Locum superiorem, qui dicebatur Rostra. de quibus Liuius lib. VIII, Naues, inquit, Antiatiú partim in naualia Romæ subductæ, partim incensæ: rostrísque earum suggestum in foro extructú adornari placuit: Rostráque id templú appellatum. Ex quo loco, & altero Plinii, quem modò proferemus, intelligitur, locú ipsum in quem concionatores ascédebant, Rostris ornatum fuisse: id est oratores super ipsis rostris stetisse, & ex iis, de loco scilicet superiore, concionatos esse. Plinius enim lib. XVI de coronis rostratis loqués, Anteà, inquit, Rostra nauium tribunali præfixa fori decus erát: veluti populo R. corona imposita. postquàm verò Tribunitiis seditionibus calcari ac pollui cœpere: postquá vires ex publico in priuatú magis singulísque ciuiú quæri, & sacrosancta omnia profana fecere: tum à pedibus eorú subiere in capita ciuiú Rostra. Liuius lib. VIII docet sub Rostris partem inferioré fuisse, vnde & priuati vocem mittere poterant. & lib. XXXVIII, vbi de P. Scipionis Africani iudicio cómemorat, Tribuni, inquit, in Rostris prima luce cósederunt. Scipio reus citatus ad Rostra subiit: silentióque facto, Hoc, inquit, die cum Annibale pugnauí. Et paulo pòst, sub Rostris & sub Tribunorú pedibus reos stetisse ostendit. Et hoc ipsum est, quod significat Cicero scribens ad Atticum libro II, Postero autem die Cæsar, is qui olim, Prætor quú esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vectiú in Rostra produxit, eúmque in eo loco cóstituit, quò Bibulo COS. aspirare nó liceret.

Dolori suo, quàm auctoritati nostræ. Rectius dolori, quàm voluntati aut cupiditati. nam dolorem ægritudinem modò dicit ex iniuria aliqua conceptam. De iniuria autem dictum est iam suprà multis locis.

CICERO. 650 „ Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, ánne Pompeio, an vtrique (id quod est verius) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti? Vtrum ille qui postulat Legatum ad tantum bellum quem velit, idoneus non est qui impetret, quú cæteri ad expilandos socios diripiendásque prouincias, quos voluerút Legatos eduxerint? an ipse, cuius lege salus ac dignitas populo R. atque omnib' gétibus cóstituta est, expers esse debet gloriæ eius imperatoris, atque eius exercitus, qui cósilio ipsius atque periculo est cóstitutus? án C. Falcidius, Q. Metelus, Q. Celius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omneis honoris causa nomino, quú Tribuni pl. fuissent, anno proximo Legati esse potuerunt: in hoc vno Gabinio sunt tam diligétes: qui in hoc bello quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu qué per seipse constituit, etiá præcipuo iure esse deberet? de quo legando spero Cósules ad Senatum relaturos. qui si dubitabút aut grauabiútur, ego me profiteor relaturú: neque me impediet cuiusquam Quirites inimicú edictum, quo minus fretus vobis, vestrú ius beneficiúmque defendam. neque præter intercessionem quicquam audiam: de qua (vt arbitror) isti ipsi qui minátur, etiam atque etiam qui id liceat considerabunt. Mea quidem sentétia Quirites vnus A. Gabinius belli maritimi rerúmque gestarú auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur, propterea quòd alter vni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptúmque confecit.

HOTOM. *Ne legaretur A. Gabinius.* Legationem eius generis intelligit, quæ nó à Senatu tantùm, sed à populo etiá mittebatur omnium maximè honorifica, sumptu publico, vt Legatus quasi Imperatoris vicarius esset. sed de generibus Legationum diximus in Verrina Orat. III: vnde cætera intelligentur.

Quum cæteri ad expilandos socios. Lucullum, puto, significat, quem sæpe in hac Oratione latenter pungit.

Qui consilio ipsius atque periculo. Nam si quam exercitus offensionem accepisset, eius offensionis culpa Legislatori & consultori adscripta fuisset.

Anno proximo Legati esse potuerunt. Significat hunc morem fuisse, vt ne ii qui Tribuni pl. fuissent, Legati anno proximo iis essent Imperatoribus, qui Tribunis illis constituti fuissent.

Sunt tam diligentes. In retinendo more maiorum, quo Tribunis pleb. Legatis anno pòst esse non licebat.

Etiam præcipuo iure esse deberet. Notanda locutio. nam hoc ipsum est, quod vulgò dicimus, Priuilegium aliquod habere.

Ego me relaturum esse profiteor. Quomodo? quum Consules in vrbe essent, & ei qui cum maiore potestate esset potissimum Senatus cōsulendi ius esset: vt scribit Varro apud Gellium libro XIV. Hoc est quod modò significat, quum ait, Neque me impediet cuiusquam Quirites inimicum edictum. Ostendit enim edicturos Consules, ne quis minore cum imperio Senatum habeat. Prætores autem absentibus Consulibus Senatum habuisse Cicero declarat in Epistola ad Plācum libro X: Placuit nobis vt statim ad Cornutū Prætorem vrbis literas deferremus, qui quòd Consules aberant, Consulare munus sustinebant more maiorum. Senatus est continuò conuocatus, frequénsque conuenit, &c.

Vestrum ius beneficiúmque defendam. Ius Præturæ significat, & beneficiū magistratus à populo accepti. nam Prætoribus quoque ius erat ad Senatum referendi, vt modò diximus.

Præter intercessionem. Varro apud Gellium eo quem suprà dixi loco scribit intercedendi ne Senatusconsultum fieret ius fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii qui Senatusconsultum facere vellent, maioréve essent.

» Reliquum est, vt de Q. Catuli auctoritate, & sententia dicendum esse videatur. Qui quum ex CICERO.
» vobis quæreret, si in vno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid de eo factum esset, in quo spem 651
» essetis habituri: cepit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, quum omnes propè vna vo-
» ce, in eo ipso vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, vt nulla res tanta sit ac tam
» difficilis, quam ille non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit. Sed in
» hoc ipso ab eo vehementissimè dissentio, quòd quo minus certa est hominum ac minus diu-
» turna vita, hoc magis Respub. dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis vita
» atque virtute. At enim nihil noui fiat contra exempla atque instituta maiorum. Non dico hoc
» loco, maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello vtilitati paruisse: semper ad nouos
» casus temporum, nouorum consiliorū rationes accommodasse: non dicam duo bella maxima
» Punicū & Hispaniense ab vno imperatore esse confecta: duas vrbes potentissimas, quæ huic im-
» perio maximè minabātur, Carthaginem atque Numantiā, ab eodem Scipione esse deletas: non
» commemorabo nuper ita vobis patribúsq; vestris esse visum, vt in vno C. Mario spes imperii
» poneretur, vt idem cū Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellū administraret:
» in ipso Cn. Pompeio in quo noui cōstitui nihil vult Q. Catulus, quàm multa sint noua, sum-
» máque Catuli voluntate constituta, recordamini. Quid tam nouum, quàm adolescentulum pri-
» uatum exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit. huic præesse? præfuit. rem optimè
» ductu suo gereret? gessit.

Si quid de eo factum esset. Valerius Maximus eodem prorsus modo, in lib. VIII, cap. XVI. Plutarchus sic, Κάτλου δὲ κατὰ τοῦ νόμου προσελθόντος, πολλὴν μὲν αἰδούμενος ὁ δῆμος ἡσυχίαν παρέσχεν, ἐπὶ δὲ πολλὰ μετὰ τιμῆς ἀνεπιφθόνως ὑπὲρ τοῦ Πομπηΐου διελθὼν, συνεβούλευε φείδεσθαι, καὶ μὴ προβάλλειν τὸν τοιοῦτον ἄνδρα κινδύνοις ἐπαλλήλοις καὶ πολέμοις. ἢ τίνα, εἶπεν, ἕξετε ἄλλον, ἂν ἀπολέσητε τοῦτον; ἐκ μιᾶς γνώμης ὑπεφώνησαν ἅπαντες, σαυτόν. ὁ μὲν οὖν Κάτλος, ὡς οὐκ ἔπειθεν, ἀπέστη. id est, Quū autem Catulus contra legem diceret, populus ipsum reueritus diu cum silentio attendit. Vbi verò multa largè & honorificè de Pompeio loquutus sententiam dixit, Conseruandum, neque obiiciēdum periculis ac bellis continentibus talem virum: alioqui Quem, inquit, alium habituri estis, illum si amiseritis? omnes vna voce acclamarūt, Teipsum. Catulus igitur, quum persuadere non posset, destitit. HOTOM.

Semper in pace consuetudini, in bello utilitati. Huius rei exemplum suppeditat historia de C. Mario apud Valerium Max. Duas, inquit, Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes in ipsa acie aduersus conditionem fœderis ciuitate donauit: quod quidem factū & verè & egregiè excusauit, dicendo inter armorum strepitum verba se iuris ciuilis exaudire non potuisse. Lege eundem Valerium libro VII, cap. De necessitate.

Duo bella maxima, Punicum & Hispaniense ab uno imperatore esse confecta. Dicit P. Scipionem AEmylianum, qui quum AEdilitatem peteret, & per decem annos Consul fieri nō posset, legibus solutus est: & Consul creatus, extra sortem in Africā missus, Carthaginem vrbem expugnauit septingentesimo anno, quàm erat condita. postea quum vitio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret, delatus est vltrò Scipioni Africano à Senatu populóque Romano Cōsulatus: quem quum ille capere, ob legem quæ vetabat quenquam intra decem annos iterum

Consulem fieri licere,minimè vellet:sicuti priori Consulatu legibus solutus est. & quarto decimo anno post Carthaginem deletam Numantiam cepit,eaptámque deleuit.

Idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris,idem cum Theutonis bellum administraret. De bello Iugurthino confecto à C. Mario Consule, & Iugurtha vincto L. Syllæ Quæstori tradito, nota est historia ex Iugurthino Sallustii. Liuius tradit, Iugurtha in C. Marii triũpho ducto,& cum duobus filiis in carcere necato,decretá ei prouinciam Galliá fuisse propter Cimbrici belli metum,qui bellicosis se Teuthonis coniunxerant: duobus deinde præliis eos hostes deleuisse, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia,capta nonaginta: Mariũ absentem quintùm Consulem creatũ, triumphum oblatum, donec Cimbros vicisset, distulisse: deinde iuncto Q. Catuli Proconsulis exercitu prælio eos vicisse,in quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia,capta sexaginta. Cæsar Commenta. de bello Gal. 1, scribit Cimbris & Theutonis à C. Mario pulsis, exercitum non minorem laudem,quàm ipsum imperatorem meritum fuisse.

Adolescentulum priuatum. Annos tres & viginti natum.de hisce omnibus cognosce pagina 638.

CICERO. 652 Quid tam præter cõsuetudinem,quàm homini peradolescenti,cuius à senatorio gradu ætas longè abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam,bellúmque in ea administrandum? fuit in his prouinciis singulari innocentia,grauitate, virtute,bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit. Quid verò tam inauditum, quàm Equitem R. triumphare? at eam quoque rem populus R. non modò vidit,sed etiam studio omni visendam putauit. Quid tam inusitatum, quàm vt, quũ duo Consules clarissimi fortissimíque essent, Eques R. ad bellum maximum formidolosũmque pro Consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore, quum esset non nemo in Senatu qui diceret non oportere mitti hominem priuatũ pro Consule: L. Philippus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro Consule,sed pro Consulibus mittere. tanta in eo Reip. bene gerendæ spes cõstituebatur,vt duorum Consulum munus vnius adolescẽtis virtuti cõmitteretur. Quid tam singulare,quàm vt ex s. c. legibus solutus Cõsul antè fieret,quàm vllum alium magistratũ per leges capere licuisset? Quid tam incredibile,quàm vt iterum Eques R. ex s. c. triumpharet? quæ in omnibus hominibus noua post hominum memoriã constituta sunt,ea tam multa non sunt, quàm hæc quæ in hoc vno homine vidimus. Atque hæc tot exẽpla,tanta ac tam noua profecta sunt in eundem hominem à Q. Catulo,atque à cæterorũ eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

HOTOM. *Cuius à senatorio gradu ætas longe abesset.* In hãc sententiam Plutarchus ita scribit, Δῆλον δ' ἦν, ὅτι καὶ βουλῆς ἂν ἐπιλαχεῖν τότε ῥᾳδίως ἔσχεν. ἀλλ' οὐκ ἐσπούδασεν, ὡς λέγουσι, τὸ ἔνδοξον ἐκ τοῦ παραδόξου θηρώμενος. οὐ γὰρ ἦν θαυμαστὸν, εἰ πρὸ ἡλικίας ἐβούλευε Πομπήϊος, ἀλλ' ὑπερλαμπρὸν, ὅτι μηδέπω βουλεύων ἐθριάμβευε. τοῦτο δὲ αὐτῷ καὶ πρὸς εὔνοιαν ὑπῆρχε τῶν πολλῶν οὐ μικρόν. id est, Constat eum,si voluisset,facilè in Senatum legi potuisse. sed id nõ studuit (vt aiunt) quippe rem gloriosam ex minus gloriosa captans. neque enim magnum erat, si Pompeius ante ætatem in Senatum legeretur: sed hoc perinsigne fuit, quòd nondum in Senatum lectus,triumphabat. Hoc autem ei ad populi beneuolentiam conciliãdam non parum conduxit.

Equitem R. triumphare. Florus in Epit. Cn. Pompeius, inquit, in Africa Cn. Domitium proscriptum & Hieram regem Numidarum bellum molientes victos interemit: & XXIV annos natus adhuc Eques R. quod quidẽ nemini contigerat, ex Africa triumphauit. quod idem scribit Plinius libro VII.

Duo Consules clarissimi. Lepidus & Catulus. patet ex Floro & Appiano.

Ad bellum maximum. Sertorianum. pag. 639. Sed Cicero plerunque ad tempus loquitur,vt Philippica XI, De Cn. Pompeii imperiis,summi viri atque omnium principis, Tribuni pl. turbulenti tulerunt. nam Sertorianum bellum à Senatu priuato datum est, quia Consules recusabant: quum L. Philippus pro Consulibus se eum mittere dixit,non pro Consule.

L. Philippus. Orator, de quo Cicero cum multis locis, tum in Bruto his verbis, Duobus igitur summis Crasso & Antonio L. Philippus proximus accedebat, sed longo interuallo tamen proximus. Et paulo pòst, Sed tamen erant ea in Philippo, quæ qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret, &c.

Pro Consule, sed pro Consulibus mittere. Hac de re Plutarchus in Pompeii vita sic scribit, ὅτε καὶ φασὶν ἐν συγκλήτῳ πυθομένου τινὸς καὶ θαυμάζοντος, εἰ Πομπήϊον ἀνθύπατον οἴεται δεῖν ἐκπέμψαι Φίλιππος, οὐκ ἔγωγε φάναι τὸν Φίλιππον, ἀλλ' ἀνθυπάτους, ὡς ἀμφοτέρους τοὺς τότε ὑπατεύοντας οὐδενὸς ἀξίους ὄντας. id est, Quo tempore etiã aiunt in Senatu quærente quopiam & admirante, si Philippus Pompeium Procõsule mittendũ existimaret: respondisse Philippũ, se non pro Consule, sed pro Cõsulibus mittere: quasi vtrunque eorum qui tum Cõsules erãt, pro nihilo haberet. Ex hoc autẽ loco intelligi potest, quod puto me alibi dixisse, Proconsules non eos dici tantùm qui ex Cõsulatu in prouinciam cum imperio Consulari mittuntur: sed eos omnes qui quanuis Consules nõ fuerint, tamen cum eo imperio mittuntur. vt in libro de Legibus I, L. Gellius ex Prætura Proconsule in Græciã missus dicitur. Athe-

nis, inquit, audire ex Phædro meo memini Gellium familiarem tuum, quũ Proconsule ex Prætura in Græciam venisset, Athenis philosophos in locum vnum conuocasse, &c. Atque vt nostram semel de Procõsulibus & Proprætoribus sententiam exponamus, sic arbitramur: quum antiquitus auctis imperii finibus Prætores crearentur, qui in prouincias summo cum imperio mitterentur (de quibus apud Liuium frequens est mentio) institutum tandem fuisse, vt qui Romæ Consulatum aut Præturam gessissent, ii anno insequẽti in prouincias eodem cum summo imperio mitterẽtur: quæ iccirco Consulares & Prætoriæ vocabãtur. quarum illæ bienniũ obtinebantur, hæ annum vnum: vt testis est hic ipse in prima Philippica. qui verò ex Consulatu prouinciam obtinebant, Proconsules, siue Proconsule: qui ex Prætura, Proprætores, siue Pro prætore dicebantur. De Proconsulibus quidem nemini dubium id esse arbitramur: de Proprætoribus verò quoniam dubitare nonnullos animaduertimus, testimoniis confirmandum videtur. Cicero lib. De diuina. II, Bellicá rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt: quam multi anni sunt, quũ bella à Proprætoribus & Proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? Quin igitur Gabinius qui ex Consulatu Syriam obtinuit, Proconsul: quin Verres qui ex Prætura Siciliam, Proprætor dici posset, dubitaturum neminem existimamus. Atenim Prætor hic perpetuò nominatur. Ita est: sed aut Præturam magistratum esse annuum negemus, aut per abusionem id dici fateamur, necesse est. Repugnant enim Præturam Verris esse annuam, & Verrem Prætorio imperio tum Romæ, tum in Sicilia quadriẽnium præfuisse. Ac ne cui mirum videatur, verbũ Prætoris pro Proprætoris vsurpari, locum ex Verrina IIII, pag. 238 subscribemus, in quo & Cõsul pro Procõsul, & Prætor pro Proprætor perspicuè vsurpatur: Quum id quod omnes intelligebant diceret Heraclius, legem esse Rupiliam, quam Prætor Rupilius ex s. c. de decem Legatorũ sententia dedisset, hoc omnes semper in Sicilia Consules Prætoresque seruasse, &c. Sententiam nostram nunc ita perspicuè confirmabimus, vt quod amplius dubitetur, nihil futurum sit. Celius ad hunc nostrum scribens libro Epist. VIII, sic ait, Itémque Senatui placere, in Ciliciam prouinciam ínque VIII reliquas pronincias quas Prætorii proPrætore obtinerent, eos qui Prætores fuerunt, neque in prouincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex s. c. cum imperio in prouincias proPrætore mitti oporteret, eos sortito in prouincias mitti placere: & quæ sequuntur. Videmus, opinor, apertè nunc eos ipsos qui Prætorii erant, Prætorio imperio in prouincias mitti moris fuisse. In quo tamen illud intelligendum est, tametsi more id institutóque fieret, vt qui ex Prætura Consulatú ve exirent, in prouincias Proprætorio Proconsularive imperio mitterentur, eóque hi magistratus essent ordinarii nõnunquã tamen extra ordinem tum Proprætores, tum Proconsules mitti consueuisse, quorum imperium extraordinarium appellabatur. velut in his duobus, de quibus modò commemoratum est, Cn. Pompeio, & L. Gellio, quorum vterque quum Consul anteà nunquam fuisset, pro Consule tamen in prouinciam est missus. nam de Pompeio quidem apertè id Cicero vndecima Philippica testatur: cuius verba paulo antè descripsimus. quod eodem modo intelligendum est in iis, qui quũ Consules quidem fuissent, non tamen statim ex Consulatu in prouinciam proficiscebãtur: quemadmodũ Ciceroni vsuuenit, qui quia aliquot post Consulatũ annis in Ciliciã Proconsul profectus est, propterea extraordinarium suum imperium appellat, in Epistola IX libri ad Atticum v. Faciam, inquit, vt summa modestia & summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Atque hæc quidem de Proconsulũ imperio extraordinario. A quo Proprætorum extraordinarium imperium nihil omnino differre hinc intelligi potest, quòd Cicero Philippica XI imperium à Senatu in suam sententiã C. Cæsari adolescenti, neque vllo vnquam magistratu functo, delatum vt Proprætor esset, extraordinarium appellat. Atenim (ait) C. Cæsari adolescenti imperium extraordinariũ mea sententia dedi. Significat autem s. c. quod in Oratione v perscriptũ est, pag. 424. Eiusdémodi fuit Cn. Pisonis imperiũ, de quo Sallustius in Cõiuratione Catilinæ sic scribit: Postea Piso in citeriorẽ Hispaniam Quæstor pro Prætore missus est, adnitente Crasso, &c. Non igitur aut Proconsulum aut Proprætorum perpetuò extraordinarium imperium fuit: quemadmodũ placere quibusdam video: sed tum demum quũ in prouinciam aut ante Consulatum Præturámve, aut non statim ex Consulatu Præturáve, cum imperio mitterentur. Hæc quum ita se habeant, illud tamen minimè silentio prætermittendum videtur, quoniam Prætoris vocabulo veteres pro eo qui exercitui præesset vtebantur (quemadmodum ex Asconio notum est) eos qui Ducis exercitus vicarii relicti essent, (quos Locumtenentes generales Gallicè nominamus) pro Prætore etiam appellari consueuisse: quod vel ex eo intelligi licebit, quia Sallustius in bello Iugurthino scribit Albinum Cõsulem ad comitia profectum, Aulũ fratrem in castris pro Prætore reliquisse: quẽ paucis pòst versibus Lrgatũ appellat. & in eodẽ, C. Mariũ in expeditionem profectũ, L. Syllã Quæstorem

suū in castris pro Prætore reliquisse. Valerius autem Max. lib. I I, cap. De disciplina militari, L. inquit, Martius Tribunus militum, quum reliquias duorum exercituum P. & Cn. Scipionum, quos arma Punica in Hispania absumpserant, dispersas mira virtute collegisset, earúmque suffragiis dux esset creatus, Senatui de rebus actis à se scribens, in hunc modum orsus est: L. MARTIVS PROPRAETOR. Cuius honoris vsurpatione vti eum Patribus conscriptis non placuit, quia duces à populo, non à militibus solerent creari. Hæc Valerius. De Proconsulum autem & Proprætorū ordinario imperio lubet Appiani verba ex libro Syriaco subscribere. καὶ στρατηγοὺς, inquit, ἐπὶ τῷ στρατῷ ἀπέστειλαν, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἑξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δώδεκα πελέκεις & δώδεκα ῥάβδους, ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, ἐχόντων, τὸ ἥμισυ τῆς ἐξουσίας ἐπὶ τοῖσδε τοῖς στρατηγοῖς, καὶ τὸ ἥμισυ τοῦ σήματος ἐδέδοτο. Quæ nos quum Appianum Latinū faceremus, sic cōuertimus: Imperatores cum exercitu miserunt, quos ipsi Sexsecurium magistratus (id est Proconsules aut Prætores) vocāt: nam quū vtantur Consules duodecim securibus, totidémque fascibus, quemadmodum prisci Reges: dimidium autem potestatis illorum magistratus isti habeant: insignium etiam partem duntaxat habent dimidiā. Atque hæc quidem vsque ad Augusti imperium ita se, quemadmodum diximus, habuerunt. Hic verò prouincias ita diuisit, vt aliæ Cæsaris, aliæ Populi dicerentur. Cæsaris, quæ validiores erant, & quas annuis (vt Suetonius scribit) magistratuū imperiis regi nec facile nec tutum erat. Has igitur ipse suscepit, in eásque rectores mittere instituit, viros (vt ait Strabo) tum Consulares, tum Prætorios, tum etiam Equites. quos & ille generali nomine ἡγεμόνας, & Iurisconsulti in Pandectis Præsides appellant. Nomen (inquit Macer) Præsidis generale est, eo quòd & Proconsules, & Legati Cæsaris, & omnes prouincias regentes licet Senatores sint, Præsides appellantur. Vbi tamen SENATORES NON SINT cum negatione legendū videtur: vt Equites significet, de quibus hoc ipsum Strabo testatur. Populi autem prouinciis qui præerant, Proconsules (vt ait Suetonius) dicebantur. vnde caput est in libro Pandectarum I, De officio Proconsulis: quod ad populi prouinciarū solos rectores pertinet. Nam etsi Populus in suas prouincias στρατηγοὺς ἢ ὑπάτους (vt Strabo appellat) id est, Prætores & Consules (quibus nominibus abusus est pro Proprætores & Procōsules, vt continuò pòst demonstrat) tamen vtrósque Proconsulum nomine appellari solitos & Suetonius testatur, & ex Pandectarum libris facile intellectu est. quum scilicet extraordinarium esset eo tempore propè omnium in prouinciis imperium. eóque generali nomine (vt paulo antè moris fuisse ostendimus) Rectores omnes appellarentur. Nam, vt in eiusdem Imperatoris vita Suetonius scribit, Augustus auctor Senatui fuit, ne magistratus deposito honore statim in prouincias mitterentur: & vt cura ærarii à Quæstoribus vrbanis ad Prætorios Prætorésve transiret.

Ex S.C. legibus solutus. Solui legibus dicuntur, quibus præcipuo iure vt sint, neque legibus teneantur, Senatusconsulto permittitur.

Consul antè fieret, quàm vllum magistratum per leges capere licuisset. Annos natus XXXVI plus minus: vt constabit computanti annos à Seruilio & Pulchro COSS. quo tempore annum agebat ætatis XXIV, vt scribit Florus in Epitome. Licebat autem primum honorem petere, Quæsturam scilicet, qui minor est magistratus, anno XXXIII: sed curulis magistratus is non erat. primus erat AEdilitas, cuius annus legitimus erat XXXVI. itáque Valerii locum interpretor, quem modò subiiciam, Initia magistratuum à summo imperio cepit. At P. Scipio Africanus AEdilitatem capere poterat.

Iterum Eques R. ex S.C. triumpharet? Victo Sertorio. & ita Plinius libro VII, capite De laude Cn. Pompeii, & Valerius Max. libro VIII, Eques R. inquit, Proconsul in Hispaniam aduersus Sertorium pari imperio cum P. Metello principe ciuitatis missus est: nondum illum honorem auspicatus, bis triumphauit: initia magistratuū à summo imperio cepit. Sed quomodo Equitem R. appellat, quū Florus in Epitome Quæstorem dicat missum aduersus Sertorium, Quæstura autem prima Senatoris administratio dicatur ab Asconio & aliis? Huic ego quæstioni sic respondeo: non omnes qui magistratus gerebant, etiam curules ac maiores, Senatores fuisse: sententiam tamen in Senatu eis dicere licuisse. nam, vt scribit Festus Pompeius, ii qui post lustrum conditum ex iunioribus magistratum cepere, in Senatu sententiam dicunt: non tamen Senatores vocātur antequā in senioribus sint censi. Itaque Valerius Max. libro II, P. Crassum triennio antè Quæstorem factum scribit, quàm in Senatorium ordinem à Censoribus cōscriptum. quo vno modo, inquit, etiam iis qui honores gesserant aditus in curiam dabatur. Sed melius est A. Gellii verba subscribere, quæ ad hunc locum magnopere pertinent. Videtur, inquit, eos significare, qui nondum à CENS. in Senatum lecti, Senatores quidem non erant: sed quia honoribus populi vsi quidem erant, in Senatum veniebant, & sententiæ ius habebant. nam & curulibus magistratibus functi qui nondum à Censoribus in Senatum lecti erant, Senatores non erant.

Frustra se torquet ob locū corrupt.

& quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias: sed quas principes dixerant, in eas descendebant. Hoc significabat edictũ, quo nunc quoque COSS. quũ Senatores in curiã vocant, seruandæ consuetudinis causa trãslatitio vtuntur: Senatores, quibusque in Senatu sententiam dicere licet. hæc Gellius. Huius autẽ edicti mentionẽ Liuius facit in lib. XXIII. Cõsules, inquit, edixerunt, quoties Senatũ vocassent, vti Senatores, quibusque in Senatu dicere sententiã liceret, ad portam Capenã cõuenirent. Quo in libro, paulo suprà, ea quæ modò dicebamus planissimè confirmat. Dictator, inquit, recitato vetere Senatu, inde primũ in demortuorũ locum legit, qui post L. AEmyliũ & C. Flaminiũ Cẽsores curulẽ magistratũ cepissent, necdum in Senatu lecti essent, vt quisq; eorũ Senator primus creatus erat. Tum legit, qui AEdiles, Tribuni, & Prætores, Quæstorésve fuerãt. Idẽ lib. XXXVI, P. Corneli⁹ COS. edixit, qui Senatores essent, quibúsque in Senatu sententiã dicere liceret, quiq; minores magistrat⁹ essent, ne quis eorũ ab vrbe abiret, & c.

A vobis comprobatam semper esse. Vos semper illorũ consilium sequutos, quum hæc in illo præter consuetudinem & maiorum instituta constituebant.

Quare videant, ne sit periniquum & non ferendum, illorũ auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate à vobis comprobatam semper esse, vestrum ab illis de eodem homine iudicium, populique R. auctoritatem improbari: præsertim quũ iam suo iure populus R. in hoc homine suam auctoritatem, vel contra omnes qui dissentiũt, possit defendere: propterea quòd istis reclamantibus vos vnum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc si vos temerè fecistis, & Reip. parũ consuluistis, rectè isti studia vestra suis cõsiliis regere conãtur: sin autem vos plus tum in Repu. vidistis, vos his repugnantibus per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis: aliquando isti principes & sibi & cæteris, populi R. vniuersi auctoritati parendum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico & regio nõ solùm militaris illa virtus quæ est in Cn. Pompeio singularis, sed aliæ quoque virtutes animi multæ & magnæ requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, °Syria, regnisque exterarũ nationum ita versari vestrum imperatorem, vt nihil aliud quàm de hoste ac de laude cogitet. deinde etiam siqui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorum hominum nemo °arbitrabatur. Difficile est dictu Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorũ, quos ad eas hoc anno cum imperio misimus, iniurias ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris, nostris magistratibus religiosum, quam ciuitatem sanctam, quam domũ satis clausam ac munitam fuisse? Vrbes iam locupletes ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatẽ inferatur. Libenter hæc coram Q. Catulo & Q. Hortẽtio disputarem, summis & clarissimis viris. nouerunt enim sociorũ vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt.

CICERO. 653

°Lycia, Syria l.

°arbitratur l.

Præsertim quum iam suo iure. Suo iure, sine illorum auctoritate: & quasi iam istorum auctoritati minus esset obnoxius, quam leuem euentus esse iudicauit.

HOTOM.

Difficile est in Asia. Quum & procul à vobis remoti sint, & in locis versentur opulentissimis.

Cilicia, Syria. Hoc amplius veteres, & impressi nõnulli, Cilicia, Lycia Syria: quod nõ reiicio: nam facilè ob similes propinquas syllabas prætermitti potuit.

vestrum imperatorem. Enallage, pro Vestros imperatores.

Propter multitudinem. Quales enim plerique sunt, tales esse omnes existimantur.

Nemo arbitrabatur. Arbitratur, omnes alii libri: & sic emenda.

Hoc anno cũ imperio misimus. Glabrionẽ significare videtur, q successor Lucullo miss⁹ fuerat. 629.

Vrbes iam locupletes. Sensus est, Vrbes iam locupletes omni studio à rapacibus & auaris magistratibus requiruntur, quæ bello lacessantur, & quibus detur occasio belli aduersus nos excitãdi, vt postea fenestram apertam habeant ad eas vrbes, vtpote hostiles, expilandas ac diripiendas.

Pro sociis vos cõtra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione cõtra socios atque amicos? Quæ ciuitas est in Asia, quæ non modò vnius Imperatoris aut Legati, sed vnius Tribuni mil. animos ac spiritus capere possit? Quare etiã siquem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen, nisi erit idem qui se à pecuniis sociorũ, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab auro gazáque regia manus, oculos, animum cohibere possit: non erit idoneus qui ad bellum Asiaticum, regiúmque mittatur. Ecquam putatis ciuitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam esse locupletem, quæ istis pacata esse videatur? Ora maritima Quirites Cn. Pompeiũ non solùm propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continẽtiam requisiuit. videbat enim °populus R. non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos: neque eos quicquã aliud assequi classium nomine, nisi vt detrimẽtis accipiendis maiore affici turpitudine videremur. Nunc qua cupiditate homines in prouincias, quib⁹ iacturis, quibus cõditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad vnũ deferenda esse omnia non arbitrantur. quasi verò Cn. Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis

CICERO. 654

°populum

magnum esse videamus. Quare nolite dubitare, quin huic vni credatis omnia, qui inter annos tot vnus inuentus sit, quem socii in vrbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quòd si auctoritatibus hanc causam Quirites confirmandam putatis, est vobis auctor vir bellorum omnium maximarúmque rerũ peritissimus P. Seruilius, cuius tantæ res gestæ terra marique extiterunt, vt, quum de bello deliberetis, auctor vobis grauior esse nemo debeat:

HOTOM. *Manus, oculos, animum.* Alludere videtur ad Sophoclis præceptum, de quo lib. De offic. 1 sic commemorat, Pericles qui haberet collegam in Prætura Sophoclem poetã, hique de communi officio conuenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetque Sophocles, O puerũ pulchrum Pericle, ait, At enim Prætorẽ Pericle decet nõ solùm manus, sed etiã oculos abstinẽtes habere.

Videbat enim populus R. Restituo, Populum Romanũ. est enim sensus, Ora maritima videbat pecuniam publicam & vectigalem non referri in ærariũ, vt populi R. vniuersi fieret, sed à paucis ciuibus potentioribus interuerti: quum alii Imperatores ante Pompeium in maritimas regiones mitterentur.

P. Seruilius. Cognomẽto Isauricus: qui annos ab hinc x i i Cõsul cum Appio Claudio fuit: quo anno Sylla Dictaturã deposuit, vt Appianus auctor est. Is Proconsul in Cilicia Isauros domuit, cum Prædonibus aliquoties conflixit, arces eorum validissimas Phaselim & Olympum euertit: Isaurúmque ipsam Ciliciæ arcem sustulit: vnde Isauricus cognominatus est. Strabo libro x v i, & Florus in Epit.

CICERO. 655 Est C. Curio, summis vestris beneficiis, maximísque reb' gestis, summo ingenio & prudẽtia præditus: est Cn. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summũ cõsilium, summã grauitatem esse cognoscitis: est C. Cassius integritate, virtute, constãtia singulari. Quare videte, num horum auctoritatibus, illorũ orationi qui dissentiunt, respondere posse videamur. Quæ quũ ita sint C. Manili, primùm istam tuam & legem, & voluntatem, & sententiam laudo, vehementissiméque cõprobo: deinde te hortor, vt auctore populo R. maneas in sententia, néve cuiusquam vim aut minas pertimescas. Primùm in te satis esse animi constantiæque arbitror: deinde quũ tantam multitudinẽ cum tanto studio adesse videamus, quantã non iterum in eodem homine præficiẽdo vidimus: quid est quòd aut de re, aut de perficiẽdi facultate dubitemus? Ego autem, quicquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii: quicquid hoc beneficio populi R. atque hac potestate Prætoria: quicquid auctoritate, fide, constantia possum, id omne ad hanc rẽ conficiendã tibi & populo R. polliceor, & defero: testórque omnes deos, & eos maximè qui huic loco templóque præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad Remp. adeunt, maximè perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cuiusquã, neque quo Cn. Pompeii gratiã mihi per hanc causam cõciliari putem, neque quo mihi ex cuiusquam amplitudine aut præsidia periculis, aut adiumenta honoribus quæram: propterea quòd pericula facilè, vt hominem præstare oportet, innocẽtia tecti pellemus: honores autem neque ab vno, neque ex hoc loco,

HOTOM. *Est C. Curio.* C. Scribonius Curio, qui cum Cn. Octauio Cõsul fuit annis ab hinc decem. Proconsul Dardanos in Thracia domuit. Florus.

Cn. Lentulus. Qui cum L. Lucullo Cõsulatum gessit sex ab hinc annis. Consul cum Spartaco pugnauit. Plutarchus.

Hac potestate Prætoria. Quæstura de pecuniis repet. 628.

Qui huic loco templóque præsident. Plini' lib. x x x i v, cap. De statuis, tres Sibyllæ statuas iuxta Rostra fuisse tradit: vnã, quam Sex. Pacouius Taurus AEdilis pl. restituit: duæ, quas M. Messala. Et eodem rursus lib. aliquãto pòst Herculis statuã nominat, tunicati, Eleo habitu, torua facie, &c. Suetonius autem in Iulio simulachrum Veneris genitricis pro Rostris fuisse testatur.

CICERO. 656 Sed eadẽ nostra illa laboriosissima ratione vitæ, si vestra voluntas feret, cõsequemur. Quamobrem quicquid in hac causa mihi susceptũ est Quirites, id omne me Reip. causa suscepisse confirmo: tantúmque abest, vt aliquã bonam gratiã mihi quæsisse videar: vt multas etiã simultates partim obscuras, partim apertas, intelligam mihi nõ necessarias, vobis non inutiles suscepisse. sed ego me hoc honore præditum, tantis vestris beneficiis affectum, statui Quirites vestram voluntatem, & Reipu. dignitatem, & salutem prouinciarum atque sociorum meis omnibus commodis & rationibus præferre oportere.

HOTOM. *Nostra illa laboriosissima vitæ ratione.* In priuatorũ periculis propulsãdis. Idcirco initio dialogi De oratore hãc vitæ rationẽ in causis agẽdis occupatã, ambitionẽ appellat. Si infinitus, inquit, forensium rerum labor, & ambitionis occupatio decursu honorũ etiam ætatis flexu constitisset.

Mihi nõ necessarias, vobis non inutiles. Quid significat? Tacitè, opinor, Lucullo & aliis, qui hoc anno vel cum imperio, vel cũ Legatione in Asiã missi sunt, quorũmq; simultates subiturũ se ob hanc causam intelligit, denuntiat fore: vt per earum simultatum causam, eos in iudicium adducat, & plurimas res ab iis minus honestè gestas patefaciat.

INDEX RERVM AC VERBORVM AD IVS CIuile pertinentium

INDEX VERBORVM AD GRAMMATICOS Pertinentium

EXCVDEBAT [redacted]
IN SVA OFFICINA ANNO
M. D. LIIII. ID.
AVGVST.

4,26



130
300
39000

[illegible]

204000

100000
60
6000000

80
400
160
2000